ACTA SYNODALIA SACROSANCTI CONCILII OECUMENICI VATICANI II

VOLUMEN III

PERIODUS TERTIA

PARS IV

CONGREGATIONES GENERALES XCVI-CII



TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS
MCMLXXIV

ACTA SYNODALIA
SACROSANCTI CONCILII OECUMENICI
VATICANI SECUNDI

ACTA SYNODALIA
SACROSANCTI CONCILII OECUMENICI
VATICANI SECUNDI

Vol. I: Periodus prima

Pars I: *Sessio publica I. Congregationes generales I-IX*
Pars II: *Congregationes generales X-XVIII*
Pars III: *Congregationes generales XIX-XXX*
Pars IV: *Congregationes generales XXXI-XXXVI*

Vol. II: Periodus secunda

Pars I: *Sessio publica II. Congregationes generales XXXVII-XXXIX*
Pars II: *Congregationes generales XL-XLIX*
Pars III: *Congregationes generales L-LVIII*
Pars IV: *Congregationes generales LIX-LXIV*
Pars V: *Congregationes generales LXV-LXXIII*
Pars VI: *Congregationes generales LXXIV-LXXIX. Sessio publica III*

Vol. III: Periodus tertia

Pars I: *Sessio publica IV. Congregationes generales LXXX-LXXXII*
Pars II: *Congregationes generales LXXXIII-LXXXIX*
Pars III: *Congregationes generales XC-XCV*
Pars IV: *Congregationes generales XCVI-CII*

Vol. IV: Periodus quarta

CURA ET STUDIO
ARCHIVI CONCILII OECUMENICI VATICANI II


ACTA SYNODALIA SACROSANCTI CONCILII OECUMENICI VATICANI II

VOLUMEN III

PERIODUS TERTIA

PARS IV

CONGREGATIONES GENERALES XCVI-CII



TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS
MCMLXXIV

CONGREGATIONES GENERALES

CONGREGATIO GENERALIS XCVI
7 octobris 1964

CONGREGATIO GENERALIS XCVI

7 octobris 1964

Exc.mus P. D. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, *Ss. Concilii secretarius generalis*:

Moderabitur 96 congregationem generalem em.mus ac rev.mus D. Leo card. Suenens, arch. Mechliniensis-Bruxellensis in Belgio.

In hac congregatione, venerabiles Patres, vobis distribuitur fasciculus qui continet relationem super schema emendatum propositionum *de sacerdotibus*.

Commissio competens iuxta mandatum commissionis de coordinandis Concilii laboribus rationem habuit de omnibus animadversionibus factis a Patribus, missis nempe per epistulas. Et censuit aliquas emendationes iam nunc introducere in textum ita ut perfectior evaderet.

In hoc fasciculo, praeter relationem in qua haec omnia bene explicantur, habetur in latere sinistro textus vetus, nempe textus quem vos statuistis, venerabiles Patres; et in latere dextero habetur novus textus confectus, nempe melius, perfectus iuxta emendationes plurimas iam habitas a Patribus. Porro disceptatio et consequens suffragatio fiet, uti patet, super novum textum qui non est multum diversus a praecedenti et est perfectior... perfectior, uti dixi, iuxta animadversiones factas a Patribus.

Quapropter, si velitis petitiones porrigere ad loquendum, disceptationem vestram exhaurietis iuxta textum, uti dicam, novum, qui est in latere dextero. Ceterum, Patres venerabiles, si legetis hoc opusculum discetis quae nunc ego dico. Distribuetur itaque hic fasciculus.

In hac eadem congregatione generali prosequemur suffragationem circa schema *de Oecumenismo*. Postquam legi nomina eorum qui postulaverunt loqui circa schema *de apostolatu laicorum,* proponam suffragationem debitam circa integrum cap. II et postea prosequemur cum aliis suffragationibus de cap. III post lectas praescriptas relationes.

Ergo postulaverunt loqui circa schema *de apostolatu laicorum,* em.mi DD. cardd. Ioseph Ritter, arch. S. Ludovici in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis, Michael Browne; deinde exc.mi DD. Remigius De Roo, ep. Victoriensis in Canada, Paulus Charbonneau, ep. Hullensis in Canada, Paulus Sani, ep. Denpasarensis in Indonesia, Angelus Fernandes, arch. coad. Delhiensis in India, Leo Duval, arch. Algeriensis in

Algeria, Maurus Rubio, ep. Salmantinus in Hispania, Carolus Maccari, arch. Montis Regalis in Pedemonte in Italia, Eugenius D'Souza, arch. Bhopalensis in India, Aemilius De Smedt, ep. Brugensis in Belgio, Blasius D'Agostino, ep. Vallensis in Lucania in Italia, Stephanus Barela, ep. Czestochoviensis in Polonia, Carolus Wojtyla, arch. Cracoviensis in Polonia, Aloisius Bettazzi, ep. aux. Bononiensis in Italia, Owen McCann, arch. Capetownensis in Africa Merid., Ignatius Ziadé, arch. Berytensis Maronitarum, Caesar Antonius Mosquera, arch. Guyaquilensis in Aequatore, Antonius Caillot, ep. Ebroicensis in Gallia, Stephanus Leven, ep. aux. S. Antonii in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis, Gerardus De Vet, ep. Bredanus in Neerlandia, Villelmus Conway, arch. Armachanus in Hibernia, Albertus De Vito, ep. Lucknovensis in India, Henricus Tenhumberg, ep. aux. Monasteriensis in Germania.

Statuto tempore, in hac congregatione generali, em.mus Moderator quaeret utrum possimus prosequi ad discutienda capita huius schematis *de apostolatu laicorum*. Nam disceptatio, prouti annuntiatum est, fiet imprimis de principiis generalibus sicut ordo praescribit.

Nunc audiatis propositionem suffragationis circa caput integrum II *de Oecumenismo* [*cf. vol. III, pars II, pag. 305-308*].

Ergo, venerabiles Patres, placet, non placet an vero placet iuxta modum textus modo perlectus?

Qui suffragium ferunt *placet iuxta modum,* tradant assignatoribus locorum modos scriptos.

1 – Exc.mus P. D. MAXIMUS HERMANIUK

Archiepiscopus Vinnipigensis Ucrainorum

RELATIO

Super caput III de Oecumenismo

Pars Prima

De Ecclesiarum Orientalium peculiari consideratione

Venerabiles Patres,

1. In relatione generali super integrum schema Decreti De Oecumenismo, in fasciculo secundo istius schematis, sub titulo: « Declaratio altera de Iudaeis et de non Christianis », Vobis exhibito, in pp. 61-64 afferuntur praecipuae quaestiones a Patribus motae, tam relate ad Prooe-

mium et Caput hoc III in genere, quam relate ad I^{am} eius partem, seu de Ecclesiis Orientalibus, in specie, ubi, in pp. 63-64 diligenter enumerantur omnes emendationes quae a Secretariatu introductae sunt in textum nunc Concilio propositum, ut, iuxta vota Patrum, primus textus istius primae partis Capitis III evadat clarior, concinnior et melius ordinatus. Quam ob rem, in hac nostra relatione particulari, ne patientia Vestra abutemur, nihil amplius de his omnibus dicere intendimus, referentes Vos, Venerabiles Patres, ad iam supra dicta.

2. Id, de quo nobis ibi verbum dicendum est, praestat brevissime indicare: quo modo et quibus mediis ista prima pars Capitis III dirigere intendit mentem et voluntatem omnium Catholicorum ad veram cognitionem et sinceram acceptationem huius magnae veritatis, quam nuperrime Summus Pontifex Paulus VI in sua allocutione inaugurali III sessionis huius Sacrosanctae Synodi tam clare expressit, dicendo scopum huius Concilii fore, praeter multa alia « ostendere instituta et formam Ecclesiae, tam in Oriente quam in Occidente, licet proprietates quasdam utrumque habeat, esse eiusdem naturae » (*L'Osservatore Romano,* 14-15 septembris 1964).

Aliis verbis, Venerabiles Patres, Secretariatus noster, gratissimo animo accipiens omnes Vestras animadversiones et emendationes, voluit, in apparando hoc textu, ut Ecclesia in promovenda actione sua oecumenica inter Christianos Orientis clare et auctoritative omnibus notum faciat, quod tam in obiectiva cognitione causarum dolorosae separationis inter Orientem et Occidentem, quam in omni sincero conatu scissionem hanc reparandi et pristinam unitatem inter eos restaurandi, omnes semper et ubique conscii esse deberent Orientem et Occidentem saepe saepissime revera non differre inter se nisi diversa expressione eiusdem veritatis dogmaticae, identicae praxeos liturgicae et similis disciplinae ecclesiasticae.

3. Revera neminem fugit momentum historicum et dogmaticum istius veritatis, quae, cum rite cognita et fideliter observata, quam maxime conferre potest ad concordiam inter Christianos colendam et ad unitatem in Ecclesia Christi servandam: dum econtra, quando ignota vel in praxim non traducta, effectus quam pessimos pro tota vita ecclesiali Christianorum gignere et spargere potest, cum praemultis discordiis, acerbis accusationibus et quandoque plena cum condemnatione. Pro tristi exemplo talis habitudinis inter Orientem et Occidentem inservire potest casus schismatis tempore Patriarchae Caerularii, 1054, ubi Legatus Pontificius Cardinalis Humbertus, fere tres menses post mortem Papae S.ti Leonis IX, in sua famosa excommunicatione contra Patriarcham et eius asseclas, gratuito attribuit illis omnes haereses hoc tem-

pore in Ecclesia notas, et propter haereses sic gratuito illis attributas, omnes illos damnavit, etsi, ut ex historia hodie constat, in tota lucta hac nulla veritas dogmatica revera in dubium vocata fuisset.

Ideo, Secretariatus, mentes omnium ad peculiarem considerationem Ecclesiarum Orientalium convertens, in numeris 14-18 eiusdem Capitis III eorum propriam mentalitatem, historiam, traditiones liturgicas, spiritualitatem, ecclesiasticam disciplinam et indolem propriam in divinis tractandis breviter, sed clare et explicite, ante oculos omnium Christifidelium in lucem ponit.

4. Hisce dictis de natura et scopo Primae Partis Capitis III schematis De Oecumenismo, remanet nobis, ut obiectionibus, quae factae sunt vel fieri possunt, quantum possumus satis faciamus.

a) Secundum unum Patrem, prudentius esset auferre integrum Caput III e schemate De Oecumenismo, quia materia ibi pertractata implicat iudicia difficilia de quibus melius esset ut Concilium non agat, et ut exemplum citantur: N. 15, p. 20, linn. 36-38, et N. 17, p. 21.

Resp. Sed primus textus huius capitis, tamquam basis ulterius disceptationis in Concilio, fuit approbatus a Patribus die 21 novembris praeteriti per 1966 vota contra 86; et textus ita a Patribus approbatus iam in sessione II non fuit mutatus nisi ipsi Patres in suis animadversionibus ita petierunt.

b) Aliquis Pater difficultatem movet contra textum in N. 15, p. 20, linn. 28-29, ubi legitur: « Proinde per celebrationem Eucharistiae Domini in his singulis Ecclesiis (nempe Orientalibus), Ecclesia Dei aedificatur et crescit ». In quonam esset malum separationis — rogat iste Pater —, si Ecclesia Dei aedificatur et crescit per Liturgias Ecclesiarum seiunctarum?

Resp. Omni sacramento valide et fructuose recepto crescit et aedificatur Ecclesia Dei, quia advenit vel augetur in animabus gratia Christi, Capitis Corporis Mystici. Hoc valet a fortiori de Eucharistia, quae est fons vitae Ecclesiae et pignus futurae gloriae, ut clare dicitur in linn. 23-24 eiusdem numeri 15.

c) Plures Patres, postquam gratum animum expresserunt de debita mentione Ecclesiarum Orientalium tam catholicarum quam seiunctarum in nostro schemate facta, conquesti sunt quod in schemate nihil dicatur de munere peculiari Ecclesiarum Orientalium catholicarum in opere oecumenico.

Resp. Propter varias vicissitudines in variis locis inter Ecclesiam orientalem catholicam et orthodoxam existentes, ubi simul cum mutua aestimatione et amore in uno loco, aliquando sermo de necessitate suppressionis Ecclesiarum orientalium catholicarum auditur in alio, visum

est Secretariatui munus peculiare harum Ecclesiarum in opere oecumenico commendandi imprimis in hac duplici fidelitate servanda, scilicet: in plena fidelitate erga successorem Petri, super quem Christus aedificavit Ecclesiam suam; et in perfecta fidelitate erga traditiones eis proprias orientales, quae thesaurum ditissimum Ecclesiae Christi constituunt et signum visibile eius catholicitatis realiter manifestant. Quia per hanc duplicem fidelitatem facilius via aperitur ad dialogum cum fratribus orientalibus seiunctis et consequenter ad opus reconciliationis.

5. Secretariatus cum vero gaudio satis fecit propositionibus multorum Patrum conciliarium orientalium, qui postulaverunt aliquam communicationem in sacris cum fratribus seiunctis, proponendo in N. 15 istius capitis III, p. 20, linn. 36-40 principium quoddam generale de hac re.

CONCLUSIO

His omnibus dictis, rogamus Vos, Patres venerabiles et Fratres carissimi, suffragio vestro confirmare quae Secretariatus ad Christianorum unitatem fovendam maxima cum diligentia ad mentem Vestram in hac re praeparavit, ut ducente Spiritu Sancto et auxiliante Beatissima Deipara tam profunde et tam tenere in Oriente christiano venerata, opus hoc conciliare horam novae periodi in historia Ecclesiae annuntiet et omnes Christianos ad pristinam et germanam unitatem Ecclesiae Christi pro salute mundi quam citius perducat.

Moderator: Gratias agimus relatori, et nunc statim audiamus relationem complementariam super cap. III quoad partem secundam.

2 – EXC.MUS P. D. IOANNES HEENAN

Archiepiscopus Vestmonasteriensis

RELATIO

SUPER CAPUT III DE OECUMENISMO

Pars Secunda

De Ecclesiis et Communitatibus ecclesialibus in Occidente seiunctis

Titulus partis secundae Capitis tertii mutatus est propter multas a Patribus interventiones factas. Coetus nempe ex divisione occidentali orti non sunt tantum summa seu congeries Christianorum individuorum, sed constituuntur elementis socialibus ecclesiasticis, quae ipsi ex com-

muni patrimonio conservant et quae ipsis characterem vere ecclesialem conferunt.

Loquentes in titulo de Ecclesiis et de Communitatibus ecclesialibus omnes comprehendere volumus qui nomine christiano decorantur. Minime tamen in quaestionem disputatam intramus, quaenam requirantur, ut aliqua Communitas christiana theologice Ecclesia vocari possit.

Communitates, de quibus in hac parte agitur, non iam ut in priore redactione « inde a saeculo decimo sexto exortae » vocantur, sed « in Occidente seiunctae ». Quae expressio melius correspondet factis historicis.

Secundum emendationes a pluribus Patribus propositas, servata huius partis structura, novus expositionis modus nunc proponitur. Aliarum Communitatum descriptionem dare minime voluimus; potius quattuor puncta in textu elaborata, scilicet Christi confessio (n. 20), Sacrorum Librorum studium (n. 21), vita sacramentalis (n. 22), vita cum Christo (n. 23), ex una parte elementa omnibus Christianis communia in lucem ponunt, ut fundamentum sint pro dialogo cum fratribus seiunctis. Ex altera parte, tamquam pars huius dialogi in unoquoque numero breviter indicantur illae doctrinae, de quibus dissensus existit inter fratres seiunctos et nos. Haec temperata et aequilibrata praesentatio satisfacere vult difficultatibus illorum Patrum, qui solliciti erant de evitando ex una parte proselytismo, et, ex alia parte, periculo indifferentismi.

Conclusio (n. 24) accipienda est ut conclusio trium capitum, non mere ut conclusio huius partis. Summarie igitur indicantur principia generalia ex quibus totum opus oecumenicum inspirationem suam trahere debet, nempe fidelitas erga fidem catholicam nobis per Ecclesiam traditam necnon fidelitas erga impulsionem Spiritus Sancti qui omnes Christianos ad unitatem a Christo volitam adquirendam movet.

Piae memoriae Ioannis vigesimi tertii mentem sequens Summus Pontifex Paulus Sextus gloriose regnans saepe saepius nobis in mentem revocavit quod Concilium nostrum Vaticanum Secundum habet finem tum pastoralem tum oecumenicum. Nobis in Secretariatu videtur quod schema nostrum dat principia quorum ope voluntatem Summi Pontificis adimplere possimus.

Sacerdotes et Christifideles ad Patres Concilii tamquam duces aspiciunt. Fratres nostri carissimi, seiuncti quidem, spe autem christiana et oratione arctissime nobiscum coniuncti, cooperatores nostri magis et magis esse volunt. Mundus tandem universus exitum huius suffragationis expectat. Etiam homines sine religione viventes declarationes nostras de unitate Christianorum scrutabuntur. En opportunitas nostra demon-

strandi quod hodie sicut in temporibus subapostolicis Christiani amore fraterno cognoscuntur! Voce unanimi, venerabiles Fratres, beneplacitum vestrum ostendatis.

Secretarius generalis: Lego, venerabiles Patres, textum primae suffragationis circa cap. III, quae est XI suffragatio (*de Oecumenismo*). Videatis pag. 19 [*cf. vol. III, pars II, pag. 310, n. 13*]. Placetne an non placet, Patres, hic textus?

Moderator: Nunc statim transitus fit ad schema decreti *de Apostolatu laicorum,* et audiamus relationem ab exc.mo D. Francisco Hengsbach, ep. Essendiensi in Germania.

3 – Exc.mus P. D. FRANCISCUS HENGSBACH

Episcopus Essendiensis

RELATIO

super Schema Decreti « De Apostolatu Laicorum »

Mens huius Concilii erat, uti scitis, iam in altera Periodo sua discutere Schema « De Apostolatu Laicorum ». Cum tempus ad hoc non sufficeret, in ultima Congregatione Generali illius Periodi brevissima iam Relatio proponi potuit, in qua de genesi, de argumentis necnon de emendationibus Schematis quaedam dixi.

Cum nunc ad ipsam discussionem Schematis accedamus, amplior Relatio desideratur, idque eo magis, quod Schema interea profunde revisum sit. Huic Relationi duo praemittere velim.

Pars prima

Animadversiones praemittendae

1. *De nexu nostri Schematis cum aliis.*

Non tota quaestio laicatus in Ecclesia in hoc Schemate tractatur. De rationibus theologicis eius agitur praesertim in capite quarto Constitutionis « De Ecclesia », ad quod componendum quaedam elementa, a nostra Commissione praeparata, transmitti potuerunt; ideo de his fundamentis theologicis fusior explicatio in nostro Schemate non iam desideratur. Aliqua tamen, votis Patrum obsecundantes, in primo capite iterum restituimus.

Magnam dein partem materiae in nostra Commissione praeparatae transmisimus ad Schema « De Ecclesia in mundo huius temporis », in quo exarando nostra Commissio una cum Doctrinali collaboravit.

Etiam in aliis Schematibus plura inveniuntur quae materiam nostri Schematis tangunt, v. gr. in Decretis De pastorali munere Episcoporum in Ecclesia, et De instrumentis communicationis socialis, in Propositionibus De sacerdotibus, De activitate missionali Ecclesiae, De scholis catholicis, in Voto De matrimonii Sacramento.

Quaestiones multas iuridicas reliquimus Commissioni ad reformandum Codicem Iuris Canonici.

Quod multas quaestiones magis particulares attinet, Commissio deliberavit, an expediret conciliariter decernere ut aliquod Directorium postconciliare conficeretur. Rem reliquimus conferentiis episcoporum et ipsis laicis in apostolatu Ecclesiae constitutis.

2. *De genesi actualis textus.*

Habent sua fata non solum libelli, sed etiam Schemata conciliaria. Illud, quod prae manu habetis, in sua genesi tres gradus percurrit, unum in Commissione Praeparatoria, duos in Commissione Conciliari. De lineis principalibus huius geneseos agitur in Relatione scripta, quae Schemati nostro typis impressa additur, inde a pagina 24-26. Ne abutar patientia vestra, hanc partem omittam. Solummodo ea indico, quae ultimam phasim respiciunt, i. e. post Periodum alteram Concilii. Hoc tempore Commissio nostra, ratione habita animadversionum quae a Patribus Conciliaribus usque ad mensem ianuarii 1964 pervenerant, textum revisit, eamque substantialiter iterum, votis Patrum et mandato Commissionis de coordinandis laboribus oboediens, contraxit. Non tamen reduxit textum ad aliquas tantum Propositiones, cum talis reductio votis Patrum et exspectationibus Laicorum, spectato fine Concilii, vix satisfecisset. 7 conferentiae episcopales, 85 Patres conciliares coniuncti et 74 Patres individualiter miserunt animadversiones sive generales, sive quoad particularia. De examine et selectione propositionum a Patribus conciliaribus missis agit tertia pars Relationis antea citatae in textu typis impresso Schematis pag. 29-58.

Praeiacens forma textus in quinque subcommissionibus initio mensis martii, in pluribus sessionibus plenariis Commissionis discussa et dein unanimiter in forma praeiacente approbata est. Si cum priore comparatur, haec puncta principaliora distinctionis apparent:

a) Quantitas novi textus ad quartam partem textus antecedentis reducta est.

b) Nova plane habetur divisio materiae. Derelicta est vetus divisio in Partem Generalem ac Specialem, et huius subdivisio in apostola-

tum ad directe promovendum regnum Dei, in actionem caritativam et actionem socialem.

Hac divisione nova superata sunt quaedam inconvenientia, quae in vetere textu, ut plures Patres animadverterunt, ex rationibus in genesi textus fundatis, ordinem dicendi nimis complicaverunt; eliminari potuerunt plures repetitiones. Quaedam forte nimis particularia ad tractationem postconciliarem remitti potuerunt.

At tacere non possumus ex reductione tam ampla textus etiam multa incommoda secuta esse, praesertim hoc quod in textu praeiacente quaedam quaestiones de apostolatu laicorum, v. gr. formatione, de formis, de campis eis tantummodo adumbrari potuerint.

Novus textus inde a mense Maio huius anni missus est Patribus. Initio huius tertiae Periodi Commissio examinavit novas animadversiones Patrum, quae a 3 conferentiis episcoporum et 10 Patribus singulis missae sunt. Quasdam parvas iam emendationes textui inserendas esse decrevit, quarum conspectum invenietis in appendice huius novae Relationis impressum. In quibusdam aliis Commissio textum adhuc post discussionem in aula perficere vult, de quibus in fine huius Relationis quaedam addere liceat.

Pars secunda

De his quae in Schemate continentur

a)[1] *Prooemium.*

Nexus statuitur ad Constitutionem dogmaticam « de Ecclesia ». Rationes quaedam enumerantur specialis momenti quod apostolatus laicorum nostris temporibus habet. Indicatur finis practicus et pastoralis decreti.

b) I: *De laicorum vocatione apostolica.*

1. Hoc caput tres numeros continet: 1. de participatione laicorum in missione Ecclesiae (n. 1), 2. de apostolatu ab omnibus et singulis exercendo (n. 2), 3. de formatione apostolica (n. 3).

2. Textus resumit, ratione habita specialis finis Schematis, ea quae magis systematice relate ad apostolicam laicorum vocationem proponuntur in capite IV Constitutionis « De Ecclesia ». Describit naturam apostolatus Ecclesiae et insistit in vocatione omnium fidelium ad participationem in eo, explicat eius fundamentum sacramentale, eius ambitum, temporalia quoque attingentem. — Commemorat ea elementa quae ab omnibus praestari possunt, orationis scilicet, conformationis cum Christo patiente, testimonii vitae, evangelisationis et irradiationis in variis so-

cietatis campis. — In numero de formatione insistitur in eius connexu cum omni educatione christiana, in eius compositione ex elementis et doctrinalibus et empiricis, theoreticis et practicis; in eius adaptatione ad varias condiciones formandi; enumerantur quibus incumbat, et statuitur ut apta habeantur centra ad eam praestandam.

3. Vitanda nobis visa est terminologia apostolatus in sensu stricto et in sensu minus ad indicandam distinctionem inter munus apostolicum hierarchicum et laicorum, ne controversiae doctrinales dirimi videantur.

4.[2] Evitantur etiam terminologiae quae ab aliis aliter intelliguntur, quamvis in multis regionibus adhiberi solent, si de apostolatu laicorum sermo fit, v. gr. distinctionis inter apostolatum directum et indirectum, distinctionis inter apostolatum « evangelisationis » et « consecrationis mundi ».

5. Contra nonnullorum Patrum placita, Commissio proponit ut retineatur etiam ut ad apostolatum fidelium pertinens activitas eorum ad res temporales spiritu christiano imbuendas; pariter ut etiam orationis et mortificationis opera, spiritu apostolico praestita, exercitio apostolatus proprio adnumerentur.

c) II: *De communitatibus et vitae ambitibus.*

1. Hoc caput post introductionem aliquam quae declarat agi hic de variis campis apostolatus (n. 4) quattuor imprimis considerat: familiam (n. 5), Ecclesiae communitates, i. e. paroeciam, dioecesim necnon universalem Ecclesiam (n. 6), proprios laicorum ambitus (n. 7) et coetus omnibus patentes (n. 8).

2.[3] Familia non tantum ut campus sed etiam ut subiectum apostolatus consideratur. Ponitur in primo numero, quia primum campum apostolatus pro fidelibus constituere solet in ordine temporis et ambitus naturalis. Quaedam formae apostolatus eius nimis particulares, v. gr. erga adiutrices et adiutores domesticos, affines et vicinos, dolentibus quidem aliquibus Patribus, omissae sunt ratione abbreviationis.

3. In numero de Ecclesiae communitatibus, ex voto Patrum, quaedam formulae veteris textus quae clericalismum sapere videbantur, emendatae sunt. Retinendus videbatur ordo procedendi a paroecia ad dioecesim, spectato fine huius capitis. Magis tamen insistitur in colendis relationibus interparoecialibus propter necessitates pastorales modernarum urbium et regionum ruralium, et ultra fines dioeceseos et nationis pertingentibus, v. gr. in eis qui in alienis nationibus laborant vel auxilium praestant.

4. Pro apostolatu in proprio ambitu exercendo commendantur in

novo textu investigationes scientificae horum ambituum et studia respectiva etiam ad structuras sociales transformandas secundum Evangelii doctrinam.

5. Ultimus numerus respicit illos coetus qui omnibus, i. e. fidelibus et non fidelibus, patent. Vitatur omnis modus dicendi qui offendere possit. Insistitur in necessitate specialis formationis ad hunc apostolatum exercendum, sed modus determinatus quo consociationes ad eundem fiant, relinquitur variis regionibus particularibus, cum propter diversitatem adiunctorum hac in re normae generales vix statui possint.

d) III: *De finibus assequendis.*

1. Iuxta obiecta distinctio habetur variarum specierum apostolatus, quibus respondent propriae agendi rationes; quae tamen distinctio non tollit concretam unitatem apostolicae operositatis laicorum, qui simul fideles et cives sunt; ita post positum principium huius distinctionis et unitatis in primo aliquo numero (n. 9), caput agit de duobus obiectis distinctis apostolatus, scilicet de hominum conversione et progressu ad Deum (n. 10) et de ordine temporali christiano spiritu animando (n. 11). Commissio quaesivit mediam rectam viam inter vota eorum Patrum, qui apostolatum laicorum aut ad prius aut ad alterum obiectum plus minusve restringere videntur. Actioni caritativae, quae ad utrumque pertinet, propter eius speciale momentum datur numerus proprius (n. 12). Uniuscuiusque modi apostolatus indicantur natura, condicio historica, qualitates et dotes.

2.[4] Substituta est locutio « de regno Dei directe promovendo » per meliorem descriptionem obiecti immediati prioris modi, i. e. hominum « conversionis et progressus ad Deum »; in textu adhibentur etiam voces « verbum Dei nuntiandi hominesque sanctificandi », quibus in multis regionibus haec pars apostolatus designatur. Amplior ei — post vota quaedam Patrum, etiam in secunda Periodo Concilii ad Schema Constitutionis « De Ecclesia », prolata — locus datus est in novo textu. Praecavendum erat ne apostolatus laicorum nimis restringeretur ad ordinem temporalem christiane instaurandum. Ut in tota doctrina Concilii, etiam in hoc Schemate, insistitur in omni humano dominatu vitando.

e) IV: *De formis associativis.*

1. Caput IV continet 5 numeros, quorum primus est de momento formae consociativae (n. 13), secundus de earum multiplicitate (n. 14) tertius de associationibus fidelium in iure conditis et condendis (n. 15)

quartus de Actione Catholica (n. 16), et quintus de harum formarum aestimatione (n. 17).

2.[5] Quae in priore Schematis textu de momento formae associativae et de multiplicitate necnon de reformatione spiritus et legislationis in associationibus fidelium dicta sunt, integre retinenda esse visa sunt.

3. Materia n. 16, de Actione Catholica quae, ut permulti Patres desideraverunt, distincte tractanda erat, maximas praebuit difficultates. Ratio in eo erat, quod maxima datur regionum diversitas, rationibus historicis, geographicis, culturalibus, socialibus; diversitas etiam in vocabulorum significatione; sunt opportunitates variae, interdum in variis regionibus contrariae, ad res et appellationes ulterius evolvendas. Unitas optabatur in necessariis, servata tamen libertate in non necessariis. Vitanda erat uniformitas per speciem unitatis.

Multi Patres normas particulares desideraverunt; nonnullis tamen iam ea quae dicuntur, claudere videbantur aditus in futuro, vel stabilire ea quae adhuc in motu sunt. Varietas opinionum apparet in Tertia Parte Relationis typis impressae et Schemati adnexae: cf. ibi n. 16 de Actione Catholica, nn. 47-49. Omnes hae sententiae et observationes ostendunt variam mentalitatem Patrum, necnon varia adiuncta nationum e quibus proveniunt. Commissio omnes difficultates has iam antea consideravit (iam Commissio Praeparatoria) et ideo textus est aliqua via vere media. Omnibus perpensis ergo substantialiter relictus est textus uti iacebat iam in schemate praeparatorio et in redactione anni 1963, solummodo leviter corriguntur textus hic et illic; et post multas discussiones hic numerus peculiaris de Actione Catholica, sive ita nominetur sive non, maiori parti Commissionis bono communi Ecclesiae magis convenire visus est.

f) V: *De ordine servando.*

1. Hoc ultimum caput primo de relatione apostolatus laicorum ad Hierarchiam agit, quae varios modos admittit qui distincte enumerantur: incepta a laicis libera electione constituta et solum communi Hierarchiae vigilantiae subiecta; formae a iure Ecclesiastico qua tales recognitae; formae in quibus habetur mandatum Hierarchiae; formae quarum exercitium praerequirit missionem canonicam (n. 18); additur aliquis numerus de pastorum et laicorum in apostolatu laicorum cooperatione et de laicis qui perpetuo vel ad tempus in servitium institutionum et operum Ecclesiae seipsos exhibent (n. 19); de mutua cooperatione inter varias organizationes, institutis ad hoc etiam consiliis in variis ambitibus et etiam particulari apud Sanctam Sedem secretariatu (n. 20);

concluditur caput cum commendatione cooperationis cum aliis christianis et non-christianis (n. 21).

2.[6] Quod varios modos relationum ad Hierarchiam attinet in variis inceptis apostolicis laicorum, non eadem observatur ubique terminologia; ut ea quae hic proponuntur recte intelligantur, attendatur praesertim nota 15, Schemati adiecta.

3. Aliquis textus prioris redactionis qui respicit relationem inter pastores et laicos in apostolatu, assumptus est in Schema Constitutionis dogmaticae « De Ecclesia », cap. IV: De laicis.

4. Finis secretariatus constituendi apud Sanctam Sedem est informativus, investigativus et consultativus, non vero directivus relate ad illas activitates, sive nationales sive internationales, quibus assistit. Quidam Patres putaverunt hoc explicite dicendum esse; Commissio explicite declarat hunc esse sensum nostri numeri; iudicat tamen nec necessarium esse nec opportunum in textu dicere plus.

5. In textu de cooperatione cum aliis, christianis et non-christianis, exclusa sunt quae, quoad modum dicendi, spiritui positivo et oecumenico Concilii minus respondere videbantur. Ea quae dicuntur, ita exhibentur ut etiam modus dicendi ipsam hanc cooperationem promoveat.

Exhortatio finalis:

Exhortatio haec continet novam laicorum per ipsam Hierarchiam sollemnem invitationem ad participandam unam missionem Christi suaeque Ecclesiae, et ad eam semper etiam in futuro necessitatibus temporum adaptandam.

Pars tertia

De ulteriore emendatione textus

1. Instituta est parva subcommissio exegetarum ad examinandas omnes allusiones ad Sacram Scripturam et quaestiones, an *doctrina biblica* de nostra materia sufficienter prae oculis habita fuerit. In aliquibus textum iam emendavit; conspectum correctionum et additionum exhibet Appendix Relationi adiectus.

2. In Schemate conficiendo nondum cognovimus textum conciliarem De Ecclesia in mundo huius temporis, ad quem ea remittenda putaveramus, quae praeparaveramus distinctius de actione sociali laicorum et de ordine apostolatus ad ordinem temporalem. Examinandum erit an de his quaedam tamen in nostro Schemate iterum fusius dicenda sint, ut aliqui Patres desiderant.

3. Distinctior desideratur etiam *explicatio elementorum spiritualita-*

tis laicorum. In hoc tamen ratio habenda erit Schematis De Ecclesia, capitis V.

4. Desideratur dein, ut *organica connexio inter communitates Ecclesiae, familias, ambitus vitae* et *associationes catholicas* quoad apostolatum laicorum distinctius attendatur et efferatur.

5. Perficienda etiam adhuc videntur quae de apostolatu dicuntur *in ordine internationali,* sive quoad obiecta sive quoad formas sive quoad ordinem huius apostolatus.

Gratias agimus iis Patribus, qui iam ad textum emendandum suis animadversionibus contulerunt. Gratias insuper Auditoribus et Auditricibus nostris laicis, qui non raro, proprias suas rationes afferentes, in his emendationibus vere partem habuerunt: vivum ita exemplum et testimonium praestantes earum veritatum, de quibus argumentum nostrum agit. Gratias denique etiam illis laicis, Sacerdotibus et Religiosis, quos, quamvis ad officiales peritos Concilii non pertinebant, sive Romae sive in nostris regionibus, consulere potuimus.

Scimus ex experientia multas et optimas adhuc emendationes primo proponi in ipsa discussione conciliari Schematis. Libenter eas exspectamus, sperantes, nobis ad eas textui nostro apte inserendas, in Concilio opportunum tempus adhuc concessum iri.

Cum ea, quae in hoc Concilio de episcopatu in Ecclesia enuntiantur, complent Concilium Vaticanum Primum praeteritum, quod de hac re agere iam voluit, ea, quae de laicis agunt, doctrinam et rem praebent, quae in conscientia et actione Ecclesiae praesentis validiores sunt et quos magis in futuro adhuc evolutum iri speramus. Favete ergo, Patres Conciliares, etiam Vestro voto, hanc viam, quam Ecclesia, in mundo huius temporis constituta prosequitur, ut magis in dies fiat Lumen Gentium.

In oratione: [1] Totum *a*) omissum est. [2] nn. 4 et 5 omissi sunt. [3] nn. 2, 3 et 4 omissi sunt. [4] n. 2 omissus est. [5] n. 2 omissus est. [6] nn. 2 et 3 omissi sunt.

APPENDIX

Emendationes approbatae a Commissione

p. 5, lin. 9: post « laicorum » addatur: « (*cf. quoad tempus apostolicum Mt.* 9, 39; *Phlm.* 5; *1 Cor.* 7, 12; *1 Cor.* 3, 1-2 »).

p. 5, lin. 18: loco « ob alienationem... » dicatur « ob *autonomiam vel etiam* alien... ».

p. 5, lin. 25: loco « animas salvando » dicatur « *homines* salvando ».

p. 5, lin. 27: post « membra » addatur: « *Omnia vocata sunt ut sint " sal terrae " et " lumen mundi " (cf. Mt.* 5, 14-16) ».

p. 6, lin. 1: post « passivum » addatur: « (*cf. 1 Cor.* 12, 14 ss.) ».

p. 6, lin. 12: post « Regale Sacerdotium » addatur: « (*cf. 1 Ptr.* 2, 9) ».

p. 6, lin. 13: post « divinam missionem » addatur « *Donis Spiritus Sancti ad eam exercendam ditantur* (*cf. 1 Cor.* 12, 4-11; 28, 30; *Rom.* 12, 14 ss.) ».

p. 6, lin. 30: post « in fide, spe » addatur: « (*cf. 1 Ptr.* 3, 15) ».

p. 6, lin. 35: loco « possibilem » dicatur: « *magis possibilem* ».

p. 7, lin. 11: deleatur citatio ex S. Scriptura.

p. 7, lin. 18: loco « ut idonei fiant » dicatur « ut *christifideles* idonei fiant... ».

p. 7, lin. 20: loco « utque suam actionem » dicatur « *suamque actionem* ».

p. 8, lin. 10: loco « Novae Legis excellentiam » dicatur « Novae Legis *sacramenti excellentiam...* ».

p. 8, lin. 18: loco « caritatis Christi et Ecclesiae testis; » dicatur: « caritatis Christi et Ecclesiae *ambo simul sint testes;* ».

p. 8, linn. 31-32: loco « Laici se alant vita liturgica in paroecia eamque actuose participent; sollicite partes agant etiam in operibus apostolicis. » dicatur: « Laici, *nutriti actuosa participatione vitae liturgicae in paroecia, sollicite partes agant etiam in operibus apostolicis.* ».

p. 9, lin. 30: loco « curae habeant » dicatur « *diligenter studeant* ».

p. 9, lin. 31: loco « sunt... » dicatur: « *sint* ».

p. 9, lin. 33: loco « exercent » dicatur: « *exerceant* ».

p. 9, lin. 34: loco « studeant » dicatur: « *curam habeant* ».

p. 10, linn. 3-6: loco « sese strenuos sollicitosque inter socios ostendentes, laici studeant vita sua et operositate commendare fidem quam... » dicatur: « *laici* sese strenuos sollicitosque inter socios *ostendant, ut nempe* vita et operositate sua *commendetur fides quam...* ».

p. 10, lin. 7: loco « Unde » dicatur: « *Valde optandum...* ».

p. 10, lin. 21: post « provideatur », deleantur verba « iuxta illud Christi: Quaerite ergo primum regnum Dei et iustitiam eius » « (*Mt.* 6, 33) ».

p. 10, lin. 25: loco « collaboratio » dicatur: « *actio* ».

p. 10, lin. 27: deleatur citatio ex S. Scriptura.

p. 10, lin. 29: loco « laici Ecclesiam multimode adiuvant », dicatur: « laici *in Ecclesia* multimode *concurrunt* ».

p. 11, lin. 1: loco « pro animarum salute... » dicatur: « pro *hominum* salute *eorumque spirituali profectu...* ».

p. 11, lin. 10: post « Omnia » addatur « *enim* ».
lin. 11: corrigatur (*1 Cor.* 3, 22-23).

p. 11, lin. 18: loco « restaurent... » dicatur « *construant, restaurent ac perficiant* ».

p. 11, lin. 28: loco « christianam ordinis temporalis instaurationem... » dicatur « instauran*dum* ordinem temporalem *vere humanum et spiritu christiano informatum* exiguntur... ».

p. 12, linn. 10-14: loco « colantur... sine quibus » dicatur: « colantur etiam qualitates humanae *quae a non credentibus* maximi habentur, ut sunt probitas, sinceritas... sensus civicus; *a natura enim requiruntur et ideo* sine *his...* ».
p. 12, lin. 29: loco « auxilium hominibus in necessitate constitutis praestetur... » dicatur: « auxilium hominibus, *immo et populis* in necessitatibus... ».
p. 13, lin. 24: loco « et praesertim » dicatur: « *itemque* in adhaesione... ».
p. 15, lin. 3: loco « vocati » dicatur: « *invitati* ».
p. 18, lin. 3: loco « eodem modo », dicatur: « *simili modo* ».

Moderator: Gratias agimus relatori et omnibus membris huius commissionis, tam ecclesiasticis quam laicis.

Secretarius generalis: Lego textum XII suffragationis, pag. 19, nn. 14-18 [*cf. vol. III, pars II, pag. 310-313*].

Venerabiles Patres, placetne an non placet hic textus? Alia suffragatio fiet post 30 momenta, quapropter velitis hoc momento vestris sedibus esse. Gratias.

Moderator: Nunc incipit disceptatio *de apostolatu laicorum*.

4 - PATRUM ORATIONES
(*De apostolatu laicorum*)

1

EM.MUS P. D. IOSEPH CARD. RITTER
Archiepiscopus S. Ludovici

Venerabiles Patres,

Schema decreti *de apostolatu laicorum,* ut mihi videtur, fere omnia continet quae requirit decretum conciliare aptum et effectivum. Attamen, in sua integritate, suum finem pastoralem minime attingit. Vitia eius praecipua invenienda sunt in materiae dissipatione et ordinis defectu: illa enim quae continet veri valoris hic et illic dispersa sunt et cum alienis et inanibus mixta. Certissime, in forma actuali, schema accipi non potest ut decretum definitivum. Attamen, aliena et inania eliminando, quidquid sit valoris roborando, novumque ordinem inducendo, poterimus ex elementis hic praebitis decretum componere quod necessitatibus nostri temporis eminenter respondeat. Ad minus facilius et ex-

peditius erit hoc schema etiam funditus recognoscere quam aliud novum conficere. Proinde, meo humili iudicio, schema propositum accipi debet ut basis disceptationis.

Mihi liceat breviter indicare nonnulla vitia eliminanda, valores roborandos, et novum ordinem inducendum.

1. *Quoad vitia eliminanda.* Tria sunt vitia praecipua: spiritus clericalis, iuridicismus, et, ut ita dicam, « favoritismus » — « *favoritism* ».[1] Nimis *clericale* est schema, quia modo patroni loquitur ad laicos de laicis; quia altissimum laicorum apostolatum ponit in adiutorio clericis praebendo; et quia indolem et capacitates laicorum modo practico vix agnoscit. *Iuridicismus* schematis evidens est in illis paragraphis quae tractant de Codicis Iuris Canonici revisione et de relationibus laicorum ad hierarchiam: omnia quae aliena sunt in decreto pastorali. Deinde, « favoritismi » reum est schema in Actione Catholica singulari modo laudanda: hoc faciendo, schema alias apostolatus formas valde et indebite obtrectat.

2. *Quoad valores roborandos.* Tria sunt clare distincteque exponenda et suaviter fortiterque inculcanda: ipsa apostolatus natura, eius diversae formae, et spiritualitas specifice laicalis. Expositio *essentialis* apostolatus requirit ut in unum logicum congregentur omnia elementa hic et illic in schemate dispersa; ut iura et officia laicorum, in exercitio apostolatus sive individuali sive associativo, quam clare et distincte *enucleantur*[2]; et ut apostolatus laicorum manifestetur in sua relatione essentiali ad Ecclesiae vitam. *Formae* apostolatus diversae explicandae sunt singillatim et in suis relationibus mutuis; distinguantur ab invicem, non secundum relationes ad hierarchiam, sed generice secundum diversos fines et specifice secundum mediorum diversitatem ad eundem finem attingendum. Deinde, *sanctitas,* seu spiritualitas, laicalis explicetur secundum principia capitis « de laicis » in constitutione *de Ecclesia.*

3. *Quoad novum ordinem inducendum.* Desumatur prooemium ex capite « de laicis » constitutionis ecclesialis. Corpus decreti, quod debet esse multo brevius, consistat ex tribus partibus: 1. de essentia apostolatus; 2. de formis apostolatus diversis; et 3. de sanctitate laicali ut elemento apostolatus essentiali. Fiat conclusio per modum exhortationis pastoralis quae omnes christifideles ad apostolatum enixe vocet.

Venerabiles Patres! Hoc tempore nobis decernendum est, non solum utrum hoc schema accipi debeat, sed praesertim utrum velimus his diebus disceptare de laicorum apostolatu necne. Nunc, ut mihi videtur, est tempus acceptabile: nescimus enim utrum alia occasio unquam se praebeat. Proinde, nonobstantibus eius vitiis et inaptitudine, suadeo et

urgeo ut schema propositum acceptetur ut basis disceptationis de re tam magni momenti. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] enucleentur.

Animadversiones additae:

Ut decretum nostrum suum finem pastoralem attingat, debet vehementius urgere illa quae necessitatibus nostri temporis magis respondeant. Inter quae tria mihi videntur magni momenti.

1. Nostra tempora, dum expositionem vindicationemque apostolatus proprie laicalis requirunt, postulant etiam exhortationem quae non solum vocet sed etiam moveat laicos ad apostolatus exercitium. Per multos annos, apostolatus laicorum intelligebatur in Ecclesia participatio in apostolatu hierarchico. Munus laicorum proprium, si non ignorabatur, saltem in praxi reprimebatur. Inclinationes cursusque annorum praeteritorum his diebus inhibendi sunt, immo invertendi sunt. Decretum nostrum debet clare, distincte, aperte declarare laicos habere suam propriam participationem in missione Ecclesiae et eos posse, etiam debere, exercere apostolatum sine missione canonica, sine mandato, et sine approbatione hierarchiae. Eis pertinet ius nativum, quia etiam officium, opera apostolica initiandi, exsequendi, et perficiendi; ius etiam, si eis videtur necessarium vel utile, associandi ut labores evadant efficaciores.

2. Nostra tempora postulant expositionem naturae apostolatus quam clara et quam accurata. Talis expositio requirit considerationem de ambitu apostolatus: e. g., sive in Ecclesia sive extra Ecclesiam; considerationem finium qui formas apostolatus specificant; et ita porro. Sed expositio accurata, in circumstantiis actualibus, postulat praesertim agnitionem indolis individualis et personalis ipsius apostolatus. Vocatio ad apostolatum, sicuti etiam dedicatio sui (engagement, commitment) pertinet ad personam. Utique, talis vocatio et dedicatio est etiam ecclesialis. Attamen organizatio, seu associatio, non pertinet ad essentiam apostolatus, sed solum ad efficacius exercitium eius in quibusdam casibus. Pondus et spatium a schemate concessa considerationi associationum procedunt ex conceptu nimis iuridico apostolatus. Insuper, quod multo peius est, obscurat veram naturam apostolatus laicalis.

3. Nostra tempora postulant ut schema nostrum quaedam doceat de cooperatione laicorum in administratione Ecclesiae. Sane, haec cooperatio non pertinet ad apostolatum proprie laicalem. Sed natura et bonum Ecclesiae minime servant omnes administrationis aspectus hierarchiae et clericis. Decisiones, ut actus iurisdictionis, sunt exclusive hierarchiae. Sed aptitudo et capacitates ad consilium praebendum, sicuti et intelligentia et peritia, nullatenus restringuntur ad illos qui potestatem ordinis vel iurisdictionis possident. Bonum Ecclesiae requirit ut episcopi et pastores in sua administratione consilium quaerant ab illis qui magis periti et capaces sunt. Nonnulli sunt aspectus vitae Ecclesiae in quibus soli laici peritiam habent; alii sunt aspectus in quibus laici, non qua laici sed qua periti, consulendi sunt. Experientia, prudentia, bonum Ecclesiae commune, et ipsi christifideles hodierni postulant ut laici munere consultativo fungantur in Ecclesiae administratione et vita.

Venerabiles Patres! Saltem nonnulla ex his quae dixi iam continentur in schemate. Sensus meorum verborum est necessitates speciales postulare ut omnia

accipiant maius pondus et spatium in decreto pastorali de apostolatu laicorum.

Page 10, lines 29ff: In these lines, the laity is made distinct from the Church. The "Church" would seem to refer to the hierarchy. This "slip" can be repaired by using the terminology of lines 9 and 10 on page 5: " quam missionem Ecclesia adimplet per omnia sua membra ". So here: " Nostris quidem temporibus Ecclesia per vitam actionemque laicorum supernaturalem quamplures etiam qui longe sunt attingere potest "...

Page 11, lines 1ff: " sensu Ecclesiae " labors under the same difficulty. The layman is not a passive recipient, but an active "formator", *sensus Ecclesiae*. It would be better to speak of *sensus Christi*.

Page 13, lines 24ff: " libertas laicorum in associationibus organizandis et praesertim in adhaesione eis danda agnoscatur ". Something better than this is required. See attached speech.

Page 14, lines 3ff: Paragraph 15 should not be in a conciliar document. It is a simple *ad hoc* directive. Let it be given to proper parties.

Page 13, lines 8ff: "Catholic Action" is sufficiently treated—in re, if not nominatim—in lines 17-22 on page 16.

Page 6, lines 11-13: It would be a vast improvement to follow the lead of the Constitution on the Church and speak of the Christian's participation in the priesthood, the prophetic ministry, and the kingship of Christ.

Page 6, lines 14-16: skip " etiam ad res temporales ". It adds nothing to the statement and actually renders its reading and understanding more difficult.

Paragraphs 5, 6, and 7. Certainly, the layman is called to exercise the apostolate within and toward the family, the parish, the diocese. In this sense, these units are the objects of the apostolate. One important social unit is ignored: the liturgical assembly. The Witness and service which one gives in the assembly through his external participation are the source of inspiration and devotion to others. This, I think, should be developed.

Moreover, the family, the parish, the diocese, and the liturgical assembly are subjects of the apostolate. They are units which are called upon to further the mission of the Church through witness and service. While we may argue that this apostolate is not "lay" in the strict sense, we cannot doubt that the layman is called to play a role in the parish, liturgical assembly, diocese, and family apostolate.

2

Em.mus P. D. MICHAEL card. BROWNE

Em.mi Praesides et Moderatores, venerabiles Patres,

Schema mihi videtur bonum, et etiam magni momenti — etiam inter schemata maioris momenti quae sunt oblata nostro concilio, ut notavit em.mus card. Cento. Tamen, ut existimo, moderamen quoddam adhuc esset in ipsum introducendum.

1. Primum punctum forsitan mihi occurrit ex terminologia, forsitan est mere terminologicum. Sed secundum meam terminologiam, puto

schema nimis universalizare obligationem exercendi apostolatum, nisi forte exercitium quorumcumque operum caritatis directum ad bonum spirituale proximi seu opera spiritualia misericordiae apostolatum vocare velimus. Ut puto, est quaestio de apostolatu et de spiritu apostolatus.

Ita dicitur, v. g. in pag. 7, linn. 7-8, vocationem ad apostolatum ad essentiam ipsam vocationis christianae pertinere. Item, ibidem, lin. 22, dicitur: « formatio apostolica igitur omnibus omnino impertienda est ». Item, pag. 16, linn. 24-25: « officium exercendi apostolatum esse proprium omnibus fidelibus sive clericis sive laicis ».

Sed in mentem veniunt textus apostoli: « Numquid omnes apostoli? », ut quaerit ipse in *1 Cor.* 12, 29. Item, ad *Eph.* 4, 11: « Ipse dedit quosdam quidem apostolos ».

2. In par. 6, pag. 9, linn. 3-6 habetur: « Adlaborent (laici scil.) viribus unitis ut paroecia spiritu missionali informetur, et, obsequentes episcopo cuius est totius dioeceseos, quae est Ecclesia localis apostolatum moderari, iuxta illud S. Ignatii Antiocheni: " nihil sine episcopo " agant ».

Noto hic nihil dici de quodam obsequio erga parochum quod tamen, saltem subordinata ratione, etiam necessarium est.

Paroecia... Dicitur hic dioecesis esse ecclesia localis. Potest defendi ista enuntiatio? Sed paroecia est communitas christiana quae magis assimilatur ecclesiae locali, communitati locali, de qua in Actibus Apostolorum, in epistulis S. Pauli, in epistulis S. Ignatii et aliorum scriptorum antiquorum.

Utique episcopus est pastor singularum paroeciarum suae dioeceseos, sed habet etiam suum repraesentantem qui est parochus in singulis ecclesiis localibus. Unde hic aliqua mentio, saltem subordinata ratione, uti dixi, deberet fieri de parocho.

In par. 19, pag. 17, linn. 6-8, habetur: « Religiosi demum, sive fratres sive sorores, operibus apostolatus laicorum libenter se devoveant ». Utique, sed salva religiosa disciplina. Quid enim de muneribus propriae religionis quorum adimpletio limites quandoque ponit observationi huius praescripti?

Et quid de statu subiectionis erga proprios Superiores ex voto oboedientiae etiam respectu operum apostolatus? Dixi. Gratias.

Textus scripto traditus:

Schema substantialiter bonum est, tamen, ut existimo, moderamen quoddam adhuc esset in ipsum introducendum.

1. Puto ipsum nimis universalizare obligationem exercendi apostolatum nisi

forte exercitium quorumcumque operum caritatis directum ad bonum spirituale proximi, seu opera spiritualia misericordiae, apostolatum vocare velimus. Ita dicitur (pag. 7, linn. 7-8) vocationem ad apostolatum ad essentiam ipsam vocationis christianae pertinere.

Item ibid. lin. 22 dicitur « formatio apostolica igitur omnibus omnino impertienda est ». Item, pag. 16, linn. 24-25 « officium exercendi apostolatum esse proprium omnibus fidelibus sive clericis sive laicis ».

Sed « numquid omnes apostoli? », quaerit S. Paulus *1 Cor.* 12, 29. Item « Ipse dedit quosdam quidem apostolos » *Eph.* 4, 11.

2. In par. 19, pag. 17, linn. 6-8 habetur: « Religiosi demum, sive fratres sive sorores, operibus apostolatus laicorum libenter se devoveant ». Sed quid de muneribus propriae religionis quorum adimpletio limites quandoque ponit observationi huius praescripti?

Quid de statu subiectionis erga proprios superiores ex voto oboedientiae etiam respectu operum apostolatus?

3. In par. 6, pag. 9, linn. 3-6, habetur: « Adlaborent (laici) viribus unitis ut paroecia spiritu missionali informetur, et, obsequentes episcopo cuius est totius dioeceseos, quae est Ecclesia localis apostolatum moderari, iuxta illud S. Ignatii Antiocheni " nihil sine episcopo " agant ».

Noto hic nihil dici de quodam obsequio erga parochum quod tamen, saltem subordinata ratione, etiam necessarium est.

3

Exc.mus P. D. REMIGIUS IOSEPH DE ROO
Episcopus Victoriensis in Insula Vancouver

Venerabiles Patres,

Loquor nomine quindecim episcoporum e Canada. Schema principia essentialia et quaedam explicationes laicorum apostolatus exponere intendit, ut laici authenticam indolem vel spiritum vocationis suae melius percipere possint.

Tempus advenit de facto ut Ecclesia in Concilio congregata dicat quid putat de membris istis qui de facto constituunt partem maximam substantiae eius, et a quibus pendet hodie tota evolutio mundi, i. e., de laicis.

Et ideo textui schematis addere velim duo quae nobis videntur essentialia ut apostolatus laicorum perfectius et modo magis dynamico in luce ponatur.

1. *Vocatio Ecclesiae et christianorum.* Apostolus Paulus ad Colossenses declarat: « In ipso (scil. in Christo) condita sunt universa in caelis et in terra... omnia per ipsum, et in ipso creata sunt, ...[1] et omnia in ipso constant » ...[2].

Unde apparet quod propositum Dei in ipsa creatione nullo modo in umbra relegatur per propositum suum salvificum; affirmandum est potius quod decretum creationis et decretum redemptionis in ipso Christo concrete uniuntur; ipse enim est simul fons et auctor salutis atque totius creationis culmen.

Quia Ecclesia est corpus Christi et ab eo recipit missionem propriam in eius opere pergendi, illi duo aspectus propositi divini in ipsa quoque Ecclesia necessarie inveniri debent, et quidem in unum coalescentes.

Ex quo eruitur omnes christianos duplicem vocationem habere:

a) Fundamentalis ac primordialis singulorum hominum vocatio in quantum homines intellectu praediti sunt, in operositate tendit ad creationis completium et ad universi perfectionem ...[3]. A Deo accipiunt munus universum mundum dominandi, intelligentia hoc permittente, et proinde in ambitu laboris opificae, oeconomiae, educationis, scientiae, technicae, etc. ... maxima dignitas et verae responsabilitates oriuntur.

b) Per hominum aggregationem ad populum Dei, mediante fide, et per missionem quam in baptismo et *chrismate*[4] Christus illis confert cooperandi cum ipso ad omnium restaurationem secundum propositum Patris, vocatio illa humana elevatur ...[5] ad dignitatem apostolatus.

Hi duo aspectus, scil. naturale et supernaturale, inseparabiles sunt in ipsa concreta et existentiali omnium christianorum vocatione ad suum tamquam laicorum apostolatum, nam hoc modo tantum fit omnium rerum assumptio a Christo ...[6].

2. *Finis et natura apostolatus laicorum.* Sicut vocatio laicorum duplex est, etiam finis apostolatus duplici modo consideratur, nempe: Regnum Dei annuntiare, et universum mundum ad finem et perfectionem suam conducere.

Populus Dei in totalitate sua responsabilitatem tenet quoad expansionem verbi et quoad adventum regni Dei.

Ad laicos autem quod attinet, ut mirabilis haec responsabilitas in actum deducatur, variae formae collaborationis cum hierarchia requiruntur, laicorum est ministerium hierarchicum praeparare, adsistere, extendere.

Quoad instaurationem universi etiam, munus laicorum maximi momenti est. Etenim quilibet apostolatus qui ad spiritualem seu « pneumaticam » transformationem universi non ducit, in vacuum quoddam et frustra adlaborat.

In hac restauratione iacet fundamentalis et singularis aspectus laicorum apostolatus, quia

a) in ea restauratione sistit authenticus et specificus laicorum apostolatus, qui ...[7] a solis laicis perfungi potest;

b) hierarchicus apostolatus, si *per impossibile*[8] ab apostolatu laicorum esset seiunctus, non posset naturalem neque supernaturalem universi instaurationem efficaciter perficere ...[9].

Ideo, laicorum dedicatio, « apostolic commitment », « engagements », « compromiso » — ut aiunt, in ordine temporali, ad promotionem fratrum suorum qui ibi adlaborant, non unice sistit in aliqua sphaera superficiali sic dicta « humanitaria », sed reapse ad radices divini propositi pertingit.

Exinde sequitur quod in Ecclesia existere debet et de facto exsistit apostolatus specifice laicorum, qua laicorum, quod toto caelo differt ab apostolatu hierarchico stricte dicto.

Unica datur vocatio christifidelium ad apostolatum. Sed affirmare oportet quod singuli christiani apostoli esse debent secundum duos aspectus vocationis suae, naturalem scil. et supernaturalem, et responsabilitatem sumunt oportet erga bonum ordinis et temporalis et spiritualis. Quae ambae reapse inseparabiliter coniunctae sunt in una et universali vocatione christianorum ad apostolatum.

Concludo. Schema insufficientia doctrinali adhuc laborat.

Considerationes morales et nimis paternales hic non requiruntur. Quod laici ab isto Concilio petunt, est impulsus ad obsequendum vocationi quae in theologia authentice biblica populi Dei radicata appareat.

Placet schema iuxta modum.

Propono ut schema recognoscatur, eius fundamentum melius stabiliendo in perpulchro schemate *de Ecclesia,* speciatim in capitibus de populo Dei et de laicis.

Lineamenta novae redactionis in scriptis tradam. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] et ipse est ante omnes. [2] (1, 16-17). [3] Ad imaginem autem Dei creati sunt. [4] confirmatione. [5] usque. [6] et in Christo ad gloriam Patris. [7] ab hierarchico vere distinguitur et qui. [8] deest. [9] immo infructuosus evadere videtur.

Textus additus:

Lineamina novae redactionis.

I - Prooemium: Ecclesia tota in mundum missa est ut Evangelium annuntiaret et vitam propagaret usque ad adventum Domini Nostri Iesu Christi (cf. *de Ecclesia,* pag. 38, n. 17).

Illam missionem populus Dei totus adimplet sub ductu Spiritus Sancti in se operantis. Sicut enim dixit S. Petrus « vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis: ut virtutes annuntietis eius qui de tene-

bris vos vocavit in admirabile lumen suum » (*1 Pt.* 2, 9-10; cf. *Apoc.* 5, 9-10). Omnium igitur et singulorum membrorum Ecclesiae est tota illius vocatio et missio, Spiritu tamen Sancto diversas functiones suscitante (cf. *1 Pt.* 4, 10). Corpus Christi absque communione et dependentia mutua omnium membrorum non vivit (cf. *1 Cor.* 11-14).

Duae sunt functiones structurales essentiales et ad invicem ordinatae quas Spiritus in Ecclesia suscitat: functio hierarchiae et functio laicatus (cf. *de Ecclesia* n. 10). Per Baptismum et Confirmationem et etiam in charismatibus peculiaribus accipit laicus christianus munus integram vocationem Ecclesiae adimplendi secundum quod Deus eum in Corpore Christi posuit (cf. *1 Cor.* 12, 18).

Exercitium sacerdotii regalis christifidelis nihil aliud est quam actualizatio in eo sacerdotii populi Dei, quod ipsum est participatio sacerdotii Christi Capitis.

Ipsa actio sacerdotalis est hoc quod vocatur apostolatus: vocatio christiana natura sua vocatio est ad apostolatum (cf. *de apostolatu laicorum,* n. 1, pag. 6).

Sicut Christus missionem suam salvificam adimplevit tribus muneribus, ita christifidelis vocationem suam ad apostolatum adimplet triplici operatione sacerdotali, nempe: *a*) prophetico, *b*) cultuali, *c*) regali.

Triplici hac operatione baptizatus prosequitur fines sacerdotii Christi et sui. Secundum unicum Dei in creatione et redemptione propositum hi fines sunt: 1. creationem perficere, 2. fructus Redemptionis Christi inseminare (cf. *Rom.* 8, 19-24) ad hoc quod omnia instaurentur in Christo (cf. *de apostolatu laicorum,* pag. 11, n. 11).

Ad lineamina reduci possunt elementa sequentia textus *de apostolatu laicorum*:

I. Prooemium. De unica vocatione populi Dei ad apostolatum. Novus textus propositus resumit ideas quae passim inveniuntur in n. 9, 12 (pag. 12, lin. 32), n. 14 (pag. 13, lin. 28).

II. De exercitio triplicis muneris: *a*) prophetici, n. 2, pag. 6, lin. 28 ad pag. 7, lin. 6; *b*) cultualis, n. 2, pag. 6, linn. 23-27; *c*) regalis, elementa ex nn. 5 et 7; n. 8, n. 11.

III. De habitudine inter hierarchiam et laicos: n. 10, n. 14, pag. 13, lin. 23; elementa ex n. 16; nn. 18-20; hic videtur loquendum *de formis* apostolatus.

IV. De indole missionaria: n. 6 in genere et praesertim pag. 9, linn. 8 ss.; et n. 21.

V. De formatione: n. 3, pag. 7; n. 11, pag. 12; linn. 10-14; ex n. 13, ea quae respiciunt formationem in consociatione.

[*Adhaeserunt etiam*] Roy Maurice (Quebec), Cabana Louis Joseph (tit. Carallia), Baudoux Maurice (Saint Boniface), Douville Arthur (Sainte Hyacinthe), Leblanc Camille-André (Bathurst), Caza Percival (coad. Valleyfield), Coderre Gérard-Marie (St. Jean-de-Québec), Frenette Emilien (Saint Jérôme), Couturier Gérard (Hauterive), Power William E. (Antigonish), Charbonneau Paul-Emile (Hull), Leménager Albert, Hacault Antoine, Blais Léo, Doyle W. Emmett.

4

Exc.mus P. D. PAULUS AEMILIUS CHARBONNEAU

Episcopus Hullensis

Venerabiles Patres,

Certe in illo schemate adsunt elementa positiva, de quibus valde gaudeo. Attamen, mihi videtur necessarium melius explicare: 1. elementa specifica vocationis laicorum; 2. in quo concrete et practice consistit haec vocatio; 3. quomodo formari possint laici ad hanc vocationem adimplendam; tandem oportet etiam definire clare et distincte quae sit actio catholica et enumerare elementa constitutiva collaborationis clericorum et laicorum.

1. Saepe in schemate, v. g. pag. 5, lin. 16; pag. 10, lin. 23; pag. 11, lin. 33, apostolatus laicorum praesentatur tantum quasi aliquod remedium ad paucitatem sacerdotum, vel quasi adiumentum ad religiosam situationem Ecclesiae in mundo hodierno. Sed hoc non sufficit, et immo contradicit hoc quod pulcherrime in schemate *de Ecclesia* expositum fuit. Nam laici non tantum hoc faciunt quod clerici hic et nunc facere non possunt sed si possibilitas fuisset facerent. Munus valde specificum adimplent, quod radicaliter suum est et quod non potest ab aliis adimpleri, fundatum in ipsa realitate baptismi et in loco proprio quod in sinu Populi Dei ut membra qualificata laici tenent. In ipsis laicis tota et integra vocatio apostolica Populi Dei adest, quamvis modo proprio et specifico a modo hierarchico distincto. Directivae pastorales quod schema dat non sufficienter radicantur in ista visione biblica et traditionali de qualitate specifica membri laici Populi Dei. Directivae pastorales schematis unitate carent et videntur esse tantummodo aliqua praesentatio inordinata multorum aspectuum usque ad hanc diem in Ecclesia vigentium.

2. Laicis non hodie sufficit de novo loqui de necessitate unionis spiritualis cum Christo, de oratione, de participatione Eucharistiae, de necessitate vitae sanctae. Hoc iam bene sciunt. Insistentia poni oportet praesertim supra obligationem stricte baptismalem quam habent realisandi incarnationem concretam Ecclesiae in structuris et elementis et tendentiis visceralibus huius mundi hodierni. Nam in conditionibus hodiernis hoc habet maximum momentum. Sicut Christus ad salvandam humanitatem in illa incarnatus fuit (et illa incarnatio fuit realis et valde concreta), ita ad salvandum mundum Ecclesia debet in isto mundo vere et concrete et usque ad ultimam profunditatem incarnari. Sine ista in-

carnatione in mundo non fit redemptio eiusdem mundi. Ecclesia in mundo esse debet non tantum ut aliqua societas in medio aliarum societatum, sed sicut illa societas quae active et ab intus omnes agonias, omnes spes, omnes pugnas humanitatis in motu suo versus ad iustitiam, pacem, fraternitatem, felicitatem, assumit, sicut sunt hodie aspirationes omnium pauperum ad iustitiam, pugna contra racismum, nisus ad famem tollendam, actio contra bellum, etc. Uno verbo: Ecclesia debet suum facere omnia de mundo, excepto peccato. Atqui, hoc praesertim a laicis suis adimplere potest. Sine suis laicis et concreta illorum incarnatione in mundo hodierno Ecclesia Christi non potest esse vera Ecclesia hominum, et esset tantum aliqua Ecclesia abstracta, disincarnata, extra verum et authenticum et reale coetum hominum. Sine laicis Ecclesia non potest esse fermentum evangelicum mundi.

3. Formatio ad apostolatum consistere non potest in una abstracta et theoretica formatione. Essentialiter a duobus principiis provenit:

a) a vita theologali authentica, in mysterio caritatis paschalis Christi vere et profunde radicata, cum realismo illius amoris. Nam ut aiunt Sanctus Paulus et Sanctus Ioannes, ille qui vere Christum possidet non potest illum pro seipso servare; aliter eum non vere possidet.

Secundum principium: a contactu reali cum vita hominum. Nam in participatione reali et concreta conditionum et aspirationum vitae ambientis sui et praesertim vitae illorum fratrum quos ad Christum ducere vult, apostolus christianus invenit, Spiritu Sancto inspirante et ducente, modum aptissimum praesentandi Evangelium. Sicut iam dixi, Evangelium annuntiari debet non ut aliqua pulchra doctrina extra vitam concretam hominum mundi hodierni, sed ut responsum ad quaesitum existentiale hominum pro aliquo universo ubi pax, iustitia, vera fraternitas, felicitas invenientur, quod universum de facto est unicum Regnum Dei.

4. Schema amplius nobis videtur valde deficiens in praesentatione sua Actionis Catholicae. Scimus quod nunc in Ecclesia sunt diversae positiones de natura Actionis Catholicae; attamen oporteret clare indicare munus specificum sic dictae Actionis coram aliis formis apostolatus laicorum. Totus apostolatus laicorum non continetur etenim inter limites Actionis Catholicae specializatae et mandatae. Attamen illa munus permagni momenti adimplet in ambitu totius apostolatus laicorum. Nam Actio Catholica dat Ecclesiae structuras principales circa quas elaboratur « *la prise en charge* » alicuius complexus humani. Actio Catholica, quia cum hierarchia connectionem strictam habet ratione mandati permittit apostolatui signum esse praesentiae Ecclesiae qua talis in communione cum episcopo, qui est cor et fons dynamica ecclesiae localis.

Actio Catholica dat militantibus suis formam actionis concretam modo valde evangelico.

5. Tandem oporteret ut, cum agitur de relationibus apostolicis inter clericos et laicos, clare ostenderetur pro clero necessitas non tantum dialogandi cum apostolis laicis sed amplius laborandi in communione intima cum illis. Presbyteri et laici etenim sunt unica Ecclesia Dei, et munus unicum atque indivisibile adimplent. Magni momenti est hodie quod in sua formatione sacerdotali seminaristae ad respectum laicorum sint ducti et quod definitive fit destructio illius erroris vitae apostolicae, fontis sat maiorum malorum pro Ecclesia, quae est clericalismus. Dixi.

Textus scripto traditus:

Quamvis in illo schemate adsint elementa positiva, attamen in illo plures defectus continentur, ita ut laici ab ipso deciperentur et ut de facto ad vitam apostolicam Ecclesiae nihil afferetur.

1. Saepe in schemate (v. g. pag. 5, linn. 16-18; pag. 10, linn. 23-32; pag. 11, linn. 33-35) apostolatus laicorum praesentatur tantum ut aliquod remedium ad paucitatem sacerdotum, vel ut adiumentum ad religiosam situationem Ecclesiae in mundo hodierno. Sed hoc falsum est, et immo contradicit hoc quod pulcherrime in schemate *de Ecclesia* expositum fuit. Nam laici non tantum hoc faciunt quod clerici hic et nunc facere non possunt, sed si possibilitas fuisset facerent. Munus specificum adimplent, quod radicaliter suum est et non potest ab aliis adimpleri, fundatum in ipsa realitate baptismi et in loco proprio quod in sinu populi Dei ut membra qualificata laici tenent. In ipsis laicis tota et integra vocatio apostolica populi Dei adest, quamvis modo proprio et specifico a modo hierarchico distincto. Directivae pastorales quod schema intendit non radicantur in ista biblica visione de qualitate specifica membri populi Dei. Ideo unitate carent et videntur esse tantummodo aliqua praesentatio inordinata multorum aspectuum usque ad hanc diem in Ecclesia vigentium.

2. Laicis non sufficit de novo loqui de necessitate unionis spiritualis cum Christo, de oratione, de participatione Eucharistiae, de necessitate vitae sanctae. Insistentiam poni oportet praesertim supra obligationem stricte baptismalem quam habent realisandi incarnationem Ecclesiae in structuris huius mundi. Nam in conditionibus hodiernis hoc momentum maximum habet. Sicut Christus ad salvandam humanitatem in illa incarnatus est (et illa incarnatio fuit realis et valde concreta) ita ad salvandum mundum Ecclesia in isto mundo incarnari debet. Sine ista incarnatione in structuris huius mundi non fit redemptio eiusdem mundi. Ecclesia in mundo esse debet non tantum ut aliqua societas in medio aliarum societatum, sed sicut illa societas quae active et ab intus omnes agonias, omnem spem, omnia pugna humanitatis in motu suo versus ad iustitiam, pacem, fraternitatem, felicitatem, assumit, verbi gratia aspirationes pauperum ad iustitiam, pugnam contra racismum, nisus ad famem tollendam, etc. Uno verbo Ecclesia Dei debet suum facere omnia de mundo, excepto peccato. Sicut Christus fuit ex hominibus, in hominibus et pro hominibus, ita etiam Ecclesia debet esse in communitate hominum, ex communitate hominum, pro communitate hominum. Atqui, hoc tantum a laicis

suis facere potest. Sine suis laicis Ecclesia Christi non potest esse Ecclesia hominum, et est tantum aliqua Ecclesia abstracta, desincarnata, extra verum et authenticum coetum hominum.

3. Ergo formatio ad apostolatum consistere non potest in una formatione abstracta et pure theoretica. Essentialiter formatio laicorum a duobus principiis provenit:

a) a vita theologali authentica et intensiva, in mysterio caritatis paschalis Christi radicata, in toto suo realismo. Nam ut aiunt S. Paulus et S. Ioannes, ille qui vere Christum possidet non potest illum pro seipso servare; aliter eum non vere possidet;

b) e contactu reali cum vita hominum. In participatione reali et concreta conditionum vitae ambientis sui (« de son milieu ») et praesertim vitae illorum fratrum quos ad Christum ducere vult, apostolus christianus invenit modum aptissimum praesentandi Evangelium, Spiritu Sancto inspirante et ducente. Nam (sicut iam dixi) Evangelium annuntiari debet non ut aliqua doctrina extra vitam concretam, sed ut responsum ad quaesitum existentiale hominum pro universo ubi pax, iustitia, fraternitas, felicitas invenientur; quod universum de facto est unicum regnum Dei.

4. Schema amplius nobis videtur valde deficiens in praesentatione sua de Actione Catholica. Quod dicit nihil novi affert, nullum dynamismum infundit Ecclesiae. Oporteret clare indicare munus specificum sic dictae Actionis Catholicae (in sensu specifico) coram aliis formis apostolatus laicorum.

5. Oporteret tandem ut, cum agitur de relationibus apostolicis inter clericos et laicos ostenderetur necessitas pro clero non solum dialogandi cum apostolis laicis sed etiam laborandi in intima communione cum illis. Magni momenti est quod seminaristae in sua formatione sacerdotali ad respectum laicorum sint ducti et quod definitive fit destructio illius erroris vitae apostolicae quod est clericalismum.

Secretarius generalis: Velitis, Patres venerabiles, ad vestras sedes redire, dum lego textum 13 suffragationis et etiam manere vestris sedibus usque ad finem lecturae quia alia suffragatio petenda est ab em.mo card. moderatore.

Videatis pag. 22, nn. 19-24 [*cf. vol. III, pars II, pag. 313-316*]. Placetne an non placet, Patres venerabiles?

Moderator: Venerabiles Patres, iuxta normas traditas ponenda est quaestio utrum schema placet in genere ut basis ulterioris discussionis.

Proinde nunc ponitur haec quaestio: Utrum placet schema *de apostolatu laicorum* ut basis disceptationis ulterioris?

Si placet schema, Pater cui placet velit surgere; si non placet, in sede remaneat. [*Intervallum*]. Ergo placet schema. Gratias.

5

Exc.mus P. D. PAULUS SANI

Episcopus Denpasarensis

Venerabiles Patres,

Nomine conferentiae episcoporum Indonesiae relate ad schema decreti *de apostolatu laicorum* sequentia proponere velim.

Textus noster novus, cum anteriore comparatus, sine dubio magnum progressum ostendit, tum quoad multa particularia, tum praesertim quoad ordinationem totius materiae. Nihilominus nobis videtur nova adhuc redactione indigere, quia modus loquendi sicuti hic habetur, iis non satis adaptatus esse videtur, pro quibus textus est destinatus. Nonnumquam textus adhuc impressionem concatenationis animadversionum relinquit, quae quidem singulatim verae et pulchrae sunt, sed in sua cohaerentia non satis clarificantur. Quaeri posset, an laici hunc nostrum textum ut de sua propria vita agentem agnoscere possint. Quamobrem quasdam observationes nobis facere liceat, quae emendationi sub hoc aspectu forsitan servire possint:

1. In initio, quo de apostolatu ab omnibus et singulis exercendo agitur, scil. n. 2 schematis, per modum merae iuxtapositionis diversa enumerantur, quae ad apostolatum laicorum pertinent: oratio, patientia, testimonium vitae, amelioratio conditionum in variis societatis campis, testimonium verbi. Melius nobis videtur si inciperetur cum quadam descriptione propriae situationis vitae laicorum ut in medio rerum huius mundi hodierni versantium; tunc indicandae sunt in hac situatione, in earum cohaesione, tum exigentiae tum possibilitates apostolatus, qui est eorum vitae proprius.

2. Sed ut laici suam propriam vitam in textu recognoscere possint, insuper omnino necesse est, ut clarius, quam nunc fit, sermo fiat de themate, quod in schemate iterum atque iterum tangitur et pro tota materia peculiaris est momenti, quia ad propriam indolem status laicalis pertinent. Multis in locis textus loquitur de ordine temporali christiano spiritu animando. Sed nullibi explicatur, quid praecise his verbis intendatur nec ob quamnam rationem hoc opus ad ipsum laicorum apostolatum pertineat.

Praeprimis hac in re necesse est ut clare enuntietur hoc opus scil. apostolatus laicorum perfici, quando christifideles in rebus temporalibus sibi commissis suum proprium quotidianum officium, etiam modestum, in sua familia vel in vita professionali bene impleant. Immerito et

ansam confusioni praebet textus dicens, in pag. 11, lin. 16, quod « laici *praeter* sua officia et munera quibus funguntur » etiam conferre debeant ad exsequendum consilium Dei... ita ut ordinem temporalem... spiritu christiano imbuant. Hoc enim facere debent laici non *praeter,* sed *in* ipsis suis officiis et muneribus.

3. Haec falsa locutio, quae est contra mentem ipsius schematis, tantum fieri potuit, eo quod nullibi expresse explicatur, quod consilium Dei in ordine temporali iam exsequamur, si operamur ut mundus, in quo vivimus, in suis magnis ac parvis dimensionibus ita efformetur, ut unusquisque homo in eo humane, decenter feliciterque vivere possit. Ad hunc autem effectum minime pervenire possumus, nisi spiritu christiano imbuti operemur.

4. Quoad rationem, propter quam opus, in ordine temporali faciendum, ad apostolatum laicorum pertinet, textus explicite tantum affert, quod Deus omnipotens universum mundum ad gloriam suam disposuit. His verbis revera finis primarius omnis operositatis in ordine temporali indicatur. Sed nondum explicatur ipsa ratio propter quam opus ad apostolatum pertineat. Tunc dicendum est quid ad opus evangelizationis et sanctificationis conferat.

Ad hoc explicandum claritatis causa distinguendum est quid ipsa activitas temporalis ut testimonium pro fine Ecclesiae valeat, et quid ipse effectus huius activitatis.

Quoad effectum dicendum est, quod mundus vel ambitus vitae sic efformatus, nempe ut homines in eo vere humane feliciterque vivere possint, talis mundus eo ipso promotioni vitae moralis et diffusioni fidei magis idoneus redditur.

Ne loquamur cum textu de « condicionibus, quae vitam humanam *possibilem* et *facilem* reddant », pag. 6, lin. 35, quia licet gratia Dei adiuvante vita christiana *possibilis* sit in conditionibus mundanis etiam *miserrimis,* vere *facilis* numquam evadere potest haec vita in hoc mundo. Hac in re tantum de creandis conditionibus vitae humanae et christianae magis favorabilibus et idoneis agitur. Ad hunc finem nos omnes operari tenemur. Deus enim mundum creavit ut donum sui amoris et ut gratiam ad salutem. Hoc donum in manibus hominum posuit, ut illi, socios homines in Deo amantes, suo labore mundum talem efficiant, qualem ipse Deus eum ad omnium hominum salutem dare voluerit.

Inde apparet quomodo ipsa activitas, quae mundum vere humanum reddere vult, suum proprium valorem *testimonii christiani* habet. Haec activitas enim debet esse *testimonium fidei,* qua nempe creditur Deum mundum pro salute hominum creasse, — *testimonium spei,* qua exspectantes novam terram in adventu Domini, iam nunc laboramus ad mun-

dum Christo et Patri subiciendum in praeparationem et praefigurationem regni Dei, — *testimonium caritatis,* qua in Ecclesia amor ipsius Christi et Patris visibilis reddi debet.

Tantum si sic de opere temporali loquimur tamquam de labore, quo homines hunc mundum habitabilem reddere volunt, laici agnoscent, quod de eorum reali vita quotidiana loquamur. Curemus igitur ut sic loquamur ut omnes sua officia et possibilitates apostolatus nullibi quaerant quam in ipsa realitate suae vitae.

Cetera, quae adhuc animadvertere volo, scripto secretariatui tradam. Dixi.

Textus additus:

Novus textus, cum antecedente comparatus, sine dubio magnum progressum ostendit, tum quoad multa particularia tum praesertim quoad ordinem totius materiae. Quare libenter ut fundamentum discussionis Patrum conciliarium hunc textum acceptamus.

Nihilominus in multis paragraphis adhuc aliquae sunt perficienda vel emendanda. Nonnumquam enim textus adhuc impressionem relinquit concatenationis animadversionum, quae quidem singulatim sunt verae, pulchrae et ad rem pertinentes, sed non satis in sua cohaerentia clarificantur. Quia observationes, quae in hac re et in quibusdam aliis utiles putavimus, plerumque particularia attingunt, eas scripto secretariatui trademus. Unam autem hic proferre liceat, quia agit de themate quod in schemate iterum iterumque attingitur et pro tota materia tractata peculiaris est momenti.

Textus multis in locis loquitur de ordine temporali christiano animando. Et hoc opus etiam inter haec quae ad apostolatum laicorum pertinent, enumeratur. Sed nullibi explicatur quid his locutionibus praecise intendatur nec ob quamnam rationem ad ipsum apostolatum pertineat. Elementa huius explicationis iacent dispersa in schemate, sed quia nullibi in sua cohaerentia promuntur, verum contentum et valorem apostolicum huius operositatis textus non clare ante oculos ponit.

Praeprimis hic necesse est ut clare enuntiatur hoc opus impleri quando christifideles in rebus temporalibus sibi commissis suum proprium officium cotidianum, etiam modestum, in sua familia vel in vita professionali bene implent. Immerito et ansam confusionis praebens textus dicit quod laici « *praeter* sua officia et munera quibus funguntur » *etiam* conferre debent ad exsequendum consilium Dei... ita ut ordinem temporalem... spiritu christiano imbuant (pag. 11, lin. 16). Hoc enim facere non debent *praeter* sed *in* ipsis suis officiis et muneribus.

Haec locutio falsa, contra mentem ipsius schematis, tantum possibilis erat, quia nullibi expresse explicat quod consilium Dei exsequimur in ordine temporali, si operamur ut mundus in quo vivimus, in suis magnis et parvis dimensionibus, ita cultivetur et efformetur ut unusquisque homo in eo vivere possit humane, decenter, feliciter. Sed ad hunc effectum minime pervenimus, nisi operamur imbuti spiritu christiano i. e. in spiritu caritatis et servitii, secundum aestimationem rerum mundanarum vere christianam quae non tantum cum gratiarum actione eorum valorem positivum agnoscit sed etiam relativitatem horum valorum, se-

cundum principia moralia ad quae cognoscenda revelatio in Ecclesia, magistra vitae, tradita, multum valet.

Quoad rationem ob quam opus in ordine temporali faciendum ad apostolatum laicorum pertinet, textus explicite tantum affert, quod Deus omnipotens universum mundum ad gloriam suam disposuit (pag. 11, lin. 7). His revera finis primarius omnis operositatis in ordine temporali indicatur. Sed nondum explicatur ipsa ratio sub qua ad apostolatum pertinet. Tunc dicendum est quid ad opus evangelizationis et sanctificationis conferat.

Ad hoc explicandum claritatis causa distinguendum est quid ipsa activitas fidelium in ordine ad res mundanas ut testimonium pro fine Ecclesiae valeat, quid ipse effectus huius activitatis.

Quoad effectum dicendum est, quod mundus vel ambitus vitae sic efformatus ut homines in eo vere humane, decenter et feliciter vivere possunt, eoipso promotioni vitae moralis et diffusioni fidei magis idoneus redditur. Ne dicatur cum textu, quod ideo creantur « condiciones quae vitam humanam et christianam possibilem et facilem reddant » (pag. 6, linn. 34-35). Gratia Dei vita christiana possibilis est in conditionibus mundanis miserrimis, et haec vita econtra in hoc mundo numquam vere facilis evadit. In hac re tantum agitur de creandis conditionibus vitae humanae et christianae magis favorabilibus et idoneis. Sed ad hoc operari omnino tenemur. Deus enim mundum creavit ut donum sui amoris et ut gratiam ad salutem.

Et hunc donum in manibus hominum posuit, socios homines cum Deo amantes, suo labore mundum talem efficiant, qualem Deus eum ad omnium salutem dare voluerit. Uno verbo, operando pro mundo vere humano, homines operant ad id quod ipse Deus ut gratiam dare voluit.

Et hic apparet quomodo ipsa activitas quae mundum vere humanum reddere vult, suum proprium valorem testimonii christiani habet. Haec activitas debet esse signum fidei, qua creditur Deum creasse mundum pro salute hominum; signum spei, qua expectantes novam terram in Adventu Domini iam laboramus ad subiectionem mundi Christo et Patri in praeparationem et praefigurationem regni Dei; signum caritatis, qua in Ecclesia amor ipsius Christi et Patris visibilis reddi debet.

Hoc ipsum testimonium in opere caritativo per prius elucescere debet. Sed in hac re novus textus adhuc negligit fundamentalem identitatem actionis caritativae et restaurationis ordinis temporalis (pag. 12, linn. 15 ss.). Quamvis enim actio caritativa indolem testimonii eloquentioris praebeat et quoad effectum ob necessitatem leniendam urgentior appareat, tamen cum christiana actione temporali tum sub respectu testimonii tum quoad momentum apostolicum affectuum fundamentaliter convenit. Ab una parte nostris diebus necessitas profanae idoneitatis professionalis pro necessitatibus actione caritativa leniendis magis in lucem est prolata, ab altera parte nostris diebus patefactum est motiva propter quae actio caritativa in Ecclesia tanti aestimatur, etiam suo modo valere pro actione in ordine temporali in genere. Momentum huius affirmationis in eo est, ne haereamus in conceptionibus praeteriti temporis circa exigentias operis caritativi et eius nexus cum auctoritate hierarchica Ecclesiae.

Animadversiones scripto traditae:

Pag. 5, linn. 16-19: motiva ob quae apostolatus laicorum hodiernis in adiunctis urgentior adhuc efficitur, in textu non sunt nisi negativa et aliquo modo

per accidens. Enumerentur etiam magis positiva ut nova conscientia de responsabilitate laicorum et maiores possibilitates apostolicae quae profluunt ex his quae in lineis praecedentibus enumerantur.

Pag. 5, lin. 25: loco « animas salvando » dicatur, praesertim in textu huius schematis propter materiam tractatam, « homines salvando »; est enim pro apostolatu laicorum maximi momenti quod Deus homines redimit et salvat secundum totam eorum existentiam humanam.

Pag. 5, linn. 3-6: explicatio sensus nominis « apostolatus » non complete correspondet materiae hic sub voce apostolatus tractatae. Etenim etiam actuositas in ordine temporali ut opus apostolatus consideratur. Quamobrem addi potest: « qua evangelium Christi annuntiatur et vita hominum Eius Spiritu imbuitur vel etiam ad hos fines spirituales conditiones favorabiles promoventur ».

Pag. 6, linn. 34-35: loco « vitam vere humanam et christianam possibilem et facilem reddant » dicatur: « vitae vere humanae et christianae potius faveant quam obsint ».

Pag. 7, lin. 14: hic ne omittatur cognitio fidei conditionis cuiusque congrua.

Pag. 7, lin. 34: omittantur verba « animarum vel », quia cura animarum laicorum est munus ordinarium sacerdotum et non aliquid speciale sicut cura associationum laicorum.

Pag. 8, linn. 7 ss.: quoad familiam textus tantum de ea loquitur ut subiectum apostolatus, non ut eius specialis « campus »; hoc autem contextus imprimis requireret. Ideo dicendum esset familias in hodiernis diebus specialiter apostolatum laicorum requirere propter problemata quae evolutio nostrorum temporum pro vita christiana familiarum secumfert. Solutio horum problematum enim per prius ab ipsis laicis, spiritu christiano ductis, est invenienda. Hoc autem non fieri potest per unamquamque familiam singulatim. Si opportunum iudicatur, ut familiae in quosdam coetus congregentur, tunc ratio praecipua est in adiumento quod sibi invicem praebere possint. Ad hoc accedit, quod pro familia seorsum sumpta perdifficile est facere quod christianum iudicat, si aliae familiae omnino aliter agunt. Agitur hic de necessitate christianisationis « ambitus » et sic dictae « mentalitatis » quae quidem restauratio ordinis temporalis implicat, sed simul alia, non temporalia, includit. Haec christianisatio ambitus, quae non nisi coniunctim realisari potest, enumeranda et elaboranda est ut ratio propter quam in genere formatio coetuum in ordine ad apostolatum laicorum maxime est commendanda.

Pag. 8, linn. 30-31: clarius exprimatur, quod participatio fidelium in vita liturgica et praesertim in Sacrificio Missae ipsa est actus apostolatus, quo aedificant Ecclesiam et paroeciam efficiunt communitatem fidei et de sua fide testimonium perhibentem. Insuper indicetur nexus huius participationis cum omni sustentatione, quam aliis in paroecia praebent vel praebere debent.

Pag. 9, linn. 1-8: vitae professionalis rationes, quamvis verae sint, nec solae nec maximae videntur in apostolatu qui strictos paroeciarum fines praeterit. Mundi hodierni socialisatio, migrationes, communicationis socialis media faciunt ut paroeciae magis magisque inter se dependeant.

Pag. 10, linn. 23-25: loco « Apostolatui Ecclesiae... numquam defuit... collaboratio laicorum », dicatur: « In apostolatu Ecclesiae... numquam defuit actio laicorum... », ne verba innuere videantur distinctionem aliquam inter Ecclesiam et laicos.

Pag. 10, lin. 29: ob eamdem rationem loco « laici Ecclesiam multimode adiuvant » dicatur: « in Ecclesia laici multimode concurrunt... ».

Pag. 10, lin. 31: loco « Immo laici, sua experientia et studio auxilium praebent Ecclesiae » dicatur: « immo, sua experientia et studio, laici multum conferunt ut Ecclesia... ».

Pag. 11, linn. 6-7: addatur: « cum Deus omnipotens universum mundum disposuerit ad gloriam suam *et ad salutem hominum* in plenitudine Christi Filii sui consummandas... », ut dicta melius cohaereant cum contextu de apostolatu laicorum.

Pag. 11, lin. 14: addatur: « ita quidem ut, integer manens in sua natura, lege morali, quam caritas perficiat, exstruatur et *ultimatim* ad Deum, per Christum, ordinetur », ut distinguantur in sua coniunctione finalitates diversi ordinis.

Pag. 11, lin. 16: loco « *praeter* sua officia et munera » dicatur: « *in* suis officiis et muneribus ».

Pag. 11, lin. 28: loco « Ad christianam ordinis temporalis instaurationem » dicatur « Ad instaurationem ordinis temporalis vere humani et divina caritate informati », ut omnis aequivocatio evitetur circa « ordinem christianum » (cf. titulum, qui mutari posset in: « De actione in ordine temporali secundum consilium Dei »).

Pag. 11, lin. 32: loco « Christianae ordinis temporalis instaurationi » dicatur: « Ad hoc opus in ordine temporali perficiendum et perfectioni ».

Pag. 12, linn. 10-14: dicatur: « Amor christianus et efficacitas apostolatus postulant ut colantur etiam qualitates humanae quae a non credentibus maximi habentur, ut sunt probitas, sinceritas, fortitudo, prudentia, humanitas, rerum peritia ac sensus civicus; a natura etenim requiruntur, et ideo sine his nec vita christiana, nec efficax testimonium caritatis consistere potest ».

Pag. 12, linn. 26-27: loco « munus proprium » dicatur: « munus sibi instantissime mandatum ».

Pag. 12, lin. 25: loco « instaurationem christianam ordinis rerum temporalium » dicatur: « instaurationem ordinis rerum temporalium secundum consilium Dei ».

Pag. 13, linn. 4-14: in hac paragrapho addatur aliquid de christianisatione ambitus, de quo supra ad pag. 8, linn. 7 ss.

Pag. 14, lin. 5: loco « etsi non omnes immediate finem habent apostolicum » dicatur: « etsi non omnes ad finem apostolicum sunt erectae ».

Pag. 16, lin. 28: loco « laicis in apostolatu militantibus » dicatur: « laicis in apostolatu operosis ».

6

Exc.mus P. D. ANGELUS FERNANDES

Archiepiscopus tit. Neopatrensis, coad. Delhiensis

Em.mi Praesides et Moderatores, venerabiles Fratres,

Ad schema *de apostolatu laicorum* quod sedula cura allaboratum, in genere placet ...[1], haec annotare mihi est, nomine episcoporum Indiae.

Antequam ad laicos exhortatio de parte habenda in apostolatu Ec-

clesiae dirigitur, paucis saltem lineis fundamentum dogmaticum istius apostolatus populi Dei exprimatur. *Etiamsi alio in loco bene dicitur.*[2] Nam ex bene perspecto fundamento vere religioso, tota natura apostolatus illustrabitur.

Iam primam applicationem noto. Cum principia generaliora enuntiantur, magis insistatur in « typo » hominis, in figura quam christianus in mundo exhibere debet.

Lin. 23 refert ad orationem, ut manifestationem et alimentum spiritus apostolatus. Mihi videtur hoc non satis usque ad essentiam rei penetrare.

Christianismus est vita Christi in hominibus; est reviviscentia, reproductio, sub aspectu morali imitatio Christi. Itaque Christus erat utique verus homo, sed etiam verus Deus. Erat homo, et omnino normalis, et tamen prorsus differens.

Sic et christiani apparere debent ut homines quorum conversatio in caelis est. Qui utique in mundo sui temporis vivunt et totis viribus agunt, sed quorum vita aliam quoque exhibet dimensionem quam mysticam vocabo. Ad philanthropiam quantumlibet cordialem et effectivam, christianismus ne coarctetur. Licet christianismus in anteactis saeculis forsitan nimis characterem transcendentem, extramundanum religionis asseruerit, nefas est nunc in oppositum excessum, nempe immanentismi incidere. Caveamus a religione, ut dicunt, mere horizontali, a quodam humanismo, religione quidem inspirato, sed tamen huic mundo haerente. Non tantum, ut par est, sacerdotum et religiosorum, sed etiam laicorum vere catholicorum nota, in oculis infidelium vel indifferentium caracteristica *nota*[3] esse debet, quod spiritu Dei repleti, in altiori quodam mundo vivunt.

Ideoque in n. 3 sacram Liturgiam annumerari velim inter modos formationis, non tam apostolicae activitatis, sed potius imaginis totalis christiani, qui in alios homines altam impressionem defigat, per suam unionem cum Deo, per suam pacem, serenitatem et constantiam in adversis, quia scit sibi repositam esse meliorem repromissionem. Liturgia enim unit cum Agno triumphante et Ecclesia caelesti. Si renovatio in Concilio decreta ad bonum finem ducitur, Liturgia esse poterit et schola et exercitium huius fidei, spei et caritatis de qua in par. 2, lin. 30.

Et non tantum in consortium vitae liturgicae aggregentur sed etiam in arte orandi et meditandi edoceantur, et quidem modo ipsis laicis proprio et apto.

Tertio, eandem visionem rerum ad ea quae in par. 5 de matrimonio et familia dicuntur extendi velim.

Etsi relatio pag. 36 remittit ampliorem considerationem de excel-

lentia matrimonii Novae Legis, hic ieiuno modo expressa, ad schema *de Ecclesia in mundo hodierno,* magis tamen positiva exhortatione, meo humili iudicio, hic opus est. Dicendum est familias vere christianas, secundum quod modo diximus, magis influere per id quod sunt quam per id quod, explicito apostolico motivo ducti, faciunt. Si de eis dicitur: « videte quomodo se invicem diligunt », luculentissime de Evangelio Christi testantur.

Coniunctim coniuges christiani hunc fundamentalem exercebunt apostolatum testificandi de redemptione in sacramentis continuata.

Quomodo etiam in operibus apostolatus coniuges quam minime separandi sint, alius quidam frater episcopus Indiae magis concrete est expositurus.

Haec ergo sint dicta de imagine spirituali quam christiani in mundo exhibere debent.

Breviter nunc ad paragraphos ubi de diversis campis apostolatus sermo fit, sequentia annotare volo.

Gaudeo quod de cooperatione ad iustum ordinem socialem et oeconomicum instaurandum prius quam de operibus caritatis sermo fit. Utique, Ecclesia et per instituta sua et per singula membra de adiuvandis infirmis et pauperibus semper sollicita fuit. Sed magis realisticae caritatis est, ipsas causas inopiae impugnare, i. e., prosperitatem oeconomicam et iustitiam socialem provehere.

Ideoque ubique terrarum in coetibus Actionis Catholicae et omnibus huiusmodi spargatur firma persuasio opus hoc iustitiae et progressus, tum in propria natione, tum inter nationes et partes terrae, summi momenti esse.

Si volumus ut quae de hac re in schemate « de Ecclesia in mundo hodierno » proponuntur echo inveniant, opinio publica praeparanda est, clima cooperationis est creandum. Ideae in *Mater et Magistra, Pacem in terris* et in schemate XIII expressae omnibus familiares fieri debent. Hoc est munus summi momenti quod apostolatui catholico hodie incumbit, et fortasse mentione explicita in schemate dignum est, etiam, si opus sit, per paragraphum specialem ...[4].

Quinto *et ultimo,*[5] praecipue ubi catholici minoritatem constituunt, ad normam par. 21, cum acatholicis immo intra organisationes non confessionales et ab auctoritate civili erectas laborandum erit. Et tanto meliores cives se exhibere satagant, quo spiritu catholico inspirantur. Laicos hortemur ut haec faciant. Non debet Ecclesia status in statu esse.

Scio nos instinctive praeferre opera merae caritatis, utpote sub ductu solius Ecclesiae, et, sinceri simus, minore responsabilitate morali

patranda. Amplius, visus noster pateat. Si volumus sal terrae esse et fermentum in massa, audacter maiora aggrediamur. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] ut basis disceptationis. [2] deest. [3] deest. [4] Quod autem ad actionem directam attinet, catholici, etiam in nationibus sese evolventibus, in prima acie progressum et iustitiam propugnent. [5] deest.

7

EXC.MUS P. D. LEO STEPHANUS DUVAL

Archiepiscopus Algeriensis

Patres venerabiles,

Textus schematis in multis excellens est et laudandus. Haec tamen videntur dicenda ut adhuc melior fiat et magis accommodatus exigentiis apostolatus hodierni.

Ea quae humiliter proponam, nomine episcoporum Africae Septemtrionalis, hausta sunt ex experientia laicorum qui vivunt in medio hominum non-christianorum.

Cum immensa gratitudine legimus in litteris encyclicis *Ecclesiam suam* Summi Pontificis Pauli VI, feliciter regnantis, apostolatum intelligendum esse ut « colloquium », seu dialogum cum omnibus hominibus. Audacter et ferventer Summus Pontifex invitat Christi fideles dicens: « Oportet nos primi petamus cum hominibus colloquium, neque expectemus dum alii ad colloquium nos vocent ».

Quia laici magnam partem habent in hoc dialogo, necessarium est ut breviter indicetur in hoc schemate theologicum fundamentum huius dialogi. Nec dicatur hoc argumentum remittendum esse ad schema XIII, nam agitur de re doctrinali, quae non solum valet pro nostro tempore quia universalis est. Hoc fundamentum *theologicum* [1] est duplex:

1. Christiani, et praesertim, ob eorum condicionem, laici, arctis necessitudinibus vinciuntur cum diversi generis hominibus, non tantummodo professionis exercendae et structurarum iuridicarum gratia, sed profundius et intimius communitate ipsius vitae. Societas non componitur ex individuis externe consociatis, sed est « communitaria »; homines christiani et non-christiani, in ordine psychologico, culturali, morali, spirituali, participes sunt ...[2] earundem aspirationum et mentalitatum collectivarum ...[3], earundem traditionum, eorundem gaudiorum et dolorum ...[4], solidarietatis etiam in iisdem responsabilitatibus et obligationibus ...[5].

2. Ecclesia in sua realitate mystica non clauditur intra fines suos visibiles. Spiritus Sanctus, qui est anima Ecclesiae, « replet orbem terrarum » ...[6], modo invisibili incitans omnes homines ut ad lucem, pacem, vitam veniant. Homines non baptizati non sunt sine gratia, sine « valoribus » supernaturalibus; ex his valoribus nascitur solidarietas supernaturalis.

Ergo, sub utroque respectu, naturali et supernaturali, christiani non solum debent aliquid dare non-christianis, sed possunt et debent libenter ab iis accipere. In hac relatione mutui dati et accepti consistit praesertim dialogus de quo agitur. Consequens est ut saepe possimus et debeamus cum non-christianis cooperari ad regnum Dei promovendum.

Haec notio apostolatus non est nova sed antiquitus tradita, exprimens modo humano et supernaturali dignitatem personae humanae. Maxime necesse est, cum homines ad plenam veritatem veniunt, ut conscii sint seipsos in plenitudine libertatis agere et non deserere authenticos valores quos gestant; optime S. Augustinus scribebat: « Ergo venient ad *Deum*[7] non recedentes de loco suo, quia credentes in eum invenient eum in corde suo » ...[8].

Mihi ignoscere dignemini, Patres venerabiles, si exemplum afferam: in praeparatione huius sessionis Concilii facta est in nostris dioecesibus consultatio populi christiani; sed haec consultatio, Deo favente, praetergressa est populum catholicum; homines diversarum religionum non pauci, vel sine religione, studio suo dignam esse duxerunt hanc consultationem; aliqui eorum quaestionibus positis responsa dederunt et quidem responsa omni laude digna.

Notandum est nexum profundum non deesse inter haec duo fundamenta dialogi apostolici; hoc non parvi momenti est ne nimis separemus fines apostolatus laicorum. Etenim in communione naturali de qua prius dixi inveniuntur valores humani; sed valores humani non extranei sunt proposito Dei erga homines et tandem debent referri ad finem ultimum; ex hoc consequitur hos valores humanos non acquirere totam suam plenitudinem nisi per caritatem. Ex alia parte christiani ex caritate tenentur revereri valorem intrinsecum ordinis naturalis, utpote pertinentem ad propositum Dei et tendentem ad quamdam felicitatem humanam.

Ergo nexus inter utrumque ordinem fit per caritatem, et primo per caritatem fraternam. Caritas erga Deum ontologice prior est, ut omnes norunt. Sed, ut innuit S. Ioannes in prima sua epistola ...[9], caritas fraterna habet aliquam prioritatem; etenim per amorem fraternum authenticum fit manifestatio seu « epiphania » infiniti Amoris Dei. Ergo dum laici patienter et humiliter laborant ut in rebus huius mundi praevaleat amor fraternus, vere regno Dei promovendo dant operam ...[10].

Liceat mihi breviter indicare quaedam consectaria:

1. *Apostolatus collectivus* ...[11] non tantummodo ut elementum maioris efficaciae ...[12] praesentandus est, sed ut exigentia intrinseca vitae humanae et christianae ...[13].

2. *Mandatum* quod a pastoribus datur ...[14] secumfert « propter necessitatem boni communis Ecclesiae » realitatem spiritualem, mysticam, scil. communionem intimiorem cum Ecclesia, sive cum hierarchia, sive cum ceteris fidelibus, quae communio pignus est gratiarum specialium et, ut experientia laicorum constat, gaudiorum internorum quae constituunt pretiosum solamen pro iis qui adversa patiuntur propter regnum Dei.

Conclusio. Sufficeret ut paucis verbis in prooemio et in ceteris paragraphis exprimeretur hic aspectus dialogi cum prudentia instaurandi ut daretur huic vere bono schemati aliqua inspiratio et viva unitas. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] (Dolendum est in schemate supponi notionem nimis individualisticam personae humanae, quasi societas componeretur ex individuis « iuxtapositis », vel tantummodo consociatis structuris iuridicis. Aspectus « communitarius » videtur ignorari). [3] (Quadragesimo anno). [4] aliquando earundem perversionum (« déviations »). [5] (« engagements »). [6] (*Sap.* 1). [7] eum (Deum). [8] (De fide rerum quae non videntur, 7). [9] (*1 Io.* 4, 20). [10] non raro cum libenti cooperatione non-christianorum. [11] (nn. 8, 9, 20). [12] (valde optandum!). [13] 2. Necessitas et character specialis apostolatus in *proprio ambitu* non sufficienter apparent in schemate. Haec forma apostolatus respicit aspectum communitarium vitae humanae. (Sine dubio structurae sociales habent suum momentum; sed vita intima societatis longe maioris efficaciae est. Certe structurae sociales influunt in vitam hominum, sed non obliviscendum est has structuras ab ipsa vita oriri et effici; si hoc negaretur, haberetur notio materialistica societatis). 3. [14] (n. 18).

Emendationes additae:

N. 3, pag. 7, melius esset adhibere vocabula « formatio apostolica » loco vocabulorum « formatio ad apostolatum », ne videatur haec formatio esse quid superadditum formationi seu educationi christianae. Pueri, iuvenes se praeparant ad apostolatum adultum apostolice vivendo in sua aetate.

N. 6, pag. 9: non sola professio extendit vitam christianorum extra fines paroeciae.

N. 9, pag. 10, lin. 17: loco « species », dicatur « aspectus ».

N. 10, pag. 10, lin. 34: quid sit apostolatus non religiosus, non spiritualis, difficile est intelligere.

N. 9, pag. 10, lin. 13, « animatio christiana ordinis rerum temporalium »; notandum est:

1. Hanc animationem, secundum missionem Ecclesiae, fieri per educatio-

nem et « mediationem » conscientiarum; per eam lex divina informat ordinem temporalem. Hoc pertinet intrinsece ad apostolatum, praesertim laicorum.

2. Institutionem structurarum socialium conformium dignitati humanae et proposito Dei non inclusam esse, saltem directe, in missione Ecclesiae; proinde christifideles, cooperantes ad hanc institutionem sub lumine fidei et doctrinae Ecclesiae, proprio nomine agunt.

Secretarius generalis: Communico exitum suffragationum, quas mane peregimus.

Circa cap. II *de Oecumenismo* integrum:

Suffragium dederunt Patres	2.174
Dixerunt *placet*	1.573
non placet	32
placet iuxta modum	564
Suffragia nulla	5

Attamen modi, prout dictum saepe est, a commissione competenti examinabuntur.

En exitus suffragationis XII, quae est prima super cap. III *de Oecumenismo*:

Suffragati sunt Patres	2.177
Dixerunt *placet* . .	2.154
non placet .	21
Suffragia nulla . . .	2

Quoad suffragationem XIII:

Ex Patribus	2.162
Dixerunt *placet*	2.119
non placet	39
placet iuxta modum, ergo extra chorum	4
et suffragia nulla	0

sed sunt nulla suffragia priora, illa quattuor, nonne?

Tandem suffragatio XIV hunc dedit exitum:

Ex Patribus	2.133
Pronuntiaverunt *placet* . . 2.089 ... melius	2.088
non placet	43
placet iuxta modum, ergo nulla	2

Ergo omnes tres textus suffragationibus subiecti placuerunt in congregatione generali. Ergo crastina fiet suffragatio super integrum cap. III. Gratias.

8

EXC.MUS P. D. MAURUS RUBIO REPULLÈS
Episcopus Salmantinus

Venerabiles Patres,

Praesens schema *de apostolatu laicorum* mihi perfectius quam anteriora videtur, ideoque progressum et superationem importat.

In genere[1] mihi placet. Non perfecto tamen ordine exaratum apparet. Quaestiones enim differentes miscentur et confunduntur. Quaedam etiam est partitio non conveniens, et videtur aliquas notiones fundamentales non satis claras apparere.

Mea itaque interventio ad structuram generalem attinet, quae, ut censeo, ita ordinari deberet.

1. Esse oporteret caput quoddam introductorium, duabus partibus divisum, cui maximum momentum tribuo futurae delimitationi diversarum quaestionum.

a) *Descriptio pastoralis et sociologica laicatus.* Re vera laicus pastoraliter et sociologice definiendus est, ut persona essentialiter aperta, simulque ad duos despectus aut sphaeras distinctas respiciens: spiritualem (vel evangelizatricem ut a quibusdam hodie theologis vocatur), et temporalem (vel civilizationis, ut communi vocabulo utar); ideoque ut persona duarum vocationum, quae saepe pericula et discrimina creat.

Haec descriptio lucem praeberet paragrapho « pro parte sua missionem totius populi christiani in Ecclesia et in mundo exercent » (initio n. 31, cap. IV, schematis *de Ecclesia*) et melius et nitidius ostenderetur quod legitur in paragraphis sequentibus *cap. IV de Ecclesia.*[2]

b) *Natura activitatis apostolicae, necnon activitatis temporalis vel civilizationis.* His duabus vocationibus laici descriptis, fundamentale est ad totum schema intelligendum ut concise sed accurate tamen definiatur natura et officia harum sphaerarum.

In sphaera apostolica vel evangelizatrice, ut membra corporis mystici semper operamus et in operibus quae directe ad Deum et ad ea quae Dei sunt referuntur.

In ambitu vero temporali vel civilizationis agimus ut membra civitatis terrenae et in his quae ad opus institutionis vel culturae in eis diversis respectibus tendunt. Et hoc quidem, quamvis haec activitas Deum ut finem ultimum quaerat ...[3].

2. Post hoc introductionis caput, caput etiam dicandum oporteret quaestioni missionis laicorum in Ecclesia et alterum quaestioni missionis laicorum in mundo, quae illas duas vocationes laici supra descriptas comprehenderent.

In capite « Missio laicorum in Ecclesia » erunt significandi, veluti nucleus mihi videtur, qui multas confusiones futuras evanesceret, partitionibus opportunis, diversi modi apostolatus laicorum. Et imprimis definienda est quaestio maxime hodierna et disceptata missionis propriae laicorum in Ecclesia.

Meo quidem iudicio, si est missio propria vel specifica laici in Ecclesia, duo elementa fundamentalia inveniri debent:

a) Eo quod est missio Ecclesiae, necesse agendum est de actione quadam *apostolica et evangelizatrice,* stricte sumpta.

b) Quia specifica est apostolatus, esse debet non communitatis Ecclesiae ...[4], quem sacerdotes exercent atque laici quamvis *diverso modo,* nec mera et simplex animatio christianae actionis temporalis. Aliis verbis, apostolatus esset *evangelizationis* ambitus socialis ...[5] idem ac apostolatus quo funguntur motus speciales (hispane « movimientos especializados » - mouvements spécialisés) Actionis Catholicae, sub hierarchiae mandato.

3. In capite dedicato missioni laicorum in mundo duae quaestiones praecipue agi deberent:

a) Vocatio temporalis laici ostensa in ligamine temporali (hispane « compromiso » - engagement), quod ille amplectitur proprio nomine, quin Ecclesiae ullum discrimen producat. Haec compromissi notio, quam intime schema *de Ecclesia in mundo huius temporis* attingit, saltem summis lineis tractanda esset.

b) Animatio vel dispositio christiana rei temporalis, non satis apparet in hoc schemate. Dici in eo oporteret, quid sit, et quae eius elementa et adspectus praecipui ...[6].

4. Postquam varii modi apostolatus laicorum et animatio christiana rei temporalis perspecti fuerint, videri poterunt maiore claritate, diversae formae adsociativae (cap. IV *de apostolatu laicorum*), quae, ut mihi videtur, triplicis tantum ordinis esse possunt: privatae (singulares vel collectivae), officiales (a hierarchia dioecesana vel a Pontifice recognitae) et iuris publici in Ecclesia. Haec postrema classificatio respondet his quae mandatum a hierarchia acceperunt.

Continuo, quin caput novum efformet, significari poterit relatio horum trium ordinum adsociationis cum hierarchia.

5. Maximi credo momenti esset caput schemati addere in quo Concilium episcopos, sacerdotes et religiosos universos exhortaret ut maxima cura vacarent cuidam apostolatui urgentioris necessitatis. Mihi nunc est in mente apostolatus cum operariis et apostolatus ruralis qui his diebus et multis in regionibus problema gravissimum in Ecclesia constituit. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] ad 32. [3] (cf. CH. JOURNET, *Théologie de l'Eglise,* pp. 307-308). [4] (n. 6 cap. II, *de apostolatu laicorum*). [5] (n. 7 cap. II, *de apostolatu laicorum*). [6] Pro tempore, in huius schematis disquisitione, si praesules mihi permiserint, has notiones fusius exponam.

9

EXC.MUS P. D. CAROLUS MACCARI

Archiepiscopus Montis Regalis in Pedemonte

Schema huius decreti, tum ratione novitatis materiae in Concilio Oecumenico tractatae, tum ratione grandis expectationis in publica opinione inter argumenta conciliaria maximi momenti procul dubio est habendum.

Respondetne schema huic gravi functioni?

Qui in campo apostolatus laicorum speciali cura ...[1] sudavit et alsit, decretum conciliare de quo agimus studiosissime exoptatum expectatumque, fidenti animo perlegere coepit. At — dicam sincere, quamvis magna cum reverentia erga clarissimos viros commissionis, qui argumentum sane perdifficile aggressi sunt — textus exaratus spem illam non semper aluit. Quae enim in schemate leguntur — etsi permulta egregie sapienterque exposita sint ac proinde non modo probanda sed et laudanda — in contextu generali et aliquando etiam in singulis numeris rite considerata, quasi fragmenta hinc inde collecta videntur ...[2] ad efformandum opus musivum, quod nimia festinatione confectum, perpoliri evidenter non potuit quoad formam nec perfici quoad substantiam ...[3].

Quamplurimae adnotationes fieri possent. Sed, ne Patrum comitate et patientia satis superque collaudata... abutar, haec *dicam breviter.*[4]

1. Sermo latinus *non* [5] satis semper accuratus ...[6] nec textu conciliari decorus videtur.

2. Textus haud raro repetitis vocibus et etiam ideis abundat. *Exempla tradam secretariae.*[7]

3. Schematis divisio in genere recipienda videtur, immo, *meo humili iudicio,*[8] pro systematica materiae tam latae tamque complexae ordinatione libenti animo gratias agendas esse, puto, commissioni.

Observationes quoad puncta huius divisionis tradam secretariae.[9]

4. Ad criteria accedens, quae intimius substantiam rei tam delicatae attingunt, haec notanda velim:

a) In relatione nostro schemati adnexa ...[10] et nunc repetita audivimus: « De consulto evitatur terminologia alicuius apostolatus in sensu stricto et in sensu minus stricto ad indicandam distinctionem inter munus apostolicum hierarchicum et laicorum, ne controversias doctrinales dirimere videatur » ...[11]. Criterium sane bonum — etsi non semper et ubique servatum! — at heic diceretur extra locum. Mea humili opinione, commissio poterat immo debebat syntheticam claramque distinctionem afferre inter apostolatum ex institutione divina proprium atque exclusivum sacrae hierarchiae, et apostolatum proprium laicorum, quin controversias doctrinales tangeret ac dirimeret. Distinctio illa, non modo opportuna sed necessaria apparet, tum ad aequivocationes vitandas haud raras etiam in literatura catholica de hac re, tum etiam ad viam logice sternendam tractationi de speciali illa apostolatui hierarchico cooperatione, quae Actionem Catholicam definit commendatque.

b) Ex hac observatione consideratio seu potius dubitatio oritur, quae vigilanti cura perpendenda est, cum influxum gravem habere possit in universo catholici apostolatus campo. In schemate praeoccupatio sane recta atque opportuna notatur ...[12], scil. ius officiumque ad apostolatum ita connexum esse cum vocatione christiana, ut haec sine illo consistere non possit. Candide tamen fatear non eandem sollicitudinem me invenisse in schemate in commendandis formis apostolatus, et in primis Actione Catholica, quae magis immediate et directe ab auctoritate ecclesiastica pendent cum eaque cooperantur. Errare in hac mea impressione sincerissime velim, quia, si « apostolatus generalis » — qui omnibus nempe baptizatis et confirmatis est commune officium — et in specie apostolatus qui in rebus profanis expletur *per illam quae « consecratio mundi » dicitur,*[13] ultra modum extolluntur ac praeferri quasi videntur, detrimentum absque dubio patietur apostolatus ille specialis, amplissimo honore gratoque animo dignus, qui hucusque fuit validissimum adiutorium nostrum quique paene innumeros laicos apostolos efformavit,

non tantum in servitium fidele et operosum actionis pastoralis sacrae hierarchiae, sed et in servitium inaestimabile ipsius civilis consortii.

c) Tandem, cum in schemate sermo fit de momento associativo in apostolatu, valor et necessitas organizationis atque unitatis tantum « positive » exponuntur et commendantur. Cur nulla mentio de valore, ut dicam, « defensivo » actionis apostolicae? Documenta pontificia et episcopalia in hac re prae oculis habent et christifidelibus ostendunt id quod in campo adverso fit, ubi hostes Ecclesiae verum exercitum ferrea disciplina connexum alunt ac roborant ad nos pugnandum semper paratum. Pernecesse est omnibus filiis laicis, praesertim iuvenibus, *venerabiles Patres,*[14] hanc duram veritatem sereno sed forti animo assidue revocare ...[15]: « Accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo » ...[16]; ne decepti quodam ingenuo optimismo et irenismo, deponant arma prudentiae ac generosae cum *pastoralibus*[17] navitatis, dolentia Christi verba moerentis: « Filii huius saeculi prudentiores sunt filiis lucis » ...[18].

Concludo. Humili meo iudicio, ut schema decreti *de apostolatu laicorum* approbari possit, penitus refundatur oportet, ita quidem ut documentum tanti momenti pro vita Ecclesiae tantoque studio expectatum, perspicuitate affluentiaque doctrinae, organica materiae dispositione, eloquii proprietate ac splendore, afflatu tandem sincere pastorali effulgeat.

Quod postulat etiam nostra viva observantia paternaque animi affectio erga dilectos filios laicos, qui, in prosperis rebus et in adversis, una fide unaque spe et caritate nobiscum coniuncti in uno Christi mystico corpore, generosam, optatam sociamque operam navant « in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi » ...[19]. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] atque amore. [2] et cumulata. [3] seu contentum. [4] tantum dicam. [5] — etiam iis qui, ut ego sum, in lingua Ciceronis non sunt versati! — nec. [6] nec mendis expers. [7] (v. g. pag. 11-12, verbum « ordo » saltem decies fastidiose legitur, ubi secunda periodus linn. 12-15 ita evolvitur, ut habeatur haec praeclara idea, quod scil. « ordo rerum temporalium... ordinetur »; item, in cap. V « de ordine servando » in apostolatu, idem verbum pluries repetitur, et quidem sensu diverso, cum notabili confusione; aliaque id generis exempla adduci possent). [8] deest. [9] Liceat vero aliqua, forsan haud parvi momenti observare: *a*) non admodum placet titulus cap. I; loco « de laicorum vocatione apostolica » dicerem: « de laicorum vocatione ad apostolatum »; quae dictio, ni fallor, magis consona esset titulo decreti et fortasse theologice magis accurata et propria; *b*) item commutandum censerem titulum primi numeri eiusdem capitis; cum locutio « de participatione laicorum *in* missione Ecclesiae », dum latine aliquatenus claudicare videretur, sub aspectu doctrinali in-

certa atque ambigua appareat; melius fortasse diceretur: « de laicorum parte in missione Ecclesiae »; *c*) titulus quoque secundi capitis, forma magis concinna propriaque, sic mutandus esset: « de variis apostolatus campis »; in eodem cap. II, titulus n. 6 « in Ecclesiae communitatibus » minime placet, eo vel magis quod in textu transitus fit a paroecia ad dioecesim et viceversa, causando non tantum molestiam, sed et aliquam confusionem: problemata pastoralia quae dioecesim vel paroeciam spectant, etsi intime connexa, distinctam postulant expositionem; unde proponere submissa voce audeo, quod de paroeciis et dioecesi numeris separatis agatur, ita ut cap. II ita ordinetur: n. 1 de campis apostolatus in genere; n. 2 in familia; n. 3 in paroecia; n. 4 in dioecesi; etc. [10] legimus. [11] (pag. 26). [12] quae insculpta quasi in mente pastorum et christifidelium remaneat. [13] (« consecratio mundi »). [14] deest. [15] cum apostoli monitione. [16] (*Eph.* 6, 13). [17] pastoribus. [18] (*Lc.* 16, 8). [19] (*Eph.* 4, 12).

Moderator: Congregatio proxima erit cras, hora nona.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: Reponatur Sacrosanctum Evangelium.

CONGREGATIO GENERALIS XCVII

8 octobris 1964

CONGREGATIO GENERALIS XCVII

8 octobris 1964

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, *Ss. Concilii secretarius generalis*:

Moderatur congregationem generalem 97, em.mus ac rev.mus D. card. Leo Ioseph Suenens, arch. Mechliniensis-Bruxellensis.

In initio huius congregationis, Patres venerabiles, gratissimo officio mihi est in omnium memoriam revocare crastina celebratum iri anniversarium piissimae mortis Summi Pontificis Pii XII. Erga tantum Pontificem, fidei et Ecclesiae defensorem, civitatis quoque nostrae defensorem, qui omnes protexit sua sanctitate, pietate et doctrina, animum nostrum convertere dignum est, et pro ipsius anima preces fundere atque eius intercessionem implorare ut nostrum Concilium respondeat optatis Sanctae Matris Ecclesiae et fidelium cunctorum bono et mundi universi paci.

Postulaverunt loqui circa schema *de apostolatu laicorum* exc.mi ac rev.mi DD. Eugenius D'Souza, arch. Bhopalen. in India, Aemilius De Smedt, ep. Brugen. in Belgio, Blasius D'Agostino, ep. Vallen. in Lucania in Italia, Stephanus Barela, ep. Czestochovien. in Polonia, Carolus Wojtyla, arch. Cracovien. in Polonia, Aloisius Bettazzi, ep. aux. Bononien. in Italia, Owen McCann, arch. Capetownen. in Africa Meridionali, Ignatius Ziadè, arch. Beryten. Maronitarum in Libano, Caesar Antonius Mosquera, arch. Guayaquilen. in Aequatore, Antonius Caillot, ep. Ebroicen. in Gallia, Stephanus Leven, ep. aux. S. Antonii in Stat. Foeder. Amer. Septemtrionalis, Gerardus De Vet, ep. Bredan. in Neerlandia, Villelmus Conway, arch. Armachan. in Hibernia, Albertus De Vito, ep. Lucknoven. in India, Henricus Tenhumberg, ep. aux. Monasterien. in Germania, Petrus Van Lierde, ep. vic. Summi Pontificis pro Civ. Vaticana, Vincentius Enrique, arch. Oveten. in Hispania, Petrus Veuillot, arch. coad. Parisien. in Gallia, Dionysius Hurley, arch. Durbanian. in Africa Meridionali, Adam Kozlowiecki, arch. Lusaken. in Rhodesia Septemtrionali, Aloisius Barbero, ep. Viglebanen. in Italia, Marcus McGrath, ep. S. Iacobi Veraguenis in Panama, Stanislaus Lokuang, ep. Tainanen. in Sinis, Bernardus Cazzaro, ep. vic. ap. Aysenen. in Chilia.

Eia igitur, Patres colendissimi, transeamus ad suffragationem faciendam circa cap. III schematis *de Oecumenismo.*

Videatis pag. 19. Dispensetis me, Patres, a lectione totius capitis, satis, hercle! laboriosa. Legam tantum principium et finem [*cf. vol. III, pars II, pag. 310-316*].

Placetne, Patres venerabiles, non placet, an placet iuxta modum? Qui suffragantur *placet iuxta modum* tradant assignatoribus modos scriptos modo consueto.

PATRUM ORATIONES

(*de apostolatu laicorum*)

1

EXC.MUS P. D. EUGENIUS D'SOUZA
Archiepiscopus Bhopalensis

Venerabiles Fratres,

Quaecumque a Concilio decernuntur, in praxi tantum realisabuntur, quantum vere optantur. Quaecumque sit littera quam scribimus, spiritu vivificari debebit. Sed si in littera ipsa textus aliqua inveniuntur quae iam ab initio spiritum restringere videntur, sive per insufficientem insistentiam, sive per omissionem, tunc timeri potest ne parum in praxi Concilii decreta efficiant.

Imprimis [1] iuvat insistere in hoc quod laici nostri vere ut adulti habeantur et tractentur.

Pag. 9 *hic* [2] citatur, et quidem merito, « Nihil sine episcopo ». Quot et quanti abusus horum verborum iam facti sunt. Tamquam significent: « nil nisi ex initiativa, secundum ideas episcopi, nil nisi quod explicite episcopus mandaverit vel approbaverit ».

Utique nil fiat contra aut praeter episcopum. Sed ne obliviscamur populum Dei non esse statum totalitarium, in quo omnia ex alto reguntur. Ubi est libertas filiorum Dei? Utique oportet servetur ordo. Bonum est quod existunt organisationes arctius hierarchiae connexae et quod confertur quandoque mandatum canonicum. Sed nequaquam episcopi omnia sub directa sua vigilantia redigere velint, neve aliquomodo ut suspecta habeant quae ipsis non directe subsunt.

Qui schema attente legit, utique concludet actionem catholicam stricte dictam nonnisi unam e variis formis apostolatus constituere. Nihilominus clarius in schemate hoc exprimatur. In specie pressius incul-

cetur quae in primis lineis pag. 16 habentur. Sympathiam, aestimationem et adiutorium exhibeat hierarchia iis catholicis qui ad bonum diffundendum libera electione conveniunt, etiamsi relativa independentia gaudere cupiunt, et facile sinat nomen catholicum usurpare eos qui fiducia digni videntur.

Ut initio dixi, fratres, schema hoc, quamvis bene redactum, mortua littera remanebit, nisi spiritus vivificet.

Hoc Concilium sibi proponit Ecclesiam renovare, immo quodam sensu reformare. Inter ea quae in Ecclesia ut reformetur eliminanda sunt, eminet iam toties, etiam hic in aula, denuntiatus clericalismus.

Fratres, sumusne nos, clerus catholicus, vere parati ad clericalismum prorsus abdicandum? Ad habendos laicos ut fratres in Domino, nobis, etsi non munere in Corpore mystico, dignitate tamen aequales? Ad non usurpandum amplius, sicut antea factum est, responsabilitates quae propriae eorum sunt, a. v., ut rem paulo discretius exprimam, ad relinquendum eis quae ad eos magis pertinent, ut sint campus educationis, servitii socialis, administrationis temporalis bonorum et his similia.

Exempla vultis? *Fratres carissimi,*[3] a capite incipiam. Laudabiliter Ecclesia in variis organisationibus internationalibus repraesentatur. *Ac non intelligo*[4] cur semper fieri debet per quendam sacerdotem? Nonne possunt etiam in Congregationibus *hic Romae*[5] permulti clerici a laicis substitui? Cur non possint laici in servitium diplomaticum Sanctae Sedis adscisci, immo aliquas nuntiaturas apostolicas exercere? Alia permulta exempla dari possunt in plano universali, nationali, dioecesano, paroeciali et variarum institutionum, in quibus laici utiliter substitui possunt clericis, ita ut illi muneri sacro et sacramentali vacare possint ad quod exercendum ordinati sunt.

Ut episcopus missionarius humillime dico, inanis esset omnis locutio nostra de impetu ad opus evangelisationis faciendo, nisi esset in omnibus locis in Ecclesia in hac re maximi momenti aliqua radicalis reorganisatio.

Venerabiles Fratres, fidelis et sincera applicatio huius schematis secundum spiritum quo conceptum est, certe in Ecclesia non paucas sat spectaculares mutationes inducere debebit. Imploremus saepe Spiritum Sanctum Ecclesiae ut ne desit nobis luciditas et fortitudo ad eas inducendas. Nam fortitudo nobis necessaria erit.

Certum est, si laicis semper ampliorem campum agendi concedimus, non paucos errores et indiscretiones commissum iri. Imo fieri potest ut situatio sat confusa oriatur. Sed lex vitae est quod nihil crescere potest sine aliquibus crisibus. Si nobis vere persuasum est laicatum in Ecclesia debere partem habere quam hucusque non habuit, libenter nos

periculis quae evolutio continet exponemus. Utique prudentia est virtus cardinalis. Sed caveamus a nimia prudentia. Prudentia, si ad immobilismum ducit, peior est temeritate.

Hoc praeclarum schema vere ad nos appellat. Novam eram in Ecclesia aperit. Inveniat nos, episcopos et sacerdotes, novos homines, novo spiritu imbutos. Quod si non obtinet, nedum prosit, potius nocebit. Si vero obtinet, novam Ecclesiae iuventutem promittit. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Alius quidam Indiae episcopus exponet summi momenti esse ut, inter laicos, veri nominis duces hominum oriantur, et dicet cur non sufficienti numero adhuc fuerint, et quomodo efformandi videantur. Meum ergo non est haec repetere. Sed. [2] deest. [3] deest. [4] deest. [5] deest.

2

Exc.mus P. D. AEMILIUS IOSEPH M. DE SMEDT
Episcopus Brugensis

Venerabiles Patres,

Apostolatus laicorum est motus plenus dynamismi et varietatis. Pullulant in Ecclesia incepta et organisationes. Perdifficile est synthesim facere principiorum et methodum quibus reguntur et regi debent. Schema nostrum hoc fecit cum prudentia et *perspicacitate.*[1] Perfici *forsitan*[2] potest, sed in genere schema *mihi*[3] valde placet.

Mihi tamen in mentem venit quaestio quam vestris cogitationibus submittere vellem. Problema est hoc: an sufficienter exponitur quod laici in suo apostolatu exercendo observare debent aliorum libertatem religiosam?

Opinio publica acute attendit ad omnia quae in hac Synodo de libertate religiosa dicuntur vel non dicuntur. Si occasione huius declarationis non loquimur de observanda in apostolatu libertate religiosa, timendum est textum nostrum opinione publica male accipi.

Etenim[4] notum est quod laici, qui apostolatui dediti sunt, persaepe accusantur de quadam coactione in re religiosa. Affirmatur quod pressionem exercent, quod alios importunant, quod eos quasi cogere volunt ad vitam christiano modo ducendam. Isti laici apostolici fiduciam amittunt, si non intelligunt, si non sentiunt reactionem hominis moderni qui vult esse liber et omnino personalis in re religiosa.

Numquid in nostro textu sufficienter exponitur quomodo in apostolatu attendendum est ad libertatem religiosam? Liceat mihi quae-

dam elementa afferre quae forsitan inservire possunt ad hoc problema, nedum solvendum, saltem claro modo ponendum.

Ex interventione plurium Patrum in hac aula melius *apparuit* [5] in libertate religiosa duplicem aspectum esse distinguendum: negativum et positivum. Negative libertas religiosa vetat ne coactio exerceatur in materia religiosa: positive impellit ut adhaesio religioni fiat ex personali et omnimodo libera adhaesione veritati, seu oriatur ex imo fundo personalitatis. Sub his duobus aspectibus quaedam de apostolatu laicorum.

1. *Negativus aspectus.* Sane, casus verae et inhonestae coactionis, ni fallor, in apostolatu *nostrorum* [6] laicorum non *evenit.*[7] Sed praemonendi sunt certissime contra quaedam media quae speciem *alicuius* [8] moralis coactionis praebent. Immoderatus enim et imprudens zelus ad abusus ducit. Tales sunt: intempestiva et importuna insistentia, exaggerationes, nimis systematica et phrenetica propagatio, abusus mediorum communicationis socialis, pressio moralis, creatio spiritus publici qui homines tantopere ad bonum impellit ut aliter agere ne quidem auderent. Libertas religiosa offenditur quando hominibus videtur se esse « victimas » propagandistarum rei catholicae.

Certe, laici catholici debent esse piscatores hominum. Piscatores non exspectant donec pisces spontanee sese offerant capiendos. Piscatores ducunt in altum et mittunt *rete.*[9] Imitatores debent esse Iesu Christi qui exiit seminare semen suum; cum Ipso quaerere debent indesinenter donec inveniant centesimam ovem et drachmam quae perierat. Etiam laicis in suo apostolatu applicanda sunt verba *Pauli* [10]: « Praedica verbum, insta opportune importune; argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina ». Sed verus apostolatus non offendit libertatem religiosam. Imitatur perseverantiam et audaciam *Christi, sane,*[11] sed etiam humilitatem et patientiam *Domini* [12] qui in suo apostolatu nonnisi assensum omnino liberum obtinere voluit ab iis *hominibus* [13] quibus Pater supremum donum libertatis dedit.

Examinandum igitur est quomodo laici apostolici sese gerere debent ne homines impressionem habeant se esse quasi passivam materiam in quam laici apostolici operantur ad numerum credentium augendum *vel* [14] ad suos fines, *quantocumque* [15] sanctos, obtinendos.

2. *Positivus aspectus.* Quando homo modernus exigit libertatem religiosam, non solum excludit omnem coactionem externam in re religiosa. In oculis suis libertas in re religiosa significationem etiam positivam habet. Fidei adhaeret quia perspexit rationes credendi, quia vult assensum suum dare, quia ipse personaliter cum gratia Dei statuit se fore et manere christianum et Ecclesiae membrum. Homo modernus

non agit propter solam traditionem. Non passive sequitur communem omnium aliorum agendi modum. Adhaerere veritati propter personaliter perspectas rationes et gratiam Dei *libere* [16] petitam et acceptam, hoc est positive *vera* [17] libertas religiosa.

Gaudendum est de tali exigentia profundioris et magis personalis convictionis et adhaesionis in re religiosa. Nam, ut aliquis Patrum ante aliquot dies in hac aula sapientissime dixit: « Fides est tanto magis genuina scil. christiana et catholica, quanto magis libera et personalis in sua adhaesione ad Deum et ad Ecclesiam ».

Sed laici in suo apostolatu de hac mentalitate moderna rationem habeant. Non ut ludi magistri doceant. *Veritatem non ex cathedra proponant.*[18] Sed in dialogo. Homines nostri temporis a laicis catholicis adiuventur in quaerenda veritate, in progressivo modo scrutandis et appetendis divitiis Christi. Apostolus modernus ministrat et conscientiis inservit ut ipsae personaliter addiscant cogitare, invocare lucem Spiritus Sancti, interrogare Ecclesiam, pie audire Iesum Christum loquentem in Scriptura et traditione.

Homines nostri temporis non volunt tractari ut pueri. Hoc non solum valet de aetate adulti sed etiam de iuventute.

Prae oculis habendus est summus influxus quem iuventus hodierna in mundi cursum exercet. Iuventus non *est solum* [19] spes temporis futuri; praesentis temporis iuventus persaepe dirigit eventus, rebelliones suscitat, gubernia evertit, suam voluntatem imponit. Sed optima pars iuventutis nostrae etiam ipsa vult sua persona et suis viribus, saepe relicta patria, humanitati inservire, et statum vitae socialis et culturalis magis humanum, magis christianum reddere.

De his quoque laici adulti rationem habeant. Ne cupiant iuventutem hodiernam *manuducere* [20] ut infantes. Iuventutem adiuvent ut iuvenes ipsi suam propriam responsabilitatem videant et assumant, ut personaliter ex propria convictione fidei et Ecclesiae firmiter adhaereant, ut ipsi libera voluntate fiant apud suos coaetaneos apostoli Iesu Christi.

Optima methodus pro tali formatione describitur in schemate *n.* 7. *Dicitur* [21]: « homines...

Moderator: Vis concludere, faveas.

Orator: (prosequitur) « homines et res aspicere, iudicare, agere lumine fidei ».

Haec methodus « videre, iudicare, agere » initio huius saeculi introducta est in Iuventute Operaria Catholica et nunc magno cum fructu

in fere toto orbe catholico applicatur in Actione Catholica specialisata ...[22]. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] acuitate. [2] deest. [3] deest. [4] deest. [5] apparet. [6] deest. [7] eveniunt. [8] deest. [9] retia. [10] deest. [11] Domini. [12] Christi. [13] deest. [14] et. [15] quantumcumque. [16] conscie. [17] deest. [18] Veritas non est proponenda quasi ex cathedra. [19] tantum est. [20] educare. [21] pag. 9, n. 7, lin. 30. [22] Quae supra diximus de observantia in apostolatu moderno, non contradicunt iis quae in schemate affirmantur de ambitibus vitae (milieu de vie) et de aliis structuris. Haec optima esse censeo. Liceat tamen in fine quaedam dicere de modo quo etiam hic ratio habenda est de libertate religiosa. 1. Negative: Homo est ens sociale, profunde dependens de spiritu qui in structuris socialibus viget. Libertas religiosa exigit ut homo non cogatur ad continuum heroismum adhibendum si vitam ducere vult iuxta suam personalem persuasionem et suam conscientiam. Ideo a laicis adiuvandum est ne fiat victima ambitu vitae in quo libertas religiosa impossibilis redditur. 2. Positive: Ex exigentiis positivis libertatis religiosae sequitur quod istae institutiones non « paternalistice » vel « protectionistice » concipiendae et exstruendae sunt. Si tantum lege vel voluntate superiorum statuuntur, progrediente cultura, minus ac minus aptae erunt ad tuendam moralitatem et religionem hominum modernorum. Quid leges sine moribus? Hac in re laici apostolici non solum curare debent ut structurae favorabiles obtineantur, sed pariter ut ab ipsis hominibus libere et personaliter exigantur, constituantur et serventur. Ad hunc scopum obtinendum laici apostolici fovere debent positivam collaborationem omnium qui in determinata structura vivunt: catholicorum, christianorum, omnium hominum qui sunt bonae voluntatis.

3

EXC.MUS P. D. BLASIUS D'AGOSTINO
Episcopus Vallensis in Lucania

Venerabiles Patres,

Schema *de apostolatu laicorum,* de quo discussio habetur, mihi quoad substantiam placet, sed venia ...[1] quasdam animadversiones faciendi concedatur.

1. Argumentum « De apostolatu laicorum » quam opportunum complementum est schematis *de Ecclesia Christi* et praesertim consecutionem capituli « de populo Dei ».

Cum Dei populus pars integrans est Ecclesiae Christi, necessitatem ac obligationem vivendi cum Ecclesia et per Ecclesiam considerare debet nec retinere potest, se ad cooperandum in missione salvifica Ecclesiae adstrictum non esse: in illa missione scil. quae supremam legem ipsius Ecclesiae per voluntatem Christi constituit.

Notum est quod propter effectum laicismi qui usque a saec. XVIII mentis habitum hodiernae societatis vitiat et sensum Ecclesiae in animis mortificat, populus christianus ad Ecclesiam Christi quasi extraneum se agnoscens, minime dignitatem sentit de collaboratione praestanda in apostolica Ecclesiae operositate ut opus Christi in terris continuare possit pro animarum salute.

Nunc officium huius Sacrosanctae Synodi hoc est: errorem laicismi firmiter repellere et necessitatem apostolatus pro omnibus Ecclesiae membris solemniter proclamare.

Haec vere magna et fructuosa *novitas* quae e laboribus Concilii nostris temporibus refulgere debet: cum Ecclesia Christi a sacra hierarchia et a populo Dei constituatur, oportet quod fideles omnem negligentiam superent, egoisticam a munere apostolico absentiam vincant, et *non tantum*[2] dignitatem ac necessitatem *sed*[3] grave officium cum Ecclesia adlaborandi in salute animarum, vivide sentiant!

Quapropter humillime peto ut in nostro schemate clare et sufficienter *de fundamentis theologicis* circa apostolatum loquatur ita ut animo fidelium firma persuasio de obligatione opus praestandi in apostolica operositate inhaereat.

Si huiusmodi persuasio debilis est, aut in animo non radicatur, semper membra passiva in Corpore Christi manebunt ...[4].

2.[5] Cum vocatio ad apostolatum, ex vocatione christiana exurgens, participem facit fidelem in missione Ecclesiae salvifica, satis certum est quod cooperatio apostolica ex parte fidelium adaequata formatione indiget, ita ut problema de formatione in apostolatu tamquam principium considerari debet.

Sicut strenuus miles non datur nisi per firmam disciplinam, ita dicendum est de milite pro Regno Christi.

Schema propositionem habet quae maximi momenti est, in qua adfirmatur quod cum vocatio ad apostolatum ad essentiam ipsam pertinet vocationis christianae, omnis educatio christiana includat necesse est formationem quoque ad apostolatum, quia non datur apostolus si saltem bonus christianus non habetur.

Sed de formatione ad apostolatum nunquam satis! — Apostolatus christifidelium; quamvis plurima varietate gaudeat et in variis societatis campis exerceatur, semper prae se fert cooperationis dignitatem membrorum mystici Corporis in actione Christi, quapropter collaboratio instrumentalis est ad opus maxime divinum quod est — iuxta verba S. Gregorii — sanctificatio ac animarum salvatio.

Ergo schema necesse est quod hanc veritatem clarissime dicat et

hodiernae societati, quae naturalismo graviter laborat, firmiter proclamet quod « consecratio mundi » per redundantiam vitae interioris fieri tantum potest.

Qui apostolus esse optat, de Christo et cum Christo intime vivere debet, quia non homo sed Christus est qui sanctificat et qui salutem affert.

Talis formatio seu talis vita non datur nisi a sacerdote qui dispensator est mysteriorum Christi. Quapropter enixe rogo ut in schemate haec veritas fiat rata ita ut prae oculis semper persuasio habeatur quod sortes apostolatus laicorum non in persuasibilibus humanae sapientiae sed in manibus nostris sacerdotalibus sistunt.

3.[6] Schema de variis apostolatus formis loquitur et sicut videtur, omnes formae in pari consideratione tenentur.

Utique! Omnes associationes apostolatus recte aestimandae sunt, quia omnes cooperantur in bonum. Sed, meo humillimo iudicio, Actio Catholica particulari consideratione digna est cum pro se specialem naturam et quandam officialitatem ferat.

Exc.mus relator in sua optima relatione scripsit quod materia de Actione Catholica maximas praebuit difficultates. In hoc convenire possum sed mihi liceat adnotare quod thesaurum magisterii Ecclesiae habemus ex quo lucem attingere possumus et difficultates solvere.

Prae oculis, *venerabiles Patres,*[7] documenta habeantur quae Pontifices nostrae aetatis circa Actionem Catholicam exararunt.

Revocare liceat definitionem quam Pius XI, felicis recordationis, de Actione Catholica dedit: « Partecipazione del laicato all'apostolato gerarchico della Chiesa »; — verba quae ad hoc Pius XII, felicis quoque recordationis: « L'apostolato dell'Azione Cattolica è apostolato principe... apostolato che fa del laico un quasi ministro di Cristo »; et postremo quae Paulus VI, feliciter regnans, in allocutione ad Delegatos Episcopales pro Actione Catholica, elapso anno, dixit: « È innegabile che l'Azione Cattolica appartiene alla costituzione della Chiesa ».

Haec Romanorum Pontificum locutiones clare ostendunt quod Actio Catholica cum tam stricte directam ac specialem collaborationem hierarchiae praebeat et cum immediate ab eadem hierarchia pendeat, a qua mandatum recipit, prioritate super alias apostolatus formas gaudet et christifidelibus tamquam forma qualificata seu officialis praebetur.

De hoc schema nostrum quasi silet... Quapropter peto ut caput de formis associativis refundatur et forma de Actione Catholica iuxta specificum magisterium Ecclesiae enucleatur ut fideles quamplurimi in Ecclesia, sub ductu episcoporum hanc pacificam militiam constituant non

tantum ad errores repellendos sed praesertim ad regnum Dei, per Evangelium Christi, in nostra societate promovendum. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] tamen. [2] deest. [3] ac. [4] Ad hanc persuasionem fovendam peto quod in prooemio, in lin. 5 non tantum de dignitate ac necessitate apostolatus loquatur, sed statim de munere ipsius apostolatus pro omnibus christifidelibus expressa mentio fiat. 2. Schema (in n. 2 pag. 6) de apostolatu ab omnibus et singulis exercendo agit et speciali modo de apostolatu orationis et mortificationum loquitur et mentionem de apostolatu acto per testimonium vitae integraliter christianae disertam facit. Mihi tamen adnotare liceat quod christifideles apostolatum agere debent non solum per classicas formas quae ab ascetica christiana probatae sunt, i. e. italico sermone « apostolato della preghiera, della sofferenza, del buon esempio, della parola », sed etiam per competentiam professionalem in variis societatis campis, ita ut christianus bonum fermentum sit sive per sinceram virtutis professionem sive per technicam professionalem capacitatem quae simul cum virtute eum apud omnes dignum particulari aestimatione reddet. Ideo propono quod in pag. 6, in lin. 30 post verba « probitate morali in omnibus negotiis... » locutio adiungatur: « et competentia professionali ». [5] 3. [6] 4. [7] deest.

4

EXC.MUS P. D. STEPHANUS BARELA
Episcopus Czestochoviensis

Venerabiles Patres,

Schema *de apostolatu laicorum* in genere valde placet propter claritatem in expositione theologiae laicatus, et maxime, quia docet ius et officium ad apostolatum ex ipsa christifidelium unione cum Christo oriri, inquantum per sacramentum Baptismatis et Confirmationis in missione Ecclesiae active participare possunt et debent. Placet etiam ipsa missio apostolatus laicorum et formationis apostolicae ad vitam vere christianam in ordine sociali instaurandam.

Quasdam tamen animadversiones proponere audeo, ut textus schematis adhuc magis perficiatur:

1. Desiderantur in nostro schemate plures textus ex S. Scriptura et ex Patribus. Agitur enim hic non de solo actu iuridico sed de constitutione pastoralem doctrinam Ecclesiae proponente. Manifestum est autem, quod in expositione doctrinae christianae ex principiis revelatis a Deo procedere oportet. In nostro schemate habentur quaedam verba S. Scripturae, sed potius per modum ornamenti quam fundamenti, excepto forsan cap. III ubi quinquies S. Scriptura citatur. In Biblia non desunt textus, qui in capite « de laicorum vocatione apostolica » bene

applicari possunt. E. g. iam psalmista frequenter omnes monet: « Annuntiate inter gentes gloriam eius, in omnibus populis mirabilia eius » (*Ps* 95, versus 3 - cf. *Ps* 9, *Ps* 104 [1]). Similiter S. Paulus Corinthios monet: « Potestis enim omnes per singulos prophetare: ut omnes discant, et omnes exhortentur » (*1 Cor.* 14, 31). Ad Galatas vero scribit: « Vos, qui spirituales estis huiusmodi instruite in spiritu lenitatis » (6, 1). Pariter omnes fideles Colossenses invocat: « in omni sapientia docentes et commonentes vosmetipsos » (3, 16).

2. Omittendae sunt quaedam propositiones speculativae et dubiae, e. g. verba in lin. 1, pag. 6, ubi legitur: « vocatio christiana natura sua vocatio quoque est ad apostolatum », et similiter linn. 5 et 6 pag. 7, ubi dicitur, quod « apostolatus laicorum ad essentiam pertinet testimonii Ecclesiae » vel quod « vocatio ad apostolatum ad essentiam ipsam pertinet vocationis christianae ». Huiusmodi propositiones non videntur certae, quia non semper verificantur. E. g. perpetuo amentes baptisati et pueri morientes post baptismum ante adeptum usum rationis, certe a Deo ad Ecclesiam sunt vocati, non vero ad praedicationem et apostolatum. Si vocatio ad apostolatum ad essentiam vocationis christianae pertineret, sequeretur quod huiusmodi infantes et amentes, licet sint baptisati, non essent ad Ecclesiam vocati. Ideo videtur quod vocatio ad apostolatum ad essentiam vocationis christianae non pertinet ut dixit iam em.mus card. Browne ...[2].

Corrigenda est etiam propositio in pag. 6, lin. 15, scil.: « Hic apostolatus laicorum tantum se extendit, etiam ad res temporales, quantum ipsa missio Ecclesiae, iis solum muneribus exceptis, quae potestatem ordinis vel iurisdictionis exigunt ». Ex una enim parte apostolatus Ecclesiae, eiusque missio est universalis — Christus quippe dixit: « docete omnes gentes » — apostolatus vero laicorum non potest esse nisi particularis, scil. in determinato loco et tempore; unde maior est extensio missionis Ecclesiae quam apostolatus laicorum; ex altera vero parte factis historicis patet, plures sanctos, qui ad clerum non pertinebant, suum apostolatum etiam in his muneribus exercebant, quae iurisdictionem et ordinem exigunt, non quidem eo sensu ac sibi hanc iurisdictionem vindicarent vel ordinem usurparent, sed prout exemplo propriae sanctitatis vel efficaci persuasione in eos influebant, qui hoc sacro ordine vel iurisdictione gaudebant (e. g. S. Hedvigis, S. Stephanus rex Hungariae, S. Catharina Senensis). Ideo apostolatus laicorum in huiusmodi munera, quae ordinem vel iurisdictionem exigunt, suum influxum aliquando extendit, licet haec munera directe non exerceat.

3. Enixe rogamus, ut commissio, redactione huius schematis onerata, in n. 21, pag. 18, post verba, quae sic sonant: « ut catholici coope-

rentur cum aliis, christianis et non christianis, in vitae quotidianae actionibus et in organisationibus sive nationalibus sive internationalibus » addere velit quaedam verba explicativa de coexistentia et a fortiori de huiusmodi cooperatione christianismi cum atheismo ad aliquos fines proximos bonos, immo necessarios pro natione, si tamen huiusmodi fines ad ultimum finem omnino perversum, scil. ad destructionem omnis religionis ordinantur, et quidem ita, quod christifideles huic ordinationi efficaciter resistere nequeunt. Res est magni momenti. In talibus enim conditionibus tertia pars omnium christianorum, immo dimidium totius generis humani invenitur ...[3].

Unde humillime *rogo*[4] ut Sacrosanctum Concilium claras normas de huiusmodi coexistentia et collaboratione cum atheistis in nostro schemate ponat.

4. et ultimo. Saltem in exhortatione finali dicendum est aliquid de Regina omnium Apostolorum, ergo etiam et laicorum; Maria enim, utpote Mater Ecclesiae, in ipsa vivit, lucet et virtutem Spiritus Sancti illi implorat, opera illius corroborat, et specialiter in formatione apostolorum nostri temporis similem influxum exercet ac in Coenaculo, adveniente Spiritu Sancto. Hunc influxum Reginae Apostolorum in apostolatum laicorum *possumus experire omni anno, iisque diebus quibus tanta millia iuvenum ex omnibus civitatibus et longissimis regionibus Poloniae*[5] ad nostrum Sanctuarium Mariale conveniunt, ut hic apud Reginam Apostolorum ...[6], suam fidem corroborent, spem augeant, et caritate impulsi vere *apostolatum*[7] fortiter exercent ...[8].

Ex cultu igitur mariano hi iuvenes laici virtutem ad suum apostolatum hauriunt et in bono proposito perseverant. Unde humiliter rogo, ut saltem in fine nostri schematis addatur exhortatio, ut etiam laici in suis laboribus ad Mariam, Matrem amantissimam et Apostolorum Reginem concurrant, illamque imitare conentur sive in vita privata sive in vita publica. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Ps. 9, 12; 104, 1. [2] Insuper non videtur opportunum, ut constitutio tam pastoralis sicut haec, determinet, utrum aliquid ad essentiam quandam pertineat vel non pertineat, cum quaestio haec nimis subtilis est. [3] Propter defectum explicitae doctrinae ab Ecclesia sollemniter definitae de liceitate huiusmodi directae vel indirectae cooperationis, etiam passivae per ipsum silentium, plures milites putabant superioribus oboediendum esse, etiam quando praecipiunt occidere homines omnino innocentes. Unde durante ultimo bello millia millium infantes innocentes crudeliter occiderunt, mandatum sui ducis exsequendo. Silentium Ecclesiae in materia liceitatis cooperationis huiusmodi, etiam nostris temporibus christifideles deciperet, eosque in periculum gravis erroris exponeret, praesertim in his regionibus quae ab atheistis reguntur.

[4] rogamus. [5] ego, utpote episcopus Chestochowiensis, quasi experimentaliter sentio, e. g. quando tanta milia iuvenum video, qui immemores periculorum quibus exponuntur, omni anno, etiam ex longinqua Varsavia pedestres. [6] quam Ecclesia Reginam Poloniae vocare permittit. [7] heroicum apostolatum absque ullo inimicorum timore. [8] Hoc anno die 15 augusti millia fidelium ad nostrum sanctuarium venerunt. Durante peregrinatione adolescentium, omnino spontanea, et absque conductione ex parte cleri, cui prohibetur huiusmodi manifestationes procurare, iuvenes, Ss.ma Eucharistia enutriti, ardenti corde Ss.mae Reginae Poloniae promiserunt, omnia sustinere omnemque conatum facere ut unusquisque et tota Polonia, in novo suo Sacro Millennio propinquante, Deo semper fidelis remaneat.

5

Exc.mus P. D. CAROLUS WOJTYLA
Archiepiscopus Cracoviensis

Venerabiles Patres, Fratres et Sorores,

1. Schema *de apostolatu laicorum,* quod in hac sessione Concilii nobis proponitur, placet multo magis quam anterior eiusdem elaboratio. Et hoc 1. propter suam in comparatione ad *priorem* [1] textum brevitatem, 2. autem propter modum materiam suam tractandi. Apostolatus laicorum praesentatur *hic* [2] in sua universalitate tamquam id, quod cum fide viva cuiusvis christiani est *coniungendum* [3] — et non solum in forma associativa, sed etiam aliter exerceri potest. Hoc autem est magni momenti pro laicis in iis regionibus, ubi nulla forma associativa apostolatus exsistit neque exsistere potest, laici autem exsistunt — apostolico immo spiritu imbuti. Si formae associativae unice *vel nimis extollentur,*[4] remanerent ipsi quasi non-vocati. Et hanc eventualitatem praesens schema feliciter evitat ...[5]. Oporteret forsitan etiam naturale ius ad apostolatum exercendum invocare, quod iuribus fundamentalibus cuiusvis personae humanae coincidit, cum omnis homo ius habet ad veritatem cognoscendam eamque aliis — sive verbo, sive scriptis, sive opere — transmittendam.

Schema loquitur de apostolatu laicorum tamquam ab initio Ecclesiae exsistenti — et hoc est verum. Oportet nihilominus, ut apostolatus ille possideat mentes multorum, qui magis passive quam active membra Ecclesiae sese putant — immo, loquendo de Ecclesia de hierarchia tantum, de sacerdotibus et religiosis, non tamen de seipsis loqui videntur. Apostolatus laicorum oritur in dilectione Ecclesiae tamquam Matris communis et in responsabilitate pro omnibus bonis, quae ipsi sunt pro-

pria. Excluduntur tamen ab eo hi omnes, qui fines heterogeneos, sub fictione « apostolatus », inquirere volunt.

2. In proponenda doctrina de apostolatu laicorum et in dandis de hac re instructionibus unum deficit, quod hic videtur magni esse momenti. Paulus VI, feliciter regnans, in sua prima Encyclica multoties loquitur de dialogo, qui constituit medium apostolatus contemporanei. Loquitur etiam in fine de dialogo « intra Ecclesiam ». Principium talis dialogi debet applicari praesertim in schemate nostro, secus doctrina eius non esset adaequata. Videtur praeterea, quod principium dialogi, prout a Paulo VI intelligitur, est pro apostolatu laicorum aliquid constitutivum. Dialogus enim in Ecclesia descendit *ad illum dialogum,*[6] quem tota Ecclesia et omnis christianus ducit cum Patre Aeterno per Christum Filium Dei in Spiritu Sancto. In relationibus intra « domesticos fidei » dialogus designat mutuum contactum, in quo ambo vel plures sibi invicem in omni sinceritate aperiuntur. Contactus talis — sine ulla offensa debitae obedientiae et reverentiae erga auctoritatem ecclesiasticam — revera apostolicos potest afferre fructus. Melius enim in illo apparere valent « investigabiles divitiae Christi » ...[7], quae in omnibus membris Corporis mystici vigent, quibus autem clerici laicos et laici clericos ditiores in Christo praestare possunt. In hoc autem constituitur missio apostolica Ecclesiae ad intra, quae missionem ad extra praeveniat ipsique praesupponatur oportet. Apostolatus laicorum partem habeat in missione Ecclesiae hoc ordine.

Loquendo de dialogo « ad intra » tamquam de medio apostolatus oportet, ut prae oculis habeatur ille praesertim dialogus, qui omni tempore instituitur inter generationes humanas in mundo et in Ecclesia inter seniores scil. et iuniores. In schemate proposito non enucleatur sufficienter ius et simul debitum iuvenum in apostolatu laicorum. Ille est ambitus, in quo principium dialogi bene intellectum videtur forsitan maxime applicabile.

Ex incessanti dialogo generationum in Ecclesia oritur semper necessitas accommodatae renovationis ipsaque renovatio accommodata.

Concipiendo integrum schema *de apostolatu laicorum* magis in sensu dialogi ad mentem Pauli VI, melius correspondemus ipsi statui quaestionis eiusdem. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] anteriorem. [2] deest. [3] coniunctum. [4] extollerentur. [5] Vocati sunt omnes. [6] ab illo dialogo. [7] (*Eph.* 3, 8).

6

EXC.MUS P. D. ALOISIUS BETTAZZI
Episcopus tit. Thagastensis, aux. Bononiensis

Venerabiles Patres, fratresque omnes carissimi,

Laudandum videtur schema ob prospectum rerum quem aperit, perficiendum tamen. Vitari debet periculum sistendi in momento praesenti sicque contrarium sortiri ac quaerebatur, seu interclusio evolutionis in conceptu et in praxi, quae in hac materia tam instabilia adhuc manent. Periculum vitatur insistendo in dogmate: quin repetantur, attamen semper prae oculis habeantur quae dicta sunt in constitutione *de Ecclesia.*

Prius: ibi lucide ac diserte in luce positum est fundamentum vitae christianae et apostolatus esse characterem sacramentalem baptismi et confirmationis: quaevis ergo hierarchiae invitatio ad peculiarem collaborationem supponit hanc originariam vocationem eamque sartam tectamque servare debet. Quod maxime est confirmandum, sive ut omnes christifideles ad officium apostolatus evocemus, sive ut ipsis laicis, ut aiunt, organisatis intrinsecam radicem et naturam revocemus eorum cum apostolatu hierarchico collaborationis: agmen sint laici vere spirituale, supernaturali conscientia et libera firma adhaesione praeditum. Cuius collaborationis non nimis definiantur structurae, sed, post generalia lineamenta, liberum maneat hierarchiae sequi pedetentim actionem Spiritus Sancti in Ecclesia, ergo in laicis ipsis. Laicus est et ipse Ecclesia, ergo nequit Ecclesiae contraponi (quod iuremerito in verbis schematis iam emendatum est, adhuc perfectius in stylo emendandum erit) ipse laicus enim debet — sub ductu quidem sacrae hierarchiae — invenire et in actum deducere testimonium sanctitatis et apostolatus quod suo cuique statui correspondet (non repeto quae optime *iam heri dicta sint* [1]) quasi, ubi numerus cleri sufficiens esset atque omnes provinciae vitae humanae ab ordine religioso alienatae non essent tunc minueretur possibilitas apostolatus laicorum; clarius inde affirmandum est ipsam familiae sive professionis sive vitae socialis spiritualitatem a laicis ipsis — sub ductu hierarchiae — experiendam ac delineandam esse. Apostolatus laicorum, ipsa laicorum vita spiritualis nequit esse transpositio et quasi adaptatio vitae religiosorum (et haec est fortasse causa cur spiritualitas vitae coniugalis et familiaris tam neglecta fuerit!), sed actualisatio consecrationis sacramentalis personalis, augmentum gratiae propriis muneribus christiane exercendis adeptum: sic tantum — quod S. Paulus Corinthios alloquens ominabatur — « Deus erit omnia in omnibus » ...[2].

Alterum est: quod exc.mus Duval quasi tetigit sed omnino fusius enucleandum, magis urgendam esse indolem communitariam apostolatus; neque tantum ob maiorem efficaciam activitatis foederatae, sed ob intrinsecam naturam Ecclesiae eiusque activitatis: oportet ut christifidelibus clare pateat naturam vitae christianae esse communitariam, neque prius requirendam esse formationem, ut ita dicam, individualem, cui addi possit, pro viribus et facultatibus, aliquis collectivus color; sed vitam et apostolatum christianum esse natura sua communitaria, quasi collegialia; qui apostolatus, nonnisi ex imperfectione sive ex necessitate reducitur ad individualem, neque unquam potest, saltem in spiritu, communitatis vinculum negligere. « Unum corpus, unus spiritus vocati sumus » — ait S. Paulus ...[3]. Corpus non oritur coagmentatione partium praeexsistentium, sed ipsae partes veluti efformantur in et ex corporis structura. Quae communis ratio etiam in exercitio apostolatus, immo in eius praeparatione effulgere debet (hoc sub n. 3 ponendum) sacerdos discrete mitiget et compleat quae laici ipsi, spiritu christiano et apostolico imbuti, in contextu propriae experientiae humanae invenient et in actum deducent. Spiritus igitur colloquii (seu « dialoghi ») qui tantopere Summo Pontifici nostro cordi est sic commendabitur, sive inter domesticos fidei, sive ad extraneos.

Quae omnia mihi videntur ex duobus fontibus — seu ex duobus scaturiginibus — efflui:

Ex natura quidem Ecclesiae, prout Spiritus Sanctus eam voluit, eamque in hoc Sacrosancto Concilio illustrat: Ecclesia est mysticum Corpus. Perplexitates quae oriuntur circa iuridicos aspectus nolunt certe hos aspectus eliminare (immo, etiam in hac provincia concrete indicanda erit positio horum apostolorum in Ecclesia hierarchica, sicuti etiam sacerdotum laicos assistentium relate ad ceteros sacerdotes qui sua definita fortuna gaudent in Ecclesia), volunt tantum eos *aspectus in*[4] luce et ad suum proprium locum reponere: est enim apta et ineluctabilis structura organismi quod in terra vivere debet, quae structura inservit ut visibiliter exprimatur et crescat intima et mystica substantia quae realem et aeternam naturam Ecclesiae constituit. Sed in hac « enosis sarkikè kai pneumatikè », ut Ignatius ait (*Smirn.* 12, 2) spiritualis praevalere debet et carnalem moderari. Inde mihi videtur prioritas apostolatus specifici laicorum eiusque natura communitaria exoriri ex iis quae hucusque in Concilio dicta sunt vel quae dicenda erunt: ex sacramentalitate et collegialitate ordinis episcopalis; ex praevalentia libertatis religiosae (libertatis substantialis, dico, quae in maturitate conscientiae et generosae adhaesionis veritati cognitae consistit, quaeque, supernaturali veritatis lumine illustrata et divina gratia roborata, insigne extat instru-

mentum authentici et personalis apostolatus); ex ipsa missione Ecclesiae pauperum, Ecclesiae pauperis spiritu, quae, quamquam inventa humani progressus et culturae non spernit, tamen non in his innititur, sed in suis sacramentalibus divitiis, seu in praesentia Christi in animis iustis per caritatem.

Hoc expeti videtur ex ipso sensu historiae: conscia et voluntaria participatio uniuscuiusque hominis ad responsabilitatem corporis cuius est membrum, fit amplificatio personalitatis, possibilitas profundioris christianisationis: hodie homines non respuunt quod sint filii nostri, *ut dictum est,*[5] sed recto iure petunt ut tractentur sicut filii maiores natu et responsabiles. Quod si queramur non raro laicos impares esse fructuoso testimonio christiano, libenter consentiamus hoc aliquando enasci ex eo quod nos, illis non fidentes, nimium tutelam nostram protraxerimus: illos hortemur, Patres, illos incitemus, et hoc in ipso schemate obtestemur — non solum formulis, sed in ipsa conceptuum enodatione — ut laici suas responsabilitates suscipiant, suisque muneribus fungantur, non sine errorum alea fortasse sed cum maturioris personalitatis spe: in hac superiori synthesi responsabilitatis personalis et collectivae solidarietatis stat intima vis apostolica insertionis in mysticum Christi Corpus.

Hanc doctrinam, hanc inspirationem laici omnes, magna cum trepidatione expectant, praesertim, nec sine fremitu, iuvenes: liceat vero mihi, ex his ut ita dicam millenariis sedibus, in memoriam humiliter revocare duas tertias partes generis humani esse iuniores omnibus nobis, venerabiles Patres; ipsi *ut dictum est,*[6] nisi iam hodie, crastina die quidem, et fortasse summo mane, erunt rectores mundi huius, communisque sensus formatores. Ipsi ergo nos quoque adiuvent ut modum cogitandi et loquendi, fortasse stylum quoque apostolicum inveniamus mundo nostri temporis tam velociter maturescentis in dies accommodatiorem. Instanter ipsi nobiscum expectant ut nova Commissio post-Conciliaris, etiam ex laicis evidenter confecta, hanc inspirationem fidenter sequatur.

Ne formidemur, Patres: forsitan aliquid ex pacificis nostris personalibus opinionibus mutare debebimus: sed hic est locus, hoc est momentum, ut, Spiritu Sancto freti, mundo offeramus perennis Ecclesiae iuventutis veram imaginem.

Humillime, in quantum potui, dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] Exc. Charbonneau: non sufficienter exprimitur prioritas exercendae vitae christianae in mundo: cf. pag. 5, lin. 16). [2] (*1 Cor.* 15, 28). [3] (*Eph.* 5, 21). [4] in sua. [5] deest. [6] deest.

7

EXC.MUS P. D. OWEN McCANN
Archiepiscopus Capetownensis

Venerabiles Patres et alii dilectissimi in Christo,

Schema hoc quoad substantiam placet.

1. Recognoscendi sunt labores magni Commissionis, non obstantibus obstaculis et vicissitudinibus, necnon difficultate quae in ea constat ut prima vice materia haec in Concilio Oecumenico, et igitur in gradu universali (vel ut dicitur anglice, "on global scale") tractetur. Grati animi debemus esse pro omnibus quas fecerunt. Nihilominus licet mihi paucas animadversiones proferre.

2. Schema, uti stet, mea humili opinione, non dat istam inspirationem quam expectabimus. Etenim fideles nostri, et etiam nos episcopi et nostri coadiutores, i. e. sacerdotes, attendaverunt « Magnam Chartam » pro apostolatu laicorum. Voluimus documentum quod impetum maximum daret apostolatui isto. Forsitan est quaestio linguae quia adhuc difficile est exprimere omnes ...[1] notas quas in mente *forsan*[2] habuimus. Desideratur ergo clara explicatio istius apostolatus et quomodo in praxi applicetur.

Igitur melius tractare debet schema nexum inter schema *de Ecclesia,* et praesertim capitulum de laicis, et apostolatum laicorum. *Credo quod*[3] resumenda sunt *in schemate nostro*[4] principia istius capituli in prooemio in lineis generalibus.

Notandum est quod tantum una vice, ni fallor, expressio « Populus Dei » utitur, sed hoc est fundamentum totius activitatis apostolatus laicorum. Propono ergo quod in prooemio et non in ultimo paragrapho, ponetur invocatio seu invitatio fidelium ad participationem in apostolatu, simul cum eis quae dicta sunt in capitulo « de laicis » in schemate *de Ecclesia.*

3. Mihi videtur quod fortius exprimendum est unitas quae existere deberet inter hierarchiam, i. e. episcopos et sacerdotes, et fideles in apostolatu. Igitur in par. 18 insertum esset alia comma quae loquitur de ducatu, *vel ut dicitur in lingua anglica*[5] ("Leadership") episcopi et sacerdotum eius. Quo ducatu fideles respondere debent cum omni sensu devotionis ...[6] et oboedientia. Ex altera parte, *tamen*[7] existere debet colloquium seu dialogum inter hierarchiam et fideles de realisatione vel implicationibus practicalibus apostolatus.

4. Mihi etiam videtur quod recognoscendum est, et id in schema exprimere deberet, maturitas et sensus responsabilitatis fidelium. Ex eis

enim sub ducatu cleri venire debent activitates apostolicae modo spontaneo in formis magis adaptatis nostris temporibus. Igitur propono quod sensus paragraphi relationis em.mi praesidis in quo loquitur de fiducia in laicis incorporetur in schema. Magni momenti est ista fiducia quam nos debemus habere in nostris fidelibus qui participant in apostolatu. *Quia*[8] praesertim quoad vitam publicam apostolatus organisatus debet eos praeparare ad participationem in rebus publicis prospicientibus ad bonum commune.

5. Finaliter mihi videtur quod schema loqui debet de praeparatione necessaria sacerdotum ut munus perficiant sive directoris sive assistentis in campo apostolatus laicorum.

Sacerdos est *enim*[9] cor istius apostolatus. *Sed*[10] schema nihil dicit de ista praeparatione, *quod*[11] est res magni momenti. Non tantum in seminariis sed postea in ambitu pastorali necesse est quod bene cognoscuntur modi dirigendi apostolatus laicorum et varii methodi eum implendi. Sacerdotes nostri *ergo*[12] indigent adiutorium in conducendos laicos modo optimo ad instaurando omnia in Christo. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] tonos et. [2] deest. [3] deest. [4] deest. [5] deest. [6] (Loyalty). [7] deest. [8] deest. [9] deest. [10] deest. [11] sed. [12] deest.

Secretarius generalis: Communico Patribus exitum suffragationis factae super integrum cap. III schematis decreti *de Oecumenismo*:

Suffragati sunt Patres .	2.169
Dixerunt *placet* . .	1.843
non placet	24
placet iuxta modum .	296
Suffragia nulla	6

Ergo cap. III est in congregatione generali approbatum.

8

Exc.mus P. D. IGNATIUS ZIADÉ

Archiepiscopus Berytensis Maronitarum

Venerabiles Patres, carissimi Observatores et Auditores,

Hoc schema in genere optimum est ac per se probat cooperationem auditorum laicorum in sua elaboratione fuisse tam utilem quam necessariam. Aliquas tamen emendationes liceat proponere ut scopus eius actuosius attingatur.

1. Ad n. 19, pag. 16, lin. 26. Cum aliquando sunt episcopi ac sacerdotes qui nondum fiduciam plenam dant laicis in labore apostolico, opportunum esset, post verba « in aedificatione Ecclesiae » addere hoc: « laicos non esse auxilia pastoribus utenda sed speciales partes habere ».

2. Vitata quidem repetitione cum cap. IV constitutionis *de Ecclesia,* revocandum est in quibusdam numeris fundamentum doctrinale laicorum apostolatus, ne aestimetur hoc schema nisi pragmaticum ac proinde a mente sua genuina deflectat. Sic optatur *allusio ad sacerdotium commune* ut rite perspicatur missio vere ecclesialis tum laicorum tum religiosarum. V. g., pag. 16, linn. 16-22, ita ut missio canonica cum fundamento suo sacramentali clarius connectatur, vel pag. 17 linn. 6-8, ita ut melius appareat quod cooperatio in apostolatu inter religiosos et laicos in re sacramentali conditur.

3. In n. 16 de « Actione Catholica » moneantur responsabiles generales actionis catholicae ut ministri se habeant coetuum suorum ac ne instaurent mentem *neo-clericalismi* sui generis, nec inter se nec erga alios coetus qui non sunt actionis catholicae stricto sensu.

4. Passim in hoc schemate oporteret dici clarius Ecclesiam mitti *ad servitium Dei et hominum*. Ad servitium Dei, ita ut *liturgia* tum in sacramento tum in caritate totam vitam unificet; ad servitium hominum, ita ut *praestantia pauperum* ad mentem Evangelii ostendatur.

5. Ad n. 12, expressio « *actio caritativa* » auribus hodiernis non bene sonat dum scopus actionis socialis hodie potius ad causas quam ad effectus malorum pertinet.

6. Ad n. 21, in cooperatione cum omnibus christianis aspectus *oecumenicus* magis enucleari potest ad unitatem apostolicam fovendam.

7. In n. 18, pag. 16, lin. 5: deleantur verba « implicite vel » et dicatur: « Nisi explicite consensus accesserit legitimae auctoritatis ecclesiasticae ». *Nam vero* [1] si consensus expressus exigitur non iam fiunt opera inutilia vel nociva. Etenim in n. 14, pag. 13, linn. 26 ss. dicitur « Vitanda tamen est virium dispersio, quae fit praesertim promovendo, sine ratione sufficienti, associationes novas et opera vel retinendo ultra vitam utilem associationes vel methodos olim idoneas ». Quapropter iuxta illud S. Ignatii Antiocheni: « Nihil sine episcopo » agant.

8. In n. 15, pag. 14, loquitur schema de iure condito vel condendo et remittit ad Codicem Iuris Canonici qui est Ecclesiae Latinae ...[2] et in lin. 11 prosequiutr: « Insuper Sacrosancta Synodus mandat ut Commissio ad Codicem iuris canonici recognoscendum ea, quae de consociativis apostolatus laicorum formis in hoc decreto dicuntur in ius condendum recipiat, et ea, quae de associationibus fidelium in iure iam statuuntur, apostolatus Ecclesiae hodiernis necessitatibus accommodet ».

Utinam ut sit unica commissio ex occidente et oriente electa ad unicum Codicem iuris *Ecclesiae catholicae,* ne fiat amplius divisio in *catholica* nec in occidente nec in oriente, speciatim in constitutionibus et decretis Concilii Vaticani II.

Quamobrem rogo ut deleantur verba: « in canonibus septingentis ad septingentos vigenti quinque (700-725) (in pag. 14, lin. 4).

Timemus enim ne dicatur schema non agere de Ecclesiis Orientalibus; sicut dixit clarissimus auctor de Motu Proprio *Pastorale munus* non esse pro Pastoribus Orientalibus quia semper se refert ad Canones Codicis Iuris Canonici qui est Ecclesiae Latinae. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] (in can. 700-725).

9

EXC.MUS P. D. CAESAR ANTONIUS MOSQUERA
Archiepiscopus Guayaquilensis

Venerabiles Patres,

Schema in genere placet, nam activitates et officia propria laicorum in Ecclesia rite exponuntur et inde locus laicorum in ipsa Ecclesia clarificatur.

Attamen, mihi fas sit quasdam observationes pandere et deinde breviter unum proponere, quod, ut spero, aliquid iuvabit ut melius appareat locus laicorum et sacerdotum in Ecclesia.

Mihi videtur schema non multum ultra activitates et officia apostolica laicorum progredi; mihi videtur non clare pervenire ad vitam spiritualem propriam laicorum; quae vita partim exprimitur in istis activitatibus et ab illis vicissim alitur.

Fatendum est in Ecclesia non adhuc plene clara esse elementa specifica spiritualitatis laicorum.

Forsitan, laici locum suum non adhuc plene invenerunt in Ecclesia, quia usque adhuc defuit adaequatus conatus inveniendi et colendi lineamenta imaginis Christi magis propria laicorum. Ipsa spiritualitas, ut dicam, sacerdotum et religiosorum a laicis proponebatur, tantum deminuta, cum tamen vita laicorum, quam haec spiritualitas debebat et debet sustentare, multum a vita sacerdotum et religiosorum, qui e mundo quodammodo exierunt, multum differat.

Laici immediate intenti sunt in vitam, sic dictam, profanam et conantur ad Deum pervenire per realitates profanas, existimantes has realitates esse pro ipsis media, non impedimenta unionis cum Deo.

Dum sacerdotes et religiosi primarie ad Deum tendimus directe et quasi immediate; laici Dei imaginem, Dei voluntatem et amorem primum in eius creaturis inveniunt et per creaturas generatim ad Creatorem et Patrem pervenire debent et perveniunt.

Adest realitas quaedam et vis spiritualis unionis cum Deo in attentione versus vitam quotidianam et in reflectione laicorum circa ipsam lumine fidei.

Agitur de aspiciendis hominibus et rebus, ut Christus ipse aspiceret, scil., visione plena amoris et desiderii salutis. Agitur de visione quae exigit metanoiam.

Inde apostolus et aliis monstravit verbo et exemplo novam visionem, scil., visionem christianam mundi.

Ipsi pastores multum discere possumus ex cognitione visionis quam apostoli laici de mundo habent.

Summus Pontifex Ioannes XXIII in verbis quae habuit ad militantes Actionis Catholicae inter coetus independentium ex Gallia in Romam peregrinantes quaedam luculenter dixit de « anima apostoli conformis facta Christo, de anima plena Christo per longum Conatum personalis reflectionis et orationis » ...[1].

Inde ulterior necessitas gratiae sacramentis collatae ad roborandum hunc laborem et conatum in revisenda hominis actitudine erga alios homines et res: Sacramenta non substituunt laborem et conatum.

Inde etiam nova necessitas sacerdotum ad adiuvandos laicos sacramentis et consilio in supradicta metanoia et inveniendo proprio loco in Ecclesia Dei. Sacerdotes item adiuvant, non substituunt visionem laicorum de hominibus et de rebus adiunctis.

Inde tandem profundior necessitas Sacrae Scripturae, Verbi Dei, lux et mensura iudicii apostoli. Sacra Scriptura cardo devenit in unione religionis cum vita quotidiana.

En Pius XII, sanctae memoriae, in sua exhortatione ad militantes motus illius apostolici « Rinascita » appellati die 8 novembris a. 1956.

Loquendo de visione et iudicio hominum et rerum ait: « In initio est meditatio Evangelii, meditatio attenta et longa, quae vos capaces facit aspiciendi facta ordinaria vitae quotidianae sub novo aspectu... ». Deinde alibi addit: « Videre et iudicare seipsum et rerum adiuncta, seu inventio personarum et rerum sicuti sunt coram Deo non est possibile nisi gratia Dei: " Simul ac haec visio habetur " auditur vox Christi personalem perfectionem suggerendo ».

« Circumspicere mundum visione ipsius Christi — dicit Pontifex — partem habere in sua intentione salvifica, in suo immenso desiderio

redemptionis est quid spontaneum in illo qui vivit in Ipsum et per Ipsum. Et haec fides in caritatem deducetur ».

Tandem, en propositio mea. Includatur in schemate aliqua explicita mentio de spiritualitate laicorum iuxta ea quae dicta sunt. Forsitan haec mentio in fine n. 2 redigenda est. Finis n. 2 sic sonat: « Uno verbo, apostolatus laicorum ad essentiam pertinet testimonii Ecclesiae ». Mentio et ipsa sic, vel aliter sonare potest: « Ille (apostolatus) in fide Creatoris praeprimis fundari debet et per creaturas ad Christum Redemptorem ducere ».

Mentio haec vel similis in schemate plane pastorali incitamentum erit ad ulteriorem conatum clarificationis elementorum spiritualitatis laicorum. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] (*L'Osservatore Romano*, n. 111, a. 1961).

10

Exc.mus P. D. ANTONIUS CAILLOT
Episcopus Ebroicensis

Venerabiles Patres,

De apostolatu laicorum loquendo, necessarium mihi videtur sublineare quasdam relationes inter ipsum apostolatum et vitam quotidianam hominum.

1. *Momentum vitae in quantum est locus conversionis et testimonii apostolici.*

Verbum Dei caro factum est ad salvandos homines, in iis omnibus quae vitam eorum contexunt, et sic vita efficitur pro hominibus iter ad Deum: in ipsa vita, secundum id quod eligunt vel reiiciunt, homines ad Christum accedunt, vel ab eo recedunt. Ut omnes noscunt, actio Spiritus Sancti in corde hominum fines visibiles Ecclesiae excedit, et ad eam multos perducit, qui secundum Deum vivunt, quin illum adhuc agnoscant. Sub influxu interno Spiritus Sancti, vitam rectam ducunt, rationem habentes iustitiae, sinceritatis, fraternitatis et abnegationis suiipsius in bonum aliorum. Vita illorum sic apparet tanquam petra super quam aedificabitur Evangelium; quinimmo, non desunt inter eos qui iam ex gratia Christi vivant, antequam eum quoad nomen cognoscant, sicut paralyticus, qui auxilium exspectabat, ut ad piscinam salutis perveniret. Inconscie exspectant, non quidem « propagandistas », sed veri nominis fratres, qui in communione eiusdem vitae consociatae, in ipsis

eventibus[1] huius mundi, et in communitatibus ordinis temporalis, eos edoceant de significatione et de adimpletione propriae vitae in Christo Iesu. Propterea debet apostolus attente considerare vitam quotidianam, sicuti est, sicut ducitur a fratribus suis, scil. ab omnibus hominibus.

2. *Momentum apostolicum actionis, in quantum est praeparatio ad conversionem.*

In hodierno mundo, saepe ab Ecclesia alieno, multi impediuntur variis opinionibus praeiudicatis, ne verbum vitae reapse audiant. Hi tamen homines, quamquam saepe procul sint ab Ecclesia, paulatim ad eam sese dirigunt per ipsum modum suum vivendi: « qui facit veritatem venit ad lucem » ...[2]. Hac in re, valde notandus est valor apostolicus actionis cum non-credentibus: talis actio fraterna, in media vita sese exercens, sine pariete odii vel praeiudicatae opinionis aut suspicionis, inducit homines ad viam conversionis, ad Eum qui est *amor* et Salvator generis humani.

3. *Momentum apostolicum actionis in quantum est signum fidei.*

Decursu historiae salutis, Deus sese revelavit verbo et signis. Dum actionem temporalem efficit, vel proximo in angustiis versanti adsistit, christifidelis, servato valore proprio et fine directa huiusmodi activitatis, fidei suae testimonium perhibet ex actibus suis. *Actio temporalis* signum est fidei in Deum, qui mundum creavit in bonum generis humani, qui hominem diligit et redimit in conditione humana, et qui venturus est in fine saeculi: modo quo haec actio efficitur signum esse potest amoris et spei. Similiter, *actio caritativa* signum est Dei, qui caritas est, unumquemque novit nominatim et diligit, qui hominem amat sicuti est in realitate concreta existentiae humanae, et apud quem non est acceptio personarum. Sic, in medias res vitae suae activae, positus, christifidelis semper manet, per suam integram vitam, *semper manet*[3] testis Dei viventis.

His omnibus consideratis, optandum est ut in schemate magis explanentur: 1. momentum vitae, in quantum est locus conversionis et testimonii; 2. momentum apostolicum actionis effectae una cum noncredentibus, in quantum haec actio inchoatio est conversionis; 3. valor signi fidei in actione a laicis perductae in officiis suis temporalibus et in actione caritativa.

Observationes meas hac de re rev.mo secretario Concilii scripto tradam.[4] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] vicissitudinibus. [2] (*Io.* 3, 21). [3] deest. [4] pag. 8, n. 4 proponitur addere: « Pro apostolatu, maximi momenti est attendere concretae vitae personarum, et humanae communitatis: nam vita hodierna

humanitatis influit in vitam singulorum hominum, et praeparat conditiones humanitatis futurae. Inter adiuncta concreta... ». Pag. 10, n. 8, lin. 7: « Sic agentes, directe adlaborant aedificationi civitatis vere humanae, sed simul iuvant non-christianos incedere in via amoris fraterni, paupertatis et abnegationis suiipsius ad Illum qui Caritas est ».

11

Exc.mus P. D. STEPHANUS A. LEVEN

Episcopus tit. Buritanus, aux. S. Antonii

Em.mi Patres, venerabiles Fratres,

Quod habetur schema *de apostolatu laicorum* certissime placet. Haec Sacrosancta Synodus quae pro prima vice in historia Conciliorum et positivo quidem modo doctrinam de laicis tanquam de populo Dei tam apte exposuit; Synodus quae iterum atque iterum nos docet Ecclesiam esse entitatem non mere iuridicam vel administrativam sed Ipsum Corpus Christi, constitutam et, ut ita dicam, structurizatam sacramento episcopatus, ...[1] viventem et operantem de charismatibus a Spiritu Sancto unicuique datis; haec Synodus, repeto, ad partem laicorum in apostolatu Ecclesiae iuste meritoque se dirigit.

Versus principium schematis necesse omnino est ponere fundamentum totius argumenti de apostolatu laicorum, scil. omnis christianus si digne hoc nomine vocatur, sentit cum Christo, Christi causam in corde habet; quantum in eo est ad hanc Christi causam promovendam totis viribus faciet et hoc dicitur apostolatus christianorum inter quos maior numerus est laicorum.

Schema ...[2], clarius et fortius exponere debet apostolatum laicorum revera esse de essentia Ecclesiae. Non est quid accidentale, quid additamentum.

Apostolatus laicorum quidem non est mera concessio nec aliquod mandatum solummodo factum ab episcopo in favorem laicorum. E contra, hic laicorum apostolatus est vera reductio in actum ipsorum donorum charismaticorum quae ab ipso Spiritu Sancto concredita sunt populo Dei.

Indubie illi qui charismata auctoritatis et administrationis in Ecclesia Dei receperunt etiam habent ius et officium dirigendi et moderandi apostolatum laicorum. Attamen, minime habent facultatem hunc apostolatum supprimendi nec ita coarctandi ut pro nihilo reputetur. Nam in parabola Dominus Iesus eum condemnavit qui talentum in terra abscondit. Nonne ergo aeque condemnabilis est episcopus vel parochus

qui sive per inscientiam sive per ineptitudinem ita coarctet fidelium charismata ut tanquam vere abscondita et infructuosa habeantur?

Quod schema actuale de apostolatu laicorum profert, nimis repetitiose et timide dicit. Schema recognosci debet et forma eius reduci. *Uti anglice dicitur: it needs to be streamlined and given more punch.*[3]

Schema clarius et fusius et fortius debet loqui de necessitate verae et significativae dialogi inter episcopum vel parochum et laicos. Hoc quidem valet praesertim in regionibus et nationibus ubi laici vere exculti et Ecclesiae dedicati sunt. Dialogus est omnino impossibilis quando laici solummodo ad audiendum invitantur. Nec habetur dialogus si episcopus solummodo paucos individuos audit sicuti medicum suum vel famulam domesticam. Potius audiantur viri et feminae vere repraesentativi, consilio et sapientia praediti, et — in quantum possibile — a populo designati vel electi.

Si schema nostrum nequeat tractare de methodo dialogi in particularibus, quia principia generalia solummodo comprehendit, nihilominus nos Patres conciliares dare debemus mandatum Commissioni Post-Conciliari instituendae quo varias formas dialogi investigent et adaequatam structuram dialogi, tanquam verum senatum, conficiant.

Hic senatus forsitan componatur ad formam illius iam propositi in adiutorium Summi Pontificis.

Obvie laici nequeunt ea in Ecclesia facere quae potestatem Ordinis et iurisdictionis requirunt. Formatio talis senatus, tamen, ne aequetur renuntiationi sive Ordinis sive iurisdictionis. E contra, tanquam optimum auxilium aestimetur quo plenitudo sacerdotii in bonum omnium animarum exerceri possit. Nam episcopus nequit personaliter loqui cum unoquoque in sua dioecesi; sed ope talis senatus repraesentativi omnino potest, tanquam Bonus Pater, familiam sibi commissam et audire et adloqui.

Utique in omnibus dioecesibus adsunt fanatici et quasi mentecapti, et his non est indulgendum. Nihilominus haec dialogus vel per senatum vel per aliud aptum perfecta, prae primis desideratur inter *bonos et solos*[4] *catholicos*. Talis dialogus, honesta vera et veneratione mutua protracta, est inter desideria eximia nostrorum laicorum, praesertim eorum qui intelligentia praediti in Causam Ecclesiae vere dedicati sunt. Hoc desiderium, tanquam signum temporis, agnoscendum est.

Commissio post-conciliaris enixe rogatur ut media apta perficiat quibus omnis suggestio rationabilis ad episcopum aliquomodo perveniat et considerationem dignam recipiat.

Laici nostri ad nos aspiciunt et nos in Domino petunt ut vere accipiantur tanquam consortes pleni et maturi in Corpore Christi. Petunt

tantum ut charismata, a Spiritu Sancto ipsis concredita, exercere possint. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] sed. [2] tamen. [3] deest. [4] deest.

12

Exc.mus P. D. GERARDUS HENRICUS DE VET
Episcopus Bredanus

Venerabiles Patres,

Nomine conferentiae episcoporum Neerlandicae relate ad schema decreti *de apostolatu laicorum* sequentia proferre velim:

I. *Animadversiones generales*:

a) Iuvat in textu totius schematis maiorem proferre realismum christianum, in hoc sensu quod strenuo admittatur *factum* quod christifideles laici praeprimis in ipso mundo seu ordine temporali sunt et per consequens apostolice operantes. Hoc factum non est malum quoddam necessarium, nec quid secundarii, sed indicat potius locum laicorum peculiarem et specialem, licet non exclusivum.

b) Ex defectu illius realismi christiani sequitur quod multi textus, v. g. de apostolatu in familia, unice sensum supernaturalem extollunt et silent de « humanisatione » vitae (v. g. familiaris). Unice loquitur schema de *educatione christiana*. Nonne et ipsa educatio *humana* debet esse expressio obiectiva ipsius spiritus christiani?

c) In indicandis rationibus, cur hodiernis temporibus apostolatus laicorum fiat urgentior, minus recurrendum est ad rationes opportunisticas, sed ad profundiores: nempe, renovata cognitio seu conscientia Ecclesiae ex una parte, et, ex altera, nova conscientia illius quod est « mundus » seu ordo temporalis, qui in sua provincia gaudet quadam autonomia et insimul debet esse expressio obiectiva vitae christianae.

Ex his praenotaminibus sequuntur aliquae propositiones emendationis textus: e. g.

1. In prooemio pag. 5, post lin. 8 addatur: « Quae apostolica operositas laicorum non solum agnoscenda est in illis inceptis quae immediate ad evangelizationem hominumque sanctificationem pertinent, sed etiam in iis quae ordini temporali humaniter instaurando et in Christo restaurando inserviunt ». *Ratio*: sic iam in prooemio realismus, de quo supra, iam clarius manifestatur.

2. In prooemio pag. 5 lin. 11: post verba « latiorem expostulant »

addatur: « tam propter renovatam Ecclesiae suiipsius cognitionem, quam propter novam humanam et christianam conscientiam illius quod est mundus » ...[1].

3. In prooemio pag. 5 linn. 16-19: textus sic mutetur: « Hic apostolatus... non solum ob insufficientem numerum cleri, sed etiam quia autonomia quaedam multarum provinciarum vitae humanae magis evoluta est, aliquando non sine alienatione ab ordine religioso vel ethico, ita ut principia revelationis divinae ad has provincias tam theoretice quam practice de novo applicari debeant ». *Ratio*: non negando factum peccati in opere instaurationis mundi et promotionis populorum, oculos praesertim vertere debemus ad processum sic dictum saecularisationis, qui, de se non malus sed bonus, expostulat tamen novam christianam revalorisationem seu aestimationem.

4. Pag. 10, n. 9, linn. 12-14: mutetur in « ... ab iis quae finem ordinis temporalis instaurandi et in Christo restaurandi immediate attinent ». *Ratio*: secus periculum adstat alicuius « clericalismi culturae ».

5. Pag. 11, n. 11, lin. 8 dicatur: « ... meminerint christifideles laici se vocatos esse ad hoc, ut una cum omnibus hominibus ad universum temporalem ordinem perficiendum cooperentur, eumque in Christo restaurent, secundum illud... ». *Ratio*: opus perfectionis ordinis temporalis est commune omnibus hominibus et non sola vocatio christianorum. Insuper certa quaedam autonomia huius operis de novo est affirmanda. Ceterum, totus hic n. 11 valde confuse est redactus et egeret nova organica structuratione.

II. *Tandem duas alias animadversiones facere velim.*[2]

1. In pag. 6. n. 1, linn. 3-4 dicatur: « Apostolatus, qui nomen trahit a missione Ecclesiae, quae a missione Filii missioneque Spiritus Sancti procedit, non designat tantum munus dicendi, pascendi et sanctificandi apostolis eorumque successoribus concredito, sed etiam Corporis mystici actuositatem... ». *Ratio*: sic plenior notio biblica « apostolatus » indicatur.

2. In pag. 12, n. 12, lin. 21 addatur: « Praesertim commendatur actio caritativa pro nationibus sic dictis evolvendis. Singulae Ecclesiae enixe invitentur, ut sese huic operi omnibus viribus dedicent (cf. Enc. *Mater et Magistra*) ». *Ratio*: haec solemnis invitatio in hoc Concilio deesse nequit, et hic n. 12 est locus indicatus.

Alias animadversiones scripto secretariatui tradam.[3] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] *Ratio*: iam indicata est. [2] Aliae animadversiones. [3] 3. pag. 5, n. 1. lin. 25: loco « animas salvando » dicatur « homines

salvando ». *Ratio*: talis locutio non est anthropologica nec biblica. 4. Quaeritur utrum in hoc decreto sermo fieri debeat de notionibus illis intricatis et inter theologos disputatis « mandati » et « missionis canonicae » (pag. 16, n. 18, lin. 16 et linn. 19-20; sicut in n. 16, pag. 15, linn. 6-7). 5. Pag. 9, n. 6, linn. 6-7: deleatur citatio S. Ignatii, qui directe presbyteros et non laicos intendebat. Ceterum contentum huius citationis, adaptatum ad apostolatum laicorum, varias expostulat perpolitiones. 6. Pag. 6, n. 1, lin. 14: deleatur « hic »; ergo « Apostolatus laicorum... ». *Ratio*: quia in praecedentibus (linn. 9-13) agitur de apostolatu christifidelium in genere, qui non identificatur cum laicorum apostolatu.

13

EXC.MUS P. D. VILLELMUS CONWAY
Archiepiscopus Armachanus

Hoc schema in genere placet et, meo iudicio, brevitate et coordinatione materiae priori textui praeferendum est.

...[1] Simul sumptum cum capitibus de laicis et de universali vocatione ad sanctitatem schematis *de Ecclesia*, necnon et cum schemate *de Ecclesia in mundo huius temporis,* pretiosam summam constituit principiorum theologiae laicatus nec non spiritualitatis et actionis propriae laicorum.

Sed ideo vel magis dolendum est quod schema cum themate centrali Concilii, i. e. cum schemate *de Ecclesia* non intimius integretur. Sine relatione explicita ad doctrinam theologicam ibi expositam aliquatenus mancum aut claudum esse videtur. Deinceps connexio huius schematis cum schemate Ecclesiae in mundo huius temporis in clara luce poni debet: quia ad laicos modo speciali pertinet Ecclesiam praesentem reddere mundo.

Brevitas schematis causa sine dubio est quare multae huius generis considerationes omissae sint. Sed alias quoque omissiones doleo.

1. Dolendum est quod in schemate nihil dicitur de iuventute, sive in quantum constituit obiectum apostolatus sive in quantum praebet instrumentum apostolatus.

a) In quantum constituit obiectum apostolatus. Adolescentibus fere plus quam omnibus aliis necesse est ut animos nostros convertamus. Futurum iam praesens nobis est in iuvenibus. In illis quasi in microcosmo signa temporis perspicere possumus; tantis vocibus sollicitantur, tam diversis opinionum ventis agitantur, inter euphoriam exuberantem et desperationem morosam incerti et ambigui fluctuant.

Attamen[2] iuvenes idealia sitiunt, nihil magis ab adultis postulant quam idealia nobilia, generosa et authentica. Re quidem vera crisis iu-

ventutis hodiernae in eo imprimis consistit quod idealia requirens sola materialia recepit, quod panem a mundo postulans nonnisi lapidem recepit. Expectationem eorum ne defraudemus sed ipsum Christum imitemur qui « intuitus iuvenem dilexit eum ».

b) Nec solum uti obiectum apostolatus iuventus consideranda est sed ut instrumentum apostolatus; nam ipse fervidus iuvenum idealismus optatissimos eos facit apostolatus cooperatores. Ita ut potentissimi iuvenum apostoli sint ipsi iuvenes. Iuvenes sunt qui « aggiornamento » conciliaris et renovationis Ecclesiae et mundi, instrumenta erunt principaliora. « Scribo vobis, iuvenes, dixit S. Ioannes, quoniam fortes estis et verbum Dei manet in vobis et vicistis malignum » ...[3].

Attamen de iuvenibus et iuventute in schemate nostro ne verbum quidam.[4]

Propono igitur ut sermo aliquis, quamlibet brevis, fiat in schemate de iuvenibus tamquam obiecto simul et instrumento apostolatus, et pericopen in hoc sensu secretariatui in scriptis tradam.

2. Meo iudicio paulo firmius et explicitius schema insistere debet in hoc quod radix et fundamentum formationis apostolicae est sanctitas.

Quo apostolatus laicorum plus organizatus, plus systematicus, plus — sit venia verbo — structuratus fit — et quidem iure et necessario in complexitate societatis hodiernae — eo vel magis periculum exoritur quod apostoli quodammodo quasi « professionales apostolatus » deveniant, efficacitatem temporalem spectantes plus quam implantationem evangelii, activismi plus quam actionis vere apostolicae fautores. Actio autem apostolica nulla existit quae non ea profunda vita interiore promanat, sacra liturgia, sacramentis, oratione personali, nutrita. Immo apostolus qui vere sanctus est fit eo ipso, ut ita dicam, « radioactivus »: homines enim hodierni, a Deo quamvis alienati, sanctitatem tamen adhuc recognoscunt et illi quasi instinctu quodam latente respondent.

Ipse Dominus *noster*[5] qui apostolos ad se vocaturus, « erat pernoctans in oratione Dei » ...[6], *non ad*[7] sacerdotes tantum sed *ad*[8] omnes discipulos suos Dominus alloquitur quando dicit: « Vos estis sal terrae; quod si sal evanuerit ad nihilum valet ultra nisi ut mittatur foras et conculcetur ab hominibus ».

Recenter ipse Summus Pontifex Paulus VI f. r. in Litteris Encyclicis *Ecclesiam Suam* solemniter declaravit quod « silentiosa meditatio » est « necessaria forma » qua actio religiosa et socialis Ecclesiae exprimitur.

Peto igitur ut in schemate quando de formatione ad apostolatum agitur primus locus explicitius tribuatur vitae spirituali apostolorum; et pericopen in hoc sensu secretariatui in scriptis tradam.

Tres alias animadversiones, nempe de doctrina sociali Ecclesiae ut elemento essentiali apostolatus; de actuositate caritativa ad normas scientiarum socialium et artis technicae modernae adaptanda; et de formis apostolatus ad alias nationes transferendis, brevitatis causa secretariatui tradam. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Praesens schema. [2] Sed ex alia parte. [3] (*1 Io.* 2, 13-14). [4] deest. [5] deest. [6] post primam discipulorum missionem eis dixit: « Venite seorsum in desertum locum et requiescite pusillum » (*Mc.* 6, 31). [7] neque. [8] deest.

Animadversiones additae:

1. In n. 2, *De apostolatu ab omnibus et singulis exercendo,* ad finem (pag. 7, post lin. 6), inserantur verba: « Ecclesia vero, ad instar Divini Magistri qui « intuitus iuvenem dilexit eum » (*Mc.* 10, 21) singulari prorsus amore iuvenes prosequitur et ab eis cum fiducia expectat ut sese pro causa Christi, praesertim inter coaevos suos, devoveant. « Scribo vobis, iuvenes », dicit S. Ioannes, « quoniam fortes estis et verbum Dei manet in vobis et vicistis malignum » (*1 Io.* 2, 13-14). En ideale generosum et authenticum ad quod cor iuventutis ardens aspirat. Immo nostris diebus ipsi iuvenes peculiarem constituunt apostolatus campum ad quod colendum apostoli, tam sacerdotes quam laici, speciali formatione indigent, ope quoque scientiae psychologicae et paedagogiae modernae ».

2. *De sanctitate ut omnis formationis apostolicae fundamento*: in n. 3, *De formatione apostolica,* pag. 7, post lin. 12, haec verba inserantur: « Cum vero actio vere apostolica nulla detur quae non ex vita interiore cum Christo abscondita promaret, formatio ad apostolatum ante omnia formatio spiritualis esse debet. Institui debent cursus vel sessiones pro instructione theologica, biblica, liturgica laicorum cum exercitiis spiritualibus et diebus sic dictis recollectionis stato tempore repetitis. Aliter enim periculum est ne vita interior et spiritualis quae apostolatus anima est dissipetur, ipse Dominus noster admonens: Vos estis sal terrae. Quod si sal evanuerit, in quo salietur (*Mt.* 5, 13) ».

3. *Aliae animadversiones*: meo iudicio aliquid dici debet: *a*) de momento studii doctrinae socialis Ecclesiae in formatione ad apostolatum; *b*) de momento scientiarum socialium et artis technicae modernae in operibus caritativis; *c*) par. 15, pag. 14 inserantur verba sequentia: « Quando apostolatus formae, in una natione institutae, ad aliam transferuntur, curent earum fundatores et moderatores a spiritu nimis possessivo abstinere et parati se ostendant ad adaptationes locales permittendas et, salvo instituti spiritu essentiali, ad decentralisationem debitam gubernii permittendam ».

14

EXC.MUS P. D. ALBERTUS CONRADUS DE VITO

Episcopus Lucknovensis

Venerabiles Patres,

Multa iam dicta vel scripta sunt de apostolatu laicorum, mihi tamen videtur fundamentum seu ratio ultima huius apostolatus in schemate nostro non sufficienter clare ac adaequate enunciata esse.

In schemate sententiae seu expressiones adhibentur negativo modo ...[1] vel non sufficienter *explicitae*.[2] V. g. in pag. 5 n. 1 lin. 27: « Corpus mysticum *non sinit* ullum membrum esse mere passivum ». *Notatis verba: non sinit*.[3] In pag. 6, lin. 3 habetur: « Apostolatus qui nomen trahit a munere docendi... omnem etiam Corporis mystici actuositatem designat... ». *Notatis verbum « etiam »*.[4] Eodem modo mihi non videtur sufficere dicere obligationem apostolatum exercendi oriri...[5] « ex praecepto caritatis », uti *habetur*[6] in pag. 6, n. 1, lin. 8. Clariora ...[7] sunt verba quae in paragrapho immediate sequenti adhibentur.

Mea humili tamen sententia, quam vestro benevolo iudicio considerandam propono, *teneo*[8] fundamentum dogmaticum *seu theologicum*[9] doctrinae de apostolatu laicorum clariori immo inflatiori modo in schemate enunciari *debere*.[10]

Sacerdotium sic dictum « commune » de quo sermo fuit in schemate constitutionis *de Ecclesia* in cap. II n. 10 inadaequate christifidelium officium in apostolatu explicat eo quod ibi dicitur christifidelium sacerdotium in iure sacramenta recipiendi *tantummodo*[11] consistere. Procul dubio sacramentorum receptione a sacerdote in hierarchia constituto, christifideles sanctificantur, tamen *ipsi receptione sacramentorum*[12] alios nullo modo sanctificant, uti e contra facere deberent in *explicatione sui apostolatus*.[13]

Ne qua confusio oriatur recolere velim sacerdotium Capitis Corporis mystici, sacramento Ordinis, quamvis per gradus, illis qui ordinantur conferri.

Christifideles vero, receptione Baptismatis, non modo Corporis mystici membra fiunt, sed ...[14] sacerdotio Capitis quoque partem habent. ...[15] Uti singula membra corporis mei physici sunt membra sacerdotalia, eodem modo membra Corporis mystici *quod est corpus reale participare debent*[16] de sacerdotio Capitis *ita*[17] ut illud actuose exercere valeant.

Ideoque in schemate nostro clare dicatur christifideles, receptione

Baptismatis, ipsius baptismatis ministri extraordinarii officii: immo dicatur *ut*[18] ipsi sunt ministri ordinarii, proprii et exclusivi sacramenti matrimonii, ita ut sponsus istud sacramentum sponsae conferat et vicissim *sponsa sponso sacramentum confert.*[19] Nempe ipsi qua sacerdotes, sacramenti matrimonii gratiam sanctificantem active reciproce *in comparte*[20] conferunt eodem modo quo nos, sacerdotes hierarchici, gratiam sanctificantem aliis aliorum sacramentorum administratione conferimus.

Baptismatis ac Confirmationis receptione christifideles, quamvis sub ductu hierarchiae, vere participant in munere docendi, regendi et sanctificandi. De facto canonice ipsi societatibus, confraternitatibus ac Tertiis Ordinibus, pro laicis erectis, praesidere possunt *et praesident*[21]; christianam doctrinam docere possunt *et docent*[22]; alios ...[23] sanctificare possunt: *nempe*[24] ut ministri extraordinarii in sacramenti baptismatis administratione et ut ministri ordinarii ac exclusivi in matrimonii sacramento.

Conclusionem faciens, liceat mihi rogare ut doctrina theologica de *participatione laicorum in sacerdotio Christi, quod est fundamentum laicorum*[25] clariori ac inflatiori modo enuncietur. *His praemissis*[26] ea quae sequuntur relate ad munus apostolatum exercendi nihil aliud erunt quam necessaria consectaria. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] datae. [2] definitae. [3] deest. [4] deest. [5] tantum. [6] est. [7] vero. [8] deest. [9] deest. [10] debet. [11] deest. [12] deest. [13] apostolatus exercitio. [14] in. [15] V. g. [16] ita participant. [17] deest. [18] quoque quod. [19] deest. [20] in seipsos. [21] deest. [22] deest. [23] ac seipsos. [24] deest. [25] apostolatu laicorum. [26] Hoc posito.

Animadversiones additae:

Pag. 5-6, nn. 1-2. Si conclusiones latiores amplioresque quam praemissas vitare volumus, ita clare fundamentum theologicum de natura apostolatus enunciandum est ut ex ipso clarae conclusiones deduci possint.

Confer animadversiones quas die 8 octobris 1964 in aula conciliari feci et scriptas tradidi.

De formatione apostolica: pag. 7, n. 3. 1. *Formatio apostolica primario in vita spirituali intima ac profunda fundari debet.* Ratio cur usque adhuc laici in apostolatu partem activam non habuerunt certo certius legum penuriae nullo modo adscribi potest, nam omnes Romani Pontifices a Pio X usque ad nos de laicorum participatione in apostolatu multum optimeque locuti sunt.

Episcopi quoque et sacerdotes laicis libertatem concedunt quae pro exercitio apostolatus requiritur. Si ipsi tamen non semper efficaces seu activi in operibus apostolicis fuerunt, hoc unice formationis spiritualis deficientiae tribui debet.

Ideoque in decreto sermo esse debet de necessitate vitae spiritualis, intimae ac plenae, ut conditio sine qua non pro fructuoso apostolatu.

2. *Formatio intellectualis* utique necessaria est, tamen formationem spiritualem sequatur oportet.

3. *Illis ad quos spectat* (lin. 25), quandoque sunt fratres ac sorores quibus scholae catholicae commissae sunt. Proh dolor! affirmari debet quod ipsi saepe saepius scholae ianuam episcopis sacerdotibusque claudunt ac nullo modo nostris iuvenibus formationem apostolicam impertiunt.

Ideoque clarius ipsorum munus exprimatur. Ad hoc haec verba in lin. 30 addi possent: « ... etiam in scholis, collegiis et aliis institutis educationis, cuiuscumque generis, religiosis fratribus ac sororibus quoque pertinentibus, observanda sunt, et quidem sub episcopi vigilantia ».

De formis associativis: pag. 13. In schemate nullum fit verbum de *novis associationibus laicalibus* quae ex professo, si ita liceat loqui, apostolatum exercent. De eis quoque sermo esse debet eo quod plurimae earum iam ab Ecclesia adprobatae sunt, quinimmo laudabiliter, praecipue in missionibus, opus suum explicant.

Istae associationes sunt sic dictae associationes professionales, seu medicorum, mulierum infirmis ministrantium, docentium, etc., quae magni facienda sunt in apostolatus exercitio.

Tamen nullo modo confundi debent cum *Institutis Saecularibus* de quibus agi debet in schemate *de religiosis*.

De relatione ad hierarchiam: pag. 15, n. 18. Nonnulli Patres in suis animadversionibus in aula conciliari locuti sunt de « clericalismo » vitando. Haec verba valde obnoxia sunt sequentibus rationibus:

1. Male sonant atque a multis aequivoco modo interpretari possent, immo certissime non deerunt qui eis abuti parati sunt. Ideoque etiam si in schematis redactione quaedam idea clericalismi inveniri potest, certe de hoc modo magis proprio loqui debet.

2. Contradicunt doctrinae Summi Pontificis Pii XI. Laicorum enim apostolatus nihil aliud est nisi « participatio in ministerio hierarchiae ». Quae participatio, ex verbis eiusdem Pontificis, « sub ductu hierarchiae fieri debet ».

Multi Patres petierunt ut, saltem in quibusdam rebus, laici apostolatum exercere possint independenter a hierarchia. Utique episcopi et parochi! Laicorum cooperationem magni facere debent illisque pro apostolatus exercitio mandatum toto corde dare, tamen independentia a hierarchia neque iuridice neque in praxi commendanda ac probanda est.

1. Iuridice non datur apostolatus proprie dictus vel sensu stricto, sine mandato vel saltem quadam hierarchiae vigilantia.

2. In praxi, si mandatum vel vigilantia desunt, ob imprudentiam vel imperitiam aliquorum laicorum multa mala oriri possunt. Experientia valde dolorosa iam constat quosdam laicos ex eccessu peccasse atque ad suas opiniones seu iura defendenda tribunalia quoque civilia adiisse. Valde periculosum est bonorum ecclesiasticorum administrationem in manus laicorum tradere. Experientia iam constat quot mala Ecclesiae occurrerunt ex mala administratione scholarum seu ecclesiarum laicis commissa.

Ideoque necesse est clare statuere laicos pro apostolatus exercitio mandato indigere ac sub hierarchiae vigilantia (supervisione) illud explicare posse.

15

EXC.MUS P. D. HENRICUS TENHUMBERG

Episcopus tit. Thuburnicensis, aux. Monasteriensis

Venerabiles Patres et Fratres,

Nomine 83 Patrum conciliarium linguae Germanicae et Scandinaviae mihi quae sequuntur, proponere liceat:

Schema decreti in genere placet ...[1]. *Emendationes autem, quae sequuntur, necessariae mihi videntur*:

1. Declarationes *de necessitate apostolatus laicorum* nimis ab extrinseco depromptae esse videntur. In prooemio e. g. in fine solummodo mentio fit S. Spiritus, cuius gratia praeveniente apostolatus laicorum nostris temporibus feliciter est suscitatus. Melius esset, si de Spiritu Sancto iam in initio huius alineae prooemii latiori modo sermo fieret, quia ipse Spiritus Sanctus est vita ecclesiae, in quo tum mundi creatio tum Verbi Dei incarnatio est facta. Ideo in ipso Spiritu Sancto omnis apostolatus tum laicorum tum hierarchiae principium et fundamentum theologicum habet ...[2].

2. Eadem de causa dolendum est *notionem de apostolatu nimis esse restrictam ad hierarchiam* ...[3]. Primus apostolus etenim, a quo omnes apostoli ecclesiae munus et nomen apostolicum acceperunt, est Iesus Christus « Apostolus et Pontifex confessionis nostrae », sicut nominatur in ep. *ad Hebraeos* ...[4], missus a Patre in Spiritu Sancto, et ideo campus pro apostolatu laicorum est latior quam participatio vel collaboratio cum hierarchia in munere docendi, regendi et sanctificandi. Opera etenim socialia, et caritativa et labor professionalis ipse vera opera apostolica esse possunt ...[5].

3. Simili modo etiam *in formatione apostolica fidelium* ista indoles theologica omnis apostolatus valorem proprium et locum primarium obtinere debet ...[6]. Tali formatione fundamentali fideles contra tentationes et aggressiones tum saecularismi ...[7] tum atheismi aliquomodo immunes fore speramus et capaces, tum dialogo tum vitae exemplo testimonium verae christianitatis praebere. Pro hac fidelium formatione theologica et ascetica capita constitutionis *de Ecclesia* — a primo usque ad ultimum — maximi momenti pro futuro erunt et tali sensu in nostro schemate de ista constitutione saltem breviter mentio fiat.

4. Immo, quae in schemate *de missione canonica et de actibus liturgicis* vel affirmantur vel supponuntur, residua alicuius falsi clericalismi esse videntur ...[8].

Sunt certe quidam actus liturgici, qui indigent speciali delegatione vel missione, si a laicis peraguntur, e. g., si dirigunt sacras Verbi Dei celebrationes ad normam constitutionis *de S. Liturgia* ...[9]. Sed sunt plures actus liturgici, qui tali missione non *indigent.*[10]

5. *Schema in toto modum loquendi et distinguendi nimis scholarem evitare debet,* e. g. in n. 12 ...[11]. Hac in alinea opera caritatis et misericordiae ab apostolatu directo evangelisationis minus sunt distinguenda quam amborum intima connexio est *sublineanda* ...[12].

Caritas *enim* [13] Christi ...[14] est scaturigo omnis apostolatus Ecclesiae. Apostolatus laicorum in evangelisatione mundi et in cura animarum exercendus revera ergo est opus caritatis vel misericordiae spiritualis.

Opera caritatis ad opera exteriora vel materialia restringere non licet ...[15]

Ex nimia distinctione, e. g. etiam quaedam isolatio organisationum caritatis christianae vel oriri vel fulciri posset.

6. Sublineandum certe esse videtur, quod in *schemate* [16] de mandato huius Concilii pro Commissione ad Codicem Iuris Canonici recognoscendum provisum est, sed etiam optandum. Schema nostrum et Cod. Iur. Can. in futuro quoad *Ius peculiare fidelium in ecclesia aestimationem dignitatis et valoris totius populi Dei ad normas directivas constitutionis de Ecclesia sufficienter expositurum esse* et ideo tum Iura associationum tum singulorum fidelium in lucem claram elevaturum, e. g. quoad consilia paroecialia, dioecesana et interdioecesana *quoad Consilium apud curiam Romanam* [17] lege ecclesiastica firmanda et ordinanda, quoad Ius personae singularis *e. g.*[18] parentum, paedagogorum, in quolibet campo scientiae peritorum etc. Muneribus, functionibus et meritis fidelium in ecclesia Ius ecclesiasticum correspondere debet.

7 *et ultimo.*[19] Laici cooperatores cum episcopis in toto mundo laetitia affecti sunt cognoscentes, Sacram Synodum de muneribus laicorum in Ecclesia et mundo speciali modo esse tractaturam. Si ergo dicere possunt: « Nostra res agitur », quid enixius optare velint, quam *ut Concilium Oecumenicum ipsos laicos in ipsorum re agenda sufficienter audiat.* Certe a commissione competenti mentem aliquorum laicorum de re tractata investigatam esse scio. Cum autem in aula conciliari repraesentantes laicorum utpote auditores et auditrices adsunt, quid opportunius et favorabilius pro emendando schemate decreti esset quam per ipsos repraesentantes laicorum et coetus competentes et singulos laicos peritos de *hoc schemate et de aliis ad apostolatum laicorum pertinentibus* audire et emendationibus a laicis ipsis propositis denuo in aula conciliari definitive tractare. Et dignitas et merita laicorum ...[20] expo-

stulant hoc signum existimationis et reverentiae hierarchiae erga populum Dei eiusque charismata in Ecclesia. Dixi, gratias.

In textu scripto tradito: [1] Dignitatem etenim et responsabilitatem laicorum in vita et operatione Ecclesiae respicere intendit, varietatem huius apostolatus quoad formam et organizationem, necessitatibus et conditionibus in variis terris accommodatam, et principia unitatis et cooperationis lucide demonstrat. [2] Theologia de Spiritu Sancto et de eius missione tum in mundum creatum tum in mundum salvatum est omnino necessaria pro conceptu sat profundo et lato apostolatus laicorum. Certo et recursus ad cap. IV schematis *de Ecclesia* fundamentum theologicum pro muneribus laicorum in Ecclesia et mundo clarificare posset. [3] (vid. e. g. pag. 6, n. 1, lin. 1) « Apostolatus, qui nomen trahit a munere docendi, regendi et sanctificandi apostolis concredito eorumque successoribus... ». [4] (3, 1). [5] Simpliciter dicatur: « Apostolatus, qui nomen trahit ab uno " Apostolo et Pontifice confessionis nostrae " (*Hebr.* 3, 1) Iesu Christo, misso a Patre in Spiritu Sancto in hunc mundum, et a muneribus duodecim apostolis eorumque successoribus concreditis... ». [6] Schema nostrum clarius pronuntietur, formationem theologicam, indigentiis fidelium adaptatam et formatione ascetica amplificatam, fundamentum et animationis principium esse pro quacumque institutione christiana in campo sociali, culturali etc. [7] (sit venia verbo). [8] E. g. in art. 18, ultima alinea pag. 16, postulatur pro actibus liturgicis laicorum missio canonica, et quidem sine ulla restrictione. Immo: in notis pag. 20 nominantur expresse sacristae et acolythi, qui ob defectum copiae clericorum explerent munera non laicis competentia, sed ordinibus inferioribus (cf. nota 5 et 6). [9] art. 35, n. 4. [10] necessario indigent, quia nec ex natura nec ex iure divino nec ex iure ecclesiastico universali et immutabili clericis sunt propria, e. g. munera ministrantium, cantorum, sacristarum. In Ecclesiis Orientalibus ordinantur tantum lectores. Ecclesia Romana per saltem quatuor saecula usque ad saec. X ordinavit tantum lectores et acolythos. Disceptatur in praesenti, utrum in futura restauratione liturgica Ordines minores conservari possint, et, si affirmatur quaestio, quales sint retinendi. Verum est, de facto munera liturgica minora per aliquot saecula clericis reservata fuisse: et ubi defecerunt clerici, saltem fictio iuris vel nominis remansit, ut in rubricis usque ad recentes reformationes liturgicas partiales vel in nominibus « piccolo clero » vel « chierichetti » apparet. Verum est etiam Instructionem de Musica Sacra et de sacra Liturgia a. 1958 adhuc loqui de « servitio ministeriali *delegato* » laicorum masculini sexus, qui a « competente auctoritate ecclesiastica ad ministerium altaris vel ad Musicam Sacram exsequendam deputantur » (art. 93 c). Sed constitutio *de sacra Liturgia* in art. 29 non iam loquitur de delegatione, sed statuit expresse et consulto: « Etiam ministrantes, lectores, commentatores et ii qui ad Scholam Cantorum pertinent, *vero* ministerio liturgico funguntur ». Consequenter non indigent missione canonica. A fortiori non indigent aliqua missione canonica sacristae, quia non explent ministerium proprie dictum liturgicum, ut dicitur in relatione commissionis conciliaris (Emendationes IV, pag. 10). Non negamus sacristas, cantores, pueros chorales et alios inservientes laicos indigere aliqua nominatione a rectore ecclesiae facienda, ad normam can. 1185 C.I.C. Sed minime pro iis requiritur missio canonica, quia eorum actus non sunt per se clericales vel hierarchici. Vices enim gerunt fidelium vel repraesentant communi-

tatem liturgicam. Propono ergo ut pag. 16, lin. 19 loco « actibus liturgicis » dicatur « in *quibusdam* actibus liturgicis ». [11] pag. 12, linn. 15-21. [12] Ergo propono, ut loco « Ab actione apostolica, quae immediate in praedicatione Evangelii... intendit... distingui possunt, propter suam peculiaritatem, opera misericordiae et caritatis... » dicatur « *Cum* actione apostolica... intime coniuncta sunt, salva eorum peculiaritate, opera misericordiae et caritatis... ». Rationes sunt. [13] deest. [14] (cf. pag. 10, n. 10, linn. 19 s.). [15] In genere ergo inopportunum esse videtur varia opera apostolatus in hoc decreto conciliari nimis scholastice distinguere. [16] n. 15 schematis. [17] deest. [18] deest. [19] deest. [20] utriusque sexus.

[*Adhaeserunt etiam*] Exc.mi DD. Angerhausen, ep. aux. Essendien., Aufderbeck, ep. aux. Fulden., Baaken, ep. aux. Monasterien., Bengsch, arch.-ep. Berolinen., Bliestle, sup. gen. M.S.F., Bokenfohr, ep. Kimberleyen., Bolte, ep. Fulden., Braunstorfer, abb. praes. Congr. SS. Cordis Iesu, Buchholz, praef. ap. Shihtsienen., Buchkremer, ep. aux. Aquisgranen., Cleven, ep. aux. Colonien., Bühl, ep. tit. Methonen., Cobben, ep. Helsinkien., card. Döpfner, arch. Monacen. et Frisingen., Duschak, vic. ap. Calapanen., Elchinger, ep. coad. Argentoraten., Emanuel, ep. Spiren., Etspüler, prael. null. Bangueden., Ferche, ep. aux. Colonien., card. Frings, arch. Colonien., Frotz, ep. aux. Colonien., Fürstenberg, ep. Abercornen., Gnädinger, ep. aux. Friburgen., Gran, ep. coad. Osloen., Grimm, ep. Zinceuven., Haering, ep. Scioceuven., Hasler, ep. S. Galli, Hiltl, ep. aux. Ratisbonen., Hintringer, praef. ap. Khiamuszen., Hoeck, abb. praeses Congr. Bavaricae O.S.B., Hoehne, vic. ap. Rabaulen., Höffner, ep. Monasterien., Jäger, arch. Paderbornen., Kaiser, prael. null. Caravelien., Kampe, ep. aux. Limburgen., Kelleter, ep. Bethlehemen., Kemerer, ep. Posaden., Kempf, ep. aux. Herbipolen., Klein, ep. tit. Echinen. vic. ap. Insulae Yule, Koberger, sup. gen. Congr. Lat. Austria Klosterneuburg Vindobonen., Koenner, ep. tit. Modrenus, Koestner, ep. Gurcen., Koppmann, vic. ap. Vindhoeken., Landersdorfer, ep. Passavien., Laszlo, ep. Sideropolitan., Lueck, ep. Alivalen., Lucas, ep. tit. Adulitan., Macheiner, ep. aux. Salisburgen., Nierhoff, ep. Floresta, Mangers, ep. Osloen., Pachowiak, ep. aux. Hildesheien., Pietsch, ep. aux. Secovien., Pohlschneider, ep. Aquisgranen., Przyklenk, ep. Januarien., Reuss, ep. aux. Moguntin., Rohracher, arch. Salisburgen., Rosenhammer, vic. ap. Chiquitosen., Rüth, vic. ap. Norvegiae Centralis, Schaffran, ep. aux. Vratislavien., Schaeufele, arch. Friburgen., Schick, ep. aux. Fulden., Schmitt, ep. Bulanaien., Schräder, ep. aux. Osnabrugen., Schneider, arch. Bambergen., Schoiswohl, ep. Secovien., Schweizer, sup. gen. S.D.S., Sedlmeier, ep. aux. Osnabrugen., Simons, ep. Indoren., Stangl, ep. Herbipolen., Stimpfle, ep. Augustan. Vindel., von Streng, ep. Herbipolen., Tenhumberg, ep. aux. Monasterien., Verschuren, ep. coad. Helsinkien., Vervoort, ep. tit. Baricen., Vonderach, ep. Curien., Wechner, ep. aux. Oenipontan., Wehr, ep. Treviren., Weigl, ep. Ikelaën., Wember, vic. ap. Norvegiae Septemtr., Westermann, ep. Sambalpuren., Zak, ep. S. Hippolyti, Zimmermann, ep. aux. Augustan. Vindel., Taylor, ep. Lomiae.

16

Exc.mus P. D. PETRUS CANISIUS VAN LIERDE
Episcopus tit. Porphyriensis

Em.me Moderator, Patres venerabiles,

...[1] Schematis textus pluries *et passim*[2] nos edocet de ordine temporali christiane instaurando multis vicibus voce « instauratio » utens ...[3], una tantum vice voce « animatio » ...[4]. Textus utique explicat vocis « instauratio » usum, ast, meo sensu, vox « instauratio » videtur vitanda ob duplici ratione. Prima ratio invenitur in multiplici huius vocis vi ethymologico quo etiam significatur actus instituendi seu efformandi aliquam rem ac si Ecclesia per suos laicos « instituere » vellet ordinem civilem christianum dum e contra Ecclesia ad hoc strenue ac patienter tendit ut praeiacentem ...[5] iam existentem civilem ordinem imbuatur Christi Spiritu. Altera ratio habetur ex voluntate qualemcumque humani dominatus ideam expellendam uti explicitis edicitur verbis in relatione textui addita ...[6]. Unde in hac magni ponderis materia eligendus sequentium verborum usus: « animatio, restauratio, transformatio ».

...[7] 1. Prorsus intelligitur schematis textum nullum texere sermonem de laicorum actione apostolica circa recreationis seu relaxationis campum nostris praesertim temporibus maxime perpensum. Huius materiae obiectum exstat decretum conciliare *de instrumentis communicationis socialis.*

Ast, dolendum videtur textum ignorare lusoria corporis exercitia et spectacula (sport), peregrinandi studium dilectationis dumtaxat causa (turismo) et alia huiusmodi sicut etiam quaestionem de temporis liberi usu, problema utique ponderis pro omnibus laicis variisque categoriis socialibus, speciatim vero pro iuvenibus cuiuscumque indolis et condicionis.

2. Etiam notatu dignum textum nullum succinctum texere sermonem de spiritualitate actionis apostolicae laicorum seu de spiritualitate laicis propria uti animadvertebat *in aula*[8] em.mus card. Ritter.

Schema constitutionis *de Ecclesia* in cap. II loquens de « Populo Dei » nonnulla obiecta fundamentalia edidit pro laicorum spiritualitate ...[9], dum eadem constitutio in cap. IV « de laicis » sermonem instituens adhuc plurima hanc spiritualitatem respicienda edocebat ...[10].

Nova lux pretiosa praesenti adfertur argumento ex cap. V eiusdem constitutionis ubi tractatio de universali vocatione ad sanctitatem in Ecclesia etiam laicos adloquitur sanctitatis genuinae fastigium additans

vias et media, uti v. g. consiliorum evangelicorum propositum et exercitium omnibus indistincte laicis modo tamen eorum vitae consentaneo oblatum.

Unde res valde perutilis *videtur ut* [11] in schemate de laicorum apostolatu *invenimus* [12] novum laicorum spiritualitatis adspectum ex eorum ...[13] actione apostolica surgentem. Praesenti in textu tantum prostat *brevissima* [14] allusio ad qualitates humanas et ad virtutes christianas excolendas. Unde humiliter propono in nostro schemate introducendum summularium de spiritualitate actionis apostolicae laicorum, quod utiliter potuerit fieri ubi sermo est de formatione apostolica ...[15].

Criteria huius spiritualitatis desumenda videntur hisce praecipuis elementis quattuor: Deus, homo, ipsa actio apostolica et mundus hodiernus.

Deus unde haec spiritualitas fontaliter exordium sumit; *homo* in quo tota pervenit, sistit et operatur; *ipsa actio apostolica* quae hanc spiritualitatem specificat, impellit, dirigit ac ubique comitatur; *mundus hodiernus* cui tandem aliquando occurrit, concreta allatura beneficia.

Criterium ex Deo adsumptum efficit — *ut semper necessarium est* [16] — ut talis *spiritualis* [17] semper sit evangelica, ecclesialis, theologica, liturgica!

Criterium ex homine surgens id efficit ut eadem spiritualitas sit humana, i. e., omnem humanam naturam prorsus noscens, sanans, evolvens, foecundans variisque vitae periodis seu aetatibus et adiunctis aptata. Criterium ex ipsa actione apostolica hanc spiritualitatem specifice tangens ...[18] eam determinat in sua origine concreta, cursu, evolutione et fine ad quem tendit.

Et tandem criterium ex mundo hodierno mutuatum praefatam spiritualitatem ditat detegens mundi nostri delineamenta essentialia cum eorum emolumentis augendis et noxiis vitandis.

In summulario praefato vellem etiam addere saltem explicationem virtutis iustitiae et praesertim amoris patriae cum connexu ad cap. II de constitutione dogmatica de Ecclesia *ubi de populo Dei et populi Dei universali charactere agitur.*[19]

Ultimo [20]: tandem textus nullum edicit verbum de laicorum apostolatu *consecrato,* videlicet, de illa forma apostolatus, quae iuxta Summum Pontificem Pium XII hodie ab exc.mo secretario generali pie ac devote in memoriam revocatum et Providae Matris Ecclesiae documenta laicis plurimis non tantum occasionem vitae consecrationis dederit feliciter, sed magna ex parte suam propriam *rationem* et *formam* imposuerit.

Res admirabilis — *et sit dictum cum omni discretione* [21] —: Nullum schema conciliare hucusque distributum de istis Institutis *Saecularibus* [22]

locutus est, *ne quidem schema « De Religiosis »*.[23] Ad quod argumentum tria tantum puncta adsignare vellem:

1. Hoc Institutorum genus suapte natura etiam ...[24] ad laicos christianos pertinet, *quantumvis non exclusive*[25] ...[26].

2. Finis eorundem Institutorum proprius est apostolatus in saeculo exercendus; unde iam apparet haec Instituta Saecularia laicis constituta membris pertinere posse ad laicorum apostolatum.

Utique dicit Pius XII[27]: « Nihil *in his Institutis*[28] ex plena christianae perfectionis professione evangelicis consiliis solide fundata et quoad substantiam vere religiosa detrahendum erit sed *perfectio est in saeculo exercenda et profitenda, ac proinde cum vita saeculari in omnibus,* quae licita sunt et quae cum eiusdem perfectionis officiis et operibus componi valeat, accommodetur oportet ».

3. Haec Saecularia Instituta habent inde intimum nexum cum omni genere laicorum apostolatu eiusdemque formis ac associationibus, Actione Catholica minime exclusa.

In hac mira formarum laicorum apostolatus varietate Instituta Saecularia *a*) augent, fovent sanctitatem et sanctificationis conatum; *b*) characterem supernaturalem *apostolatus protegunt*[29] nutriunt ardoremque apostolatus accendunt; *c*) constantiam *i. e.*[30] continuitatem associationum consociatarum *facilius*[31] reddunt securam; *d*) et directiva munera quantumvis non exclusive adimplere valent prudenter et libere.

Tantummodo abstineant ab inserendo proprii Instituti fine in finalitatibus associationum *apostolatus*[32] laicorum neque agant proselytismum pro proprio Instituto. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Interventus animadversiones tria respiciunt obiecta: schematis ordinem, correctionem et complementum. I. Schematis ordo: Prorsus compertum est praesens schema notandum exstare abbreviationem schematis anno elapso editi. Haec contractio et compressus repetitiones removit superfluas, materiae tractationi et ordini nocumentum attulit. Etiam admirationem inducit eo quod haec contractio materiam respicit ab em.mo commissionis praeside supremi Ecclesiae esse momenti proclamatam. Adsignatione camporum seu ambituum laicorum apostolatus ab exordio schematis praetermissa, textus inde a limine promiscue loquitur de diversis apostolatus obiectis, quamdam ingerens confusionem. Prooemium continere possit theologicum fundamentum n. 1 cap. I cui claritatis causa addatur adsignatio realitatis totius hominis in unitate eius vocationis humanae et christianae necnon eius apostolatus obiectorum et distinctionis. Idearum nexus ita oculis obiici potest: Hominis nativitas ac vita naturalis; hominis nativitas ac vita supernaturalis; eius incorporatio in Christum et Ecclesiam; missio Christi et Christi Ecclesiae; huic missioni participatio ex parte omnium Ecclesiae membrorum; apostolatus natura ceu missioni praedictae participatio; vocatio christiana natura sua dicitur vocatio ad apostolatum; laicorum apostolatus participat

Ecclesiae missioni modo ei congruo. Huius laicorum apostolatus varia obiecta nunc indicantur. II. Schematis correctio. [2] deest. [3] (pag. 11, linn. 28, 32, 34; pag. 12, lin. 17 et linn. 24-25). [4] (pag. 13, lin. 20). [5] i. e. [6] (pag. 28, linn. 6-8). [7] III. Schematis complementum. [8] deest. [9] uti v. g. sacerdotium omnibus populi Dei membris commune. [10] uti v. g. participatio in munere prophetico Christi et testimonio et in servitio regali. [11] esset. [12] esset. [13] operositate seu. [14] brevis. [15] (cap. I, n. 5, pag. 7-8). [16] deest. [17] spiritualitas. [18] ac movens. [19] In praefato summulario specialem obtineat locum virtus iustitiae quae sola foecundas aperit vias ad fructus uberrimos caritatis. Etiam adsignanda erit patriae amoris notio genuina et praxis eo quod hoc argumentum magnum habet pondus speciatim in ambitibus internationalibus ubi laici saepius vocantur ad apostolatum exercendum. Meminerint Patres venerabiles opusculi anno elapo omnibus nobis in hac aula oblati cuius titulus « de laicorum apostolatu organizato toto in orbe terrarum diffuso ». Haec amoris patriae notio et praxis meo sensu intime est connectenda cum expositione circa universalitatem seu catholicitatem unius populi Dei in cap. II constitutionis *de Ecclesia.* Amor patriae stat, sanatur, elevatur et quam maxime foecundatur in mystico Corpore Christi ubi omnes confluunt nationes et quaecumque privilegia si quae sint *universaliter* sunt interpretanda. [20] 3. [21] deest. [22] deest. [23] deest. [24] (non exclusive). [25] deest. [26] « Iure, ex regula, nec sunt nec proprie loquendo dici queunt Religiones vel Societates vitae communis »... ideoque Instituta haec « tanquam proprio iure peculiari eorum naturae et conditioni arctius respondenti, particularibus praescriptis sequuntur » (Lex peculiaris Institutorum Saecularium). [27] Et ita quidem ut Pii XII verba mutuans hic specificus etiam genericum finem exegisse atque creasse videatur. Unde fit ut proprius ac peculiaris Institutorum character, saecularis scil., in quo ipsorum exsistentiae tota ratio consistit, in omnibus elucere debet. [28] deest. [29] deest. [30] et. [31] deest. [32] deest.

17

EXC.MUS P. D. VINCENTIUS ENRIQUE Y TARANCÓN

Archiepiscopus Ovetensis

Venerabiles Patres,

Schema *de apostolatu laicorum* placet iuxta modum. Aliqua enim confuse proponuntur; immo cum capite « de laicis » schematis *de Ecclesia* non plene cohaeret.

Aliquae emendationes, saltem meo iudicio, necessariae sunt. *Brevitatis causa observationes ad prooemium et ad 1 et 2 partem scriptis secretariae tradam.*[1]

Tertia pars quae « de finibus assequendis » inscribitur et in qua « pressius obiecta apostolatus laicorum considerantur », est, meo iudicio, cardo seu pars principalis huius schematis, cum in ea intendatur, teste schemate, « clariori luce diversorum apostolatus inceptorum species ponere », immo munera et proprias agendi rationes statuere.

Hoc praecise laici ab hoc Concilio fidenter spectant. Ita etiam eminet figura laici — a clerico et religioso discriminata — in dispositivo apostolico Ecclesiae. Immo si haec doctrina bene proponitur, ea quae dicta sunt in cap. IV schematis *de Ecclesia,* in quo laici considerantur in mysterio Ecclesiae et ipsorum ratio essendi et agendi tamquam specialis Corporis Christi membra statuuntur, recte complebuntur.

Et haec pars mihi *minus* [2] placet. Ex dictis enim in memorato schemate, elucet dari activitatem apostolicam ecclesialem quae est propria laici baptizati. Activitas quae nullatenus est a clericis exercenda, nisi specialibus in adiunctis, et per modum exceptionis, — in casu emergentiae —; illa activitas memorata in nostro schemate, n. 11, sub titulo « De ordine temporali instaurando », cui adiungenda est activitas de *assistentia sociali,* quae in schemate proponitur numero sequenti, quae autem, de facto, incidit plene in ambitu ordinis temporalis.

Hac in activitate laici non modo « *peculiares partes habent*: et ideo *responsabilitate propria* agant oportet », sicuti in schemate asseritur, sed melius dicendum erit, talem activitatem ad laicos iure proprio pertinere. Exigitur enim eorum ad fidem vocatione, estque consectaria donorum acceptorum. In illa ergo activitate, laicis competit functio directiva et plena responsabilitas. Sufficit ut auctoritati generali Ecclesiae pareant circa orthodoxiam et moralitatem, necnon in aliquibus casibus, circa convenientiam alicuius incepti.

Attamen, apostolatus proprius laicorum non tantum ad « animationem christianam ordinis temporalis », ut verbis utar schematis, restringitur.

Apostolatus qui *specializatus* dicitur, quique evangelizationem ambituum vitae specialiter intendit, etiam laicis iure proprio competit. Nam Christi nuntium mentalitati et adiunctis uniuscuiusque vitae ambitus aptari debet.

Quae quidem aptatio, tantum ab iis qui in eodem ambitu vivunt efficaciter fieri potest. Haec est ratio qua Pius XI clare affirmat in Encyclica *Quadragesimo anno*: « Primi et proximi nimirum opificum apostoli, opifices sint oportet... ».

Immo Paulus VI, feliciter regnans, asserit in Encyclica *Ecclesiam suam*: « Quoniam hominum coetui nulla salus afferri extrinsecus potest, opus est utique, ut primum, non secus atque Verbum Dei, quod seipsum fecit hominem, eorum vitae formas induamur, quibus Christi nuntium delaturi sumus ».

Quo in casu, non de actione in ordine temporali, sed de vera et propria evangelizatione agitur, nam ipsius finis est eorum animas, qui in ipso ambitu vivunt, lucrari Christo.

Etiam peculiares partes habent laici in quibusdam aspectibus ipsius apostolatus hierarchici. Puta, e. g., quae in hac aula dicta sunt dum disputatio fieret de « instrumentis communicationis socialis ». Certo certius instrumenta communicationis socialis, ad mundi evangelizationem quamplurimum possunt iuvare, ideo Sancta Synodus decretum approbavit.

Attamen, cum haec instrumenta partem technicam et oeconomicam necessario habeant, in votis omnium erat, et ita in decreto clare dicitur, laicos peculiares partes habere in eorum usu.

Haec clare et perspicue in schemate constare debent.

Insuper specificandus est modus quo laici possunt — et qui illorum melius instructi sint, debent — collaborare in activitatibus apostolicis quas clerici iure proprio exercent, in illis omnibus pro quibus character sacramentalis Ordinis non requiritur; ex quo accedit laico specialis praecellentia — ope electionis ex parte hierarchiae — et illis advenit maior responsabilitas, intra populum christianum. Et hoc consequitur, tum si aliquis invitetur in individuo ad hanc operam praestandam, tum si vocatio fit mediante quavis associatione ad hoc, ab ipsamet hierarchia creata: et hic est casus Actionis Catholicae, unde nihil mirum quin Romani Pontifices locuti sint, membra Actionis Catholicae quod attinet, de quadam vocatione quae sacerdotali vocationi assimilatur.

Tandem, nec opportunum, nec utile aestimo, ut, numero speciali, persolvatur, in hac sectione, tractatus de actione caritativa. Arbitror huiusmodi methodologia confusionismo ansam praeberi. Actio enim caritativa sistit in eodem plano ac « oratio pro calumniantibus ...[3] » vel « correctio fraterna ». *Sunt etenim*[4] exigentiae caritatis supernaturalis, ideoque, vitae christianae *tum pro laicis, tum pro sacerdotibus et religiosis.*[5] Igitur non video qua ratione earum una — prae ceteris — expresse pertractari debeat in schemate *de apostolatu laicorum*. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] *Ad prooemium*: Supprimi debet, quia innecessaria, par. 1, sub linn. 1-8.

Etiam supprimendas censeo rationes in par. 2 allatas, linn. 11-16, h. e., punctum incipiens hisce verbis: « Progressus, enim, ... » quodque verbis « curam expectant » clauditur. Sunt etenim minus necessariae eiusmodi rationes.

Ad n. 1: Tollenda est lin. 25, pag. 5. Profert explicationem qua praecindi potest. Insuper, loco verborum: « Corpus enim Mysticum non sinit ullum membrum esse mere passivum » quae lin. 27 prostant, haec substitui propono: « *quia omnes in aedificationem Corporis Christi — quod est Ecclesia — sunt vocati* », et subiungatur verbo sequenti, « vocatio », particula « ergo ».

Lin. 3, pag. 6, verbo initiali « Apostolatus », postponatur particula « enim »,

et supprimatur integrum comma paragraphum concludens, nempe, verba quae sic sonant: « est enim innata necessitas vitae christianae et obligatio quae oritur ex praecepto caritatis », eo quod fundamentum apostolatus laicalis latius patet in paragrapho sequenti.

Ad n. 2: Hic non pauca confusione laborat.

Initium sumitur disserendo *de obligatione* quae *omnes* laicos tenet apostolatum exercendi ut concludatur tractatione de ratione ultima qua apostolatus efficax redditur, scil., unio cum Christo.

In paragraphis quae sequuntur sermo est de diversis modis quibus apostolatui quis dare operam potest.

Claritatis gratia, censeo fore melius ut, argumenta de necessitate orationis, de unione cum Christo et de ceteris mediis quibus vita spiritualis illorum qui apostolatui incumbunt tuetur et ipsorum opus suam haurit virtutem, alio loco tractata venissent. Fortasse cum loquitur de formatione apostolica.

Ad n. 3: Cum de formatione apostolica aggreditur tractatus, necessarium teneo ut expressis verbis loquatur de instructione spirituali apostoli necnon et de momento quod, in ordine ad apostolatum habent virtutes illae sic dictae passivae, nempe: humilitas, obedientia, castimonia, paupertas, spiritus mortificationis...

Pars II: *De communitatibus et vitae ambitibus*. Duo aspectus hic clare distinguendi sunt:

1. Apostolatus duplicem exigit activitatem: alteram individualem, a singulo in singulum; alteram collectivam, versus vitae ambitus, structuras, institutiones.
2. Christianos apostolicae actioni operam daturos non tantum quatenus sunt personae individuae, sed etiam quatenus sunt membra communitatum — naturales sint illae vel supernaturales — ad quas forte pertinent.

Re enim vera, necessaria est operositas in sensu apostolico cuius obiectivum sint: familia, lares, officina laboris, loca ad relaxandum animum etc. Aliunde oportet ut familia qua talis, communitas paroecialis et alii coetus christianorum qui constituunt determinatum vitae ambitum specifice discriminatum, in sensu communitario apostolice adlaborent.

Licet ergo loqui de communitatibus vel vitae ambitibus, aut tamquam de campo apostolatus laicalis aut tamquam de *instrumentis* apostolatus ecclesialis. Et magni interest in distinguendis conceptibus qui hic indiscriminatim pertractantur. [2] non. [3] nos. [4] Profecto sunt. [5] deest.

18

Exc.mus P. D. PETRUS VEUILLOT

Archiepiscopus tit. Constantiensis in Thracia, coad. c.i.s. Parisiensis

Venerabiles Patres,

Duae animadversiones tantum. Una de ipsa notione apostolatus laicorum; altera de propria responsabilitate laicorum in apostolatu exercendo.[1]

I *animadversio*. Hoc schema ...[2] — quod in genere valde placet —

debet apostolatui laicorum in mundo favere et eo magis illi[3] favebit, quo clarius delineabitur ipsa notio *apostolatus.*

In textu autem, haec notio modo satis distincto nondum explanatur.

In n. 1, v. g., *dicitur*[4]: apostolatum nomen trahere « a munere docendi, regendi, et sanctificandi apostolis concredito eorumque successoribus », ex quo sequitur eminens pars episcoporum in apostolatu Ecclesiae. *Et simul asseritur*[5] apostolatum esse etiam « necessitas vitae christianae » et pro omnibus Ecclesiae membris obligatio.

Hae duae assertiones verae sunt ac optimae; sed quomodo inter se plene arcteque consentiant?

Item ...[6], apostolatus laicorum dicitur tantum se extendere « quantum ipsa missio Ecclesiae, iis solum muneribus exceptis quae potestatem ordinis vel iurisdictionis exigunt ».

Modus ille exponendi evidenter aliquam ambiguitatem prae se fert, cum *videretur ostendere*[7] hierarchiam uti apostolatui laicorum extrinsecus fines imponentem. Alius enim est hierarchiae apostolatus et alius laicorum, etsi uterque ab eadem missione Ecclesiae ortus sit *et ad eumdem finem tendit.*[8]

Optaretur ergo ut in initio schematis, ad mentem constitutionis *de Ecclesia,* affirmationes *clariores*[9] ponerentur:

1. Missio Ecclesiae in mundo declaretur, scil. « annuntiandi veritatem salutarem usque ad ultimum terrae » (ut dictum est in constitutione *de Ecclesia* ...[10]).

2. In ipsa Ecclesia, distinguatur inter:

a) missionem, seu munus *episcoporum,* apostolorum successorum, quibus competit obvio sensu vocabulum « apostolatus » ...[11]

et *b*) obligationem qua *quisquis fidelis* baptizatus et confirmatus, — sive presbyter, sive religiosus, sive laicus, — tenetur testificandi fidem suam; quod testimonium « apostolatus » latiori sensu vocari solet ...[12].

3. Denique, inter christifideles, specificetur « *apostolatus laicorum* », propter eorum propriam conditionem in mundo. *Nam sicut scriptum est in constitutione de Ecclesia,*[13] « Apostolatus laicorum est participatio ipsius salvificae missionis Ecclesiae » ...[14].

Tales affirmationes[15] in totum decreti textum ...[16], clariorem lucem inducerent, praesertim quoad formas et fines laicorum apostolatus, et eius rationem ad sacram hierarchiam.

II *animadversio.* Eadem praecisio optatur quoad « responsabilitatem » laicorum.

Ut haec vera responsabilitas strenue agnosci et promoveri possit, necesse est *ut*[17] eam clare secernere a responsabilitate *propria*[18] episcopo-

rum, et alterius ad alteram definire habitudinem. Atqui, in schematis textu, quaedam latet ambiguitas.

Sane decretum loquitur, eximiis quidem verbis de laicorum responsabilitate, in dies crescenda. Toto corde assentio commendationibus, constitutione *de Ecclesia* inscriptis et pastoribus dedicatis *v. g. his verbis*: [19] « sacri Pastores laicorum dignitatem et responsabilitatem in Ecclesia agnoscant et promoveant... ».

Sed textus *noster* [20] non satis explanat quomodo inter se consentiant haec laici vera responsabilitas in Ecclesi*a* et illa — quae evidenter est altioris generis —, responsabilitas episcopi in Ecclesi*am* (iam non dico *tantum* [21] in Ecclesia, sed *in Ecclesiam, i. e.*[22] erga Ecclesiam ...[23]).

Insuper, si revera Spiritus Sanctus posuit episcopos ad regendam Ecclesiam Dei, idem ipse est Spiritus qui libera ac spontanea laicorum incoepta apostolica in Ecclesia suscitat.

Episcopi est audire Spiritum, et eius vocem non extinguere nimio suae auctoritatis exercitio, quod iustam laicorum responsabilitatem offenderet.

Laicorum vero est agnoscere munus proprium episcopi circa quodvis apostolicum incoeptum; nam episcopus, cum sit sponsor Ecclesiae, sponsor est apostolatus in dioecesi, etiamsi auctoritas sua, i. e. servitium suum diversis modis iuxta diversas formas apostolatus exerceatur.

Maiorem claritatem statuere in his quaestionibus de apostolatu *laicorum* [24] necessarium est, tempore praesertim quo Ecclesia plura ac semper plura sperat de laicis ...[25]. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] de apostolatu laicorum. [3] eo magis apostolatui laicorum. [4] simul asseritur pag. 6, linn. 3-8: 1). [5] 2). [6] pag. 6, lin. 14. [7] periculum praebet ostendendi. [8] deest. [9] clarae. [10] pag. 38, n. 17 « de indole missionaria Ecclesiae ». [11] (cf. *de Ecclesia,* pag. 66, n. 24 « de episcoporum ministerio »). [12] (cf. *de Ecclesia,* pag. 38, lin. 38 « cuilibet discipulo Christi onus fidei disseminandae pro parte sua incumbit »). [13] (*de Ecclesia,* pag. 120, n. 33, lin. 14). [14] et pag. 118, linn. 6 ss. « laicis indoles saecularis propria et peculiaris est... »). [15] Hae propositiones. [16] scil. in multas analyses quae iam optimae sunt. [17] et. [18] deest. [19] circa laicorum dignitatem et eorum agendi libertatem (cf. *de Ecclesia,* pag. 125, linn. 4 ss.). [20] deest. [21] deest. [22] deest. [23] Quae vero res est maximi momenti ut inducatur lux in multas controversias hodiernas, quae in posterum multiplicandae iure timentur. [24] deest. [25] Huius ergo decreti valde opportuni est lumen plene facere super eorum apostolatum.

Moderator: Congregatio proxima erit cras hora 9.

Em.mus P. D. Eugenius card. Tisserant: Reponatur Sacrosanctum Evangelium.

CONGREGATIO GENERALIS XCVIII

9 octobris 1964

CONGREGATIO GENERALIS XCVIII

9 octobris 1964

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, arch. tit. Samosatensis, *Ss. Concilii secretarius generalis*:

Venerabiles Patres, festinatio est nostra, non eorum qui egredi debent; nihilominus legimus nomina eorum qui loqui postulaverunt.

Hanc congregationem generalem 98 moderabitur em.mus ac. rev.mus D. card. Leo Ioseph Suenens, arch. Mechliniensis-Bruxellensis, et en nomina eorum, qui verbum facere postulaverunt de apostolatu laicorum: em.mi DD. cardd. Antonius Caggiano, arch. Bonaerensis in Argentina; Laureanus Rugambwa, ep. Bukobaënsis in Tanganyika; Leo Suenens, arch. Mechliniensis-Bruxellensis in Belgio; exc.mi DD. Dionysius Hurley, arch. Durbanianus in Africa Meridionali; Adam Kozłowiecki, arch. Lusakensis in Rhodesia Septemtrionali; Aloisius Barbero, ep. Viglevanensis in Italia; Marcus McGrath, ep. S. Iacobi Veraguensis in Panama; Stanislaus Lokuang, ep. Tainanensis in Sinis; Bernardus Cazzaro, ep. vic. ap. Aysenensis in Chilia; Alexander Carter, ep. S. Mariae Ormen in Canada; Franciscus Šeper, arch. Zagrabiensis in Jugoslavia; Ludovicus Rastouil, ep. Lemovicensis in Gallia; Hilarius Capucci, sup. gen. Ord. Basil. Aleppensis Melchit.; Ignatius de Orbegozo, prael. null. Yauyosensis in Peruvia; Antonius Quarracino, ep. S. Dominici Novem Iulii in Argentina; Eduardus Pironio, ep. aux. Platensis in Argentina; Stephanus László, ep. Sideropolitanus in Austria; Sebastianus Soares, ep. Beirensis in Mozambico; Ioseph Ruotolo, ep. Uxentinus-S. Mariae Leucaden. in Italia; Villelmus Pluta, ep. tit. Leptis Magnae in Polonia; Aurelius del Pino, ep. Illerdensis in Hispania; Candidus Padin, ep. aux. Fluminis Ianuarii in Brasilia; Alexander Renard, ep. Versaliensis in Gallia; Emmanuel Llopis, ep. Cauriensis-Castrorum Caeciliorum in Hispania; Villelmus Power, ep. Antigoniscensis in Canada; Franciscus Peralta, ep. Victoriensis in Hispania; Fortunatus da Viega, ep. Belgaumensis in India.

1

EM.MUS P. D. ANTONIUS CARD. CAGGIANO
Archiepiscopus Bonaerensis

Em.mi Moderatores, venerabiles Patres conciliares, Auditores et Observatores,

Schema *de apostolatu laicorum,* in sua totalitate consideratum placet et quidem laude dignum videtur, nam certe commissio conciliaris nostrae considerationi rem multae operae ac laboris praesentavit.

Agitur quidem de re magni momenti, scil.: non solum de activitate *catholica* [1] in ordine theorico, sed etiam in ordine practico omnium membrorum Corporis mystici quod est Ecclesia. Quod si efficaciter, quamvis gradatim, obtineretur, certissime Regnum Christi citius expanderetur et mundi consecratio facilius et firmius collaboratione laicorum *consequeretur.*[2]

Abhinc non pauca decennia, laici catholici, Summorum Pontificum et episcoporum exhortationes fideliter sequentes, pluribus in nationibus, apostolatui sese devoverunt, passivitatem illam repellentes quae sui temporis scandalum constituit, nempe: sensu supernaturalis unitatis in Corpore mystico orbati, magna christianorum pars a hierarchia et sacerdotibus omnia sperantes, ad Regnum Dei diffundendum et defendendum se abstinebant, quasi ad Ecclesiam non pertinerent cuius omnium et singulorum membrorum est, in unitate christianae vitae et activitatis apostolicae collaborare.

Ergo [3] certe, nova era in Ecclesia incepit, Spiritu Sancto omnia praedisponente ad suscitandam, in unitate, vitam et activitatem apostolicam et missionariam Ecclesiae quam Concilium Oecumenicum Vaticanum II, sensu pastorali, complere enixe intendit.

Placet igitur:

1. Recognitio et commendatio schematis omnium apostolatus formarum sive singulorum et maxime consociati et organizati;

2. Placet etiam declaratio quod: « in praesentibus adiunctis pernecesse est ut in omni ambitu activitatis laicorum consociata et organizata forma apostolatus roboretur, etenim arcta virium unio sola valet ad omnes apostolatus hodierni fines plene assequendos eiusque bona valide defendenda »;

3. Placet etiam quod « Salva *habita* [4] cum auctoritatibus ecclesiasticis relatione, *liberius* [5] libertas laicorum in associationibus organizandis et praesertim in adhaesione eis danda, agnoscatur »;

4. Insuper placet *et maxime quidem* [6] quod etiam libertas episcopatuum agnoscatur, in sua propria natione, in seligendis formis apostolatus consociatis et organizatis, quae melius necessitatibus et exigentiis locorum respondeant.

Denique, non solum opportunum sed iustum est quod mentio specialis de « Actione Catholica » facta sit ...[7]. *Sufficiant haec verba Ss.mi Domini Nostri Pauli VI, feliciter regnantis, ad iustificandam talem affirmationem*: « *La piena efficienza pastorale — così ha detto il Papa — non può ora concepirsi e raggiungersi senza l'Azione Cattolica, tanto nella sua primigenia espressione diocesana e parrocchiale, quanto in quella delle sue ramificazioni specializzate e rivolte all'apostolato d'ambiente* ». « *È dovere dei pastori — soggiunse — istituirla, sostenerla e formarla* ». *E poi*: « *Saremo grati a quei figli del nostro laicato che vorranno riconoscere nell'Azione Cattolica la via maestra per professare adesione alla Chiesa* ».[8]

Tamen cum pro certo habeamus commissioni conciliari « Normas praebuisse praesertim documenta Pontificia », dolendum nimium est hoc in nostro schemate vix apparere: quod quidem sicut pro multis episcopis, etiam pro innumerabilibus laicis de Ecclesia benemerentibus erit certe deceptio. Ad rem sufficiat exemplum: Admissa libertate non solum laicorum sed etiam episcopatuum seligendi formas consociatas et organizatas apostolatus, nemo est qui non videat realitatem multiplicium et diversarum formarum Actionis Catholicae hic et nunc existentium.

Igitur aliqua definitio danda erat Actionis Catholicae, quae omnibus et numerosis formis eiusdem responderet, quod quidem factum est quatuor notas enumerando sine quibus Actio Catholica non daretur, *sic in schemate*.[9]

Tamen necesse est distinguere formas organizativas ab ipsa natura apostolatus, quae cum sit determinata et permanens est immutabilis, formae autem eius cum sint accidentales sunt mutabiles: adesse ergo debet pro omnibus formis Actionis Catholicae quaedam definitio communis, qua cognoscamus naturam constitutivam propriam, praetermissis formis organizativis. Et haec definitio data quidam est et recte et a summa auctoritate Pii XI et perfecta a Pio XII in suis documentis quae monumentum sapientiae christianae constituunt.

Cum agatur *ergo* [10] de directione apostolatus Ecclesiae quae, in ordine oecumenico ad supremam *Ecclesiae* [11] auctoritatem pertinet, documenta pontificia quae ipsam movent, moderantur et regunt, pertinent ad magisterium ordinarium Summi Pontificis.

Definitio data a Pio XI [12] non est definitio alicuius formae organizativae determinatae sed naturae propriae Actionis Catholicae. « Colla-

boratio laicorum in apostolatu hierarchico », quaecumque sit forma organizativa, quicumque sit locus et quodcumque est aut fuit tempus huius collaborationis est definitio naturae Actionis Catholicae...[13]

Silentio igitur praeterire talem definitionem, in qua fundati, episcopi et laici, in multis nationibus menti Summorum Pontificum fideliter responderunt, devote et viriliter pro Regno Christi efficaciter decertarunt, vix intelligi potest neque conveniens et iustum videtur.

Relate autem ad apostolatum laicorum, sicuti relate ad apostolatum ipsius Ecclesiae, principia et doctrina quae ad substantiam problematum attinent tamquam fundamenta sunt quae firmiter teneantur oportet, maxime si ab ipsa summa Ecclesiae auctoritate publice edocta sunt. Tamen in multis non substantialibus et ubi datur opinandi libertas, etiam si suam mentem aliquando suprema *auctoritas* [14] Ecclesiae aperire dignata sit, non est negligenda.

Est etiam alia ratio magni momenti quae a nobis firmiter tenenda est relate ad documenta pontificia circa laicorum apostolatum.

Continuitas progressiva doctrinae Ecclesiae tam de vita supernaturali quam de activitate apostolatus laicorum, in Summorum Pontificum documentis, est realitas evidens.

Sed omnino *necessarium* [15] est ut etiam in applicatione nostra practica istius doctrinae, evidenter appareat illa continuitas doctrinae Ecclesiae in re tanti momenti, sicuti est regimen apostolatus.

Moderator: Em.me Pater, faveas concludere.

Orator: Rogo te concedere brevissima momenta adhuc et finiam.

...[16] Quidquid tamen sit de ipsa forma organizativa Actionis Catholicae, quae libere ab episcopis cuiusque nationis eligi potest, hoc tamen firmiter tenendum est pro omnibus formis organizativis.

Et haec *erit* [17] conclusio:

1. Formatio ad activitatem apostolicam est fundamentalis immo et essentialis;

2. Formatio debet esse tempestiva, incipiendo a pueris. Hanc necessitatem recenter enixe commendavit Summus Pontifex Paulus VI in sua epistula autographa ad episcopatum Reipublicae Argentinae;

3. Formatio debet esse completa et bene fundata in doctrina et motivis supernaturalibus, serio doctrinam socialem Ecclesiae complectens, non solum in ordine theorico, sed etiam in ordine practico, ita ut ipsa formatio ab initio sit simul et theorica et practica, nam Actio Catholica *etiam* [18] in pueris sine activitate intelligi potest;

4. In hac formatione et actione apostolica fiduciam mutuam in-

ter sacerdotes et laicos est omnino necessaria; eius fons est caritas et eius manifestatio est dignitatem et iura propria laicorum in activitate apostolica libenter agnoscere ita ut ad efformandos apostolos responsabiles in officio quod ipsis committitur clare appareat.

Igitur libere, *eligatur forma organizativa*[19] sed fortiter pro Deo et pro Ecclesia *semper ab omnibus agatur.*[20] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] apostolica. [2] consequetur. [3] Tunc. [4] debita. [5] deest. [6] deest. [7] in cap. IV, n. 16. [8] deest. [9] deest. [10] deest. [11] deest. [12] Haec definitio. [13] Parcite mihi, venerabiles Patres, si in aula conciliari cur mihi et multis Patribus placeat titulus Actionis catholicae exponere audeo. Apostolatus totius Ecclesiae nempe: hierarchiae simul et membrorum, dicitur « Actio Catholica »: *Actio*: quia nota constitutiva apostolatus est actio, quae cum sit totius Ecclesiae, recte dicitur Actio Catholica. [14] auctoritate. [15] necesse. [16] Haec exigentia ex nostra parte non solum prae oculis illa documenta habere, sed etiam illa sobrie sed firmiter patefacere requirit. [17] est. [18] neque. [19] eligamus formam organizativam. [20] agamus.

2

EM.MUS P. D. LAUREANUS CARD. RUGAMBWA

Episcopus Bukobaensis

Venerabiles Patres,

Multa de hoc schemate dici possunt, sed imprimis liceat mihi dicere quod placet iuxta modum: ...[1] duas res addam et pro textu ipso et quoad libertatem agendi in re apostolica laicis debito modo relinquendam.

1. Certo certius in hoc schemate bases dogmaticae desiderantur, sed historia ipsius schematis aliquomodo huiusmodi deficientiam explicat. Ad remedium ponendum in futurum, optandum est ut in unum colligantur ea quae iam convenienter de laicis in constitutione *de Ecclesia* declarata sunt et ea quae de schemate *de Ecclesia in mundo* mox publici iuris *evenient,*[2] et tandem textus ipse diligenter emendatus. Et sic aliqua summa praesulibus maximae utilitatis evadet de hac materia de qua usque nunc nullum Concilium disseruit.

2. De libertate laicorum in inceptis apostolicis loquar.

Debemusne revocare principium fundamentale totius apostolatus? Vocatio apostolica semper a Domino ipso ad aedificationem totius Corporis mystici Christi originem sumit. « Ipsa christiana professio, ut optime declaravit em.mus praeses commissionis, exigit a renatis in sacramentis initiationis eorum activam participationem ad fovendum ad-

ventum Regni Dei... et in conscientia omnium baptizatorum intimus sensus formetur et firmetur nempe non posse haberi vere christianum quin aliquatenus apostolum se sentiat ». Illa functio vitalis, illud officium originale supprimi nequeunt et iure proprio, moderante Ecclesia, proteguntur. In textu claro clarius et merito de auctoritate pastorum in extenso agitur, sed bene erit et de libertate, de spontaneitate, de initiativa laicorum etiam convenienter et mente aperta tractare. Sub hoc aspectu textus *perficietur.*[3] Duo enim excessus vitandi sunt et auctoritarismus etiam sub aliqua specie pseudo-mystica invadens, et anarchia vel quod illuminismum vocant. Qui ambo ut pestilentiae in decursu saeculorum aliquando saevierunt...

In omnibus membris Ecclesiae, Spiritus Sanctus agit. Etenim constat de existentia ...[4] charismatum et donorum Spiritus Sancti qui dynamismum Ecclesiae procurat. Experientia ubique testante, Spiritus Sanctus sensum genuinum Ecclesiae ardenter nutrit. Aperiamus oculos ad illum mirabilem synchronismum, qui eodem tempore et in cunctis locis orbis terrarum tam fideles quam pastores profunde et intime *sentire cum Ecclesia facit.*

Quis talem rythmum potentem immo aliquando vehementem illius influxus Spiritus in capite et in membris non percepit?

Illa melior perceptio inter signa temporum accensenda est. Sed ad conclusionem valde practicam deveniam. Sicut in Litteris Encyclicis *Pacem in terris* a Papa Ioanne XXIII sanctae memoriae « principium subsidiaritatis » ad bonam ordinationem activitatis cuiuscumque gradus in societate civili declaratum est, sic magis ac magis applicetur in Ecclesia quae philosophice et theologice loquendo societas perfecta est. Vi cuius principii subsidiaritatis, personae individuae, societates intermediariae vel inferiores omnia quae possunt peragere debent; nec illis intempestive substituenda sit auctoritas superioris: quod si nihilominus fieret non sine gravi detrimento totius societatis evaderet. Attamen in casibus extremae necessitatis vel magnae utilitatis vel deficientibus conditionibus recte agendi, auctoritas superior *iure suppletorio* sed unice pro tempore criseos potest, immo debet intervenire.

Unusquisque integre assumat proprias responsabilitates. Fideles non ut minores, tractandi sunt. Educatio christiana sic intelligenda est ut a primaevis annis christiani ad participationem apostolicam formantur in spiritu fidei, magnanimitatis et libertatis filiorum Dei, sub moderamine Petri ceterorumque pastorum quos posuit Deus regere Ecclesiam.

Practice ergo primo loco in textu inseratur principium subsidiaritatis. Ut hoc principium ad apostolatum applicetur, supponitur ex parte auctoritatis visio radicitus in fide fundata et maxima erga collaboratores

fiducia; ac simul ex parte apostolorum laicorum requiruntur una cum libertate necessaria obsequium et oboedientia erga pastores necnon deditio completa ad aedificationem totius Corporis Christi.

« Itaque fratres non sumus ancillae filii, sed liberae, qua libertate Christus nos liberavit ». Agitur de libertate spirituali, quae ex fide gignitur et ad maiorem dilectionem magis ac magis inducit. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Postea. [2] fierent. [3] perficiatur. [4] (hodie sicut semper in historia Ecclesiae).

3

EM.MUS P. D. LEO IOSEPH CARD. SUENENS
Archiepiscopus Mechliniensis-Bruxellensis

Venerabiles Patres,

Schema in genere placet, non autem dicta in n. 16, ubi agitur de Actione Catholica.

...[1] Non possumus satis laudare laicos, qui in Actione Catholica generali, speciali et particulari nobiscum laborant in Evangelio...[2]

Sed praesens quaestio *non est de personis sed* [3] utrum textus sub n. 16 ...[4] satisfaciat ...[5] vero bono Ecclesiae ...[6]

Videtur quod [7] non! Ibi enim, inter alia, ambiguitas non tollitur de termino A. C., quae ambiguitas consequentias damnosas secumfert *et ibi etiam supponitur theologia non correspondens schemati de Ecclesia, ut iam ab aliis dictum est, quibus accedo.*[8]

Primum ergo tantum evolvam.[9]

...[10] Iam natura sua *ipsum vocabulum « Actio Catholica »* [11] aptius est ut ipsi reservetur sensus genericus. Sic loquimur v. g. de actione familiari, de actione sociali. Non intelligeretur quod vocabulum Actio familiaris tribuatur tribus vel quattuor organizationibus tantum quae ad bonum familiae adlaborant, non autem aliis eundem finem prosequentibus. A pari pro Actione Catholica.

Nunc vero, ex evolutione historica factum est ut terminus iste in quibusdam regionibus reservetur aliquibus organizationibus tantum *ceteroquin optimis* [12] et denegetur aliis, quae tamen, ut in textu nostro explicite conceditur, quattuor notas distinctivas ibi recensitas ...[13] possident. Quod non cohaeret cum logica...[14]

...[15] Sed — ne quis dicat litem fieri de verbo tantum — ista discriminatio *non* [16] inservit vero bono Ecclesiae.

Ex momento ipso A. C., bonum Ecclesiae postulat ut ...[17] habeatur *definitio catholica Actionis Catholicae,*[18] i. e.: ...[19] una eademque ubique terrarum...[20]

Ut sumam unum exemplum confusionis: Legio Mariae in magna parte universi decoratur titulo A. C., non autem ubique. Non intendo rogare ut titulus A. C. ei tribuatur si non placet, sed volo ostendere quod eadem realitas ex arbitrio non potest mutare naturam suam secundum meridianos ex eo quod catalogatur ut A. C. vel non. *Acceptio*[21] talis associationis vel aliarum similium ab episcopo deberet fieri quoad existentiam tantum in sua dioecesi non quoad essentiam ipsarum.

Ulterius, determinatio *catholica*[22] notionis A. C. ...[23] eo magis necessaria est quod textus schematis ...[24], ut ita dicam, privilegiat aliquam formam historicam *prae aliis.*[25] Verba ita sonant ut quis facile concludere possit alias formas non ita plene et authentice prosequi finem apostolicum *ipsius Ecclesiae.* Quod falsum esset et ...[26] nocivum...[27]

...[28] Ad has obiectiones responderi posset forsan quod, in textu citato, vox apostolatus ipsius Ecclesiae sumitur de facto pro apostolatu *hierarchiae...*[29]

Si talis est intentio textus, ut ceteroquin ex contextu apparet, verba corrigantur. Sed correctio non tolleret ambiguitatem fundamentalem: quaedam forma specifica A. C. reservaret sibi quasi monopolium tituli cum, in praxi, detrimento aliarum formarum apostolatus...[30]

Illa ambiguitas, de cetero, apparet in textu ipso. Paululum supra enim, agnoscit schema quod aliae formae apostolicae ac ipsa A. C. « arctiorem cum hierarchia coniunctionem servant ». Quodsi istae formae alias notas distinctivas in textu memoratas possident, curnam perpetuare tale discrimen propter differentiam praesertim iuridicam?

Pius XII ipse locutus est de « multiformi A. C. » et sic iam pluralizavit ab intrinseco istam notionem.

...[31] Accedit alia consideratio adhuc magis fundamentalis. Quaestio *poni*[32] debet: privilegium de quo supra correspondetne adhuc doctrinae elaboratae in schemate *de Ecclesia* et necessitatibus nostri temporis?

Quasi-monopolium tituli facile intelligitur ex rationibus historicis. Quando institutae sunt associationes illae Actionis Catholicae, theologia laicatus nondum elaborata erat et laici plerique passivi se gerebant in Ecclesia...[33]

Sed mutantur tempora. Iam novae formae apostolatus laicalis ortae sunt. Immo, speramus omnes ...[34] quod ...[35] laici semper intensius nobiscum collaborent et sponte nobis proponant novas consociationes ...[36]. Et officium est nostrum ...[37] tales associationes approbare si vere validae sunt. Quodsi, inter illas, quaedam ipsum finem apostolicum Ecclesiae

prosequuntur et alias normas distinctivas A. C. possident, eo ipso ...[38] cooperantur cum apostolatu hierarchiae. Et ius habent ut recognoscantur tamquam A. C. sensu pleno (à part entière), salva libertate episcopi propter peculiares rationes talem vel talem formam non recipiendi in sua dioecesi.

...[39] Praeterea addere vellem notas distinctivas memoratas in schemate non esse vere distinctivas, *sed hoc in scriptis.*[40]

Propositio. Ideo ad vitandam ambiguitatem et difficultates exinde ortas et oriundas, propono ut textus reelaboretur.

Quoad terminologiam vero: *vel* nomen A. C. fiat terminus genericus, *vel* aliud nomen adaequatum inveniatur quod revera applicari possit realitatibus similibus.

Sed in utraque hypothesi rogo ut modus inveniatur stabiliendi in Ecclesia universa organizationes laicas quoad terminologiam et structuram, sicut fit in iure canonico pro variis formis vitae religiosae.

...[41] Talis propositio *procedit*: *Ex amore erga Actionem Catholicam. Siquidem*[42] multo plus quam in uniformitate imposita, haec A. C. novum vigorem inveniet ex illo affluxu novarum virium et ex convergentia et coordinatione variarum consociationum.

...[43] Ne imponamus *laicis*[44] categorias nimis restrictas et uniformes. Si Ecclesia recognoscit tot varietates in organizatione vitae religiosae, maneant apertae, etiam in campo apostolatus laicorum, optiones multae et diversae. Laici enim adulti sunt. Fiduciam illis faciamus et eorum initiativis apostolicis. Caveamus ab omni specie clericalismi etiam apparentis et a nimia simplificatione realitatis complexae...[45]

...[46] Aestimando valori suo illas legitimas varietates, ostendemus ...[47] respectum nostrum pro libertate Spiritus Sancti. Ipsius est in Ecclesia, quando ei placet, semper novos modos charismaticos suscitare in opere apostolatus in collaboratione cum apostolatu hierarchiae. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Certo certius. [2] Et occasione data, ipsis gratias quam maximas agimus. [3] deest. [4] claritati. [5] et. [6] inserviat. [7] Certo. [8] pro apostolatu multorum laicorum. Ideo textus non placet. Et explico. [9] A. C. est vocabulum ambiguum. 1. A. C. melius sumitur in sensu generico. Scimus omnes quod terminus A. C. usque nunc sumitur cum significationibus valde diversis, sive magis genericis, sive magis specificis. [10] Porro. [11] vocabulum. [12] deest. [13] Actionis Catholicae. [14] Cur ergo talis ambiguitas confirmari videtur in schemate nostro? [15] 2. Ista ambiguitas non cohaeret cum vera catholicitate. [16] nec cohaeret cum vera catholicitate nec. [17] de ea. [18] notio vere catholica. [19] ex una parte. [20] ex alia vero non nimis arcta, ita ut integrare possit omnes legitimas formas apostolatus quae prosequuntur, ut dicit textus schematis, finem apostolicum ipsius Ecclesiae.

[21] Acceptatio. [22] deest. [23] vere catholicae. [24] laudat et. [25] A. C. prae omnibus aliis modis apostolatus laicorum. [26] valde. [27] Ista devalorizatio impediret legitimam expansionem aliarum consociationum. Exinde etiam deplorandae dissensiones inter operarios eiusdem Patris familiae. [28] 3. A. C. est multiformis. [29] Nota omnino A. C. esset quod vocatur ad arctiorem cooperationem cum apostolatu ipsius hierarchiae et sub responsabilitate eius magis immediata cum, si casus fert, mandato sive explicito sive implicito. [30] laicorum. [31] Monopolium tituli contradicit doctrinae schematis *de Ecclesia.* [32] sequens poni potest et. [33] Necessarium fuit quod ipsa hierarchia initiativam sumeret promovendi tales consociationes in intima collaboratione secum ad opus evangelizationis. Et certe ius remanet illi ita agere, immo probabiliter talis interventus hierarchiae erit adhuc necessarius. [34] et sperare debemus. [35] ex conscientia renovata suarum partium activarum in Ecclesia. [36] apostolicas. [37] ut in schemate agnoscitur. [38] collaborant vel. [39] 4. Notae distinctivae non sunt vere distinctivae. [40] In scriptis hoc evolvam et tradam secretariatui. [41] Conclusio. [42] non procedit ex rationibus tantum negativis sed vere positivis. Loquor enim ex amore A. C., ex aestimatione erga laicos et ex fide erga libertatem Spiritus Sancti. *Ex amore erga A. C.*: siquidem, ut vehementer exopto, collaboratio cum laicis magis in dies crescit, necesse est ut illis adsint mansiones multae intra ipsam notionem A. C. [43] *Ex amore laicorum.* [44] illis. [45] denegando illi dignitatem A. C. Obstaculum ne imponamus motui vitae et periculum ne incurramus animum auferendi laicis bonae voluntatis quibus tam urgenter egemus in opere evangelizationis. [46] *Ex fide in libertatem Spiritus Sancti*: « Spiritum nolite extinguere ». [47] simul fidem et.

Animadversiones additae:

4. *Elaboratio ulterior criticae textus.*

1. In n. 14 post tres alias formas apostolatus — nempe 1) fines evangelizationis et sanctificationis particulari modo; 2) fines animationis christianae ordinis temporalis; 3) opera misericordiae et caritatis prosequuntur — quarta enumerantur, quae « finem generalem apostolatus *ipsius Ecclesiae* sibi proponit ». Quid significat hic « ipsa Ecclesia »? Tres aliae categoriae apostolatus suntne apostolatus ipsius Ecclesiae an non. Si non sunt apostolatus ipsius Ecclesiae quomodo recte apostolatus appellari possunt? Sic dubium oriri potest ex textu, an laici considerentur tamquam pars essentialis Ecclesiae? Forsitan sub voce « ipsius Ecclesiae » intenditur nonnisi hierarchia.

2. Eadem difficultas, et quidem acrius, oritur ex formulatione, quae in n. 16 habetur, ubi agitur de signis distinctivis Actionis Catholicae. Ibi dicitur: « Finis immediatus huiusmodi organizationum generalis finis apostolicus *ipsius Ecclesiae* est ». Non videtur inculcari finis *generalis* inquantum generalis, alias enim actio specializata a conceptu Actionis Catholicae excluderetur, quod non est intentio commissionis, uti ex nota 13, pag. 19 apparet. Logice subintenditur ergo aliqua species apostolatus organizati, qui non est apostolatus *ipsius Ecclesiae*. Difficile est hoc intellegere. Nonne clam Ecclesia hic simpliciter cum hierarchia identificatur? Aut est intentio, ut fines apostolici earum coadunationum, qui nomine Actionis Catholicae non decorantur, ab apostolatu ipsius Ecclesiae aliquomodo excludantur?

Propter hoc et alia dubium exoritur, an non illa terminologia, quae Actionem Catholicam tamquam apostolatus formam magis legitimam vel magis commendatam ab aliis formis separat, Ecclesiologiam nimis unilateraliter hierarchicam supponat?

3. *De voce « Actio Catholica », uti in schemate* (n. 16) *proponitur*:

Textus in n. 16 perpetuare conatur distinctionem Actionis Catholicae ab aliis variis formis actionum et consociationum laicorum, « quae arctiorem cum hierarchia coniunctionem servantes, fines immediate et proprie apostolicos persecutae sunt ». Talis distinctio et separatio in maiore parte mundi catholici iam per vitam et eventus atque per progressum theologicum superata est. Valde difficile intellegi potest, cur et qua ratione Actio Catholica praeter alias formas stricte apostolicas aliquam speciem particularem constituat et specialioris laudis altiorisque iuris gaudere debeat. Hoc ipsa experientia magistra nec unitati apostolatus laicorum in varietate legitima nec ipsi Actioni Catholicae privilegiatae prodest, cum tentationes monopolii spiritum libertatis, responsabilitatis, cooperationis et continuae adaptationis in periculum vocent.

Ipse textus (n. 16) satis manifestat, quot et qualibus difficultatibus laborat artificialis distinctio Actionis Catholicae ab aliis consociationibus laicorum; quae « fines immediate apostolicos in arcta coniunctione cum hierarchia prosequuntur ».

Enumerantur quatuor notae specificae vel distinctivae, quibus insimul sumptis specialis dignitas et natura Actionis Catholicae eruitur tamquam formae specialius commendandae apostolatus laicorum:

Nota distinctiva *a*) (pag. 14, linn. 27-30) insistit in fine apostolico *ipsius Ecclesiae*. Haec distinctio, uti nobis videtur, non habet sensum, nisi sub voce « Ecclesiae » subintelligitur « hierarchia », quae simpliciter « ipsa Ecclesia » nuncupanda esset; laici autem sic logice per se quodammodo extranei essent ipsi Ecclesiae et apostolatui eius nec essent pars essentialis Ecclesiae. Hoc certe non cohaeret cum intentione schematis. Ille modus loquendi explicatur forsitan ex diversis passibus evolutionis historiae modernae apostolatus laicorum: Primo momento Pius XI quoad fines Actionis Catholicae loquebatur de *participatione* cum ipso munere hierarchico; postea autem praevaluit locutio « *cooperatio* cum hierarchia ». Prior modus loquendi insinuare poterat ideam ac si fines talis apostolatus laicorum per se fines non nisi hierarchiae essent; et in nostro modo clericali loquendi hierarchia videbatur esse « ipsa Ecclesia »; etsi hoc numquam explicite assertum erat. Si autem vox Ecclesia intelligitur uti in schemate *de Ecclesia,* nempe totus populus Dei, totum Corpus mysticum Christi, illud signum distinctivum « ipsius Ecclesiae » nullum habere momentum omnino plane apparet. Non potest enim haberi verus apostolatus organizatus, qui non sit ipsius Ecclesiae.

Sub signo distinctivo *b*) Actionis Catholicae ponitur « modus proprius cooperationis cum hierarchia ». Sed si optima descriptio huius modi sub *b*) attente consideratur, nemo non videt talem modum ex natura rei sic vel sic omni formae authenticae apostolatus laicorum organizati, inquantum « prosequitur fines immediate et proprie apostolicos » communem esse. In omnibus enim istis coadunationibus a laicis expectatur, ut « suam experientiam afferant et responsabilitatem assumant in earum organizationum moderamine, in conditionibus perpendendis » etc. Uti in schemate *de Ecclesia* in cap. IV (n. 37) exponitur, ille sensus responsabilitatis laicorum semper et in omni apostolatus laicorum forma ab hierarchia pro-

movendus est, sicut etiam illa generosa cooperatio cum hierarchia omnem institutionem apostolatus laicorum insignire debet.

Nota distinctiva *c*) effert actionem unitam « ad instar organici corporis, ita ut aptius Ecclesiae communitas significetur et efficacior evadat apostolatus ». Nonne videtur, quod praecise unitas organica totius apostolatus laicorum organizati prohibet, ne titulus honoris Actio Catholica » solummodo aliquibus formis reservetur. In omni genuina coadunatione pro apostolatu laici debent agere uniti, et ita quidem, ut diversae institutiones etiam inter se ad veram cooperationem tendant salva varietate salvoque pari respectu. Invanum autem esset et pro ipsis organizationibus, quae titulo Actionis Catholicae specialiter decorari cuperent et pro aliis, quibus talis titulus denegaretur, aliquem invariabilem gradum unitatis « ad instar organici corporis » imponere, cum sic vera et efficax unitas in varietate et genuina varietas in unitate diminueretur.

Feliciter etiam nota distinctiva *d*) sic caute et universaliter expressa est, ut revera omni genuinae coadunationi laicorum cum « finibus immediate et proprie apostolicis » (cf. pag. 14, linn. 19-20) plane communis sit. Quid enim esset organizatio cum finibus immediate et proprie apostolicis, si non nisi *in*directe cum apostolatu hierarchico cooperari vel se superiori moderamini ipsius hierarchiae subducere vellet? Etiam quoad hanc notam distinctivam *d*) non agitur nisi de aliqua diversitate gradus vel modalitatis cooperationis directae cum apostolatu hierarchico et dependentiae « sub superiore moderamine ».

Omnes hae notae distinctivae, quae Actionem Catholicam a ceteris formis apostolatus laicorum distinguere et prae illis extollere volunt, vim persuasivam haberent solummodo, *a*) si « ipsa Ecclesia » omnino cum hierarchia identificaretur, *b*) si nonnisi per Actionem Catholicam laicis licitum esset cum hierarchia cooperari suam experientiam afferendo, *c*) si ergo Actioni Catholicae soli monopolium talis apostolatus reservari deberet, et *d*) si adhuc (uti quadraginta annos abhinc) Actio Catholica describeretur tamquam directa *participatio* laicorum in munere hierarchico.

4

Exc.mus P. D. DIONYSIUS EUGENIUS HURLEY
Archiepiscopus Durbanianus

Venerabiles Patres,

Cum pluribus aliis qui ante me locuti sunt, puto schema, quamvis elementa bona contineat, sat radicaliter recognoscendum esse. Cum illis concordo qui de repetitionibus, de carentia substantiae, vigoris, et progressus logici in expositione notionum conqueruntur. Radicem repetitionum et carentiae progressus logici invenio in defectu quoad divisionem et ordinationem partium. Sub hoc capite liceat duo exempla afferre:

1. Schema antequam de finibus in apostolatu laicorum assequendis tractat ...[1] de formatione apostolica agit ...[2]. Hoc certo inversio ordinis logici est, nam formatio apostolica medium est ad fines obtinendos, ideo-

que solummodo post expositionem finium et in ordine ad eos consequendos tractari deberet.

2. Schema separatim agi — de communitatibus et vitae ambitibus (in parte II, ...[3] pag. 8-10) et de finibus assequendis (in parte III, *pag. 10*[4]). Haec separata tractatio mihi infelix videtur, nam si quis de communitatibus et ambitibus loquatur, deberet immediate de finibus in illis consequendis disserere; secus interrumpitur processus logicus et mens cogitur salire ex una parte ad aliam ad videndum nexum inter finem aliquem apostolatus laicorum et rationes propter quas et conditiones in quibus assequendus sit.

Tamquam consequentiae infaustae separatae tractationis finium et ambitum adduco:

a) Par. 10, quae ita in genere loquitur ut nihil dicat quod *alia in prooemio dictum sit, in praesenti prooemio.*[5]

b) Omissionem mentionis renovationis familiae christianae sub capite de finibus assequendis, forte quia de ea iam factus est sermo in capite de Communitatibus et Ambitibus (pag. 8, par. 3).

Ad hos defectus curandos humiliter rogo ut in schematis recognitione ratio habeatur sequentium propositionum:

1. Sit breve prooemium allusionem faciens ad praeclarum illud cap. IV de laicis in schemate *de Ecclesia.* Caput illud theologiam de laicatu pulcherrime exponit; et non video cur, ut aliqui volunt, theologia illa repeti aut augeri debeat in praesenti schemate, eo vel magis quod etiam schema *de Ecclesia in mundo huius temporis* considerationes theologicas proponere intendat. Amorem nostrum erga laicos iam probavimus, locum laicorum in Ecclesia et in mundo iam indicavimus, et in schemate XIII ulterius demonstrabimus. Nonne haec sufficient? Nonne cauti esse debemus ne, ex triplici theologiae laicorum tractatione, oriatur inter laicos, sicut et inter Corinthios temporis S. Pauli, infelix aliqua divisio *seu dicotomia,*[6] et unusquisque nostrum dicat: Ego quidem sum schematis *de Ecclesia*; ego autem schematis *de apostolatu laicorum*; ego vero schematis XIII. In hoc schemate, venerabiles Patres, contenti simus cum brevi prooemio quod pulcherrimas considerationes theologicas cap. IV schematis *de Ecclesia* in mentem revocet, et sine mora ad res practico-pastorales accedamus.

Omitti tunc possunt omnia ea, vel saltem longe maior eorum pars, quae in prooemio praesenti et in par. 1 (de participatione laicorum in missione Ecclesiae) et 2 (de apostolatu ab omnibus et singulis exercendo) continentur, quia nihil novi aut utilis dicunt.

Tunc post prooemium,[7]

2. Cap. I agat de necessitate apostolatus laicorum *in hodierno mundo*.[8] Necessitas illustretur enumerando et describendo varios campos seu aspectus vitae, in quibus opus est apostolatus laicorum, et simul exhibeantur fines in istis campis seu vitae aspectibus assequendi; quorum quidam ad Ecclesiam pertinent, alii ad societatem humanam et quidam ad utramque; et ita fiat sermo, e. g., de catechesi, de liturgia, de scholis catholicis, de familia, de apostolatu caritatis, de paroecia et de apostolatu exercendo in ambitu sociali, oeconomico et culturali, respectu praesertim iuventutis.

3. Necessitate et finibus descriptis, procedatur ad tractationem de quibusdam mediis aptis ad apostolatum efficaciter promovendum, scil., de formatione apostolica et de organizatione, et circa unamquamque conficiatur caput speciale.

Huiusmodi ordo rerum tractandarum videtur cohaerentiam logicam melius manifestare. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] (In parte III, par. 9-12, pag. 10). [2] (In parte I, par. 3, pag. 7). [3] (par. 4-9). [4] ut supra. [5] non iam in prooemio dictum sit. [6] deest. [7] deest. [8] in mundo huius temporis in specie.

Animadversiones additae:

Inter omnia quae in schemate de apostolatu laicorum inveniuntur aestimo partem illam quae de formatione apostolica agit maximum momentum habere. Est cardo totius tractationis, cardo totius conaminis Ecclesiae in ordine ad apostolatum laicorum fovendum. Quapropter necessarium omnino est ut essentialia istius formationis clare, logice et fortiter exponantur.

Ut hoc revera fiat, humiliter propono ut quaestio duplici sub aspectu tractetur, scil. relate ad diversos status seu conditiones vitae laicorum et relate ad elementa constitutiva formationis apostolicae quae sunt communia omnibus statibus seu conditionibus in quantum in psychologia humana et in divino consilio de hominum salute fundantur.

A. *Relate ad diversos status seu conditiones vitae.*

1. Formatio apostolica pro pueris incipiat oportet in domo paterna, in qua initiatio in vitam christianam simul initiatio in spiritum apostolicum esse deberet. Hoc manifeste a parentibus pendet, et igitur a formatione quam parentes ipsi, sive ut iuvenes ante matrimonium sive in primis annis matrimonii receperint. Talis deberet esse eorum vita in matrimonio ut impulsum apostolicum per eorum exemplum et influxum educativum filiis suis communicent.

2. In scholis catholicis et in inceptis catechisticis, sicut illa quae a Confraternitate Doctrinae Christianae foventur, formatio apostolica intime cum educatione religiose uniri deberet ad hoc ut, dum pueri fidem vivam et spiritum liturgicum acquirunt et in vita christiana firmantur, eo ipso animo apostolico impleantur.

3. Cura specialis exerceatur circa iuvenes — opifices, studiosos aliosque — durante periodo post scholam et ante matrimonium, periodo scil. in qua fundamenta proxima vocationis iaciuntur, periodo maximi ponderis pro tota vita subsequenti, sicut nos docuit clarissimus et rev.mus Dominus Cardijn, verbo, scripto et praesertim opere, in magno suo apostolatu erga iuvenes.

4. Denique ne pereat tanti laboris fructus, speciale auxilium praebeatur novellis familiis. Familiae enim ut medium naturale a Deo ipso conditum pro educatione humana numquam sufficienter aestimari potest, et, uti ab exc.mo Domino Šeper, arch. Zagrabiensi audivimus, in certis regionibus manet unicum medium ad formationem christianam impertiendam. Quapropter familia ut medium principale in formatione apostolica laicorum a nobis consideranda est.

5. Speciale etiam praebeatur auxilium adultis in vita sociali et oeconomica ut formatio impertita fines optatos attingat.

B. *Elementa constitutiva formationis apostolicae.*

Tria videntur esse elementa constitutiva formationis apostolicae pro omnibus statibus seu conditionibus vitae, unicuique secundum proprium modum et proportionem applicanda:

1. Formatio doctrinalis, quae multum insistat in filiatione divina et in vita Christi per effusionem Spiritus Sancti in nos a mysterio paschali mortis et resurrectionis eius profluente, in vita dico, quae totam Ecclesiae familiam informat, adimplet, coniungit; in vita quae semper tendit ad effluendum et seipsam diffundendam in omnes homines et eorum laborem in mundo ut eum illuminet et consacret et ad perfectionem a Deo volitam perducat.

2. Participatio liturgica, qua homines in communitate christiana mysterium Christi experiuntur et vitam exinde profluentem accipiunt et quae, ut in hac aula iam pluries dictum est, effectum suum plenum attingere nequit nisi per formationem ad lectionem spiritualem et orationem compleatur.

3. Initiatio practica ad optimos modos vel methodos influxum in alios exercendi — occursibus, colloquiis, exemplo, obsequio, consilio, regimine et auctoritatis exercitio; exclusis semper, ut bene monuit exc.mus D. De Smedt, ep. Brugensis, vexationibus et importunitatibus quae a vero spiritu apostolico alienae sunt.

Formatio apostolica laicorum tanti momenti est in nostro tempore ut in vita pastorali episcoporum et presbyterorum locum eiusdem ponderis ac praedicatio verbi et servitium liturgicum habere debeat non vero cum desiderio dominandi secundum vitium istud clericalismi (si post exorcismos his ultimis diebus peractos corpus Ecclesiae adhuc infestet) sed ad hoc ut laici ad omne opus bonum cum libertate et responsabilitate exsequendum instructi sint. Revera saepe non agitur de opere istius formationis ab ipsis clericis assumendo et perficiendo, sed de occasione et inspiratione laicis praebenda ut hi a clericis adiuti seipsos efforment.

Conclusio mea practica sit illa exc.mi D. Šeper: in omni paroecia et in omni alia communitate christiana, eodem prorsus zelo quo praedicatur verbum et exercetur opus liturgicum, promoveatur constans et perpetuum et bene ordinatum conamen formationem apostolicam laicis praebendi cum ipsorum laicorum generosa cooperatione et participatione.

5

Exc.mus P. D. ADAM KOZLOWIECKI

Archiepiscopus Lusakensis

Venerabiles Patres, dilectissimi Observatores, Auditores, Auditrices et Periti,

Schema *de apostolatu laicorum* in genere placet. Tamen videtur laborare ...[1] inaccurata ...[2] et unilaterali descriptione ipsius « apostolatus ».

...[3] In pag. 6 (n. 1, linn. 8 ss.) « apostolatus » describitur tamquam omnis mystici Corporis actuositas qua Evangelium Christi annuntiatur et vita hominum eius Spiritu imbuitur. Secundum hanc descriptionem, « apostolatus » ergo restringitur ad Evangelii annuntiationem vel ad contactum directum inter personas, quo Christus mediantibus verbis vel signis praedicatur. Iamvero, talis discriptio « apostolatus » est nimium arcta et angusta nec satis correspondet traditioni theologicae et magisterio etiam recentissimo. Nam secundum classicam conceptionem vocis « apostolatus » quivis labores, dolores, sacrificia et in genere qualiscumque activitas christianorum ad gloriam Dei suscepta sensu proprio et vero — etsi largiore — dicenda est apostolica, et quidem ideo, quia ad pleniorem Ecclesiae vitam nonnihil contribuit. Ad hanc quidem activitatem « apostolicam » omnes christiani virtute ipsius baptismatis tenentur, non vero ad illam quae consistit in praedicatione Evangelii, cum qua tamen conceptus « apostolatus » in schema nostro modo nimium exclusivo identificatur *et contra talem tantum conceptum apostolatus valent obiectiones em.mi card. Browne « nunc fit omnes apostoli, instituit quosdam apostolos »*.[4]

Ex tali inadaequata descriptione « apostolatus » in schemate nostro plures consequentiae minus rectae deducuntur, quarum aliquas saltem hic enumerare liceat:

1. Si « apostolatus » practice cum praedicatione Evangelii identificatur ...[5], patet « apostolatum » suapte natura per prius incumbere hierarchiae, laicis autem nonnisi in quantum hierarchiam adiuvant et in munere hierarchiae participant ...[6]. Si, e contra, conceptus « apostolatus » rectius intelligitur in sensu largiore, manifestum est dari perplura opera revera « apostolica », quae haudquaquam exclusive in praedicatione orali Christi consistunt nec in primis hierarchiae competunt, sed quae sunt ipsis laicis qua talibus typice propria. Ad talem activitatem vere « apostolicam » pertinent, v. g., tota vita matrimonialis et familiaris authentice christiana ac omnes labores, gaudia et sacrificia statui lai-

corum typice propria, *instructio religiosa a parentibus et familiaribus impertita etc.*[7] Quae cum ita sint, patet cur placere non possit, quod in pag. 10 (n. 10, linn. 29 ss.) laici dicantur Ecclesiam multimode adiuvare, *eodem modo quod dicit episcopos Ecclesiam adiuvare.*[8] Ex toto enim contextu manifeste elucet hanc affirmationem modo fere exclusivo referri ad praedicationem Evangelii, non vero per prius ad pleniorem vitam Ecclesiae promovendam, quae ad intra est et nonnisi ab interioribus ad exteriora prorumpit.

2. Ex neglectu huius fundamentalis conceptionis, seu ergo ex nimia emphasi in externa praedicatione et loquela de Christo, simul etiam sequitur enuntiatio alicuius principii quod necessaria qualificatione indiget. In pag. 9 enim ...[9] de toto apostolatu laicorum statuitur *simpliciter* [10]: nihil agendum esse *sine episcopo.* Tale principium omnino rectum est, si agitur de « apostolatu » in sensu nimium restricto quam haec vox in schemate habet. Utique enim verum est in exteriore praedicatione Evangelii nihil fieri debere quod sit contra episcopum vel in completa independentia ab ipso: et talis est unicus sensus verborum quae in schemate ex epistula S. Ignatii Antiocheni ad Trallianos citantur; *epistula scripta erat ad clerum.*[11] Assertio nihil agendum esse sine episcopo iam falsa est, si insinuatur omnem initiativam in ipsa immo praedicatione vel loquela externa de Christo *v. g. in familia* [12] pertinere ad episcopum. Sed plane absurda haec verba fiunt si sic et simpliciter ad totum apostolatum laicorum applicantur quippe qui haudquaquam exclusive in tali praedicatione Christi consistit.

3. Est aliud punctum recensendum quod cum praecedentibus arcte cohaeret:

Spiritus, ubi vult, spirat (*Io.* 3, 8) nec nostrum est Spiritui Sancto praescribere ubinam spirare debeat. Tamen in pag. 8 (n. 6, linn. 30 ss.) rotunde dicitur: « Laici se alant vita liturgica ...[13] ». *Haec phrasis « Se alant vita liturgica » minus placet, sed « Laici se alant vita liturgica in paroecia ».*[14] Omnino necessarium est ut haec propositio modificetur per additionem alicuius particulae, addendo v. g. verbulum « praesertim » *in paroecia* [15] vel « si fieri ...[16] potest ». Nam etiam hodie Spiritus Sanctus suscitare potest in Ecclesia novum S. Ioannem Mariam Vianney, vel alios Sanctos, qui homines cum Deo reconciliabunt, quamvis illi « vita liturgica se alant » extra eorundem paroeciam vel immo in ecclesia quae non est *necessario* [17] ecclesia paroecialis. Evitetur proinde omnis institutionalismus, nimia organizatio, et, e contra, regia libertas laicis concedatur hac in re.

Uti patet, omnibus quae dixi, nequaquam diminuere intendo legitimam auctoritatem quam episcopi, vi muneris sui, possident in populo

Dei docendo, regendo, pascendo. Firmiter mihi persuasum est id esse ius et officium episcoporum, ut proponant et — si casus fert — etiam imponant sana principia et doctrinas catholicas de vero apostolatu fidelium. Immo censeo hanc auctoritatem in hodiernis adiunctis *ob conclusionem discussionum in duobus sessionibus in Concilio Oecumenico*[18] interdum plus quam hucusque in omni humilitate et spiritu servitii esse exercendam. Sed id quod in schemate simpliciter placere nequit est illa conceptio angusta et restricta « apostolatus » qua navitas apostolica laicorum manifeste reducitur ad subsidium apostolatus hierarchici et proinde simpliciter subicitur iurisdictioni et ordinationi episcoporum ac si revera in tota vita Ecclesiae iam nihil fieri deberet sine episcopo et institutionibus iuridicis. *Tam multa de libertate religiosa locuti sumus, non restringamus sine necessitate libertatem nostrorum laicorum; relinquamus etiam aliquantulum libertatis Spiritui Sancto, spiret sibi ubi vult, et in hoc totaliter supporto em.mum card. Suenens.*[19] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] defectu quodam fundamentali. [2] nempe. [3] Etenim. [4] deest. [5] h. e. cum externa loquela de Christo. [6] Munus enim praedicandi et docendi per prius sacris ministris incumbit. [7] Haec omnia in sua integritate sunt « apostolica » et nullo pacto identificari possunt cum praedicatione vel directa loquela de Christo. [8] deest. [9] (n. 6, lin. 6). [10] deest. [11] deest. [12] deest. [13] in paroecia. [14] deest. [15] deest. [16] commode. [17] deest. [18] deest. [19] deest.

6

EXC.MUS P. D. ALOISIUS BARBERO

Episcopus Viglevanensis

Patres venerabiles, Auditrices, Auditores et Observatores carissimi et clarissimi,

Loquar de natura vocationis laicorum ad apostolatum necnon de mandato ex parte hierarchiae.

Schema agit de vocatione apostolica laicorum. Sed in enucleanda notione huius apostolatus consulto abstinet a distinctione inter apostolatum in sensu stricto et in sensu minus, sicut dictum est in relatione — pag. 8, n. 3 — et generice loquitur affirmando « vocationem christianam, natura sua, esse vocationem ad apostolatum » (pag. 6, lin. 1).

Ex quo logice consequitur non amplius esse necessarium mandatum a hierarchia, quod mandatum semper exstitit peculiare et firmum signaculum pro his qui ad apostolatum sese devovebant.

Dicitur enim in relatione schemati adnexa (pag. 51): « Adsunt enim qui tenent inutile esse novum hoc elementum ut apostolatus laicorum authentificetur, quia ille fluit ex sacramentis baptismatis et confirmationis.

Omnis baptizatus ipso facto habet mandatum ad apostolatum in dependentia a suo episcopo ».

Sed variae quaestiones: de vocatione, de notione et natura apostolatus, necnon de necessitate mandati non pendent tantum — meo submisso iudicio —, a distinctione inter apostolatum hierarchicum et apostolatum laicum, sed maxime inter ipsum apostolatum laicum sensu lato vel sensu stricto intellectum, uti semper fecit Summus Pontifex Pius XII, veneratae memoriae, in multis sermonibus, quibus talis apostolatus lucide enucleatur, immo codificatur.

Mihi pergratum est hodie, in die anniversaria beatissimi transitus tanti Pontificis, aliqua magni ponderis documenta recolere.

Quid nomine apostolatus, lato sensu, veniat bene indicavit in allocutione ad « Congressum universalem apostolatus laicorum », die 14 octobris 1951.

Cito italice quia Summus Pontifex tunc non adhibuit linguam latinam:

« Tutti i fedeli senza eccezione sono membri del Corpo Mistico di Cristo. Ne consegue che la legge di natura, e più ancora la legge di Cristo, li obbliga a dare il buon esempio di una vita veramente cristiana. Certo non è facile tracciare con precisione la linea di demarcazione dalla quale comincerà l'apostolato dei laici propriamente detto. Per esempio: bisogna comprenderci l'educazione data dalla madre di famiglia, o dai maestri e maestre presi da santo zelo; oppure la condotta del medico celebrato e francamente cattolico, o anche l'azione di un uomo di Stato cattolico per una vasta politica della causa per i meno favoriti?

Molti propenderebbero per la negativa non vedendo in tutto ciò che il semplice compimento lodevolissimo, ma obbligatorio del dovere di stato ».

Huiusmodi apostolatus, cui tenentur omnes baptizati, licet sit magni momenti et plurimos fructus maturescat, non indiget « mandato » ut dixit idem Pius XII in Allocutione ad Unionem Internationalem Organizationum Mulierum Catholicarum — die 29 septembris 1957: « ... Questa iniziativa dell'Apostolato laico si giustifica perfettamente anche senza " missione " preliminare ed esplicita della Gerarchia ». Porro incongruum apparet loqui de « vocatione », uti in nostro schemate: « Vocatio christiana natura sua vocatio est ad apostolatum »,

quippe quod sit officium vel obligatio a condicione christiana promanans.

Loqui de « Vocatione » ad significandam omnium communem obligationem ambiguitati et confusioni ansam praebet, quia « vocatio », communi sensu accepta, invitationem significat ad altiorem statum vitae christianae.

Quid postea veniat nomine apostolatus sensu stricto adhuc invenimus in allocutione Pii Papae XII ad II Congressum Universalem Apostolatus Laicorum — die 5 octobris 1957 — ...[1]: « Noi elaboriamo qui il concetto di Apostolato dei Laici in senso stretto: esso consiste *nell'assunzione da parte dei laici dei compiti che derivano dalla missione affidata da Cristo alla sua Chiesa* ».

Ex hoc clare consequitur apostolatum laicorum participationem vel cooperationem esse cum apostolatu hierarchico.

Ideoque sicut ad exercendum apostolatum hierarchicum necessaria est vocatio, quae, ut omnes scimus, duplici constat elemento: ex parte Dei unum, alterum ex parte superiorum; ita pariter laicis, ut apostolatum sensu stricto exercere valeant, necessaria est similis vocatio, *et quidem ex natura rei, quia Ecclesia eos assumit in certis obeundis muneribus quae Christus ei commisit.*

Eodem modo ista vocatio duplici constat elemento: a) *divino*: nempe dotes morales, intellectuales, physicae etc. necnon practicae possibilitates ad hunc laborem; b) *humano*: scil. « mandatum hierarchiae ».

En verba Pii XII in Primo Congressu Universali Apostolatus Laicorum ...[2]:

— *Quoad elementum divinum*: « Si può affermare che tutti sono egualmente chiamati all'Apostolato nella stretta accezione della parola? Dio non ha dato a tutti né la possibilità né le attitudini. Non si esigerà che si accolli le opere di questo Apostolato la sposa, la madre che alleva cristianamente i figli... La vocazione di apostoli non si rivolge dunque a tutti ».

Quod iterum dixit in II Congressu Apostolatus Laicorum ...[3]: « Non tutti i cristiani sono chiamati all'apostolato in senso stretto. Noi abbiamo già detto che il Vescovo dovrebbe poter prendere dei collaboratori tra coloro che trova *disposti e capaci,* giacché non basta la sola disposizione ».

— *Quoad elementum humanum*, scil. « mandatum », en quid dixit Pius XI: « Christifidelibus igitur qui sic ...[4] in unum coaluerint, ut ad nutum hierarchiae praesto sint, sacra ipsa hierarchia, quemadmodum *mandatum* impertit sic incitamenta ac stimulos adiicit » (...[5] Epistula ad card. Bertram, *anno*[6] 1928).

Pius XII in Epistula *Omnibus qui nostrum* (*anno*[7] 1953) ad Praesidem Secretariatus Foederationis universalis Congregationum Marialium dixit: « Ut iam saepe monuimus Congregationes Mariales semel ac constitutae sunt, ipso iure et pleno Actio Catholica dicendae sunt. Per novam universalem Foederationem Congregationes Marianae in sua indole hierarchica nullum detrimentum patientur nec novo, *dico novo*,[8] indiget " mandato " ».

Denique notatu dignum quod huiusmodi mandatum non datur associationibus sed singulis earum asseclis.

In citata Allocutione in II Congressu Apostolatus Laicorum Pius XII adhuc dixit: « Il mandato, soprattutto quello di insegnare, non è conferito all'Azione Cattolica nel suo insieme, ma ai suoi membri organizzati in particolare secondo la volontà e la scelta della Gerarchia ».

Conclusiones:

1. Ut de vocatione laicorum possimus loqui, de apostolatu « stricto sensu » agatur oportet.

Quae vocatio constat elemento divino (qualitates), et elemento humano (mandatum hierarchiae).

2. Cum Actio Catholica sit quaedam forma, ne dicam princeps forma, apostolatus laicorum sensu stricto, et ad ipsius Ecclesiae constitutionem pertineat, uti dixit elapso anno Summus Pontifex Paulus VI, feliciter regnans, « appartiene al disegno costituzionale della Chiesa » — clare elucet necessitas « mandati », saltem impliciti, ex parte hierarchiae.

3. Opto ut distinctiones, de quibus supra, clare enuncientur in nostro schemate, quod ita nullo modo clericalismo laborare inde videbitur quia...

Moderator: Faveas concludere, Pater.

Orator: ... integro manente eorum campo et libertate, laici a hierarchia vocantur, habilitantur in ipso apostolatu hierarchico et exaltantur. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] (Six ans se sont écoulés). [2] (1951). [3] (1957). [4] coiverint atque. [5] Quae nobis haud ita. [6] 13 nov. [7] 2 Iul. [8] deest.

Secretarius generalis: Expectate aliquantisper, Patres venerabiles! Feria II proxima erit visitatio diplomatica ad Summum Pontificem et hac occasione forum S. Petri per aliquas horas vacuum manere debet. Quapropter rogantur Patres qui habent proprium autocinetum, nempe

« automobile », ut si hoc autocinetum ducatur ab alio, hic alio loco stationem faciat et postea in fine sessionis veniat iterum ad S. Petrum. Si vero autocinetum ducatur ab ipsis Patribus, tunc iidem Patres velint indicationes sequi quas dabunt vigiles, nempe ita ut autocineta stationem faciant extra forum S. Petri. A. v.: sequantur omnino — rogantur ut hoc faciant — indicationes vigilum. Gratias.

7

EXC.MUS P. D. MARCUS GREGORIUS McGRATH
Episcopus S. Iacobi Veraguensis

Venerabiles Patres,

Loquor nomine *plusquam 30* [1] episcoporum ex America Latina.

Sicut iam plures Patres dixerunt, schema nostrum « De apostolatu laicorum » debet in initio illa praecipua principia de apostolatu laicorum ex schemate de Ecclesia iterum breviter praesentare, ita [2] ut unitas doctrinae huius Concilii pateat; et secundo ut hoc schema propriam consistentiam in se habeat, tali modo ut in posterum ab omnibus, praesertim a laicis legi poterit sine constanti referentia ad schema dogmaticum *de Ecclesia*; et tertio, ut omnia illa quae in schemate de praxi asseverantur evidentius eruuntur ex doctrina, etenim aliter minori valore gaudent, citius negliguntur, quandoque etiam ambiguitate laborant *et non bene in ordine proponuntur.*[3] In concreto:

1. Primus numerus opportune declarat quod nullus in Ecclesia passivus esse debet; omnes enim ius et officium habent ad apostolatum. Attamen fundamentum huius apostolatus pro laicis incomplete et nimis concinne in *tribus lineis* [4] annuntiatur. Comparentur hae lineae cum par. 10 capitis « De populo Dei » in schemate *de Ecclesia.* Duae notiones *hic* [5] desunt, vel saltem non explicite traduntur uti oportet: scil., *effectus* sacramentorum baptismi et confirmationis praeter characterem, gratia nempe, qua fideles « per regenerationem et Spiritus Sancti unctionem consecrantur in domum spiritualem et sacerdotium sanctum », ut filii Dei, « seipsos hostiam viventem, sanctam, Deo placentem » exhibentes in omnibus suis actionibus; et, secundo, relatio huius sacerdotii communis ad sacerdotium ministeriale sive hierarchicam, quae inter se essentia differunt sed intime connectuntur, unumquodque suo modo participantes de uno Christi sacerdotio. Sic ex initio huius schematis, sicuti in ipso schemate *de Ecclesia* debet fieri de illa fundamentali vocatione laicorum quae est omnium *membrorum* [6] in Ecclesia, *i. e.* [7] ut populus Dei...[8]

Si hoc non clare affirmatur in initio expositionis, periculum adest, uti iam plures Patres dixerunt, ut apostolatus laicorum proprius iterum evanescat et reducuntur laici ad statum passivum, nisi ab hierarchia in actionem moveantur.

2. Vox « apostolatus » debet in textu melius explicari et in doctrina de communi sacerdotio omnium fidelium fundari, sicut in schemate *de Ecclesia* iam factum est...[9]

Vox « apostolatus » enim tum in hoc schemate cum in alio *de Ecclesia* sumitur ad significandum plus minusve omne exercitium sacerdotii unici Christi a nobis iuxta partem quam habemus, quod a laicis fieri debet iuxta sacerdotium commune quod acceperunt.

Hoc sacerdotio autem deputantur laici ad « cultum religionis christianae » et ad professionem eorum fidei coram hominibus. Haec duo munera sacerdotii communis exercenda sunt subordinate ad sacerdotium ministeriale et ad magisterium, quae in sacra potestate hierarchiae continentur. Idem dicendum esset de participatione laicorum in omnibus illis actis vel associationibus Ecclesiae, quae directe manant de Ecclesia ut institutio cultus et magisterii, necnon de omni apostolatu vel exercitio caritatis acto ab Ecclesia inquantum Ecclesia est. Non autem idem dicendum est de omni exercitio sacerdotii communis fidelium quod « per virtutes ad actum deducitur », *sicut describit S. Thomas regale sacerdotium in se.*[10]

Hoc autem fit a laicis, *i. e. reductio sacerdotii regalis ad actum per virtutes,*[11] iuxta peculiarem rationem eorum vitae, crebrius quatenus sunt humanae societatis membra quam in quantum Ecclesiae aggregantur.

3. Venerabiles Patres, debemus prae mente habere in omnibus istis observationibus duo facta: 1. quod laici constituunt *plus quam*[12] 99% membrorum Ecclesiae; sunt enim maxima pars populi Dei in cuius servitium nos constituti sumus; 2. quod longe maior pars laicorum non numerantur inter membra associationum apostolicarum ab Ecclesia recognitarum. Certe certius debemus insistere ut numerus laicorum in his associationibus augeatur, quia eorum labor semper et praesertim hodie Ecclesiae valde necessarius est. Nihilominus multi, etiam semper maior pars laicorum, non numerentur in illis *associationibus,*[13] multis ex rationibus *honestatis,*[14] paupertatis nempe, vel aliarum occupationum. Immo dicendum est quod multi non debent active cooptari in nostris associationibus fidelium quia munus quod exercent in humana societate maioris utilitatis est et societati et perinde Ecclesiae etiam, utpote mater est et vult esse omnium hominum. Quid autem de omnibus istis laicis? Num non adimplent sincere eorum vocationem ut christiani? Num non

possunt etiam in summum gradum sanctitatis pervenire *in eorum laboribus in mundo*[15]? Illi omnes qui postea legent schema nostrum de apostolatu laicorum, num sese invenient in illo? Ex eo quod operantur in mundo, uti membra humanae societatis, debent sincere collaborare cum omnibus hominibus qui veros valores promotionis hominis eiusque civilisationis et culturae promovent; nec egent approbatione hierarchiae pro illis decisionibus quando in campo proprio agunt, etiamsi haec decisiones valores morales implicant. E contra, nostrum est munus illos tali modo in spiritu Evangelii et doctrina Ecclesiae efformare ut quando iudicent, iuxta mentem Christi iudicia *proferant.*[16] Forse numquam plus quam hodie eget Ecclesia hominibus qui iuxta mentem christianam *fortiter responsabilitatem suam et generose impleant collaborantes*[17] ut societas nova quae nostris temporibus extruitur in iustitia et caritate crescat. Nonne debemus illos clarius adloqui ut videant plenum sensum earum *responsabilitatis et*[18] vocationis in Christo et in Ecclesia?

Ne dicatur aliquis quod haec insistentia de actione laicorum in mundo proprio et propria sua responsabilitate minuit momentum actionis et formationis proprie religiosae, praesertim per illos coetus « specializatos » qui varios campos (seu milieux) mundi hodierni christiane sanare volunt. Revera catholici qui in mundo laborant semper sal terrae esse debent et numquam saporem eius amittere. Sed pro hac egent formatione non tantum in sua iuventute sed indesinenter, formatione nempe spirituali et intellectuali in fide et in vita spirituali. Nonne hoc est maximum munus coetus *et coetuum*[19] qui vocantur hodie communiter Actionis Catholicae — non tantum neque solum formationem eorum membrorum quaerere sed etiam omnium christianorum qui cum illis in mundo laborant. Scimus quantum nostri catholici moderni egent et etiam desiderant exercitia spiritualia, « cursillos de cristiandad », et *omnem aliam institutionem*[20] ad illorum fidem et vitam in Christo efformandam *ut*[21] veremodo hominibus inserviant sicut Christus voluit *et vult*[22] et sic hoc mundo utentes non illo abutantur, sed e contra per temporalia sic transeant ut aeterna aliquomodo parent et etiam mereantur, quippe qui sunt filii Dei etiam nunc, expectantes illam magnam gloriam, quae postea in Christo revelabitur.

Concludo. Alia[23] particularia tradam secretariatui in scriptis ad meliorem ordinem schematis iuxta principia enuntiata. In genere puto ut schema melius vitet nimia particularia quando agit de apostolatu laicorum, quia haec in unaquaque regione et natione diversi modo evolvere possunt. Munus Concilii est potius lineamenta magna apostolatus lai-

corum stabilire et in doctrina de eorum magna dignitate ut filii Dei et participes eius communis sacerdotii explanare. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] 35. [2] Valde placet quod adhuc exstat hoc schema de *apostolatu laicorum*. Certum est, ut nuper scripsit aliquis, quod Concilium Vaticanum II in historia memorabitur ut Concilium promotionis laicorum in Ecclesia. Neminem fugit quantum hoc convenit vitae Ecclesiae huius saeculi; etenim momentum et impetus apostolatus laicorum, inde ab initio saeculi, una cum reditu doctrinali ad Patres et sensum pleniorem primorum saeculorum, intime coniungitur. Nonne effectus profundus Litterarum Encyclicarum *Mystici Corporis* in tota vita et conscientia Ecclesiae magna ex parte ex eo habitus est ut ubicumque in Ecclesia innumeri coetus apostolici laicorum illas exspectabant et in eorum vitam spiritualem in praxim deducebant? Vero sensu enim vox temporis vox Dei est; et Ecclesiae sollemne magisterium illas magnas quaestiones illustrat quas tempus exigit. Saeculo praeterito formalis definitio primatus et infallibilitatis Summi Pontificis tempestive recoluit ac affirmavit illud « perpetuum utriusque unitatis principium ac visibile fundamentum », iuxta verba Concilii Vaticani I, scil. « ut ... episcopatus ipse unus et indivisus esset, et per cohaerentes sibi invicem sacerdotes credentium multitudo universa in fidei et communionis unitate conservaretur ». Nostro autem tempore doctrina illius Concilii, qua unitate Ecclesiae in Petri successore sollemniter affirmata est, completur doctrina collegii episcoporum qui una cum et sub Romano Pontifice regunt Ecclesiam Dei, et pleniori descriptione ipsius Ecclesiae ut populus Dei in quo, iuxta verba schematis nostrae constitutionis *de Ecclesia* « communis (est) dignitas membrorum ex eorum in Christo regeneratione, communis filiorum gratia, communis ad perfectionem vocatio, una salus, una spes indivisaque caritas ». Sicut unitatis principium abhinc centum annos affirmata est contra tot pericula quae Ecclesiae auctoritatem minabantur; ita nunc praevisa est de diffusione Ecclesiae universo orbe, sub ductu magisterii omnium episcoporum, et magna ex parte, in moderna societate « saecularizata » ut ita dicam et pluralista, per vitam et actionem laicorum cuius vita, iuxta nostrum schema *de Ecclesia* « tota ratione... peculiariter... ad res temporales gerendas » ordinatur. Principia doctrinalia pro apostolatu laicorum iam perpulchre delineantur in schemate constitutionis *de Ecclesia* passim et praesertim in capitibus « de populo Dei » et « de laicis ». Schema praeiacens *de apostolatu laicorum* opportune intendit illa principia enucleare ut sint normae fundamentales apostolatus laicorum. Iam a multis dictum est hoc non satis fieri. Facile intelligendum est, ex una parte, ex eo quod auctores schematis illud conficere debuerunt mense martii antequam prae oculis habere potuissent novam redactionem schematis *de Ecclesia*. Exinde multae praecisiones quae illic introductae sunt, in praesenti schemate *de apostolatu laicorum* adhuc desunt. Ex alia parte, autem, auctores schematis consulto partem doctrinalem huius schematis restrixerunt, ecquidem, meo sensu, nimis. Patet quod schema non debet omnia repetere ex schemate *de Ecclesia* quae ad laicos pertinent. Sed aeque patet hanc doctrinam sufficienter revocari debere: primo. [3] Praecipua elementa doctrinalia quae fundamenta apostolatus laicorum praebent, debent ex alio schemate in initio cap. I colligere, una saltem pagina, et sub eorum luce omnia alia exponi, firmiore evidentia, meliore ordine et claritate. [4] linn. 9-13. [5] deest. [6] deest. [7] deest. [8] in

quo, iuxta verba schematis nostrae constitutionis *de Ecclesia* « communis (est) dignitas membrorum ex eorum in Ecclesia regeneratione, communis filiorum gratia, communis ad perfectionem vocatio, una salus, una spes, indivisaque caritas ». Omnis populus Dei, etenim, vocatus est ad apostolatum, ut sal terrae et lux mundi, ex dignitate et gratia qua sunt filii Dei, sine necessitate ullius missionis explicitae ab hierarchia. [9] Communi loquela « apostolatus » significat actionem quae tendit ex professo in effectum religiosum. Attamen conclusio quae eo in textu huius schematis, pag. 6, lin. 3, sic etiam definitur. Attamen conclusio quae eo statim eruitur, nempe quod omnes christiani ad apostolatum obligantur, non parvam ambiguitatem praebet, sicut iam alii Patres animadverterunt hac in aula, ex eo quod non distinguitur inter effectum religiosum qui habetur in propagatione fidei et Ecclesiae, et alium effectum religiosum omnino validum et apostolicum qui consistit in praxi virtutum ad ordinem temporalem sanandum et elevandum. [10] Schema *de Ecclesia* in capite « de laicis » n. 36, affirmat: « Propter ipsam oeconomiam salutis, fideles discant sedulo distinguere inter iura et officia quae eis incumbunt, quatenus Ecclesiae aggregantur, et ea quae eis competunt ut sunt humanae societatis membra ». Haec distinctio directe manat ex illa alia a S. Thoma prompta, nempe quod « Indoles sacra et organice exstructa communitatis sacerdotalis et per sacramenta et per virtutes ad actum deducitur ». Momentum huius distinctionis permagnum est. Sacerdotium fidelium in quantum regale sacerdotium vocatur, iuxta S. Thomam, ut clare explicavit em.mus card. Browne, non in linea cultus ponitur (videsis III, 82, 1 ad 2), sed potius in exercitio omnium virtutum moralium. [11] deest. [12] deest. [13] deest. [14] honestis. [15] deest. [16] proferunt; non autem iudicia pro illis facere intendere, de quarum circumstantiis nos plerumque parvum scimus et de cuius consequentiis nos nullam responsabilitatem habemus. Schema *de Ecclesia* autem clare affirmat illos debere satagere ut munera eorum in mundo adimpleant « christiana conscientia » ducti. Ecce quomodo sacerdotium regale in mundo exercent — per virtutes christianas, valide laborando ut vera iustitia et caritas habeantur in humana consociatione. En quomodo sese offerre debent, in oratione et liturgica actione cum Christo ut hostiam viventem Deo placentem. Nonne omne hoc clarius dicendum esset in nostro schemate, ubi quasi per transennam tantum tangitur extensio laicorum apostolatus ad ordinem temporalem, et non satis distinguitur de illis apostolatus formis Ecclesiae quae ex sese hierarchiae subordinatae esse debent? [17] generose collaborent. [18] deest. [19] deest. [20] omnis alia institutio. [21] in. [22] deest. [23] Aliqua.

[*Subsignaverunt etiam*] J. Podestà, ob. Avellaneda; Albert Devoto, ep. Goyanensis; E. Pironio, ep. tit. Caeciritanus; Antonius M. Aguirre, ep. S. Isidori in Argentina; Vicente Zazpe, ob. Rafaela.

[*Adhaeserunt etiam*] Arrieta, Costa Rica; Graziano, El Salvador. *Ex Chilia*: Emmanuel Sánchez, arch. Ss.mae Conceptionis; Aemilius Tagle, arch. ep. Vallisparadisi; Alexander Durán, ep. S. Caroli de Ancud; Franciscus Valenzuela, ep. Antofagastensis; Henricus Alvear, ep. aux. Talcensis; Franciscus Fresno, ep. Copiapen.; Helladius Vicuña, ep. Chillanen.; Wladimirus Boric, ep. Puntarenen.; Iosephus A. Castro, ep. S. Philippi; Franciscus Gillmore, ep. tit. Auzien. Vic. Castrensis; Radulphus Silva, ep. aux. Rangaguen.; Emmanuel Santos, ep. Valdivien.; Augustus Salinas, ep. Linaren.; Iosephus Valle, ep. aux. Iquiquen.; Ber-

nardinus Piñera, ep. Temucen.; Franciscus Valdés, ep. Osornen.; Carolus C. Hartl, ep. tit. Estratonicen. vic. ap. de Araucania. *Ex Colombia*: Arcturus Duque, arch. Manizalen.; Raphael Sarmiento, ep. Ocanen.; Petrus Rivera, ep. de Socorro et S. Gil. *Ex Aequatoria*: Candidus Rada, ep. Guaranden. *Ex Mexico*: Sergius Méndez, ep. Cuernavacen. *Ex Bolivia*: Armandus Gutiérrez G., ep. aux. Pacensis; Georgius Manrique, ep. Oruren. *Ex Uruguay*: Marcellus Mendiharat, ep. tit. coad. Salten.; Robertus Cáceres, ep. Melen.

8

Exc.mus P. D. STANISLAUS LOKUANG
Episcopus Tainanensis

Venerabiles Patres,

Perdurante cursu laboris ad praeparandum schema de missionibus, commissio de apostolatu laicorum ea omnia quae ad apostolatum laicorum in terris missionum pertinent, ad commissionem de missionibus remisit. Haec commissio ea elementa attente studuit et omnia principaliora elementa in suum schema recepit in *cap. III et IV « De formatione missionali » et « De cooperatione missionaria »*.[1] Nunc vero schema praesens de activitate missionali Ecclesiae textum praecedentem in formam propositionum reduxit et plura elementa extra textum relinquit. Inter elementa relicta sunt etiam illa quae ad apostolatum laicorum referuntur. Adest quidem una propositio de debito missionali laicorum in schemate *de activitate missionali,* sed pauca dici potuit in una sola propositione.

Pluribus igitur Patribus visum est peropportunum immo necessarium esse quaedam addere in schemate de apostolatu laicorum relate ad missiones ut conspectus generalis apostolatus laicorum completus evadat. Sicut in schematibus de Ecclesia, de pastorali munere episcoporum, de Liturgia *relate*[2] ad missiones semper considerata fuit, ita in apostolatu laicorum haec relatio omittenda non est.

Propono *igitur*[3] quaedam addenda quae inseri possunt in nn. 2, 3, 6, 10, *ubi sermo est de apostolatu ab omnibus et singulis exercendo, de formatione apostolica, de apostolatu in Ecclesiae communitatibus et de hominum conversione et progressu ad Deum.*

In omnibus istis numeris quaedam verba convenienter inseri possunt de apostolatu laicorum missionali.

Nemini latent valor et necessitas apostolatus missionalis laicorum et nullus ex praesulibus missionum non cogitat neque desiderat auxilium laicorum. Insertiones in scriptis ad secretariatum mittam.[4]

Insuper[5]: aliqui laici oriundi de terris Ecclesiae in silentio me rogaverunt ut in memoriam Patrum, si necesse sit, revocare quod in Ec-

clesia in silentio adsunt multi laici post dissolutionem omnium associationum catholicarum, et post etiam discessum coactum eorum pastorum viriliter et constanter laborant in silentio ac in *sacrificio* [6] ad defensionem et conservationem fidei confratrum in Christo. Multi ex ipsis carcerem adiderunt et vitam pro Christo dederunt. Vere digni sunt ipsi laude Patrum conciliarium et mentione in schemate de apostolatu laicorum. Ipsi enim constituunt testimonium de efficacitate apostolatus laicorum et gloriam et exemplum. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] in cap. IV « de cooperatione missionaria ». [2] relatio. [3] inde. [4] 1. Ad n. 2, ubi agitur de apostolatu ab omnibus et singulis exercendo. In pag. 7, lin. 1, post verba « quia multi, longe a Christo et Ecclesia versantes » addantur sequentia: « vel Christum redemptorem adhuc ignorantes ». Nam in missionibus annuntiatio Evangelii a laicis multoties praeparari oportet. Ad n. 3 de formatione apostolica. In pag. 8, lin. 2. Post verba « ad laicos penitius in apostolatu efformandos apta centra habeantur praesertim pro iis qui speciali titulo servitio Ecclesiae addicuntur » addantur sequentia verba: « vel artes suas et scientiam dant operi missionali ». Nam laici qui patriam suam relinquunt et artes suas vel scientiam in adiutorium Evangelii praeconum devovent, vera laude digni sunt. Attamen eorum spiritus et vita gratia supernaturali et zelo apostolico ornari, eorumque etiam externa ratio vivendi consuetudini locali aptari debent. Igitur specialis formatio eis danda est. 3. Ad n. 6: In Ecclesiae communitatibus. Pag. 9, lin. 19, post verba « necnon omnium hominum bonae voluntatis conferunt » addantur sequentia verba: « Collaborant insuper cum missionibus, orationes, tribulationes, sacrificia necnon auxilia materialia et etiam proprias activitates personales offerendo quibus Evangelii praecones in Regni Christi dilatione atque Ecclesiae aedificatione adiuvant ». 4. Ad n. 10 de hominum conversione et progressu ad Deum. In pag. 10, lin. 30, post verba « etiam qui longe sunt » addantur verba sequentia: « vel foris sunt ». Haec verba innuere volunt activitates missionales laicorum versus non-christianos, qui extra Ecclesiam sunt. In hoc schemate ne unum verbum quidem loquitur de activitate missionali laicorum, non tantum illorum laicorum de terris missionum, sed speciatim illorum laicorum qui patriam propriam relinquentes ad regiones non-christianas operam suam Evangelii praeconibus adiutricem dant. Supponitur quidem quod hoc in schemate de missionibus agi debet. Nunc vero in schemate *de activitate missionali Ecclesiae* de hoc non agitur. Necesse est de hoc agere in schemate *de apostolatu laicorum*. [5] deest. [6] sacrificiis.

9

Exc.mus P. D. BERNARDUS M. CAZZARO

Episcopus tit. Pyrgensis, vic. ap. Aysenensis

Em.mi Patres et venerabiles Fratres,

Praesens schema decreti *de apostolatu laicorum* in genere mihi placet. Quasdam tamen animadversiones quam brevissime proponam, ut textus perfectior evadat.

1. Mea facio verba eorum qui postulaverunt ut clarius in lucem ponatur nexus inter vitam christianam et apostolatum. Adderem insuper opportune insereretur pastoralis hortatio ut et laici quam maximi facere discant animas, quas Filius Dei, caro factus, suo pretiosissimo Sanguine redemit.

2. Si apostolatus est « officium », ut dicitur in pag. 6, lin. 19, melius exponere convenit, ut mihi videtur, etiam consectaria — sive coram Deo et Ecclesia, sive coram propria conscientia — omissionis vel malae perfunctionis tanti officii, sicut iam innuitur in pag. 10, linn. 36-37, forma *tamen* [1] tantum negativa, scil. « coram Deo et ipsi laici de Ecclesiae missione rationes reddituros se esse numquam obliviscantur ».

3. Bene in lucem ponatur gravis monitio Domini Iesu: « Sine me nihil potestis facere » (*Io.* 15, 5) tamquam conditio « sine qua non » pro quocumque apostolatu, *etiam laicorum*.[2] Agitur enim de « causa » ex qua labor apostolicus *eorum* [3] tamquam « effectus adaequatus » profluere debet.

4. Inter cetera media ad vitam spiritualem laicorum eorumque apostolicum zelum fovendum, ponatur et filialis devotio erga B. Mariam Virginem, Reginam Apostolorum. Omnes qui tanta mirabilia gratiae divinae per eam, praesertim in suis sanctuariis, cotidie vidimus et audivimus, reticere minime possumus. Proinde plene assentio verbis ab exc.mo D. Stephano Barela circa hoc heri optime prolatis.

5. Laicis, ut plurimum, committi convenit administranda bona temporalia Ecclesiae. Non modo etenim ad hoc sunt magis idonei, verum etiam et tempus pretiosissimum nobis reservant, ut orationi et verbo Dei instemus...[4]

6. Laici opportune hortandi sunt ut etiam materialibus auxiliis pro viribus ...[5] ultro Ecclesiam adiuvent. Est realis cooperatio, cui si omnes satisfacerent, sacerdotes haud certe cogerentur fere omni die festo in Ecclesia stipis collationem facere, vel pro sacris taxationes nimis urgere quae facile scandali praebent occasionem.

7 *et ultimo* [6]: Laici invitentur ad cooperandum non solum a longe, ut ita dicam, sed etiam *praesentes,* scil. sua ipsa persona, quantum fieri potest, in activitate missionali Ecclesiae in ipsis locis Missionum. Usque modo, ni fallor, ne verbum quidem, inter tanta praeclara dicta, de hoc personali auxilio laicorum missionariis. Laudanda ceterum iam exstant incoepta quae huic apostolatui iamdiu magno cum fructu consulunt. In *urbe* [7] Patavina, v. g., habetur « Collegio Universitario Aspiranti Medici Missionarii » ...[8]. Si haec personalis cooperatio in schemate *de activitate missionali Ecclesiae,* ut optandum erat, suum locum non obtinuit, in hoc saltem de ea mentio fiat exopto, et quidem, ut videtur

in pag. 9, lin. 16, post verba « de necessitatibus universalis Ecclesiae usque mundi curam (laici) habeant ».

Alia circa libertatem laicorum in apostolatu secretariatui scripto tradam.[9] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] deest. [4] (*Act.* 6, 4). [5] suis. [6] deest. [7] civitate. [8] (C.U.A.M.M.). [9] 8 et ultimo: In quibusdam civitatibus sunt laici qui sive singuli sive consociati, evangelicam quidem vivendi formam imitantur, sed, in hoc, nullo peculiari canonico statuto reguntur. Hi, dum evangelica sectantur consilia, praesertim in paupertate et in oratione, cupiunt manere mere laici et libere apostolatum suum in paroeciis, obsequentes animarum pastoribus, fructuose exercere. Hos multos novi, qui nunc mea humili voce utuntur petentes ut Ecclesia eos foveat et protegat in libera cooperatione praestanda in apostolatu.

10

Exc.mus P. D. ALEXANDER CARTER
Episcopus S. Mariae Ormensis

Venerabiles Patres,

Schema *de apostolatu laicorum* prouti stat in praesenti tertio gradu evolutionis suae, meo iudicio mutatione substantiali adhuc indiget...[1]

Experientia personali, ut consultor in commissione praeconciliari, agnosco competentiam episcoporum et peritorum qui hanc commissionem formaverunt, et laudo maximam libertatem omnibus extensam ab em.mo praeside card. Cento. Quibus non obstantibus, mihi videtur schema triplici lacuna laborare. 1. Est nimis clericale; 2. ei deest unitas organica ...[2]; 3. non respondebit exspectationi laicorum in mundo.

1. *Est nimis clericale.* Schema nostrum conceptum est in peccato — peccato clericalismi. Em.mus praeses et plures ex membris commissionis conscii erant absurdum esse commissionem de apostolatu laicorum ex solis clericis constitui ubi nullus laicus numerabatur. Sed illis diebus praeconciliaribus, de hoc nihil faciendum. Quando tamen mense martii, anno elapso, complures laici, viri et mulieres, contribuere invitati sunt, maxima pars laboris commissionis iam facta erat. Eorum introductio erat nimis tarda, et eorum contributio manet minima. Sicut anglice dicimus "too little and too late". Sed sat dictum est de clericalismo — ergo ne exponam Fratres collegiales repetitioni inutili, tradam in scriptis observationes de clericalismo...[3]

2. *Deest unitas organica in schemate.* Textus schematis contractus

est in quatuordecim paginas ex quattuor fasciculis. Quod sane non est malum — necesse erat ambitum restringere. Error fuit velle includere in forma breviori fere omnia de quibus in ingenti opere originali. Unde fit quod non sit contractio tantum sed potius evisceratio. Schema nunc est aliquod compendium idearum quae manent, ut ita dicam, in aere suspensae.

Tamen inveniri potest verum fundamentum unitatis in pulcherrimis capitibus de populo Dei et de laicis in tractatu de Ecclesia.

Sed etiam de hoc iam sat dictum est. Exempla et observationes tradam in scriptis secretario.[4]

3. ...[5] Schema de apostolatu laicorum non respondet exspectationi laicorum.

Oculi laicorum ad Concilium vertuntur. Sed in textu schematis nos clerici nobismetipsis loquimur, non laicis. Nullus dialogus existit nec ponitur fundamentum dialogi sereni et sinceri. Certissime sunt in textu multiplices observationes utiles et bene fundatae.

In n. 7, pag. 9, bene fit sermo de ambitu laicorum, in n. 10, pag. 11, laudabiliter dicitur de laicorum responsabilitate in ordine temporali instaurando.

Sed proh dolor, imago quae ex textu surgit est imago viri organizati, ...[6] qui necessario coetui cuidam actionis catholicae pertinet. Distinctio fit in schemate inter apostolatum generalem et specialem, sed sensus schematis talis est ut vix concipitur verus apostolatus extra limites associationis alicuius. Associationes necessariae sunt in Ecclesia et certe fovendae sunt. Sed vocatio ad apostolatum latius patet. Si schema de apostolatu laicorum debet ex professo tractare imprimis de actione catholica, melius esset aliquas propositiones facere et conferentiis episcopalibus relinquere curam directorium componendi de apostolatu in specie. Sic melius respondebitur condicionibus specialibus in quibus ecclesiae particulares in diversis regionibus mundi vivunt.

Concludo. Schema substantialiter recognoscendum est cum auxilio peritorum laicorum, qui laici sint diverso modo vere expertes authentici *a mundo desumpti.*[7] Aliter, venerabiles Patres, omnibus laicis qui a Concilio Vaticano II inspirationem et invitationem ad plenam vitam christianam tam vivide desiderant et expectant — omnibus christianis cordatis qui, sive in associationibus sive soli certent ut instauretur regnum Christi; tandem omnibus laicis heroicis qui saepe, periculo vitae, et, quod dolendum est, aliquando invitis vel obstantibus auctoritatibus ecclesiasticis, per legislationem socialem ius omnium ad libertatem et ad vitam decentem et humanam vindicant — omnibus his Concilium cum dignitate et fructu offerre debet ea sola quae in tractatu de Ecclesia et

de populo Dei tam bene exponuntur. Quod credo omnibus laicis magis placebit quam schema in forma actuali. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] priusquam respondeat actuali mentis dispositioni horum omnium qui, tam in hac aula quam extra, tantam spem in hoc schemate posuerunt. Ex. [2] et nexus cum doctrina de laicis quae in tractatu *de Ecclesia* exponitur. [3] Hoc baptismum schematis per infusionem laicorum peccatum removit, sed fomes peccati remanet. Nos clerici, sumus praedicatores ex officio. Non obstante conatu eliminandi formulas quae clericalismum sapere videbantur, stylus adhuc redolet quendam sensum piae praedicationis. Deest expressio contemporanea laicis intelligibilis. Ex multiplicibus exemplis profero sequens: n. 5 pag. 8 ubi de familia. Quae paragraphus nullam ostendit cognitionem circumstantiarum concretarum in quibus vivunt nostrae familiae christianae. Est abstracta et philosophica et sonat ut aliquod schema praedicationis in festo S. Familiae faciendae a quadam curia dioecesana praeparatum. [4] Ibi est quaestio de participatione laicorum in sacerdotio universali — in munere prophetico Christi et testimonio, et eorum participatione in servitio regali. Dignitas et significatio vocationis laicorum ad apostolatum recte ponitur in eorum incorporatione in Christo et inclusione in populo Dei. Ex his praemissis doctrinalibus notio apostolatus fluere debet. Textus autem noster procedit ac si Concilium nunquam adlaboravit doctrinam vocationis laicorum quae tam bene in schemate *de Ecclesia* exponitur. V. g. in prooemio (pag. 5, linn. 16 ss.) quid minus aptum ad laicos inspirandos quam haec descriptio apostolatus: « Hic apostolatus, suapte natura necessarius, hodiernis in adiunctis urgentior adhuc efficitur, non solum ob insufficientem numerum cleri, sed praesertim ob alienationem quarundam provinciarum vitae humanae ab omni ordine religioso vel ethico ». Mihi videtur hunc modum loquendi esse negativum et longe inferiorem esse iis quae iam diximus de laicorum vita salutifera et apostolica. Ex hac lacuna evenit quod schema in unitate organica deficit. Fatendum est quod in pag. 6 fit intimatio nexus inter apostolatum et participationem regalis sacerdotii Christi eiusque divinae missionis, sed est mentio tantum — non ponitur ut doctrina fundamentalis in qua totus apostolatus fundari potest et debet. [5] Postea et propter ea quae diximus concludere debemus quod. [6] i. e. [7] deest.

11

Exc.mus P. D. FRANCISCUS ŠEPER
Archiepiscopus Zagrabiensis

Venerabiles Patres conciliares,

Documentum conciliare *de apostolatu laicorum* veluti complementum, consequentia et applicatio practica eorum quae de laicis in constitutione *de Ecclesia* dicta sunt esse deberet. Permulta quae in schemate *dicuntur placet.*[1] Optima etenim sunt. Ita v. g. quae n. 1 ...[2] dicuntur vocationem christianam natura sua vocationem quoque ad apostolatum

involvere; vel n. 3 ...[3] ubi asseritur omnem educationem christianam necessario includere debere formationem quoque ad apostolatum.

Desiderandum tamen est ut schema — quoad inspirationem — magis correspondeat iis quae in constitutione *de Ecclesia* de mysterio Ecclesiae, et de populo Dei dicuntur, ut fiat magis pastorale, minus iuridicum. Scopus Concilii non est ut describat et stabilizet — plus minusve modificatam — situationem hactenus in apostolatu laicorum vigentem, sed ut mediis radicalibus adhibitis novas vias aperiat ad universos qui ad Corpus Christi pertinent, movendos ut partem propriam in opere apostolico Ecclesiae adimpleant.

In textu affirmatur quidem omnes fideles ad apostolatum teneri, sed in applicatione practica potius singuli eximii inter laicos, qui militantes vocantur, attingi videntur, item et variae associationes apostolatus laicorum, quam laici simpliciter. His mediis massa fidelium non attingitur.

Praeterea obliviscendum non est plures easque vastissimas regiones in mundo exsistere in quibus, ob systema sociale et politicum, formae associativae apostolatus laicorum practice impossibiles sunt, apostolatus autem singulorum urgentior esse videtur quam alibi. Ideo Concilium talia media concreta et realia decernere debet quae ubique possibilia et efficacia praevidentur.

Duae sunt quaestiones essentiales, relate ad excitationem spiritus apostolici in mundo laicali, quas in schemate deficienter tractatas esse putamus:

Prima est quaestio *formationis apostolicae* omnium fidelium. Necessitas huius formationis inculcatur, uti initio dixi, sed medium vere efficax non statuitur. Ipsa natura apostolatus laicorum requirit bonam cognitionem religionis christianae simul ac applicationis veritatis revelatae ad illustranda et solvenda problemata vitae quotidianae in mundo hodierno. Haec cognitio ab universis fidelibus comparari non potest iis mediis quae hodie in praxi Ecclesiae adsunt et quae instructionem plus minusve ad adolescentiam restringunt. Si omnes laici ad apostolatum vocantur, prorsus necessarium est ut in unaquaque paroecia habeatur medium idoneum ad talem formationem *adultis* impertiendam et semper continuandam.

Altera est quaestio illa — a laicis hodie pluries prolata — ut illis possibilitas efficax praebeatur sua problemata suis sacerdotibus deferendi ita, ut ab iis libenter audiantur. Laici non debent esse simplices auditores et exsecutores, sed necesse est ut ipsi active ad solutionem suorum et mundi problematum conferant. Hunc in finem propono:

In omni paroecia, praeter conventum liturgicum Missae dominicalis,

obligatorie semel in hebdomada teneatur *conventus omnium adultorum communitatis* paroecialis. Tempus idoneum iuxta conditiones locorum et structuram socialem paroeciae determinetur. In conventu sacerdos doctrinam christianam modo adultorum tradat, varia problemata actualia et urgentia discutiat eorumque solutionem simul cum fidelibus quaerat, veram formationem apostolicam laicorum perficiat. Conventus apte aliqua oratione liturgica aperiatur et concludatur. In conventu etiam auditoribus adaptatum studium Scripturae institui potest. Laici periti, et alii sacerdotes saeculares vel regulares in tali conventu conferentias habere possunt, ne paroecia in seipsam claudatur. Ita verus dialogus inter membra unius familiae habebitur.

Talis conventus tenorem *medii ordinarii* vitae ecclesiasticae, similiter ac Missa dominicalis, obtineat necesse est. Tale medium etiam in regionibus, in quibus libertas religiosa quovis modo coarctatur, *et ubi nullae associationes haberi possunt,*[4] adhiberi poterit, speciatim si sanctionem Concilii obtinuerit.

Sacerdotes in hodierno rerum statu, saltem in multis regionibus, multis laboribus occupati sunt. Ut huic novo labori satisfacere possint, exonerari deberent ab omnibus laboribus qui ab aliis (sororibus religiosis, laicis vel diaconis, si introducantur) exerceri possunt...[5]

In nova rerum ordinatione, quae proponitur, pastores animarum imprimis de adultis curam habebunt *et*[6] eos ad apostolatum vere efficaciter formare valeant. Ita Ecclesia uti organismus vivus et efficaciter per omnia sua membra operans mundo ostendetur.

In fine aliqua parva animadversio ad n. 1, pag. 6, linn. 3-4. Legimus: « " Apostolatus " qui nomen trahit a munere docendi, regendi et sanctificandi apostolis concredito eorumque successoribus... ». Verum est apostolis a Christo concredita esse munera docendi, regendi et sanctificandi, sed hodie nemo est qui utendo verbo « apostolatus » cogitet v. g. de munere regendi nec de munere sanctificandi, sensu proprio, si de apostolatu laicorum agitur, sed simpliciter de propaganda doctrina Evangelii. Ex alia parte nec munus docendi, regendi et sanctificandi apostolorum et episcoporum nomine « apostolatus » hodie designatur. Ideo in eo loco simpliciter dicerem: « " apostolatus " qui nomen trahit a munere apostolis concredito » etc. *sine speciali mentione muneris docendi, regendi et sanctificandi.*[7] Satis.

In textu scripto tradito: [1] continentur placent. [2] (pag. 6, linn. 1-2). [3] (pag. 7, linn. 8-9). [4] deest. [5] Id valet e. g. pro catechetica instructione infantium, quae multis sacerdotibus evasit principalis sollicitudo ita ut tandem ad adultos accedere desuescant. [6] ut. [7] deest.

12

Exc.mus P. D. LUDOVICUS RASTOUIL
Episcopus Lemovicensis

Dilectissimi Patres et Fratres in sacerdotio Iesu Christi, venerabiles Periti, Observatores, Auditores et Auditrices,

Circa prooemium schematis *de apostolatu laicorum,*[1] hic agitur de fundamento apostolatus laicorum, quod est participatio sacerdotio Christi per characteres Baptismi et proprie *et specifice, si possem dicere,*[2] per characterem Confirmationis.

Laici non sunt presbyteri, sed sunt sacerdotales (sacerdotalisés), quia participant sacerdotium unicum Iesu Christi, quod est eorum ratio participandi consecrationem mundi.

1. Laici participant sacerdotium Christi per characterem Baptismi, qui est, ait S. Thomas, derivatio sacerdotii Christi, fons potestatis, iuris, officii ad cultum divinum et ad vitam christianam.

2. Laici participant sacerdotium Christi per characterem Confirmationis, qui est, ait S. Thomas, derivatio sacerdotii Christi, fons potestatis spiritualis ...[3] ad alios — dixit — verbis, quasi ex officio.

Etenim Incarnatio fit *ad redemptionem, sed fit*[4] *ad* redemptionem *per* sacerdotium Iesu Christi sacerdotis et victimae *derivatam*[5] in omnibus membris Ecclesiae seu populi Dei.

Cum gratia et donis ...[6] sacerdotium Christi est clavis totius ecclesiologiae, necnon etiam totius Concilii, ita ut omnia membra Ecclesiae, Papa, episcopi, presbyteri (qui constituunt hierarchiam) et laici, baptizati et confirmati, uniuntur in tramite sacerdotii Christi, omnes coniuncti, quisque cum gradu potestatum in seipso sculptarum per characterem Baptismi, Confirmationis et Ordinis.

Et omnia membra coordinata, quisque suo loco, cum suis muneribus, activa *debeant,*[7] *debent* esse in apostolatu universali Ecclesiae, et sunt Ecclesia una in Corpore mystico Christi. Natura sua Ecclesia est sacerdotalis.

Sed proh dolor! laici fere omnes *etiam,*[8] etiam inter meliores et disertos, nesciunt realitatem et efficacitatem potentiarum in seipsis sculptarum ad apostolatum *per Confirmationem.*

Theologi recenter, A. Adam, Luykx, Jungmann et alii fatentur non existere veram theologiam de Confirmatione...[9]

Imprimis[10] confirmatio est sacramentum plenitudinis donorum Spiritus Sancti sicut in primitiva Pentecoste. Sacramentum virtutis aposto-

latum exercendi in mediis vitae (là où l'on vit). Est sacramentum ad testificandum de Deo, de Christo, de Ecclesia, de vita christiana, proprie, in familia, in professione, in civitate. Cetera magni momenti, meo iudicio, tradam scripto secretariatui Concilii...[11]

Aliquae conclusiones:

1. *In Concilio,* meo iudicio, *defuit commissio de sacerdotio,* quam iam sollicitavi *in emendationibus, particulariter*[12] in emendatione de Liturgia.

2. *Defuit etiam schema de sacerdotio,* quia trama sacerdotalis praesens est aut debet esse activa in omnibus schematibus.

3. *In theologia, usque nunc, defuit et adhuc deest tractatus de sacerdotio,* qui esset...[13]

Moderator: Rev. Pater, non est ad rem; vis intra subiectum remanere.

Orator: 5. Laici baptizati et confirmati, doceantur de fundamentis vitae christianae (de gratia et de charactere baptismi) et de fundamentis apostolatus (de *gratiae*[14] donis, charactere confirmationis).

6. Laici recipiant formationem, praeparationem, animationem *doctrinalem, spiritualem, pastoralem*[15] circa eorum potestates et munera adimplenda in mediis vitae et circa missionem erga hierarchiam necnon media vitae. Dixi, Maria duce. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] et officii. [4] deest. [5] derivatum. [6] Spiritus Sancti. [7] deberent. [8] deest. [9] « Il n'existe pas de vraie théologie de la Confirmation; la pauvreté du schéma classique sacramentaire appliqué à la Confirmation; il ne règne pas une pleine clarté dans la théologie de la Confirmation ». A. ADAM: *Confirmation et Pastorale,* p. 17, 180, 184. Inter alios, unus episcopus Galliae, Concilio praesens, titulum mandato pastorali dedit: *Un grand Sacrement méconnu, la Confirmation,* et quam facillime thesim probavit! Saepe saepius ephemerides catholicae, quae agunt de apostolatu laicorum, nihil dicunt de confirmatione. Quando agitur de apostolatu laicorum, fere nunquam loquitur de sacramento apostolatus, nempe de confirmatione. Aliunde, quando tractatur de Confirmatione, hoc sacramentum praesentatur sicut sacramentum praelii, pugnarum, pro defensione Ecclesiae. Et haec vera sunt. [10] Sed imprimis (et hoc est nimis ignotum). [11] Igitur quando agitur de apostolatu laicorum, omnino mihi videtur necessarium ut imprimis ponantur principia de sacerdotio spirituali laicorum in quantum sint fundamenta illorum participationis, pro sua parte sacerdotali in cultu divino et in apostolatu activo. Duplex error vitanda est: 1. Exprimere, dicere, baptizatos et confirmatos esse presbyteros; 2. exprimere, dicere, nihil esse sacerdotale in laicis. Nihil dicere de participatione laicorum sacerdotio Christi, esset prosequere in ignorantia laicorum quoad eorum

dignitatem et fundamentum illorum apostolatus. Sed dicere quod essent presbyteri, esset illis attribuere titulum cuius haberent neque characterem neque potestatem, neque obligationes praestandi. Papa Ioannes XXIII bis in eodem die 2 iunii 1962 invitavit auditores ad vivendam suam Confirmationem: 1. adolescentulis milanensibus a S. E. card. Montini praesentatis, dixit: « Avete promesso di *vivere integralmente il sacramento della Cresima,* per rendere operosa la vostra testimonianza cristiana » (*L'Osservatore Romano,* 3 giugno 1962); 2. Comitatui italiano permanenti pro formatione professionali, eodem die dixit: « Si tratta non soltanto di fare buoni operai ma di irrobustire *cristiani* convinti che *vivano costantemente il sacramento della Cresima* » (*Acta,* 7 iulii 1962). [12] deest. [13] lumen in multis capitibus theologiae dogmaticae et pastoralis. 4. In liturgia deest festum Sacerdotii I. C. quod evocaret in Missa et Breviario sacerdotium Christi, Ecclesiae, hierarchiae et etiam laicorum qui *simul sunt Ecclesia.* Deest in ritibus baptismi et confirmationis ut exprimatur effectus characteris utriusque sacramenti: i. e. participatio cultui divino (B) et participatio apostolatui (C). [14] gratia. [15] doctrinales, spirituales, pastorales.

13

REV.MUS P. D. HILARIUS CAPUCCI

Superior gen. Ord. Basiliani Aleppensis Melchitarum

Venerabiles Patres,

In exercitio suae missionis per mundum, Ecclesia orientalis semper coluit intimam associationem inter clerum et populum. Numquam, *forsan dici potest,*[1] experta est illam dissociationem inter hierarchiam, aristocratico modo conceptam uti sola responsabilis de Regno Dei, atqui dotata charismate praecipiendi, et laicatum unice consideratur uti gregem regendum, cui non petitur nisi oboedientia.

Ecclesia, quae est Corpus Christi, tota est missionaria, tota tendit ad secundum adventum Domini, tota procedit et laborat, sub influxu Spiritus Sancti, per innumera dona multiformis eiusdem gratiae, quae large effunduntur in membra Christi, in servitium totius Familiae Patris. « Et erit in novissimis diebus, dicit Dominus, effundam de Spiritu meo super omnem carnem: et prophetabunt filii vestri, et filiae vestrae, et iuvenes vestri visiones videbunt et seniores vestri somnia somniabunt. Et quidem super servos meos, et super ancillas meas, in diebus illis, effundam de Spiritu meo, et prophetabunt » ...[2]

Oriens immo aliquantulum cecidit in excessum quemdam democraticum; nimis nempe *forte*[3] limitavit munera cleri intra ambitum liturgicarum functionum, dum *laicatui non solum reservabatur administratio temporalis, sed etiam, in consilio congregato sub praesidentia clerico-*

rum, aliqua professio doctrinae theologicae concedebatur, necnon habitualis cura operum caritatis, et saepe relationes publicas cum Statibus.[4] Magnam partem habuerunt huiusmodi consilia mixta, laicorum scil. et clericorum, in electionibus episcopalibus aliisque huiusmodi negotiis.

Venerabiles Patres, quaevis institutio humana habet sua commoda et incommoda. Sed tempus forsan est ut Ecclesia *Universalis*[5] se avertat a nimio clericalismo *etiam apud nos hodie*[6] et latas aperiat ianuas laicatui, eum tractando uti adultum, illumque integrando in vita sua ecclesiali et pastorali cum illa plena responsabilitate quae homini maturo convenit. Formulae huiusmodi integrationis variae esse possunt iuxta varias circumstantias temporum, locorum et personarum. Sed omnes ad unum tendere debent: ad Ecclesiam nempe dimensionis cosmicae, arctissime unitam cum laicatu qui conscius sit officii sui, integram assumens responsabilitatem suam circa hierarchiam.

Tempus est igitur ut *sive in oriente sive in occidente*[7] confidamus in zelo, competentia, atque sensu ecclesiali eorum quos elegimus et instituimus inter laicos.

Si quae erunt deficientiae vel haesitationes in primis temporibus, hoc impedire non debet novam directionem quae magis in dies videtur necessaria ad bonum Ecclesiae. Hoc autem ratione ipsius naturae et sub motu ipsius Spiritus Sancti, non autem tantum, uti aliquando asseritur, propter decrescentem numerum vocationum sacerdotalium vel religiosarum.

Ne obliviscamur episcopos et sacerdotes in Ecclesia esse ministros Spiritus Sancti. Dantur enim Ecclesiae « ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in aedificationem Corporis Christi »...[8], ad hunc scil. finem ut detur Ecclesiae sua cohaesio missionaria. Vigilare debent ut Ecclesia fiat revera populus sacerdotalis, qui fideliter impleat missionem suam apostolicam: « ut virtute annuntient eius, qui de tenebris eos vocavit in admirabile lumen suum ». Audire debent Spiritum, qui in Ecclesia operatur, ut secernere queant, et spirituali modo intelligant, motus quos suscitat Spiritus pro salute totius mundi. Transmittere debent scientiam divinam quae transformat baptizatos in sacrificium spirituale per Eucharistiam. Adiuvare debent libertatem humanam ut maturescat, in plena conscientia suae responsabilitatis, atque se mutet in libertatem vere humanam, transfiguratam a Spiritu Sancto.

Spiritus adiuvat Ecclesiam ut magis conscia sit de eo quod est, speciali modo in populo fidelium. Non habetur aliud salutis signum in mundo nisi in communione episcoporum atque sacerdotum et laicorum

qui simul vivere cupiunt coram problematibus hominum, eorumque valoribus atque conatibus, Mysterium Christi Iesu. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] scil. [2] (*Act.* 2, 17-19). [3] deest. [4] reservabatur laicatui, in consilio congregato sub praesidentia clericorum, non solum tota administratio temporalis, sed etiam professio doctrinae theologicae, opera caritatis, necnon relationes publicae cum Statibus. [5] occidentis. [6] deest. [7] obliviscamur complexuum clericalium nostrae absolutae suprematiae et efficacitatis. [8] (*Eph.* 4, 12).

14

EXC.MUS P. D. IGNATIUS M. DE ORBEGOZO Y GOICOECHEA

Episcopus tit. Ariassensis, prael. null. Yauyosensis

Venerabiles Patres,

Cum gaudio imperire potui quomodo multa de quibus ego loqui volebam circa magnas imperfectiones et lacunas schematis *de apostolatu laicorum* dicta iam sunt, maiore quidem auctoritate ab aliis Patribus.

Ideo ad vobis vitandum ulteriorem repetitionem, non utar iure loquendi. Manifestare tamen desidero me concordare praesertim cum iis omnibus quae opportune exposita sunt praecipue ab em.mis cardd. Ritter et Suenens, tum circa naturam propriam apostolatus laicorum eiusque finem specificum, tum circa necessitatem firmiter defendendi et efficaciter tuendi ius nativum associationis et realem pluralitatem formarum associationis. Gratias. Dixi.

Moderator: Gratias pro concisione!

Textus scripto traditus:

1. Etsi in schema aliquo modo appareat effectivum desiderium ponendi sub clariore luce urgentem necessitatem et momentum apostolatus laicorum ad regnum Dei magis magisque extendendum, attamen sub diversis adspectibus, neque semel, animadvertitur notabilis defectus praecisionis in terminologia, immo et quasi quaedam difficultas ponendi in suo loco ipsam essentiam talis apostolatus, et consequenter etiam eius qualitates et characteres peculiares. Hoc vero, nostro iudicio, magna ex parte contingit quia in schemate apostolatus laicorum consideratur cum mentalitate nimis clericali, cum nimia tendentia ad « hierarchismum ».

Iam in ipso « prooemio », una simul cum ratione valde apta de necessitate huius apostolatus — qui dicitur enim « *suapte natura necessarius* » —, aliae etiam rationes adducuntur quae tali validitate carent, vel valent in gradu infimo et relativo: v. g. « *Ob insufficientem numerum cleri* ».

2. Missio Ecclesiae est continuare, usque ad consummationem temporum, opus Christi in terris, « Deum glorificando, animas salvando, *instaurando omnia in Christo* ». Sed Ecclesia hanc missionem perficere debet, modo quidem diverso, *per omnia sua membra.* Ideo, quando agitur de vocatione apostolica laicorum necessarium videtur ut insistatur, cum summa claritate et praecisione, circa physiognomiam peculiarem qua, intra illos « diversos quidem modos », apostolatus laicorum collaborat in illa *instauratione omnium rerum in Christo.*

Ratio essentialis apostolatus laicorum est « consecratio mundi », eodem modo ac finis primarius apostolatus Ecclesiae hierarchicae coincidit cum fine primario Redemptionis: docere, sanctificare et animas gubernare easque dirigere ad finem ultimum.

Sua ipsorum natura, laici peculiari et specifica capacitate pollent ut efficaciter persequantur fines apostolicos sibi proprios. Essentialiter propter suam condicionem laicorum possunt dare testimonium Christi in media societate civili, ex omni professione et officio, in omni sociali condicione, in omni tempore et loco.

Necessarium est ut consequentiae et modi considerandi ipsam rem deducantur e correcta intellectione omnium notarum quas apostolatus laicorum habet, et habere debet ut efficax sit. Haec vero omnia non apparent satis clare in schemate.

Sic, e. g. in cap. IV, *de formis associativis,* agitur, de facto, de necessitate quam habent laici sese congregandi in coetibus vel associationibus, ut ita pervenire possint ad plenam efficaciam sui laboris apostolici. Sed hoc modo lamentabiliter ignoratur vel despicitur efficacia illius modi exercendi apostolatum quem vocare possumus « personalem » et qui generatim est modus quo apostolatus plerisque in casibus perficitur.

Expedit ut ob oculos habeatur innumeros esse fideles qui, multis sane de causis — quandoque subiectivis, quandoque vero professionalibus vel familiaribus, etc., uti plerumque contingit — nullam sentiunt inclinationem ad nomen dandum alicui associationi, aut revera id facere non possunt; qui tamen habent missionem apostolicam quam optime perficiunt multis in casibus, idque per apostolatum personalem et directum.

3. Relate ad associationes fidelium, in schemate animadvertitur spiritus nimiae « vigilantiae » — nimii « hierarchismi » —, qui multis in casibus non est necessarius, neque semel erit verum obstaculum pro exercitio apostolatus laicorum.

Schema igitur magis insistere deberet in *libertate associationis* qua laici pollent ut melius ac efficacius perficiant munera apostolica sibi propria. Et hoc quidem quia ordinarie ipsi laici sunt qui, ex ambitu suae vitae et peculiaribus adiunctis (socialibus, professionalibus, familiaribus, etc.) in quibus vitam suam agunt, melius parati sunt ad promovendos illos coetus vel associationes inter personas magis affines et aptas pro fine apostolico quem persequuntur.

Hoc praeterea in beneficium redundat ipsius Ecclesiae Hierarchicae, quae sese limitare debet ad prudentem coordinationem et vigilantiam in ordine morali, doctrinali, etc. illarum associationum, quas alia ex parte cum omni gaudio fovet.

Immo vero, in schemate aliquo modo manifestari deberet necessitas quod — saltem quod attinet ad Actionem Catholicam « stricto sensu », nempe ad illam cuius dependentia immediata et directa ab ecclesiastica hierarchia est publica et manifesta — sodales Actionis Catholicae absolute caveant et omni cura vitent agere nomine hierarchiae in aliis activitatibus praeter quam in illis quas, clare et specifice, hierarchia ipsis commendet. Nisi haec ita sint, hierarchia ecclesiastica

quandoque sese inveniet implicata in rebus quae saltem suos fines praetergrediuntur, quaeque semper erunt causa confusionis et falsae orientationis pro multis aliis fidelibus.

4. Alia ex parte, valde optandum est, ob manifestas rationes iustitiae, ut in schemate referentia etiam fiat, cum eadem amplitudine qua agitur de Actione Catholica, de aliis associationibus apostolicis laicorum pariter bene meritis, quae quidem multis in nationibus magis aestimantur quam Actio Catholica tum a plerisque episcopis tum ab ipsis fidelibus. Hoc contingit, e. g., in plerisque nationibus Americae Septemtrionalis et Meridionalis, ubi magnam extensionem obtinuerunt et optimum laborem apostolicum exercent associationes uti sunt Confraternitas Doctrinae Christianae, Legio Mariae, etc.; iis in locis vero Actio Catholica consideratur tamquam aliqua inter alias associationes fidelium, orta in Italia et parum diffusa extra Italiam. Immo vero, periculum adest — quod quidem iam est reale nonnullis in locis — ne quis cogitet Actionem Catholicam idcirco imponi quod in Italia originem habet. Haec omnia sane sunt realitas apostolica et pastoralis quae prae oculis habenda est quaeque profecto non solvitur per subtilitates notae (13) schematis.

Realitas quidem est quod Actio Catholica non placet multis in nationibus, idque non solum propter ipsum *nomen* sed etiam propter structuram totalitariam et exclusivistam quae videtur quod eidem praebere desideratur.

15

Exc.mus P. D. ANTONIUS QUARRACINO

Episcopus S. Dominici Novem Iulii

Venerabiles Patres,

Schema in genere plus minusve placet; in multis denuo examinandum est ut in melius evadat. Forsitan hae observationes ad hunc scopum inservire possunt.

1. Observatio prima « quaestio mere formalis » appellari posset; sed puto documentum conciliare, quod speciali modo ad manus laicorum perventurum est, oblivisci non posse. Dicere intendo quod in schemate maior halitus (hispanice alienot, vuelo) et fortior stylus desideratur. Et ita — hac forma — patere debet lucide et nervose baptizatum profundis sensibus amoris et optimismi erga mundum animari debere; non erga mundum illum pro quo Dominus non rogavit sed erga istum quem aliquo modo iam Incarnatio Verbi consecravit. Ita etiam dicendum istum mundum — in suis structuris et in suis humanis elementis — locum esse ubi laicus fundamentaliter apostolus esse debet et quem « consecrare » habet, si haec expressio, analogice, admittitur. Immo vero, quia modo speciali homo modernus non serio considerat nisi veritates vel res cum quibus ligatum se sentiat (hispanice compro-

metido), laici nostri « ligati » sese sentire debent cum Ecclesia et cum mundo; cum mundo technicae et culturae, artis et laboris, famis et subevolutionis, etc. Vigorosa exhortatio ad hunc « compromissum » deesse non potest, etiam memorans, ex una parte, compromissum *illud*[1] recordari debere Ecclesiae transcendentiam supra omnes culturas historicas, et — ex alia parte — compromissum *illud*[2] cum mundo fieri non potest, saepissime, sine dolore, vel dubitationibus et tensionibus. Haec omnia, puto, incrementum « sensui Ecclesiae » laicatus praestaret.

2. Imago et realitas Ecclesiae a transmissione vitalis nuntii salutis hominibus dependent. Agitur, ergo, *ut dictum est,*[3] de Ecclesia missionaria; de episcopis et laicis qui constituunt et uniuntur in populo Dei, in Corpore vivo quod, ad instar fermenti, diffundere Evangelium hominibus intendit.

In n. 1 schematis maiori vi exprimi debet quod « totalitas » populi Dei et Corporis Christi, cuius utique ope Baptismatis et Confirmationis membra constituuntur, est apostolatus laicalis fundamentum. Totae Ecclesiae Spiritus Sanctus dona et carismata concedit, quamvis utique hierarchiae est authenticitatem eorum discernere et recognoscere. Hoc in schemate plus minusve dictum est, sed — repeto — melius esset maiori vi illud sublineare. Et etiam maiori claritate nexum schematis cum illo *de Ecclesia* appareret.

3. In n. 16 doctrina de Actione Catholica bene et in aequilibrio posita est; ita saltem sentio. Ecclesia fuit et est dives formis et associationibus apostolicis et in ea coexistere potest quod in genere « apostolatus catholicorum » appellatur, cum Actione Catholica stricto sensu. Ad Ecclesiam universalem formas vel experientias alicuius nationis extendere velle, saltem imprudens esset. Pateat Actionem Catholicam non exhaurire conceptum apostolatus, sed nec esse tamquam genus quod omnem speciem actionis apostolicae laicalis includeret; potius est species sub genere « apostolatus laicalis », significata (*hoc est,*[4] caracterizada) quia hierarchia uniri sibi vult speciali mandato et sub propria responsabilitate. Ex una parte, tamen, recordari iuvabit, mandatum de quo agitur nullo modo creare sed supponere missionem illam apostolicam quam laicus habet, non quidem canonicam sed generalem — vel sacramentalem, si vultis — in Baptismate et Confirmatione receptam; ex alia parte, illam specialem significationem non indicare « exclusivitatem » vel « praeeminentiam » apostolicam, nec ullo modo ansam praestare debere periculo clericalismi.

Res ita considerantes periculum non est malae intelligentiae denominationis, et quaestionem movere contra sic dictam Actionem Catholicam videretur mere formalis. Ita nomina plurimarum associationum de-

lenda essent: apostolatus orationis v. g., quia monopolium orationis significaret ab iis qui ei nomen dederunt, vel Legio Mariae, quia solummodo eius membra, possent quidam credere, Matrem Iesu amarent.[5]

4. Ni fallor, nullibi in schemate loquitur de opinione publica in Ecclesia; tantum adest referentia tenuis in schemate *de Ecclesia*; et tamen Pius XII — felicis recordationis — dixit Ecclesiam esse organismum vivum et aliquid ei deesse si opinio publica defuerit. Mea humilis opinio est quod agitur de forma participationis in functione ecclesiali gubernii, et ideo est forma apostolatus. Clare loquitur de participatione laicali in missione sanctificandi et docendi, et non ita gubernandi; et puto, tamen, posse et debere loqui. Quidam modi repraesentationis, *ut dictum est,*[6] electionis et administrationis in Ecclesia essent forma aliqua participationis in illa gubernii missionis; opinionis publicae exercitium esset altera. Quidquid de hoc fuerit, verum est quod laicatus nostri temporis, qui « adultus » vocatus est, hoc exercitium exigebit, quia si est Ecclesia — sicuti revera est — tamquam ius suum illud considerabit. Quoad expressionem et ubicationem in schemate, peritiores videant.

5 et ultimo. In n. 20, ubi agitur de secretariatu constituendo, dicatur futurum esse revera universalem atque repraesentativum, et cuius membra eligentur ab ipsis laicis Associationum internationalium. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] illum. [2] illum. [3] deest. [4] hispanice. [5] deest. [6] deest.

16

Exc.mus P. D. EDUARDUS PIRONIO

Episcopus tit. Caeciritanus, aux. Platensis

Venerabiles Fratres,

Schema in genere placet ...[1]. Attamen, ob momentum huius schematis et ob exspectationem ipsorum laicorum necnon et totius mundi, aliquas observationes humiliter propono ut textus melior evadat, divitia praesertim doctrinali — biblica, scil. theologica, et liturgica.

I - *Observationes generales.*

1. Desideratur *stylus magis biblicus et patristicus.* Praescindendo enim a citationibus quoad litteram S. Scripturae et Patrum — quae non semper feliciter proponuntur — maxima viget distantia quoad « sensum » seu « clima » biblicum inter hoc schema et schemata *de Ecclesia* vel *de S. Liturgia.*

Apostolatus laicorum, qui est participatio in missione salvifica Ecclesiae, debet inseri in historia nostrae salutis. Quapropter oportet ut in prooemio clare affirmetur praesentia « missionaria » ipsius Christi — Prophetae, Sacerdotis et Regis — in tota communitate ecclesiali (tum in hierarchia, tum in universo populo Dei). Christus, nempe, « quem Pater sanctificavit et misit in mundo » ...[2] totam Ecclesiam sanctificat, ope Spiritus Sancti, et illam indesinenter mittit in mundum, sicut et ipse missus est a Patre, ut Evangelium salutis communicet et tota creatio in definitivam redemptionem filiorum Dei perducatur. Laici, itaque, sanctificati seu « consecrati » Baptismate et Confirmatione, mittuntur in mundum ut sint in eo testes Resurrectionis Domini Nostri Iesu Christi.

2. Observatio generalis: Desideratur etiam *contextus magis theologicus*. Quamvis enim principia tradita sint in schemate *de Ecclesia,* schema nostrum non potest praesentari nimis pragmatice seu moraliter. Quapropter, oportet ut quaedam fundamenta theologica, breviter sed lucide et sensu, si vultis, pastorali, iterum memorentur. Nempe:

a) Incorporatio in Christum, Sacerdotem, Prophetam et Regem, qui praesentialiter vivit in Ecclesia cum sua anima essentialiter redemptiva.

b) Incorporatio in Ecclesiam-populum Dei: qui *populus*[3] continuo crescit, ope activitatis apostolicae singulorum membrorum, usque ad definitivam consummationem in Regno Patris.

c) Incarnatio in mundo: qui postulat ut totus homo — anima et corpus, persona et societas —, immo et tota creatio, definitive salvetur et fiat in Christo « nova creatura ».

3. Non satis affirmatur *valor S. Liturgiae* ut principium et finis actionis apostolicae. In Liturgia enim nutriuntur laici ut sint in mundo vere testes Mysterii Paschalis. In ea etiam sunt testes mundi coram Trinitate *et qua tales*[4] seipsos offerendo, et totam creationem, tamquam hostiam vivam et spiritualem cultum Deo.

II - *Observationes quaedam particulares*:

1. Quoad formationem apostolicam: deberent tradi quaedam principia generalia. Scil.:

a) profundior cognitio « sacrae doctrinae (sc. profundizatio theologica);

b) configuratio cum Christo: *cum Christo*[5] oranti, *cum Christo*[6] patienti, *cum Christo*[7] ministranti;

c) positiva valorizatio mundi redimendi: cognitio *nempe*[8] et amor *huius*[9] mundi.

2. Non sufficienter sublineatur munus « propheticum » in apostolatu laicorum: communicatio *scil.*[10] nuntii salutis. Laicus enim, plenus Spiritu Sancto, debet continuo proclamare « magnalia Dei », annuntiare scil. aliis quae Dominus fecit cum ipso...[11]

3. Non satis describitur munus apostolicum laici ut « testis mundi » coram Ecclesia. Laicus enim — ut ait Summus Pontifex Paulus VI, feliciter regnans — est « pons » inter Ecclesiam et mundum: debet testificare Ecclesiam coram mundo *quidem*[12] et mundum coram Ecclesia...[13]

Denique in pag. 13, n. 13, necessitas consociationis in apostolatu deberet fundamentari in ipsa natura communitatis ecclesialis. Tota enim communitas ecclesialis debet esse apostolica. Et mundus, ut credat et salvetur, ardentissime exspectat, non tam testimonium singulorum membrorum, quam testimonium totius communitatis. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] ut basis disceptationis. [2] (*Io.* 10, 36). [3] deest. [4] deest. [5] deest. [6] deest. [7] deest. [8] deest. [9] deest. [10] deest. [11] (*Lc.* 8, 39). [12] deest. [13] 4. In pag. 12, linn. 10 ss., inter qualitates humanas, enumerentur etiam spiritus liberationis (desprendimiento) et spiritus servitii. 5.

17

Exc.mus P. D. STEPHANUS LÁSZLÓ
Episcopus Sideropolitanus

Venerabiles Patres, Fratres et Sorores in Domino,

Cum multis aliis schema etiam mihi placet.[1] Quod non praecipue ut membrum commissionis proferre vellem, sed ut observator evolutionis theologicae et sociologicae huius materiae annis elapsis. Ante non multos annos in aliquo Dictionario ecclesiastico, quod satis cognitum fuit, sub verbo « laicus » tantum verba scripta fuerunt: vide sub verbo « clerus ». Et haec omnia, quae de clero exprimebantur, sub signis negativis pro laico valebant.

Quam progressum ergo hoc schema significat!

Nihilominus fateor, schema praesens etiam mihi tantum iuxta modum placere. Deest ei, uti iam dictum est, sufficiens theologica probatio.

Sed iuxta theologicum, schema nostrum etiam conspectum sociolo-

gicum habet. Qui etiam hic praeteriri nequit, si asserta de laicis et eorum apostolatu pro omnibus valorem debent habere.

Schema tunc tantum ab omnibus recipietur et etiam realizabitur, si non revolutionem sed vitalem evolutionem in hac materia repraesentat et pari modo talem evolutionem *vitalem* [2] respectu habito ad schema *de Ecclesia,* etiam pro futuro admittit.

...[3] Quod n. 16 attinet *de Actione Catholica,*[4] propono ut *numerus ita remaneat uti est. Non facile fuit aliquam assertionem invenire quae omnibus placere possit.*

Quae in n. 16 contenta sunt post multas disceptationes et etiam post nonnullas novas propositiones, in fine consensum unanimem commissionis receperunt, opinantes omnibus expectationibus ita satisfieri. Repraesentat enim viam mediam, quae omnibus aperta est, et etiam ulteriorem evolutionem apertam relinquit.[5]

Ad n. 12. Quae ibi continentur, vera sunt et ubique et semper valent. Propono autem ut textus magis biblicis fundamentis, et quidem sub respectu apostolatus, confirmetur, et praeterea ut eius actualitas pro hodierno tempore extollatur. *Quod primum attinet textum secretariatui trado. Quod ad actualitatem sequentia propono.*[6]

In alinea 3 laici iure et consequenter ad opera caritativa et ad sic dictam assistentiam socialem peculiariter invitantur. Quae invitatio *ita propono* [7] ibi omnino remaneat, etsi in schemate *de Ecclesia in mundo huius temporis* de hac re agendi sit praevisum.

Nemo nescit, quot necessitates etiam in hodierno mundo exsistunt, e. g. uti sunt fames in multis regionibus mundi aut morbi saepe insanabiles et alii status pauperrimi multorum hominum. Pariter satis cognitum est, maioribus mediis pecuniariis tum famem cum multos morbos, quos insanabiles esse videntur, et alias necessitates devinci possint. Ex altera parte multi in rebus florentibus (in lingua germanica « Wohlstand ») vivunt, quod pro nobis unum ex gravissimis problematibus pastoralibus factum est.

Necesse ergo est, quod gravitati huius quaestionis correspondeat, ut Concilium has necessitates principales, uti sunt fames, morbi et aliae graves necessitates explicite nominet, responsabilitatem pro his excitet et praeprimis ad auxilia efficacia, quae magnae necessitati et hodiernae possibilitati respondeant, advocet.

Quae assistentia etiam in futuro sub directione episcoporum eorumque cooperatorum remaneat, quia ita ista immediata connexio cum personis et operibus variarum regionum exprimitur, etiamsi certe utile erit, ut Ecclesia non tantum talia opera promoveat, sed etiam auxilium suum ad rectam distributionem talium mediorum nobis praebeat.

Venerabiles Patres,[8] mundus certe doctrinam huius Concilii admirabitur, sed iudicabit nos secundum opera nostra, quae iure exspectantur, quia sunt optima probatio veritatis et doctrinae, quas mundo *nuntiare volumus.*[9] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Schema valde placet. [2] deest. [3] I. Ad n. 16. [4] deest. [5] Textus de Actione Catholica respectu habito ad varias condiciones in singulis regionibus remaneat sicuti est. Certe est, quae in hoc numero de Actione Catholica dicuntur, parum esse videntur. Quot Summi Pontifices et etiam permulti episcopi de hac re loquebantur et laicos iterum atque iterum ad hunc laborem apostolicum cohortabantur! In multis regionibus Actio Catholica exsistit et etiam bene operatur. Pro his omnibus textus, uti iacet, fere ut delusio apparere possit. Etiam nos episcopi Austriae de hac re plura exspectavimus. Sed quia textus essentialia de hac re continet et etiam Actio Catholica expresse nominatur, ad hanc expressionem consentire possimus, quia mediam viam nobis exponit, quae omnibus aperta est et etiam laborem nostrum praesentem et ulteriorem non praepedit. Propono autem ut apostolatus Actionis Catholicae peculiariter commendetur et, si in aliquibus regionibus nomen Actio Catholica deest, res ipsa nullibi pro possibilitate desit, quamvis Actio Catholica semper ad varias circumstantias et necessitates loci et temporis sese accommodare debebit. II. Ad n. 11. Propono, ut n. 11, qui materiam non satis clare et intelligibile tum pro clericis cum pro laicis exponit, de novo exaretur et ibi praeprimis clare exponantur:

1. *Momentum apostolatus* in ordine temporali. Qui apostolatus iuxta eum pro conversione hominum necessarius est, quia homo unicus et non divisus est; quia cum ordine temporali eiusque recta instauratione apostolatus efficax conversionis hominis ad Deum intime connectitur et ab eo valde dependet; quia Verbum caro factum est, quo mysterio totus mundus eiusque ordo ad opus salutis assumptus est; quia Ecclesia est principium vitale societatis humanae, quod praeprimis laicis realizari debet.

2. *Competentia* peculiaris laicorum in hoc apostolatu quia laicus in hoc mundo, i. e. in familia, in sua vocatione et in societate vivit; quia Deus ipse eum ad hunc statum vocavit, ut ibi, participans in munere Christi sacerdotali, prophetico et regali, officium suum christianum adimpleat.

3. *Modus,* quo laicus apostolatum suum in ordine temporali adimplere possit et debeat, nempe, ut occasionibus permultis apostolatus utatur, quibus sibi vita sua in mundo praebeant; praeterea ut ad rectum ordinem in mundo condendum labore suo conducat et ita bonas condiciones pro Evangelio annuntiando praeparet; et denique ut istud novum principium vitale cogitandi, formandi et sese gerendi, nempe Christum, mundo suo imprimat.

4. *Relatio* inter hierarchiam et laicum in hoc apostolatu adimplendo, nempe, laicus pro tali apostolatu exercendo mandato hierarchiae non indiget, sed hierarchia laicum a tali obligatione etiam relevare nequit. Hierarchiae tantum vigilantia competit, ut sana doctrina et mores boni non in periculum deveniant. [6] 1. Caritas pertinet ad principia fundamentalia vitae christianae et cuiusvis apostolatus, quia « Deus caritas est » (*1 Io.* 4, 16), quia « sic Deus dilexit mundum, ut Filium

suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam aeternam » (*Io.* 3, 16), quia « caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis » (*Rom.* 5, 5). Propterea caritas mandatum magnum Veteris, praecipue autem Novi Testamenti est; propterea christiani Sacrificium Eucharisticum cum sic dicta « Agape » coniunxerunt; propterea communitas christiana iam temporis primaevi ut confraternitas se sciebat et propterea etiam hodie testimonium christianum suam credibilitatem apud homines tantum consequitur, si istud cum caritate se abnegante, non egoistica, coniunctum est, quod tum pro singulo cum pro societate valet. 2. [7] deest. [8] deest. [9] nuntiamus. 3. In alinea 4 scriptum est: « Quidquid iustitiae est, urgeant, indesinenter integritatem eiusdem promoventes » (pag. 12, linn. 35 s.). Verum est quod ibi dicuntur, sed nimis breviter, ita ut non totum contentum huius phrasis in sua tota gravitate facile intelligatur. Exsistunt nempe non pauci homines putantes officiis iustitiae eleemosynis satisfacere posse, obliviscentes, tali habitudine optimam viam revolutionibus socialibus pandere. Omnium nostrum officium est ergo, adlaborare ut omnibus hominibus ea conveniant, quae e bonis terrae eis conveniunt. Nihilominus caritas semper necessaria erit, ut suppleat ea, quae hominibus modo iniusto praepediuntur, et ut opera iustitiae hominis, cuius cor non tantum iustitiam, sed etiam caritatem desiderat, quasi coronet et pro posse ad perfectionem deducat.

18

Exc.mus P. D. SEBASTIANUS SOARES DE RESENDE
Episcopus Beirensis

Venerabiles Patres, atque reliqui omnes,

Imprimis schema *de apostolatu laicorum,* nunc discutiendum, mihi satis placet, ut fere ab omnibus dictum est. Attamen aliquas liceat mihi animadversiones facere relate ad puncta varia eiusdem schematis.

I animadversio titulum respicit par. 1, pag. 5, lin. 23, qui sic sonat: « De participatione laicorum in missione Ecclesiae ». Nam si laici Ecclesia sunt quia Ecclesiae membra sunt...; si Christus dixit « ego sum vitis vos palmites... »; si apostolus Paulus docuit Ecclesiam Corpus Christi esse; si laici in ecclesia semper plus minusve activi fuerunt, certum est illos laicos, eo ipso quo laici sunt, missione Ecclesiae participare debere. Ergo titulus ille idem omnino dicit quod supponitur. Idem esset si affirmaretur laicos illos, de quibus agitur, in ecclesia baptizatos esse. Ideoque videtur mihi titulum illum corrigendum esse, hac vel alia simili forma, scil. « De modo vel de dimensione participationis laicorum in Ecclesiae missione ».

II animadversio refertur ad eandem paragraphum in quo de vocatione apostolica agitur. Nam ibi affirmatur, et optime quidem, vocationem christianam vocationem esse ad apostolatum. Iamvero omnino opor-

tet profundius enucleare et evolvere fundamentum huius veritatis quae maximi momenti est pro valore et soliditate totius praesentis textus et pro actualibus conditionibus Ecclesiae. Etenim vocatio christiana vocatio est ad apostolatum quia per characteres baptismi et confirmationis baptizati et confirmati participes fiunt sacerdotio Christi in eius triplice missione, scil., docendi, regendi et sanctificandi. Hoc dicitur in textu. Sed aliquid amplius dicendum est.

Character baptismi esse « christianum » confert baptizatis et propterea in baptizatis esse christianum est esse sacerdotale. Evidentissime de sacerdotio communi agitur et non de sacerdotio a sacramento Ordinis conferto. Sicut in Christo qui est Unctus a Patre esse Christi est esse sacerdotale, ita in baptizatis esse christianum est esse sacerdotale. Ergo vocatio christiana est omnino idem quod vocatio ad apostolatum et consequenter apostolatus laicorum ipsam vitae christianae essentiam constituit.

III animadversio respectum dicit ad par. 2, pag. 6, lin. 23, ubi dicitur: « Imprimis spiritus apostolicus manifestatur et etiam alitur oratione praesertim participatione Sacrae Liturgiae etc. ». Nam si missio laicorum est Ecclesiae missio; si Ecclesiae missio est missio gratiae; si sacramenta vim habent ex sacrificio Crucis quod in altaris sacrificio pergit, illa missio apostolatus laicorum ut missio vitae christianae, essentialiter connectitur cum sacrificio Missae et ab eo ut prima fonte alitur et propterea hoc dicatur explicite in textu.

Praesertim specifica illa apostolatus forma, quae Actio catholica dicitur, vim et efficaciam accipere debet a conscientiae statu, quo unusquisque laicus altaris sacrificio participat et, ut ita dicam, vivat.

IV animadversio adhuc ad par. 2 fit. Si obligationis apostolatus fundamentum est ipsa essentia vitae christianae quia ipsum esse vitae christianae est ipsum esse vitae apostolicae, cur in paragrapho hac non dicatur verum esse mandamentum de hac re? Etenim ex una parte apostolatus laicorum vere in ecclesia necessarius est et ex alia parte materialismus vitae modernae et egoismus in mundo imperans saepe saepius impediunt multos apostolatus officium exercendi. Omnes non ignoramus indolem huius temporis et etiam ipsius Concilii non tolerare doctrinam exponere et mandata promulgare modo imperativo et totalitario. Sed hoc non impedit quod sacrosanctum Concilium modo claro licet suaviter declaret verum mandamentum apostolatus omnes christianos urgere ita ut aliquis non sit qui illam obligationem faciliter et sine dubio non agnoscat.

V animadversio inspicit eandem par. 2, quae de apostolatu ab omni-

bus et singulis exercendi agitur. In historico momento quod Africa hodie vivit aliquid amplius explicite dicendum est de apostolatu laicorum in missionibus seu de cooperatione illorum ad Ecclesiam condendam regionibus illis. Licet schema habeamus « De activitate missionali Ecclesiae » videtur mihi necessarium esse in hac paragrapho breviter sed inciso modo affirmare quantum a laicis fieri possit ac debeat in campo humanistico, technico, oeconomico, sociali et christiano apud gentes et in territoriis, quae nunc evolutioni subiciuntur.

VI animadversio spectat ad par. 3, pag. 7, lin. 7 ss., de formatione apostolica. In re tanti momenti et in schemate qui promulgandus est a Concilio Oecumenico certe omnibus videtur loqui generice non sufficere. Et in textu nostro formatio apostolica tantum ut pars humanae et christianae formationis apparet. Formationem specifice apostolicam in laicis exigere oportet, alio modo, crisis hodierna apostolatus solutionem efficacem non inveniet. Utique temporibus nostris in territoriis pluribus Actio catholica vera et gravi crisi afficitur praesertim inter iuvenes. Ergo explicite dicatur omnino necessariam esse formationem qua talem apostolatus laicorum. Et haec specifica formatio attingere debet non solum laicos ad apostolatum exercendum sed etiam sacerdotes ut etiam ipsi periti sint de omnibus quaestionibus apostolatus. Loquor, autem, non de sacerdotibus in genere, qui formationem saltem genericam possidere debent ut ubique verum clima psychologicum apostolatus efforment et exstruent sed de sacerdotibus illis, qui laici adsistentes erunt apud organa apostolatus. Ad hanc formationem actualem expletam audacem et efficacem obtinendam valde desiderandum est quod, Romae, apud secretariatum in servitium apostolatus laicorum de quo loquitur textus noster centrum constituatur internationale in quo a peritis vere selectis efformentur omnes illi, laici et sacerdotes, qui postea, in dioecesibus omnium continentium apostolatus laicorum parare et implere debent. Centrum hoc internationale esse poterat vera Universitas Actionis Catholicae et Pastoralis et simul...

Moderator: Faveas concludere, Pater reverende!

Orator: Ego sum praecise in conclusione. ... talis institutio constitueret in futurum verum signum vel ut ita dicam allegorice sacramentum Concilii Oecumenici Vaticani II.

Hoc vobis proponere audeo, venerabiles Patres.

Textus scripto traditus:

Aliquid breviter et simpliciter dicere intendo circa praesentem schematem, nunc discutiendum, de apostolatu laicorum.

Imprimis schema satis placet. Attamen animadversiones aliquas liceat mihi facere relate ad varia puncta eiusdem schematis.

I animadversio respicit titulum par. 1, pag. 5, lin. 23, qui sic sonat: De participatione laicorum in missione Ecclesiae. Nam, si laici Ecclesia sunt quia Ecclesiae membra sunt...; si Christus dixit: « Ego sum vitis vos palmites... »; si apostolus Paulus docuit Ecclesiam corpus Christi mysticum esse; si laici in Ecclesia semper activi plus minusve fuerunt, certum est illos laicos, eo ipso quo laici sunt, missione Ecclesiae participare debere. Ergo titulus ille dicit omnino idem quod supponitur. Idem est ac si affirmaret laicos in Ecclesia baptizatos esse. Propterea mihi videtur titulum illum esse corrigendum hac vel alia simili forma, scil.: De modo vel de dimensione participationis laicorum in missione Ecclesiae.

II animadversio refertur ad eandem paragraphum in quo de vocatione apostolica loquitur. Nam ibi affirmatur et quidem optime vocationem christianam esse vocationem ad apostolatum. Tamen oportet amplius enucleare et evolvere fundamentum huius veritatis quae maximi momenti est pro valore totius praesentis textus et pro actualibus conditionibus Ecclesiae. Etenim vocatio christiana vocatio est ad apostolatum quia per characteres baptismi et Confirmationis baptizati et confirmati participes fiunt sacerdotio Christi in eius triplice missione, scil., docendi, regendi et sanctificandi. Praeterea aliquid amplius dicendum est. Character baptismi esse christianum baptizatis confert et propterea in baptizatis esse christianum est esse sacerdotale. Evidenter agitur de sacerdotio communi et non de sacerdotio a sacramento Ordinis conferto. Sicut in Christo qui est Unctus esse Christi est esse sacerdotale, ita in baptizatis esse christianum est esse sacerdotale. Ergo vocatio christiana est omnino idem ac vocatio ad apostolatum et consequenter apostolatus laicorum ipsam vitae christianae essentiam constituit.

III animadversio respectum dicit ad par. 2, pag. 6, lin. 23, ubi dicitur: « Imprimis spiritus apostolicus manifestatur et etiam alitur oratione praesertim participatione Sacrae Liturgiae, etc. ». Nam si missio laicorum Ecclesiae est missio; si Ecclesiae missio est missio gratiae; si sacramenta vim habent ex sacrificio Crucis, quod in altaris sacrificio pergit, illa missio apostolatus laicorum essentialiter connectitur cum sacrificio Missae et propterea hoc dicatur explicite in textu. Praesertim illa specifica apostolatus forma, quae Actio Catholica dicitur, originem et vim accipere debet a conscientiae statu quo unusquisque laicus altaris sacrificio participat et, ut ita dicam, vivat.

IV animadversio ad paragraphum adhuc secundam fit. Cur in isto loco non explicite dicendum sit laicos verum mandamentum habere in ordine ad apostolatum faciendum? Non imperativo modo hoc affirmetur quia huius temporis indoles et etiam ipsius Concilii exponere doctrinam et mandamenta promulgare non tolerat nisi modo suavi et cum simplicitate. Attamen puto omnino necessarium esse hanc veram obligationem cum evidentia et firmiter declarare, ita ut omnes faciliter et sine dubio illam agnoscant.

V animadversio inspicit par. 3, de formatione apostolica. Mihi videtur quod loqui de formatione apostolica, modo generico tantum, non sufficiat. Nam, in textu, haec formatio generica ut pars humanae et christianae formationis apparet. Formationem specifice apostolicam exigere oportet, alio modo crisis hodierna apostolatus laicorum solutionem efficacem non habebit. Utique, hodie, in pluribus territoriis, Actio catholica vera crisi afficitur et praesertim inter iuvenes. Ergo

explicite dicatur omnino necessariam esse formationem qua talem apostolatus laicorum. Et formatio haec specialiter attingere debet non solum illos et illas qui in collegiis educationem accipiunt sed etiam illos et illas qui in iisdem collegiis eandem educationem ministrant. De hac necessitate expresse locutus est Ss.mus Papa Paulus VI in epistola ad catholicos Argentinae. Ad hanc formationem efficacem actualem et expletam obtinendam valde desiderandum est quod, Romae, apud secretariatum in servitium apostolatus laicorum, de quo loquitur textus, centrum constituatur internationale in quo a peritis efformentur omnes illi qui, postea, in dioecesibus omnium continentium apostolatus laicorum parare et impellere debent.

VI animadversio fit relate ad cap. III, pag. 10 ss. In capite hoc paragraphi exponuntur aliquae de obiecto apostolatus laicorum et aliis. Ego postulo quod inter paragraphum 11 quae agit de ordine temporali christiane instaurando et par. 12 quae sic sonat: De actione caritativa erga proximum, alia introducatur quae plus minusve hoc dicat: De cooperatione in Ecclesiam condendo territoriis missionum. Et postea breviter sed modo inciso exponatur quantum a laicis fieri possit in campo humanistico, tecnico, economico et christiano apud gentes et territoria quae nunc evolutioni subiciuntur. Tantum cum illa nova paragrapho cap. III completum erit.

19

Exc.mus P. D. IOSEPH RUOTOLO

Episcopus Uxentinus - S. Mariae Leucadensis

Venerabiles Patres,

Schema *de apostolatu laicorum,* sicut nunc exstat, mihi placet, quia est syntheticum et proponit quae sunt utilia formationi et activitati laicorum, apostolatum exercentium. Attamen tres observationes humiliter propono: 1. circa obligationem adhaerendi associationibus; 2. circa media formationis; 3. circa mutuam concordiam fovendam.

1. Schema clare affirmat officium pro laicis exercitii apostolatus, fluens — ut ipsum declarat — « ex ipsa unione christifidelium, in charactere sacramentali baptismi et confirmationis fundata, et Ss.ma Eucharistia nutrita » ...[1]. Quando vero schema agit de formis associativis, non significat aperte obligationem adhaesionis. Fit sermo de libertate — et verum est — quia nemo potest cogi, sed libertas coniungi debet cum responsabilitate: unde exsurgit obligatio obiectiva.

Si ita est, posset quis quaerere: Cur in Conciliis praecedentibus, praesertim Tridentino et Vaticano I, ne verbum quidem factum est de apostolatu sociali laicorum?

Facilis est responsio: nam associationes Medii Aevi vel finem habebant cultus exercendi, ut v. g. Confraternitates, etsi constitutae ad finem

temporalem assequendum, uti e. g. Collegia Opificum (vulgo « Le Corporazioni di arti e mestieri »), tamen ab auctoritate ecclesiastica directe vel indirecte dependebant.

Ex alia parte Concilium Vaticanum I non potuit hoc argumentum aggredi, quia eius celebratio interrupta est ob notas calamitates politicas. Ceterum tempore Concilii Vaticani I associationes antireligiosae erant secretae, uti secta Francomurariorum. E contra, exeunte saec. XIX et durante saeculo praesenti, plures associationes ubique exortae sunt, quarum maior pars a religione praescindit et aliae contra ipsam occulte vel aperte agunt.

Unde derivat *necessitas* constituendi associationes apostolatus — Actionem Catholicam, Legionem Mariae, etc. — et consequenter oritur *obligatio* pro veris christianis ipsis adhaerendi, si possibilitas adest. Etiam infirmi possunt esse socii alicuius associationis, ut est Apostolatus Orationis.

2. In discussionibus habitis anno praeterito plura dicta sunt de necessitate culturae et formationis religiosae et moralis pro his praesertim, qui directionem habent associationum apostolatus. Favente Deo, nonnulla incepta exorta sunt: nam fundata sunt nonnulla Seminaria catechistarum et alia Instituta pro cultura christologica laicorum.

In schemate possunt adiungi hortationes pro laicis, qui nequeunt accedere ad *centra,* de quibus fit sermo in schemate ...[2]. Duo humiliter propono:

A) Promoveantur in dioecesibus et in regionibus frequentes Conventus praepositorum apostolatus associationibus, ut ipsi plene discant ex mutua experientia et ex peculiari cultura eorum, qui docent in Centris, quae magis idonea censentur ad activitatem proficuam explendam.

B) Ad formationem religiosam et moralem dirigentium et sociorum fiat singulis annis praxis exercitiorum spiritualium pro unaquaque categoria, quibus unusquisque libere, et possibiliter gratuito, possit accedere. Nam saepe apostoli laici, sicut olim apostoli Iesu Christi, sunt defatigati — aiebat enim S. Marcus « veniebant et redibant multi, nec spatium manducandi habebant. Tunc dixit ipsis Iesus: Venite seorsum in desertum locum et requiescite pusillum » ...[3]. Commissio non putavit opportunam hanc hortationem, sed humiliter et instantissime peto ut fiat explicita incitatio huius Sanctae Synodi ad magis diffundendam providentialem usum, qui maximum profectum affert associationibus catholicis.

3. Pro mutua caritate fovenda. Schema hortatur ad « unitatem spiritus in vinculo pacis » ...[4] promovendam inter associationes...[5]

Puto aliqua adiungenda eo quod saepe iurgia et dissensiones oriuntur inter associationes paroeciales ob individualismum vel falsam aemulationem, praesertim quando nonnullae ex ipsis dependent a religiosis familiis et aliae a parocho loci. Duo puto remedia proponenda:

A) Aestimatio reciproca, quia omnes associationes catholicae essentialiter eumdem finem attingunt, uti aiebat Pius XII, die 10 martii 1955 parochis et praedicatoribus: « non è lecito, diceva, considerare i vessilli, sotto il quali i fedeli si raccolgono, o i distintivi, che portano, purché siano benedetti dalla Chiesa. Sia il benvenuto chiunque si offre ad aiutarvi. Il campo di Dio è vasto e le esigenze della coltivazione sono innumerevoli ».

B) Frequentiores conventus sociorum diversarum associationum pro efficiendis inceptis in peculiaribus circumstantiis, ut e. g. occasione praeparationis festi Patroni, vel missionis popularis, vel congressus eucharistici etc.

Quod Sancta Synodus innuit de *consiliis* in ambitu dioecesis vel paroeciae, potest extendi ad ipsas associationes paroeciales.

Iuvamen maximum ex mutua caritate obtinebunt familiae, communitates paroeciales et ipsum Corpus Christi mysticum, quod est Ecclesia. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] (pag. 6). [2] (n. 3, pag. 8). [3] (*Mc.* 6, 13). [4] (*Eph.* 4, 3). [5] (n. 20, pag. 17).

Moderator: Proxima congregatio generalis erit feria II, hora nona.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: Reponatur Sacrosanctum Evangelium.

CONGREGATIO GENERALIS XCIX

12 octobris 1964

CONGREGATIO GENERALIS XCIX

12 octobris 1964

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, arch. tit. Samosatensis, *Ss. Concilii secretarius generalis*:

Exeant cuncti sed sine cunctatione, et exstinguantur lumina candentia! [*Intervallum*].

Moderatur hodiernam congregationem generalem, i. e. nonagesimam nonam, em.mus ac rev.mus D. card. Petrus Gregorius Agagianian.

Communico Patribus tristem nuntium piissimae mortis exc.morum Ioannis Patritii Treacy, ep. Crossensis in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis, et Michaëlis Ioseph Rodrigues, qui fuit primus ep. Belgaumensis in India.

Precemur pro nostris confratribus!

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: *De profundis clamavi ad te, Domine...*

Secretarius generalis: Notum etiam facio Patribus, die 14 octobris proxima, in ecclesia S. Ludovici Francorum, hora 18, Missam celebratum iri in suffragium et in memoriam em.mi D. card. Clementis Roques, arch. Rhedonensis.

En igitur nomina eorum, qui verbo uti petierunt circa schema *de apostolatu laicorum*: em.mus ac rev.mus D. card. Achilles Liénart, ep. Insulensis in Gallia; exc.mi Villelmus Pluta, ep. tit. Leptis Magnae in Polonia; Aurelius del Pino, ep. Illerdensis in Hispania; Candidus Padin, ep. aux. Fluminis Ianuarii in Brasilia; Alexander Renard, ep. Versaliensis in Gallia; Emmanuel Llopis, ep. Cauriensis-Castrorum Caeciliorum in Hispania; Villelmus Power, ep. Antigonicensis in Canada; Ioannes Heenan, arch. Vestmonasteriensis in Anglia; Emmanuel Larraín, ep. Talcensis in Chilia; Stephanus Bäuerlein, ep. Diacovensis in Jugoslavia; Henricus Donze, ep. Tutelensis in Gallia; Ioseph Höffner, ep. Monasteriensis in Germania; Paulus Cheng, ep. aux. Taipehensis in Sinis; Aloisius Civardi, ep. tit. Thespiensis; Ludovicus Alonso, arch. tit. Sion, Vicarius Castrensis in Hispania; Andreas Fougerat, ep. Gratianopolitanus in Gallia; Henricus Nicodemo, arch. Barensis in Italia; Emmanuel Fernández-Conde, ep. Cordubensis in Hispania; Carolus Himmer, ep. Tornacensis in Belgio; Germanus Lalande, sup. gen. Con-

gregationis a Sancta Cruce; Philippus Hannan, ep. aux. Vashingtonensis in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis.

Moderator: Enixe rogantur Patres conciliares, qui verbum facere petierunt, ut animadversiones suas limitent ad prooemium et ad singula puncta. Considerationes generales iam auditae sunt satis.

PATRUM ORATIONES

(*De apostolatu laicorum*)

1

EM.MUS P. D. ACHILLES CARD. LIÉNART
Episcopus Insulensis

Venerabiles et carissimi Fratres,

Schema *de apostolatu laicorum* in sua generalitate mihi placet; circa nonnulla tamen accuratius esse deberet.

1. Bonum quidem est quod Concilium in memoriam revocet apostolatum non solius sacerdotii rem esse; sed ratione baptismi suscepti, confirmationis, necnon sacerdotii fidelium, debent ipsi laici in Ecclesia Dei ut membra adulta et activa se habere, partemque habent exercendam in extensione regni Dei.

Attamen oporteret ut melius definiatur pars illa quae propria laicorum est in ministerio evangelisationis, quaeque differt ab illa sacerdotii. Vivunt enim laici in mundo, easdem conditiones exsistentiae habentes ac ceteri homines. Per suos mores ac christianam activitatem debent esse fermentum illud quod mundum ab intus christianum reddat. Quorum officium non tantum est ut clerum adiuvent in suo munere obeundo, sed ut illi complementum praebeant, agendo in universo regno humano, familiali, sociali, nationali atque internationali, ut testimonium ibidem reddant Iesu Christo viamque aperiant gratiae Dei, quae omnes sollicitat homines.

Asserendum etiam esset quomodo in sui muneris adimpletione, ius habent et officium assumendi incepta omnia et responsabilitates proprias, christianis adultis et consciis competentes.

2. Bonum quidem est quod extollatur momentum apostolatus laicorum, et enixe rogentur sacerdotes ut toto conatu laicos in apostolatum militantes efforment.

Mihi tamen videtur quod peculiari modo instandum esset circa praeparationem iuvenum christianorum pro tali apostolatu. Est enim iuventus aetas vocationis, aetas videlicet capitalis in qua vitae sensus imprimitur. Magni igitur interest ut iuvenibus christianis adaperiatur responsabilitas quae sua est, erga mundi christianisationem, cum sine ipsis fieri nequit, et ut ad hoc adhortentur in virtute gratiae iam acceptae. Prompti sunt enim ut se devoveant pro bono fratrum suorum; quodsi ipsis ostendatur quomodo per Actionem Catholicam capaces sunt communicandi fidem suam, et ita per ipsam meliorandi mundum in quo vivunt, libentius se tradent, ex toto iuventutis suae ardore, tali missioni sibi ab Ecclesia creditae.

3. Bonum quidem est quod de apostolatu laicorum in genere agatur, intelligendo sub hoc titulo omnes modalitates activitatis christianae, tam individualis quam collectivae, religiosae, caritativae vel directe apostolicae.

Sed necesse est quod modo peculiari de Actione Catholica fiat sermo, quae specialis est forma apostolatus laicorum, in Ecclesia inde a pontificatu Pii Papae XI instituta, et a successoribus eius omnibus commendata.

Utrum tamen sit huic termino, Actionis Catholicae, danda tam ampla significatio quod nequeat *amplius* [1] applicari associationibus peculiaribus, sicut mos praevaluit in Gallia et nonnullis aliis regionibus? Mihi non constat. Nam vocabulum istud « Actionis Catholicae » inde ab initio significationem accepit bene determinatam, associationes designans laicorum quos consociat episcopus suo apostolatui, in suo munere directe evangelisandi, quique ab ipso « mandatum » accipiunt ut propriam partem assumant. Non indiscriminate ergo applicatur omnibus consociationibus apostolatus laicorum, sed certae categoriae eorum tantum.

Ceterum ista non uniformis est, nec quibusdam privilegiatis reservata. Episcopo vero, qui dux et curator est apostolatus, licet sub hac denominatione omnes inscribere associationes quas opportunum ducit suo apostolatui consociandi directe; sub quo sensu latius pandere voluit Papa Pius XII significationem vocabuli. Nihil tamen prohibere debet episcopos quin titulum hunc Actionis Catholicae tribuant sodalitatibus quae dictis conditionibus respondent.

Propterea puto quod omnis aequivocatio de hac re dissiparetur si explicite de hac quaestione tractaret schema, potius quam illam sub silentio praeteriret. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest.

2

Exc.mus P. D. VILLELMUS PLUTA
Episcopus tit. Leptimagnensis

...[1] *Unicam animadversionem velim proferre de formatione apostolica, et nempe in forma omnino concreta.*[2]

1. Agitur de formatione apostolica, de qua sermo fit in cap. I sub n. 3...[3]

Meo ...[4] iudicio in hoc n. 3 necessitas et genus huius formationis non tam clare exponitur nec enixe praecipitur, utpote res tam magni momenti id exposcat. Quod probo:

a) Primo iam forma huius numeri externa non correspondet rei tam gravis momenti. Talis materia enim in speciali capite est exponenda, ita ut magis honoretur, minime solum occasionaliter tractanda uti hoc videtur fieri in nostro schemate. *N. 3 in praesenti sua forma et in praesenti suo loco schematis,*[5] minoris momenti esse videtur.

b) Deinde in argumento et indicationibus huius numeri sublineatur institutio et instructio potius *intellectualis* quam *spiritualis* in notione proprie ascetica. Re ipsa est hic etiam sermo de educatione, sed valde generalis et de « communi » sine clara relatione ad opus apostolatus.

c) Denique tale propositum caput *singulare*[6] certo non *afferret*[7] detrimentum brevitati schematis quam commissio *certe*[8] intendebat, quia non desideratur unice externa extensio materiae, nec enumeratio singulorum mediorum spirituali vitae faventium.

Et[9] quoniam decretum conciliare de apostolatu certo prae oculis habebit utilitatem et scopum *practicum* atque hoc decretum magis quam quodlibet a pluribus fidelibus praecipue legetur et disputabitur ...[10], tale caput de formatione est necessarium, in quo clare exponenda sunt breviter generalia principia formationis, quae statim praxi pastorali emolumentum afferant. Et conficiendum est *tale caput*[11] in tali *forma,* ut lector ...[12] permagnum momentum quam facillime intelligat.

2. Quapropter — *in conclusione*[13] — in tali capite de formatione inveniantur sequentia:

a) Mentio gravis de essentiali et prima conditione cuiuslibet apostolatus, quae est sanctitas vitae apostolatui addictorum, vel saltem eorum sincera voluntas prompta ad assequendam perfectionem christianam congruentem statui vitae...[14]

b) Duo generalia *inveniantur*[15] principia asceticae educationis

et vitae *asceticae,*[16] i. e.: de statu caritatis, de statu gratiae in permanentia, et, secundo, de vera « humanitate », ut nunc aiunt, probata vera fraternitate, sincera benignitate et amore erga omnes. Haec enim « humanitas », uti omnes scimus, est primum fundamentum vitae asceticae supernaturalis et quia est hodie tam rara, ab hodiernis hominibus summe aestimatur et multum valet ad persuadendum de christianitate. Qui apostolatui addicti sunt, debent imprimis esse « veri homines ».

c) Generale *inveniatur*[17] principium de necessitate instructionis opus apostolicum spectantis in Ecclesia, pro et cum *Ecclesia.* Adsunt enim multi fideles optimae voluntatis, iam aliquam vitam spiritualem ...[18] colentes, qui tamen non sunt conscii curae suae de Ecclesia uti de opere salvifico manente in historia et mundo, et curae quae sibi incumbit de salute mundi. Ipsi intelligunt — *i. p. christifideles*[19] — Ecclesiam institutionem hominibus quam utilem, *qua* ergo solummodo *utuntur.* Tales fideles non sunt ob hanc causam vituperandi, potius instruendi de pulcherrimo Ecclesiae mysterio, in qua sunt uti « in Christo » ...[20], et de *notione apostolatus,*[21] quem ii solummodo in intima conscia coniunctione cum Ecclesia et in amore erga Ecclesiam exercere possint et debeant, instituendi sunt, ut Ecclesiam uti Christum manentem in saeculo, ament.

d) *Inveniatur*[22] aurea regula de modo et methodo cuiuslibet institutionis religiosae et catecheticae, quae institutio non debeat se contineri intra instructionem pure intellectualem, sed suus primarius finis sit introductio in vitam « in Christo », ergo finis spiritualis et asceticus, tum ex parte docentis tum ex parte infantis *et adolescentis*[23] scienter et data operata adpetendus. Ratio est, quod educatio apostolica a prima iam infantia incipienda est.

Et experientia docet primam S. Communionem infantis, de qua S. Pius X in decreto « Quam singulari » loquitur, huic operi educativo et ascetico a *prima infantia* feliciter favere tum ob rationem psychologico-paedagogicam ex parte infantis tum ob *parentes promptos* ad cooperationem praecipue in hoc casu curae animarum. Exhortationes S. Pii X in memoriam revocandae sunt.

Conclusio. Cap. I n. 3 mutandus est et amplificandus in sententiam meae animadversionis! Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] I. Animadversio *formalis* — spectans structuram schematis eiusque materiae dispertitionem.

Schematis unitas *interrumpitur*:

1) *externe,* nempe interposito in capite I n. 3 « De formatione apostolica ». Perspicuum enim est partes cap. I n. 2 et cap. II nn. 5, 6, 7, 8, tractare idemque

obiectum i. e. genera et modos apostolatus, quam ob rem hae partes uniendae sunt in unum caput: « De modis Apostolatus ». Hoc modo eadem materia non solum externam assequetur unitatem sed etiam internam: modi enim apostolatus enumerati in cap. I n. 2 sunt, ut ita dicam, faciliores, qui ab omnibus exerceri possunt, modi tamen cap. II nn. 5-8 iam difficiliores qui non tam communiter exerceri possunt. Proposito modo obiectum tractatum organice et gradatim coalescet in unum. Cap. I n. 3 spectat totaliter aliud obiectum.

Schematis unitas interrumpitur etiam:

2) *interne,* nempe apposito in cap. III inter « fines assequendos » n. 12 « De actione caritativa ». Iudicio meo haec actio non est *finis* « apostolicus » sed *modus* et quidem quam maxime christianus, a quo communiter ab omnibus christianis perfecto hi alii « fines » apostolatus essentialiter dependent. Haec actio caritativa non solum est essentialis nostra obligatio, sed re ipsa ab omnibus in quacumque conditione vitae exerceri potest, eo magis quod modus hodiernus vera caritate carens eam a *christianis* expectat et quidem recte expectare potest.

Conclusio. 1. Cap. I n. 3 removeatur de hoc loco in schemate, augeatur et amplificetur in caput speciale ob causas de quibus loquitur in II animadversione. Tale singulare caput de formatione apostolica inseratur schemati post caput tractans de modis apostolatus. 2. Cap. III n. 12 removeatur de suo praesenti loco et inseratur cap. I n. 2 pag. 7 post verba « ... propria oblatis » in lin. 4. Caritativa enim actio pulcherrimum est testimonium Ecclesiae, de quo in hoc numero sermo fit. [2] II. Animadversio materialis (et quidem unica). [3] Nobis omnibus perspicuum est, de quo nemo dubitat, formationem *spiritualem,* immo *sanctitatem* esse essentialem conditionem cuiuslibet apostolatus sive sacerdotum sive laicorum. [4] tamen. [5] Hic n. 3 comparative ad alias quaestiones schematis fusius expositas quamvis naturae sint potius organizatoriae. [6] deest. [7] affert. [8] recte. [9] Attamen. [10] (quia valde iam nunc desideratur). [11] deest. [12] materiae. [13] deest. [14] (Talis mentio non invenitur in praesenti schemate). [15] deest. [16] deest. [17] deest. [18] — summa nostra consolatio —. [19] deest. [20] (novum decretum Concilii de Ecclesia affert multum argumentum). [21] apostolatu. [22] deest. [23] deest.

3

Exc.mus P. D. AURELIUS DEL PINO GOMEZ
Episcopus Illerdensis

Venerabiles Patres et omnes alii perdilecti in hac aula adstantes,

Laudes amplissimas tribuere debemus schemati *de apostolatu laicorum,* quod si ad praxim reduceretur plenitudine et sapientia quibus conceptum est, optime dicere possumus humani generis vitam in vitam quodammodo caelestem convertere et gravissima problemata in omnium nationum ambitu existentia et quae hominum exstirpatione tragice minantur, felicissimo modo manere soluta.

Omnia in schemate asserta firmo fundamento doctrinali nituntur et ideo magis quam profusam et deordinatam discussionem scholasticam alere, zelum pastoralem in genere et erga speciales actuationes urgentiores excitare oportet. Pro certo habeamus omnia, quae in aula circa schema sessionibus anteactis prolata sunt, etsi contradictoria et implacabilia videantur, implicite et miro modo ad harmoniam reducta in schemate continentur. Non amplius loquamur de clericalismo nec de independentia et absoluta libertate laicorum in apostolatu, qui si intenderet penitus subtrahi ab auctoritate Romani Pontificis, episcoporum et parochorum, nullo modo dici posset apostolatus neque univoce neque analogice, sed esset apostolatus, erroneo prorsus modo intellectus, nocivus et sine dubio damnandus. Haec tam clara sunt, ut in illis insistere non liceat. Mea humili sententia, opportunius esset has controversias relinquere, ut a Romano Pontifice paterne et prudenter, tempore opportuno, solvantur, et nos omnes toto corde intendere ut schema prout iacet aut aliquibus modificationibus sapienter adiunctis ardentissimo zelo et ferventissima fiducia supernaturali, sub Spiritus Sancti auspiciis, ad praxim reducatur.

Totis viribus curandum est ut apostolatus laicorum...

Moderator: Rogo, exc.me Pater, ut venias ad singula puncta... In n. 3, « de formatione apostolica laicorum », et in n. 11, « De ordine temporali christiane instaurando », de quaestionibus moralibus, etc..., uti habes in tua interventione scripta.

Orator: Bene! Omni reverentia dico tibi quod conveniens fuisset haec dicere die elapso, non nunc quando omnia sunt parata, et non possumus improvisare! Hoc dicitur opportune.

Totis viribus curandum est ut apostolatus laicorum adaptetur ad indolem et ad problemata dioecesium vel regionum Sanctae Ecclesiae in quibus exercetur, et propterea opiniones et iudicia illarum gentium prae oculis habenda sunt, quin obliviscamur per suam plenam, immediatam et ordinariam auctoritatem in omnibus Ecclesiae locis praesentem esse Romanum Pontificem, qui sua paternali sapientia et bonitate convenientiora discernit et ideo suae peramantissimae providentiae omnes laeto animo subiectos esse debemus.

Non defuerunt qui in huius schematis discussione de libertate ferventer locuti sunt. Iterum atque iterum dicendum est quod libertas religiosa prout ab eis intelligitur admitti nequit. Libertas religiosa in ordine physico aut psychologico utique adest. Libertas ad peccatum seu ad legis transgressionem, quae peccatum implicat, omnino damnanda est.

Qui non crediderit, condemnabitur ...[1]; peccatores ibunt ad ignem aeternum ...[2]. Et iure merito, ...[3]

Moderator: Exc.me Pater, venias ad argumentum et ad conclusionem, prout in summario habetur! De libertate religiosa iam locuti sumus.

Orator: Agnoscere debemus problemata surgentia in operariorum et laboris sphaera inter graviora societatis problemata esse adnumeranda et unum ex praecipuis apostolatus laicorum campis constituere. Interrogare nobis liceat: Nonne haec problemata cito et feliciter solverentur per adoptionem structurarum socialium a Romanis Pontificibus propositarum et portentoso et synthetico modo in schemate collectarum? Attente cogitemus de ineffabili influxu quem in omnibus negotiis haberet determinatio includendi operarios et istorum beneficia inter proprietarios et eorum emolumenta, ita ut omnes, nempe operarii et proprietarii, sint vere ad negotium incorporati et de emolumentis participent rationabili modo, in harmonia cum Romanorum Pontificum et sociologiae catholicae doctrina. Per hanc dispositionem cum magno fundamento affirmare possumus orientationes materialistas et anarchicas, quae in campo productionis existunt, accepturas esse vulnus mortale et humanitatem per viam veritatis, iustitiae, fraterni amoris et pacis magna vi ambulare posset, prout nobis sapientissime exponitur n. 11 schematis.

Elata voce dicamus: bona naturalia et humana non condidisse Deum ut eis tantum determinati homines fruerentur, sed ad omnium hominum profectum ordinavisse. Quapropter ius proprietatis in harmonia cum hac sapienti ordinatione concipi debet, ita ut omnes possidere possint ea quibus ad decorosam suam vitam egent. Nec silere possumus praedicta bona vitae finem hominum non constituere, sed media esse ad Deum glorificandum atque ad nostram sanctificationem, et ideo ipsis uti debemus et ad eos attendere prout ad glorificationem divinam et ad sanctitatem nostram nos adiuvant. Si haec prae oculis haberemus, problemata socialia et oeconomica in individuis, populis et nationibus quasi miraculoso modo penitus solverentur et tamquam per viam caelestem ad aeternam beatitudinem tenderemus.

Quae in schemate, n. 2, pag. 6, sapientissime dicuntur de efficacitate orationis...[4]

Moderator: Explicit tempus, exc.me Pater!

In textu scripto tradito: [1] (*Mc.* 16, 16). [2] (*Mt.* 25, 41). [3] siquidem peccatum tendit ad Dei negationem et destructionem, et ideo ipse Deus peccatum permittere aut tollerare propter rationes altissimas potest, libertatem proprie

dictam, neque moralem neque iuridicam, ut committatur, concedere nequit, neque in apostolatu laicali. Idem, debita proportione servata, dicendum est de auctoritatibus ecclesiasticis et civilibus in proprio ambitu agentibus. [4] et mortificationis ad apostolatum laicorum, clarissime ostendunt apostolatum seu activismum qui non fundatur in sanctitate esse apostolatum seu activismum pure externum et periculosum, ex quo perniciosi effectus in omnibus Ecclesiae ambitibus sequuntur.

Quae de accurata praeparatione ad apostolatum laicorum, n. 3, pag. 7 asseruntur, toto corde attendenda et perficienda sunt.

Venerabiles Patres, frequenter recolamus et cordis plenitudine sentiamus sequentia permira verba schematis: « Urget ergo ut laici, praeter sua officia et munera quibus funguntur, operam etiam conferent ad exsequendum consilium Dei tam naturalia quam supernaturalia in se complectens, ita ut ordinem temporalem restaurent ac perficiant eumque spiritu christiano imbuant ». Cum tempus non adsit ad omnia praedicta verba attente perspicienda, breviter attendam ad ea quae legem moralem tangunt. Inter innumeras et elatas actuationes quae in praedicta sphaera perfici debent, sine dubio eminent quae ad decus in vestibus, recreationibus et spectaculis et in aliis eiusdem generis actibus referuntur. Sancta Ecclesia honestarum recreationum inimica nullo modo est; immo nos ex toto corde hortatur ut illis utamur prudentia et moderatione debitis, nam necessaria nobis sunt ut fervore prosequamur in nostris muneribus apostolicis et in omnibus nostrae vitae officiis. Quod prohibet et vitare nos vult est moralis deordinatio, illa propensio quotidie fortior ad eradicandam veram honestatem sine qua omnis recreatio damnosa non tantum in supernaturali ambitu sed etiam in sphaera naturali et humana est. Apostolatus laicorum mirabiliter adiuvare potest ut honestas in vestibus et vultibus instauretur intra ambitus templorum, ita ut in ea ingredi non permittatur mulieribus neque viris qui non se exhibeant sicut Deus vult et iubet. Sine intermissione influere debemus ut in ambitu instrumentorum communicationis socialis, inter quae prelum, cinematographeum, radiophonia, televisio praecipua sunt, cuncta evolvantur harmonice cum altissima omnium hominum vocatione, ad Dei glorificationem, sanctitatem et aeternam beatitudinem. Pro certo habeamus spiritum libidinis, vanitatis, carnalitatis numquam satiari, sed suarum damnandarum inclinationum satisfactionem magis et maiore vi semper exigere; unicum medium ad vincendum est firmitas et tenacitas, suavitate et prudentia involutae, sine ullo timoris et ignaviae signo.

In supernaturali orbita, schema, pagina decima quarta, numero decimo sexto, speciali modo ad Actionem Catholicam et alias similes Institutiones refertur. Recipiamus, maxima reverentia et fervore sancto, has exhortationes et de Concilio exeamus cum supernaturali proposito, quotidie renovato, curandi ne sit una tantum paroecia in nostris dioecesibus ubi fundatae non sint quatuor partes Actionis Catholicae, prout in augustis indicationibus Romani Pontificis Pii XII, venerabilis memoriae, innuitur. Utique aspirare debemus ut non sit neque unus fidelis in nostris dioecesibus qui ad Actionem Catholicam aut ad alias similes Institutiones non pertineat et in eis cum plenitudine vivat. Ex his exercitibus surgent, mirifico modo, innumerae et selectae vocationes nostris seminariis, Institutis religiosis et apostolatui laicali, quae mundum supernaturaliter transformabunt sub influxu ferventis caritatis et omnia evolventur in conformitate cum paternalibus designiis Dei Domini Nostri.

Instauremus laicorum apostolatum, promissionibus plenum, sub supernatu-

rali influxu Sanctissimae Eucharistiae, Mariae Immaculatae et Romani Pontificis, quem permagna reverentia, amore et fidelitate perspiciamus, et speremus, sancta fiducia, huius apostolatus fecundissimam evolutionem, quae constituet unum ex pretiosioribus diadematibus Concilii.

4

Exc.mus P. D. CANDIDUS PADIN

Episcopus tit. Tremithusius, aux. S. Sebastiani Fluminis Ianuarii

Venerabiles Patres, Observatores, Auditores et Auditrices carissimi,

Emendationes quas proponam subsignatae sunt etiam a quadraginta episcoporum Brasiliae. Rationes autem ad eas iustificandas nomine meo proferam.

Schema nostrum multum placet, specialiter propter claram affirmationem quam facit de necessaria vocatione apostolica omnium christianorum...[1]

Ideo, laicis in Ecclesia non est tantum beneficia magisterii et sanctificationis per ministerium hierarchiae recipere. Ut partes integrantes visibilis Ecclesiae, corresponsabilitatem eis assumere incumbit in exercitio missionis quam ipsa habet in mundo.

Sed hoc non clare apparet in prooemio. Quia[2] hic conceptus apostolatus, saltem practice per longum tempus absens fuit in Ecclesia. Revera, nonne ante oculos habemus tristes condiciones sociales in quibus maior pars humanitatis versatur, praesertim in nationibus non plene evolutis? Et hoc etiam in populis christianis! Sed si iniustitia viget, nonne hoc evenit, saltem magna ex parte, quia spiritus apostolicus christianorum in vita sociali absens fuit? Quam multi christianorum privilegia sua iniusta, sive in superflua possessione bonorum, sive in indebita superioritate ethnica vel alio ordine strenue vindicant, et hoc etiam nomine christianitatis! Patet, ergo, quod educatio christiana illorum, deficiens fuit in formatione spiritus apostolici. Quia apostolus Christi nuntius est regni veritatis, iustitiae, amoris et pacis.

1. Rogo, ergo, Patres venerabiles, ut in schemate nostro fortiter hoc dicatur, inde a prooemio, velut buccina qui nos omnes ad actuosam vitam apostolicam excitet. Ad hunc effectum, in pag. 5, lin. 16, propono *textus, quos Secretariatui remittam.*[3]

2. Gaudeo de momento quod in cap. II schematis tribuitur communitatibus et vitae ambitibus in exercitio apostolatus. In hac materia, autem, distinctio inter ambitus vitae et ambitus socialis prorsus necessaria est. Secus campus pro apostolatu sic dicto specializato non clare ap-

pareret. Ultimi Summi Pontifices, a Pio XI usque ad Paulum VI, feliciter regnantem, frequenter ac distincte hac de re locuti sunt. Sine illa distinctione, apostolatus minime responderet condicionibus socialibus hodiernis. Praeclarae commissioni relinquimus, ut in revisione huius capitis solutionem adaequatam inveniat.

3. Transeamus nunc ad quaestionem vexatam, ut dicitur, i. e. ad notionem Actionis Catholicae. Et ante omnia peto ut attendatur ad evolutionem huius institutionis apostolicae. Perspicuum omnibus est, quod non omnes nationes eadem via processerunt in condenda et evolvenda Actione Catholica. Si in aliquibus locis nullum vel deficiens fuit exitus huius incepti, in aliis vero multum profuit. Ergo, caute et prudenter oportet incedere. Ex una parte, hoc Concilium praecise adunatur ut instrumenta pastoralia Ecclesiae renovet. Ex altera autem condiciones sociales, praesertim quoad statum evolutionis vitae christianae in aliquibus nationibus, multum differunt. Quaestio haec magni momenti est pro nostris nationibus Americae Latinae, et forsan pro aliis. Ergo, instanter rogo, Patres venerabiles, ut vias aperiamus, non eas claudamus. Meo humili iudicio, puto quod in hoc Concilio non possumus determinare neque notionem exhaustivam Actionis Catholicae, quia experientia pastoralis matura adhuc non est, neque solutionem nimis arctam uniformiter pro tota Ecclesia, quia laederemus spiritui renovationis qui nunc in Ecclesia spirat.

Propositio quae formam genericam postulat, ita ut Actio Catholica genus esset sub quo omnes associationes laicorum promiscue includerentur, formalismum ac nominalismum sapit. Certe, solutio haec pastoralis non est, quia non attendit ad res sed potius ad nomen. Revera, argumentum hic in aula invocatum privilegium aliquod Actionis Catholicae impugnat, scil. privilegium nominis. Quia, ut dicitur, illud verbum « Catholica » pro actione apostolica universalis Ecclesiae potest applicari. Ergo, ut patet, argumentum non tractat de obiecto vel de methodo Actionis Catholicae sed tantum de eius nomine. Sed, rogo vos, Patres venerabiles, ut mihi dicatis num ab ultimis finibus orbis terrarum in Concilio Oecumenico vocati sumus ut de nominibus associationum disputemus? Quia tunc, etiam alia nomina in Ecclesia delenda essent. Fratres nostri iesuitae, quos multum diligo, iam non potuissent nominis Societatis Iesu uti, quia evidenter nos omnes in societate Iesu vivimus. Et etiam Sanctum Officium iam sic non deberet appellari, quia omnia officia ecclesiastica, per se, sancta sunt. Insuper, indebita esset denominatio Apostolatus Orationis pro determinata organizatione, quia omnes institutiones fidelium in Ecclesia orationem apostolicam non possunt omittere. His omnibus allatis, facile concluditur quod disceptatio no-

stra ut pastoralis revera fiat, ad fines apostolatus potius attendere debet quam ad nomina.

Revera, quid in hoc Concilio intendimus circa apostolatum laicorum? Nonne aptatio huius apostolatus necessitatibus societatis nostrorum temporum? Ergo, Concilio competit indicare quomodo apostolatus laicorum his necessitatibus magis adaequate respondere poterit. Sed conscientiam iam habemus sive de condicionibus hodiernae societatis sive de renovatione pastorali nobis necessaria. Etenim, hac in re principia fundamentalia in schemate *de Ecclesia* iam approbavimus, praesertim in capite « de laicis ». In illo textu clare apparet quod non sufficit activitatem pastoralem sic dictam « conservationis » habere, sed potius activitatem missionalem totius Ecclesiae, ita ut spiritus christianus ad omnes communitates et ambitus sociales pertingat.

Haec est ratio cur in schemate *de apostolatu laicorum* specialis mentio fit de Actione Catholica. Non quia aliquod privilegium ei tribuatur, sed quia finis immediatus eius est hunc apostolatum missionalem assumere, ita ut fermentum Evangelii per laicos penetrare possit in ambitibus socialibus ubi ipsi versantur. Haec natura Actionis Catholicae non fuit ab ipsis laicis arbitrarie usurpata, sed ipsis indicta a Summis Pontificibus, praesertim a Pio XI, « non sine aliqua inspiratione Spiritus Sancti », ut ipse declaravit. Insisto in clara explicitatione finis immediati, quia omnes organizationes laicorum in Ecclesia, ut patet, saltem mediate eundem apostolatum generalem exercent, i. e., influxum salvificum in homines mediante oratione vel actione. Sic, e. g., associationum marialium finis immediatus est pietatem erga B. Virginem modo particulari inter associatos fovere, ita ut ipsi per illam pietatem excitati ad aliquod apostolatum se conferant. Hoc est valde bonum. Sed non correspondet apostolatui universali totius Ecclesiae, quia non omnes christiani volunt B. Virginem colere illo modo particulari, sed potius modo communi a liturgia Ecclesiae ordinato.

Quaestio, ergo, de nomine secundaria est. Si condiciones speciales alicuius nationis mutationem nominis exigant, conferentiis episcoporum erit solutionem invenire. Sed ne impediatur nationibus quibus prosit, ut denominatio retineatur. Si libertatem pro laicis praedicamus, illos audiamus et non tantum nosmetipsos.

4 et ultimo. Tanquam consectaria huius principii, formulam novam proponimus pro constitutione Secretariatus apud Sanctam Sedem. Textus in schemate exaratus defectu clericalismi adhuc patitur. Modus illius secretariatus non differt a stylo Curiae. Dicit namque textus: « In hoc secretariatu cooperentur... laici ». Sed agitur de apostolatu laicorum, non autem de apostolatu clericorum. Ergo, laici non debent simpliciter

cooperare, sed ipsi membra erunt secretariatus una cum assistentibus ecclesiasticis uniuscuiusque organizationum.

Ut finem imponam meae interventioni, opportuna verba recolo quae in schemate *de Ecclesia* approbavimus: « Sciunt enim pastores se a Christo non esse institutos, ut totam missionem salvificam Ecclesiae versus mundum in se solos suscipiant, sed praeclarum munus suum esse ita pascere fideles eorumque ministrationes et charismata ita recognoscere, ut cuncti suo modo ad commune opus unanimiter cooperentur ». Si hoc fecerimus, Patres venerabiles, veri pastores erimus. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] Apostolatus laicorum, ergo, necessarius est non solum ob insufficientem numerum cleri, quasi per accidens, sicut frequenter praedicatur, sed ex natura ipsius Ecclesiae, cuius membra solummodo vere discipuli Iesu Christi erunt, si tanquam authentici apostoli vivant. [2] Attamen. [3] ut textus sic mutetur (emendatio I in folio adnexo).

Emendationes additae:

1. Pag. 5, lin. 16 (Prooemium). Addatur: « Insuper, condiciones sociales iniustae et aliquando inhumanae in nationibus non plene evolutis existentes, plurimum ex defectu spiritus apostolici multorum christianorum originem ducunt, eo quod ipsi in ordinem socialem spiritu evangelico informandum efficacem suam virtutem miserrime omiserunt. Hodiernis in adiunctis, adhuc urgentior apparet hic apostolatus, ob insufficientem cleri numerum in toto fere orbe terrarum. Praeterea, fortior omnibus rationibus, ipsa vitae christianae natura, sacramentum scil. salvifici amoris in mundo, vitam apostolicam ab omnibus prorsus christianis exigit. Huius necessitatis signum etc. ».

2. Pag. 6, lin. 14. Sic corrigatur: « Hic apostolatus laicorum tantum se extendit, etiam in temporalibus operibus spiritu Evangelii imbuendis, etc. ».

3. Pag. 7, linn. 17-21. Sic corrigatur: « Peculiari modo, haec formatio in ordinariis vitae condicionibus ita compleatur ut plene reddantur conscii de rerum adiunctis in quibus vivunt et operam navant, de eisdem christiane iudicent et actione apostolica omnia spiritu evangelico informent ».

4. Pag. 7, linn. 7-9. Sic redigatur: « Cum apostolatus ad essentiam ipsam pertineat vocationis christianae, omnis educatio christiana necessario erit formatio ad apostolatum, ita ut etc. ».

5. In toto cap. II, praeter notionem ambitus vitae, necesse etiam est ut ambitus socialis adnectatur; secus, apostolatus minime condicionibus socialibus hodiernis responderet.

6. Pag. 14, lin. 25. Sic periodo finis imponatur: « ... ab eis nomen Actionis Catholicae acceperunt ». Reliqua supprimantur verba usque ad pag. 15, ad lin. 5. Textus sic substituatur: « Finis immediatus eius est christianos laicos, ac per illos omnes homines, organizate iuvare, ut in seipsis veram compleant conversionem et per continuam vitae theologalis rationem ac per apostolicum testimonium in singulis activitatibus humanis, plenam assumant responsabilitatem socialem sive in

ordine familiari et professionali sive in ordine oeconomico et artistico et politico ».

7. Pag. 15, lin. 8. Sic corrigatur: « Organizationes in quibus hae notae iudicio territorialium episcoporum coetuum re vera inveniantur, etc. ».

8. Pag. 18, lin. 6. Textus sic mutetur: « Constituatur insuper apud Sanctam Sedem quidam particularis secretariatus, indole praecipue pastorali, etc. ».

9. Pag. 18, lin. 11. Ultima periodus sic mutetur: « Huius secretariatus membra erunt repraesentantes variarum organizationum pro laicorum apostolatu, Sanctae Sedis institutioni praesentati, sed a respectivis directionibus internationalibus electi, tum inter militantes utriusque sexus, tum inter Assistentes Ecclesiasticos, vel alios peritos. Ipse Secretariatus competens erit ad novas organizationes internationales recognoscendas.

5

EXC.MUS P. D. ALEXANDER RENARD
Episcopus Versaliensis

Venerabiles Patres et Fratres,

Uberrimum ...[1] est schema *et*[2] placet. Bene enuntiat ...[3] « directiones pastorales » *apostolatus laicorum.*[4]

Sed definitionem elementarem ...[5] apostolatus omittit *in n. 1.*[6]

Nunc autem verbum « apostolatus » ...[7] ad res *valde*[8] disparatas refertur. Oportet ...[9] definire quid sit omnis apostolatus in lumine inspirato Novi Testamenti. Hoc *singulum punctum*[10] elucesceret integrum schema ...[11], etiamsi praxis ipsa apostolatus iter sit varium et *laboriosum.*[12]

Pro salute animarum, humana sociologia, *certe utilis et satis*[13] coniecturalis, nunquam debet *summam legem*[14] divinae oeconomiae occultare. « Praedicate Evangelium omni creaturae ». « *Fides ex auditu* », *auditus autem per verbum Christi.*[15]

1. *Apostolatus est testimonium et verbum fidei.* « Eritis mihi testes ». « Euntes docete omnes gentes ». In *toto Novo Testamento,*[16] apostolatus non aliud est quam evangelizatio Iesu Christi, Dei et Salvatoris, Iudaeis et Gentibus. « Verbum Dei non est alligatum ». In litteris *Ecclesiam suam,* ait Summus Pontifex Paulus VI: « Oportet nos primi petamus cum hominibus colloquium, neque exspectemus dum alii ad colloquium nos vocent ». Deus noster est Deus absconditus. Ergo « Quomodo credent sine praedicante? ». ...[17] « Praedica verbum... in omni patientia et doctrina ». ...[18] Nimis multi *catholici*[19] hodie verbum omittunt. *Apostolatus est via « ex fide in fidem ».*[20]

2. *Apostolatus est missio ab Ecclesia et convocatio ad Ecclesiam.* Per baptismum et confirmationem et sacerdotium, per missionem canonicam, *vel*[21] « mandatum », Ecclesia ...[22] mittit ad invitandos homines

ut membra efficiantur Christi et Ecclesiae in sacramentis baptismi et eucharistiae. « Qui crediderit et baptizatus fuerit... ». « Qui manducat hunc panem vivet in aeternum ». *Apostolatus*[23] est via, *est*[24] ex sacramentis fidei ad sacramenta fidei.

3. *Apostolatus mysterium est Spiritus et libertatis.* « Spiritus ubi vult spirat ». « Dum omni modo Christus annuntietur »! Sed ...[25] inter Novum Testamentum et nos, exstat *iste*[26] « *Discours de la méthode* », cuius contagio est valde noxia! Quamvis sint *certe*[27] utiles methodi apostolatus, oportet ut obstaculum non sint Spiritui Dei: liber est spirare aut non per tubas nostras. Conversio est ...[28] mysterium. Oboeditio fidei supponit libertatem Spiritus Sancti *et apostolorum necnon et*[29] hominum. Propterea necessaria est apostolis fides in arcanas Domini vias.

4. ...[30] *Opus est humilitatis et spei.* « Sine me nihil... ». « Omnia possum in Eo... ». « Contra spem in spem... ». Apostolus ...[31] audax est, et patiens. Omnia suffert et sustinet ...[32] in unione cum Christo in mysterio paschali. Christus...[33] nequaquam promisit messem immediatam, sed potius gladium et crucem.

5. ...[34] *Opus est caritatis et unitatis.* « In hoc cognoscent omnes quod discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem » ...[35]. « Ut sint consummati in unum... *ut mundus credat* ».[36] *Apostolus*[37] in Ecclesia significat exclusionem cuiusvis dissensionis et parallelismi, quae directe adversantur vero testimonio.

Conclusio.[38] *Apostolatus dirigitur ad conversionem cordis hominis iam Spiritu Sancto excitati.*[39] Cartesianismus nos inclinat ad omnia iudicanda modo nimis rationali. ...[40] Ex Biblia patet quod homo ad fidem convertitur *in corde suo,* scil. ubi in unum conveniunt intellectus, libertas et amor. « Corde enim creditur ad iustitiam ». Cor ad cor loquitur...[41] Ad quid inserviunt rationes et associationes, si aqua viva gratiae, per aquaeductus nostros non amplius defluit? Ait Bernardus: « Non sumus canales, sed concha ». Dixerat iam Christus: « Vos estis sal, fermentum, lumen ». Oportet ergo potius « esse » quam « facere »: « Os (et vita) loquitur ex abundantia cordis ».

Itaque[42] vellem proponere ut pag. 6, *lin. 6,*[43] hoc votum addatur: « *Omnis apostolatus in Ecclesia onus est evangelizandi Iesu Christi, necnon invitatio ad sacramenta Ecclesiae. Heri, hodie, et in saecula, apostoli omnes sunt testes, sed etiam praecones fidei, non adulterantes verbum Dei, in Spiritu et libertate, in spe et caritate, ex abundantia cordis, ad conversionem irrequieti cordis hominum* ».[44] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] sane. [2] hoc, et mihi certe. [3] « necessitatem apostolicae operositatis laicorum » et. [4] deest. [5] et universalem.

[6] deest. [7] hisce nostris diebus. [8] sat diversas et. [9] ergo. [10] modo. [11] nostrum. [12] difficultatibus plenum. [13] et. [14] leges veras. [15] deest. [16] totum Novum Testamentum. [17] « Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi ». [18] In apostolatu. [19] christiani. [20] deest. [21] et. [22] nos. [23] Evangelizatio ergo. [24] deest. [25] proh dolor! [26] ille. [27] deest. [28] grande. [29] apostoli, necnon libertatem. [30] Apostolatus. [31] ergo. [32] omnia sperat. [33] etenim. [34] Apostolatus. [35] (*Io.* 13, 35). [36] et cognoscat mundus quia tu me misisti » (*Io.* 17, 23). [37] Apostolatus. [38] 6. [39] Apostolatus dirigitur ad conversionem cordis cuiusvis hominis iam ab actione Spiritus Sancti excitatum et impulsum. [40] Nunc autem. [41] Anima lumen accipit ab altera anima. [42] Concludendo. [43] lin. 5. [44] « Apostolatus in Ecclesia praedicatio est Evangelii Iesu Christi per vitam et verbum, necnon invitatio ad sacramenta Baptismi et Eucharistiae recipienda. Heri, hodie et in saecula, apostoli omnes sunt testes, sed etiam praecones fidei (*Hebr.* 11, 1), non adulterantes verbum Dei, in libertate Spiritus, in spe et caritate, ex abundantia cordis, ad conversionem cordis ».

6

EXC.MUS P. D. EMMANUEL LLOPIS IVORRA

Episcopus Cauriensis-Castrorum Caeciliorum

Venerabiles Patres conciliares, Fratres carissimi,

Maximi momenti res agitatur in Ecclesia de apostolatu laicorum. Ipsorum conscientia nostris hodiernis temporibus roboratur dictis et factis Summorum Pontificum ac necessitate omnia revera trahendi ad Deum per Dominum Nostrum Iesum Christum.

Vigilanti cura schema decreti consideravi, cuius claritatem et brevitatem sincere laudo, quin obstet aliquas notulas proprias voluntas faciendi, idcirco ut magis ac magis perspicuitas refulgeat:

I - *In prooemio,* pag. 5, lin. 17, legimus: « Hic apostolatus suapte natura necessarius, hodiernis in adiunctis urgentior adhuc efficitur, non solum ob insufficientem numerum cleri, sed praesertim ob alienationem quarumdam provinciarum... etc. ». Sequentem emendationem textus propono: « Hic apostolatus suapte natura necessarius, hodiernis in adiunctis urgentior adhuc efficitur, non solum ob insufficientem numerum cleri, nec ob alienationem quarumdam provinciarum vitae humanae ab omni ordine religioso vel ethico, sed praecipue quia in ipsa vitae christianae essentia radicatur, quapropter apostolatui sese *clare*[1] dare onus et ius est omnium christifidelium ». *Rationes*:

1. Schema ab extrinseco probat apostolatus necessitatem, ob insufficientem numerum cleri, ob alienationem quarumdam provinciarum, etc.

Sed motiva intrinseca praeferenda sunt, semper enim ac pro semper valent, et nobiliora omnes existimant.

2. Essentia vitae christianae unione perficitur hominis cum Christo per baptismum. Sacramento baptismi vero baptizatus, quia ingreditur in Ecclesia et ad eam pertinet, nisi a legitima auctoritate reiiciatur, tenetur pro Ecclesia laborare, quem quidem laborem, cuiusvis generis sit, omnes apostolatum appellant.

3. Immo etiam: vita christiana a susceptione Baptismi recepta per Confirmationem roboratur. Confirmatio autem, cum Sacramentum plenitudinis sit, aliquam potestatem confert vitam per baptismum receptam aliis communicandi. Ergo omnibus tradit necessitatem apostolatus.

4. Ceterae rationes — caritas Christi, animarum zelus, etc. ... — plenam valetudinem hinc habent atque invocandae sunt, saltem modo generico, ut filii Dei sese intelligant apostolatui religatos esse.

II - Ad aliud sermonem faciamus: In pag. 6 schematis *de apostolatu laicorum,* lin. 22, in finem ultimae partis par. 1, loquitur de cooperatione omnium et singulorum laicorum in apostolatu et haec invenimus: « ... quae cooperatio eo fructuosior erit quo intimior eorum unio cum Christo et promptius responsum gratiae Spiritus Sancti ».

His verbis, venerabiles Patres, addere intento: « una cum prudentia et apostolorum perfecta humana formatione ». *Rationes*:

1. Validum est ad efficacitatem laboris apostolicae considerare sanctitatem et gratiam supernaturalem apostolorum; sed non dirimendae ipsorum qualitates humanae.

2. Omnibus apostolis, etiam laicis, dicere possumus cum apostolo: « Ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur ». S. Paulus conditionem humanam apostolorum extollit et quidem integritate humana eum proclamat perfectum.

3 et ultima. Gratia naturam non destruit sed eam perficit. Ergo etsi in apostolatu maximi momenti sit gratia, opus apostolatus adiuvant qualitates plenitudinem sui ipsius conferentes naturae.

Quae quidem omnia vestro fraterno iudicio ac voluntati submitto. Si vobis placuerint, Deo gratias; secus, semper vestrum fidelis servus devoveo. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest.

7

Exc.mus P. D. VILLELMUS EDUARDUS POWER
Episcopus Antigonicensis

Venerabiles Fratres,

Loquor nomine aliquorum episcoporum e Canada.[1] De n. 3 schematis, nempe de formatione apostolica laicorum, aliquid dicere cupio. Mihi enim videtur quod, si exprimere volumus quid sit laicorum formatio apostolica authentica, quaedam principia specifica statuenda sunt. *Quod dicturus sum, fructus est consultationis*[2] cum laicis qui in sua vita quotidiana laborant ad aedificationem mundi et regni Christi.

1. Cum vocatio ad apostolatum pars integrans sit vocationis christianae, omnes laici acquirant necesse est formationem apostolicam quae faciat eos conscios suarum responsabilitatum in Ecclesiae missione salvifica, eosque aptet ut munus apostolicum sibi proprium ad mensuram donationis Christi assumant.

2. Intra unicam Dei dispositionem de salvatione mundi (" God's plan ", " dessein de Dieu "), opus creationis harmonice ordinatur ad opus redemptionis a Christo peractae et ab Ecclesia ad hodiernum productae. Sic ordo gratiae, nedum ordinem naturae destruat, eum supponit et perficit « in laudem gloriae gratiae suae » ...[3]. Ergo, formatio apostolica laici rationem habere debet « indolis saecularis propriae et peculiaris » laicatus ...[4], et ipsum inducere ut profunde et active se inserat in realitatem mundi temporalis. Sic tantum laicus discet vitam suam, ut homo et ut christianus, modo autonomo et responsabili ducere, etiamsi praesidium institutionum catholicarum traditionalium deficiat; sic tantum laicus discet fieri « testis simul et vivum instrumentum totius missionis Ecclesiae » ...[5]. Sic discet reddere Ecclesiam « praesentem et actuosam » in sinu realitatum temporalium...[6]

Ad finem hunc attingendum, formatio apostolica authentica laicorum essentialiter debet constitui ex quinque elementis quae sequuntur:

a) *Cultus dotum humanarum.* Debet laicus colere qualitates humanas quae ab omnibus agnoscuntur ut adulto completo necessariae, scil.: sensus *acutus*[7] iustitiae; spiritus civicus; dispositio ad valores mundi sympathice excipiendas; constans cura omnium quae humana sunt; *peritia in suo campo actionis*[8]; animus servitii; initiativa; sensus responsabilitatis.

b) *Insertio in realitatibus mundi.* Experientia constat authenticam laicorum ad apostolatum formationem dari non posse sine dedicatione

personali in sphaera realitatum concretarum suae vitae quotidianae. Inde ab his realitatibus, saepe humillimis, curabit laicus ut eventus, situationes et personas in luce fidei conspiciat ad Dei propositum perspiciendum. Huic proposito, dedicationem suam continuo conformabit. Paulatim, ratione suae *tum* in plano naturae, *tum* in plano gratiae, evolutionis, responsabilitates ampliores accipiet. Sic profundiorem faciet suam apostolicam dedicationem in fidelitate in agendo secundum dicta Spiritus Sancti in se habitantis ...[9]. Quae omnia fient ratione servata propriarum aptitudinum et situationis socialis, necnon et necessitatum quae in suo ambitu percipit.

c) *Insertio in mysterio Christi.* Operi universalis in Christo restaurationis incumbens, laicus mox et viviori modo penetrabit sensum verborum « sine me nihil potestis facere ». Ideo sustentabitur affirmatione victoriae iam in Christi acquisitae: « Confidite, ego vici mundum ». Laici conatus, sacrificia et difficultates quae consequuntur suam dedicationem apostolicam, eum inducent ad spe vivendum. Tota eius vita sic lege essentiali dominabitur oeconomiae redemptionis, cui associatur et quae in morte et resurrectione Christi fundatur. In gaudio spei particeps fit operis quo pariuntur caeli novi et terra nova.

d) *Actio consociata.*[10] *Sine dubio unusquisque laicus, individualiter, potest exercere suum apostolatum; sed*[11] iuxta legem internam salutis a Deo Ecclesiae et per Ecclesiam datae, et iuxta legem evolutionis historicae quae homines inclinat ad se magis ac magis consociandum cum aliis (cf. Encyclicam *Mater et Magistra*), efficacitas operum apostolatus laicorum, non secus ac eorum formatio apostolica associationem requirit. In conventiculis aliquorum simul laborantium (" team ", " équipe "), laicus magnam legem solidaritatis intelliget in ordine salutis sicut ac in ordine naturae.

e) *Habitudo ad hierarchiam.* Completa formatio apostolica laici postulat ut instituantur inter ipsum et hierarchiam, in quovis gradu constitutam, contactus directi et spiritu fraternitatis imbuti qui, reverentiam mutuam nullo modo minuentes, nexus creant ad collaborationem constantem et efficacem in Ecclesiae missione.

Hoc quidem notandum est: si haec formatio apostolica laicorum authentica acquirenda est, necessarii sunt sacerdotes qui per qualitates humanas et valorem spiritualem possint cum laicis laborare ad educationem et formationem eorum in apostolatu Ecclesiae.

Concludo. Quaedam de supradictis elementis inveniuntur in schemate, sed modo obscuro et non satis organizato, et sine connexione cum principiis theologicis schematis *de Ecclesia.* Propono quod n. 3 ...[12] reco-

gnoscatur ut clare appareat quid essentiale et proprium sit formationi *apostolicae* [13] laicorum, *qua laicorum*.[14] Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] quae mihi peropportuna apparuerunt ex colloquiis. [3] (*Eph.* 1, 6). [4] (schema *de Ecclesia*, n. 31, pag. 118, lin. 6). [5] (ibid., n. 33, pag. 120, lin. 25). [6] (ibid., lin. 22), cf. schema *de Ecclesia*. [7] acutae. [8] deest. [9] (*Rom.* 8, 9 ss.). [10] Actio cum sociis. [11] deest. [12] funditus. [13] deest. [14] deest.

8

EXC.MUS P. D. IOANNES CARMELUS HEENAN
Archiepiscopus Vestmonasteriensis

Venerabiles Fratres,

Schema hoc peropportunum est et omnino in Ecclesia hodierna necessarium. Laicorum enim locus in oeconomia salutis totaliter mutatus est. Per plus quam mille annos, pauci praeter sacerdotes vel monachos litteras sciebant. Scholae et Universitates studiorum, fere omnes ab Ecclesia fundatae, alumnos plerumque ad vitam ecclesiasticam destinatos acceperunt. Inter cives aliqui tantum, neque ipsa classis divitum quidem, artes legendi et scribendi discere solebant. In lingua anglica, etiam, ni fallor, in lingua gallica, unica vox adhibita est ad virum doctum et ad clericum designandum. In lingua autem italica, vox *chierico* aequivalebat voci *dotto*, sed, proh dolor!, vox *idiota* designabat vel laicum vel stupidum.

Haec sunt fortasse fundamentum historicum legislationis de laicis in Ecclesia. Laici enimvero qua tales vix locum habent in Codice Iuris Canonici. Quid est laicus? Laici definitionem vix invenietis. Laicus est simpliciter non-clericus. Est persona quasi negativa. Christifideles tamen nostrae aetatis saepe *doctiores* sunt sacerdotibus. Non diutius opus est ut parochus epistolas scribat vel legat pro grege suo. Clarum igitur est cum de apostolis laicis loquimur, sermonem non esse de rudibus nec de hominibus animi incultis. Quae cum ita sint, quae sequuntur sunt notanda:

1. Necessarium omnino est curare ut nostri apostoli assidue et profunde formari possint. Etiamsi in scientiis profanis praestantes sint, *eo vel magis* laici disciplinis theologicis et spiritualibus indigent. Cum vero de animarum salute agatur, opus apostolatus sacrum est et subtile. Quamobrem apostoli ex laicis sese a suis pastoribus formari humiliter sinant. Verum est quod formatio futuris sacerdotibus in seminariis data, in multis

renovatione et ulteriore profectu iam indiget; *attamen* sacris studiis perfectis, etiam iuniores inter clerum pabuli spiritualis laicis praebendi capaces sunt. Cum de laicorum sacerdotio loquimur, minime *presbyterorum* sacerdotium despicere intendimus.

Bene ergo dicitur pag. 15, linn. 21 s.: « Cum autem agitur de operibus et institutionibus ordinis temporalis, munus est ecclesiasticae hierarchiae pro catholicis authentice interpretari et enucleare ordinis moralis principia ». Bene notum est quod Ecclesiae inimici satagunt ut inter clerum et fideles divisiones creent. Tristissimum esset si apostolatus laicorum constitueretur *oppositus* apostolatui sacerdotum. Sincere igitur schema laudamus quia consortium et unionem construere conatur.

2. Paucissima verba de titulo mihi dicere liceat. Pag. 14, sermo est de Actione Catholica. Sed in aliquibus regionibus vocabulum istud « *Actio Catholica* »[1] activitatem plus minusve politicam sapit. Optandum est ut conferentiis episcopalibus liceat potius de *apostolatu* loqui quam de actione catholica.

Aliquid denique de *secretariatu* apud Sanctam Sedem proposito dicere vellem. Hoc in negotio nisi *plene* consulentur ipsi laici, inutile prorsus eveniet. Huiusmodi enim secretariatus omnino *sui generis* esse debet. Minime ad instar dicasterii Romani concipiendus est. Huiusmodi secretariatus membra praesertim e laicis eligendi sunt. Christifideles enim huius nostri temporis id aegre ferunt quod in illis rebus quarum *vere* periti sunt decreta promulgantur ipsis laicis inconsultis. Si ergo secretariatus pro laicorum apostolatu instituendus est, debemus *ab ipsis laicis* inquirere de illius natura et operatione.

Multi laici in re publica, in mediis communicationis, in lege civili, in opere educationis, in scientia medica, in operibus socialibus, melius versati sunt quam nos. Fas est ab illis doceri. Necesse quidem est ut secretariatus a competente auctoritate ecclesiastica *curetur*. Sed *minime* requiritur ut praelati in omnibus eius negotiis et reunionibus polleant. Sint laici *factores* verbi et non *auditores* tantum. Melius esset si laicis ipsis responsabilitas concederetur. Et laici eligantur ex illis viris et mulieribus qui in patria propria sunt duces apostolatus. Romam ad secretariatus opus adiuvandum, invitentur etiam illi qui, licet societatibus et confraternitatibus catholicis nomina non dederint, indefessim tamen pro bono publico laborant. Apostolatus vero huiusmodi forsan *maioris* est valoris ad nomen bonum Ecclesiae catholicae stabiliendum. Sint catholici, ut ita dicam, normales et exemplares. Romam adveniant non solum senes honoribus ecclesiasticis gravidi, sed etiam *aliqui saltem* iuvenes qui panem quotidianum quaeritare debent. Ita enim secretaria-

tus utilis esse posset, et laici nostri devotissimi scirent nos in eis plenam habere fiduciam. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest.

9

EXC.MUS P. D. EMMANUEL LARRAIN ERRÁZURIZ

Episcopus Talcensis

Venerabiles Patres, dilectissimi Auditores et Observatores,

Loquor de n. 7, in pag. 9 schematis.

Gratias agendas esse censeo commissioni, quia, contra nonnullorum Patrum placita, proposuit quod retineretur in genere uti vera pars apostolatus etiam activitas fidelium ad res temporales spiritu christiano imbuendas.

Si enim Ecclesia est sal terrae ac lux mundi, debet in omnibus ambitibus revera adesse cum sua missione, praesertim hodie, quando autonomia multarum provinciarum activitates humanae magis evoluta apparet et quidem, saepe saepius, cum periculosa alienatione a recapitulatione in Christo.

Nunc autem, ad extollendum momentum apostolatus laicorum in proprio ambitu, haec animadvertenda censeo:

1. Apostolatus laicorum immo totius Ecclesiae, debet revera incarnari et non esse veluti « Angelismus » abalienans ab existentia vitali et historica humanitatis. Tamen, in sua incarnatione, omnis apostolatus (et hoc percipitur clarius quoad apostolatum in proprio ambitu) nequit includi et restringi ad simplices structuras institutionales, quia, ex una parte, cum ad omnes ambitus vitae pertingat, excedit ex sese omnes institutiones, et, ex altera parte, nimiae institutiones impediunt apostolatum. Nam exaggeratus institutionalismus vertit mentem ad structurationem technicam, ad sumptus, ad temperationes iuridicas, etc., potius quam ad ardorem personarum in caritate.

Insuper autem institutiones lentius evolvuntur quam ipsi homines. Mundus hodiernus ad quem mittuntur christiani, celerrime quidem progreditur, ita ut institutiones ecclesiasticae apostolatus faciliter recludere possent christianos in aliquo mundo clauso et anachronico (vulgo « ghetto ») ac proinde inefficaci.

2. Laicorum apostolatus in proprio ambitu extollit vinculationem Ecclesiae cum mundo. Laici, ut bene dixit Summus Pontifex Paulus VI

iuvenes universitarios alloquens, ad duplicem communitatem pertinent, scil., ad civilem societatem et ad Ecclesiam; debent proinde utramque aedificare. Ipsi sunt veluti « pons » qui fert Evangelium Ecclesiae ad mundum et problemata mundi ad Ecclesiam.

In unitate conscientiae apostolorum percipitur unitas inter creationem et incarnationem, inter mundum et Ecclesiam. Apostolatus perficit ipsam vocationem hominis in mundo, sicut gratia perficit naturam. Apostolatus in proprio ambitu non est indebita introductio rei religiosae in re temporali, sed potius sanatio ac elevatio ipsius rei temporalis. Apostolatus ducit mundum ad suum culmen, historiam hominum ad suum finem, creationem ad regnum Dei. Apostolatus laicorum in proprio ambitu demonstrat revera missionem cosmicam Ecclesiae.

Et hoc est hodie maximi momenti. Homo verus, homo integer, homo rex cosmicus, homo dominus materiae, est revera christianus qui mundum non fugit sed eum vere ac plene evolvit. In ista nostra aetate, in qua multi athei inveniuntur, magis ob considerationem independentiae hominis potius quam ob odium Dei, apostolatus in proprio ambitu est responsio christiana problematibus cordis hominum actualium.

3. Laicorum apostolatus in proprio ambitu omnibus melius patefacit veluti duplicem viam revelationis Dei, scil. viam incarnationis Verbi in Ecclesia et viam evolutionis hominis in creatione. Hoc autem maximi est momenti pro pastorali organizatione totius apostolatus.

Non sufficit audire vocem prophetarum cum perspicua fide; audienda omnino est etiam vox temporum cum intelligenti ratione.

Sapienter dictum est: in voce temporis, vox Dei audienda est. Et Ioannes XXIII, felicis recordationis, aiebat: signa temporum attente perscrutanda sunt.

Insuper considerandum esse censeo quod non solum elementa positiva temporis conferunt ad audiendam vocem Dei, sed etiam defectus sociales et ideologiae erroneae, quippe quae sunt veluti critica historica neglegentiae vel lentitudinis vel imperfectionis vel peccati activitatis apostolicae christianorum; in erroribus modernis tam late crassantibus oportet scrutare et invenire defectus apostolatus nostri.

4. Laicorum apostolatus in proprio ambitu melius perspicere facit amplitudinem confinii missionis Ecclesiae.

Nihil humani effugit confinium apostolatus quia nihil Deo et homini est extraneum.

Activitatis apostolicae confinium (vulgo: « la frontiera dell'apostolato ») amplissimum est; pervenit usque ad ultimam activitatem humanam secundum latitudinem caritatis Christi.

Ad tantum spatium replendum requiritur in omnibus baptizatis

maior sensus missionarius, quia christianus si est, in quantum homo, membrum naturale proprii ambitus, in quantum apostolus, mittitur ab Ecclesia ad suum ipsum ambitum ut omnia in Christo instaurentur.

Iste sensus missionarius hodie perspiciendus est praesertim socialiter in actione pastorali totius Ecclesiae, quae clarius manifestetur oportet ut « in statu missionis » potius quam « in statu christianitatis ».

Solum si « missionariae » concipitur apostolatus Ecclesiae, et praesertim laicorum in proprio ambitu, repetere poterimus quod perpulchre Tertullianus dixerat: « hesterni sumus et vestra omnia implevimus urbes » ...[1].

5. Ad hunc apostolatum in proprio ambitu bene perficiendum, variae requiruntur conditiones, quarum forsan meminisse iuvabit in ipso textu par. 7. En aliquae:

Laici debent pertinere vere et plene ad proprium ambitum, ut membra naturalia, non artificialia.

Laici debent non solum vivere in proprio ambitu, sed intime de eius problematibus participare. Intersint semper oportet cum participatione actuosa.

Debent prae oculis habere progressum sociologicum uniuscuiusque ambitus, et ad illum accommodare suam activitatem, bene perpendendo differentias in unaquaque regione vel natione quoad conditiones oeconomicas, sociales, culturales, etc.

Debent efficere ut perficiantur investigationes scientificae omnium ambituum et studia respectiva etiam ad structuras sociales transformandas secundum Evangelii doctrinam.

In nostra aetate « pluralista » laici debent in proprio ambitu specialiter fulgere recta activitate humana, scientia, technica et peritia, si revera efficacem apostolatum exercere volunt.

Activitas humana in proprio ambitu realizetur oportet, non simpliciter ut instrumentum ad finem apostolicum, sed revera ut finis, etsi non ultimus, in seipsa et secundum leges sibi inditas.

Concludo. Magis extollendum est in textu maximum momentum actuale apostolatus laicorum in proprio ambitu. Est hora laicorum in Ecclesia et in mundo. In locum laici ad proprium ambitum missi, nullus alius substitui potest.

Utinam omnia haec in textu adhuc clarius apparerent! Dixi.

In textu scripto tradito: [1] (*Apolog.* XXXVII-9-11).

10

Exc.mus P. D. STEPHANUS BÄUERLEIN
Episcopus Diacovensis-Sismiensis

Venerabiles Fratres,

Schema placet iuxta modum, ideoque propono sequentia:

1. Ut in pag. 8, ubi sermo est de peculiari apostolatu familiae christianae, ob oculos ponatur, scil. primum ac principale munus apostolicum eorum tamquam coniugum consistere in procreatione et christiana educatione filiorum.

Omnibus enim notum est procreatione et christiana educatione christifideles crescere atque Ecclesiam eiusque influxum augeri. Hodie crisis vocationum in multis regionibus proprie in eo consistere videtur, quia in crisi est familia christiana cum prole numerosa. Profecto optime nobis notae sunt difficultates quibus nostris diebus laborant familiae christianae, sed nihilominus debemus exhortare eas ut forti animo sint atque spem suam in Deum erigant necnon conscii fiant a sana familia christiana sortem dependere Ecclesiae et humanitatis, proinde ob varios praetextus quandoque discutibiles ob onere gravi pariendi et christiane educandi filios ne eximantur atque filiis filiabusque suis ad matrimonium se praeparaturis frequenter in mentem revocent huiusmodi opus eminenter apostolicum.

Quapropter propono ut in pag. 8, lin. 20, indicetur munus apostolicum praecipuum familiae christianae esse procreationem et christianam filiorum educationem.

2. In pag. 16, ubi sermo est de relatione inter laicos et hierarchiam extollitur: « Nullum autem inceptum nomen catholicum sibi vindicet, nisi implicite vel explicite consensus accesserit legitimae auctoritatis ecclesiasticae ».

Ad quae verba velim adnotare: si volumus enim ut haec norma tamquam valida ac sacrosancta a nostris laicis observetur, ea imprimis observanda esset a nostris sacerdotibus et religiosis. Scimus, proh dolor!, haud pauca opera initium sumere episcopo quidem nesciente, immo quandoque eo contradicente, notum quoque est omnibus quidem incipere nempe et existere associationes sacerdotum et religiosorum explicite illegitimas ab auctoritate ecclesiastica declaratas. Quapropter admonitio illa conciliaris in textu nullatenus suum effectum habebit, si Concilium sacerdotibus et religiosis in hoc sensu et in hoc loco, vel si velit in alio, severum ac paternum non diriget monitum.

3. In pag. 17, sermo est de mutua cooperatione. Optime ibi exhortatur ut perniciosas aemulationes vitentur, ut caritas omnino splendeat, ut omnes mutua aestimatione prosequantur, si ad communem finem tendere desideratur. Sed schema bene praevidet hanc exhortationem nullomodo esse sufficientem futuram ut inter diversos homines atque diversas organizationes finis communis prosequatur: proponit enim ut instituantur diversa consilia quibus coordinetur operositas singulorum. Absque dubio consilia illa maximum momentum habebunt ut viribus unitis finem communem prosequatur, sed ex mea opinione, si volumus esse sinceri et concreti, si volumus adhuc credere in existentiam peccati originalis, nec illa consilia, nec institutio quidem secretariatus particularis apud Sanctam Sedem sunt media sufficienter efficacia ut omnium laborem servatis quidem uniuscuiusque indole ei propria ad communem finem perducant. Requiritur adhuc, in quibusdam casibus in forma quidem debita recursus ad opinionem publicam. In hisce casibus, quod non obtinet amor Dei, amor finis communis, id poterit obtinere amor suiipsius, amor egoismi, timor opinionis publicae. Sine timore ne publice denuntietur ille spiritus absolutisticus, sit venia verbo, qui quandoque regnat in quibus consiliis dioecesanis, vel interdioecesanis atque ita cooperationem mutuam impossibilem reddit, suffocari nequit. Sine possibilitate recurrendi ad opinionem publicam mihi persuasum est etiam ipsa decreta quaedam huius Concilii quemadmodum quasdam decisiones Sanctae Sedis et non paucas decisiones aliquorum Conciliorum provincialium mansura esse vocem clamantis in deserto. Ceterum recursus ad opinionem publicam semper in debita forma non est quid novum in Ecclesia. Sufficit in mentem vocare, quod S. Gregorius Magnus suam faciebat illam celebrem regulam iuris scil.: « Utilius scandalum nasci permittitur, quam veritas relinquatur » ...[1].

Ideo proposuerim ut in pag. 17, sub n. 20 ubi loquitur de mutua cooperatione, indicarentur tamquam media efficacissima cooperationis imprimis libera discussio inter membra illorum consiliorum et in quibusdam casibus recursus ad opinionem publicam, semper vero in debita forma. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] (cf. *In Ezech. hom.* 7; *PL* 77, 324).

11

Exc.mus P. D. HENRICUS CLEMENS DONZE
Episcopus Tutelensis

Venerabiles Patres,

1. In hoc schemate *de apostolatu laicorum* diversi aspectus eorum activitatis considerantur, modo quidem saepe optimo.

Attamen, mihi videtur quod expositio circa hanc activitatem nimis refertur ad eos qui eam exercent, et non satis autem ad eos, qui eius obiectum constituunt. Sane, sermo fit de variis campis apostolatus ...[1], sed non sufficienter ratio habetur *personarum,* ad quas apostolatus dirigitur.

Quando tandem his personis alluditur, hoc fit tanquam si omnes ad invicem prorsus assimilarentur, tanquam si essent individui secundum eundem typum conformati. Et sic prae oculis habemus homines quasi abstractos, quos perspicere non possumus in eorum vitae ambitu, nec in eorum praesentibus concretis conditionibus, nec in vinculis ordinis socialis quibus ad invicem uniuntur, nec in eorum cultu civili, qui eorum profundissimas aspirationes imbuit.

2. Nunc autem, ut patet, individui in hoc mundo nunquam sunt totaliter separati; sunt potius *personae,* ergo essentialiter sociales, ex natura ipsis a Creatore indita. Exinde sequitur, quod in alterutrum necessario quemdam influxum exercent...[2]

Insuper scientia rerum sociologiae et psychologiae in dies demonstrant, quod homines necessario convivunt in determinatis coetibus socialibus, quorum principium sistit in communitate culturae civilis. Huiusmodi coetus non semper facile delimitantur, sed in illis omnibus inveniuntur communis sensibilitas necnon conceptus et aspirationes collectivae. Eorum membra eamdem linguam loquuntur, eodem modo sese ferunt ad vitae eventus, certum numerum idearum condividunt, et eodem instinctu obscuro, nonnunquam violentissimo, commoventur.

Nunc autem, haec omnia realitatem constituunt positivam, quam apostolus nequaquam silentio praeterire potest. Haec enim realitas in intimam hominis animam penetrat, eamque explicat. Atqui apostolatus hominem totalem ad Christum adducere intendit; proinde realitatem totalem eius vitae ambitus attingere debet.

Insuper, attente ratio habenda est normarum specialium illorum coetuum socialium, quia ex talibus normis dependet habitudo practica hominum in vita quotidiana, et pariter in illis inveniuntur saepissime

obstacula, quae plenam adhaesionem Evangelio, et vitam sincere christianam impediunt.

3. Quapropter, si convertere volumus homines, simul vertere in melius oportet adiuncta, in quibus vita eorum inseritur.

Hoc non significat quod huiusmodi adiuncta omnino mala sint, et proinde omnimode impugnanda essent; sed tantum asseritur, quod in melius adduci debent secundum spiritum Evangelii.

Propterea necessarium videtur, quod actio apostolica characterem habeat collectivum. Ut doctrina christiana imbuantur rerum adiuncta de quibus supra loquimur, oportet ut fideles in hisce adiunctis versantes, mutuum sibi praestent auxilium, ad testimonium Christo perhibendum. Aliunde notandum est, quod testimonium personale minime sufficit; omnes debent vires conferre, ut Ecclesia praesens efficiatur in medio hominum, et quidem in ambitu eorum vitae realis et concretae; nam tota Ecclesia signum esse debet Iesu Christi. Talis praesentia totius Ecclesiae eo magis manifestabitur, quo frequentius fideles sese congregabunt in parvis coetibus, in sic dictis « équipes », et in motibus apostolicis, semper tamen hierarchiae submissis. Haec est forsan ratio essendi quam efficacissima motuum apostolicorum in Ecclesia.

Quae dicta sunt confirmatur ex testimonio viventi multorum apostolorum laicorum.

Concludendo, proponerem ut, in n. 7 et in n. 10 nostri schematis, ubi agitur de conversione hominum fere unice sub ratione individui, aliquid etiam dicatur de necessaria immutatione adiunctorum et mentalitatis coetuum socialium, ad quos pertinent. Insuper, exoptandum esset, ut institutio permanens laicatus, apud Sanctam Sedem instauranda, ratio habeat complexitatis quae hodie existit in diversis formis apostolatus, ut homines hodierni ad Christum adducantur in tota dimensione et in varietate eorum vitae concretae.

De hac re, emendationes meas scripto tradam exc.mo secretario Concilii. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] (v. g. pag. 8, lin. 4). [2] i. e. non solum unusquisque in suo modo agendi et cogitandi dependet ex tendentiis opinionum quae hodie magis magisque invalescunt propter incrementum continuum instrumentorum communicationis; sed etiam plene subiicitur in suo modo sentiendi et iudicandi omnibus condicionibus peculiaribus coetuum socialium ad quos pertinet.

Emendationes propositae:

1. N. 7, lin. 30, post verba « et agere lumine fidei » addatur « Praesertim nitantur ut spiritu evangelico imbuantur normae, quibus dirigitur in vita practica

modus cogitandi et agendi personarum, quae cum ipsis in talibus coetibus convivunt. Laici spirituali... ».

2. N. 10, lin. 33, post verba: « efficacius explere valeat » adiungere: « praesertim in coetibus socialibus, quorum modum agendi et cogitandi humane participant ».

12

Exc.mus P. D. IOSEPH HÖFFNER
Episcopus Monasteriensis

Venerabiles Patres,

Ad cap. III schematis duo animadvertere velim:

1. In *cap. III* [1] duo fines apostolatus distinguuntur, scil. hominum conversio ad Deum et christiana instauratio ordinis temporalis. Quae autem de *hac* [2] instauratione ordinis temporalis ...[3] dicuntur, *mihi non placent quia* [4] nimis optimistice, *nimis triumphalistice* [5] et paulum biblice sonant. ...[6] Christifideles, *in pag. 11,*[7] monentur se vocatos esse ad universum temporalem ordinem ad Christi gloriam restaurandum, perficiendum, complendum, spiritu christiano imbuendum, *etc.*[8] Fundamentum autem huius obligationis in eo esse affirmatur, quod « Deus omnipotens universum mundum disposuerit ad gloriam suam, in plenitudine Christi Filii sui consummandam »...[9]

In his textibus,[10] ni fallor, ordo et conditio huius temporis, perdurantis usque ad adventum Domini in consummatione saeculi, illegitime copulantur cum statu eschatologico regni Dei. De peccato originali, quod totum ordinem temporalem pervadit, in textu mentio non fit. Ante adventum Domini ordo temporalis, qui sit perfecte christianus, in Christo completus, spiritu christiano totaliter imbutus, neque umquam historice *habebatur, neque historice* [11] habebitur, neque theologice haberi potest. Nam ordo temporalis peccato devastatus est et crisi subiicitur. « Totus mundus » cum omnibus suis ordinibus et institutionibus « in maligno positus est », ut dicit S. Ioannes ...[12]. Deus « iudicabit hunc mundum », docet S. Paulus ...[13]. De « consecratione mundi » theologice cum cautela *tantum* [14] loquendum est.

Finis apostolatus christiani quoad ordinem temporalem non est aliquis status perfectus, quasi paradisicus, spiritu christiano totaliter imbutus, sed, *magis sobrie,*[15] *talis status* ordinum et institutionum temporalium, i. e. rei familiaris, rei publicae, rei oeconomicae, etc., in quo homo modo humano et christiano vivere et voluntati Dei facilius obtemperare possit.

2 animadversio. In par. 6, collaboratio laicorum catholicorum cum aliis christianis, et collaboratio cum non-christianis nimis arcte coniungitur. Duae hae collaborationes clare ab invicem distinguendae sunt. Nam ad collaborationem cum aliis christianis ratio omnino specialis urget, quae non valet pro collaboratione — ceteroquin necessaria — cum non-christianis, ut ex decreto de Oecumenismo *clare elucet. Cum fratribus christianis separatis unitatem habemus, quae funditus a communi humanitate totius generis humani distinguitur, ratione nempe characteris baptismalis, ratione fidei in Christum Salvatorem nostrum, et inde resultantis obligationis ad testimonium reddendum pro Christo coram humanitate non-christiana tota.*[16]

Cetera in scriptis trado. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] schemate. [2] deest. [3] in pag. 11. [4] deest. [5] deest. [6] Nam. [7] deest. [8] (pag. 11, linn. 9, 18, 19, 28, 32, 34; pag. 12, linn. 25 s.). [9] (pag. 11, linn. 6-8). [10] Hoc textu. [11] deest. [12] (*1 Io.* 5, 19). [13] (*Rom.* 3, 6). [14] deest. [15] deest. [16] deest.

Emendationes additae:

In par. 6 (pag. 9, linn. 17-19) et 21 laudabiliter mentio fit de collaboratione catholicorum « cum aliis, christianis et non-christianis » (pag. 18, lin. 16).

Attamen nimis arcte in his locis coniungitur collaboratio cum aliis christianis et collaboratio cum non-christianis. Duae hae collaborationes clare ab invicem distingui debent; nam ad collaborationem cum *aliis christianis ratio omnino specialis* urget, quae non valet pro collaboratione — ceteroquin necessaria — cum non-christianis, ut ex decreto *de Oecumenismo* clare elucet. Cum ceteris omnibus christianis baptizatis catholici unitatem aliquam constituunt, quae funditus distinguitur ab humanitate non-christiana: ratione nempe characteris baptismalis, fidei in Christum Dominum et Salvatorem, et inde resultantis obligationis ad testimonium reddendum pro Christo coram humanitate non-christiana.

Explicatio. 1. Collaboratio catholicorum cum christianis non-catholicis indolem particularem induit eo quod omnes christiani *nomine Christi* baptizati sunt, *nomine Christi* adunantur, et a cetera humanitate distinguuntur atque *nomen Christi* coram mundo profitentur. Christiani praecise etiam collaboratione sua *testimonium pro nomine Christi* coram mundo reddunt. Etiamsi in multis non consentiunt, communi conatu agentes *Christum ut Dominum communem* profitentur.

2. Testimonium commune omnium christifidelium collaboratione reddendum propterea etiam inculcandum est, quia praecise et maxime tali testimonio practico *unio inter omnes christianos efficaciter fovetur,* efficacius certe quam solis colloquiis theoreticis.

3. Pluries Concilium et Summus Pontifex Paulus VI (maxime in sermone augurali sessionis secundae) postulaverunt, ut *Christus ut fundamentum et centrum vitae Ecclesiae* exhibeatur. Ut hoc non tantum verbis, sed potius adhuc opere fiat, maxime iuvabit peculiaris cooperatio catholicorum cum omnibus, qui Christum ut fundamentum et centrum vitae suae profitentur.

4. Saepissime in societate moderna accidit, ut *pauci catholici in ambitu saecularizato* ad testimonium christianum reddendum vocentur. Non raro soli commilitones qui cum catholicis ad Christum confitendum sunt parati, sunt christifideles non-catholici. Pro « consecratione mundi » efficienda maximi momenti propterea est, ut catholici collaborent cum ceteris christianis in testimonio communi in vita practica reddendo.

Propositio: Clare distinguatur in schemate cooperatio catholicorum cum aliis christianis a collaboratione eorum cum non-christianis et tamquam rationes pro particulari cooperatione cum ceteris christifidelibus indicentur: *a*) testimonium commune pro Christo Domino; *b*) unitas inter christianos practice fovenda; *c*) maior efficacia in « consecratione mundi » promovenda.

Animadversio ad n. 18, pag. 16, linn. 17-22. Pro verbis « ut in actibus liturgicis » ponatur: « ut in quibusdam actibus liturgicis », ut clare appareat esse non paucos actus liturgicos, qui non sunt clericales et ideo non indigent deputatione aut missione canonica.

Ratio. In notis 15-16, pag. 20 haec fere habentur: sunt plures actus liturgici, qui proprie clericis competunt, sed propter defectum copiae clericorum vel ob maiorem peritiam laicorum vi missionis canonicae laicis committuntur, quamvis « agatur de activitate ad laicum non pertinente ». Exempla afferuntur: « Plures functiones liturgiae quae Ordines Minores spectant actu delegantur laicis sacristis vel acolythis. In terris missionum vel ubi persecutio grassatur amplius dantur concessiones hac in materia ». Contra has notas, quae certe formulis n. 18 subiacent, haec dicenda sunt:

a) Laici indigent certe delegatione (vel si volumus uti termino pro actibus liturgicis non adhibito: indigent missione canonica) pro aliquibus actibus liturgicis, v. g. si dirigunt celebrationem verbi Dei secundum constitutionem *de S. Liturgia* (art. 35 § 4) vel forte etiam, si quaedam Sacramentalia de iudicio Ordinarii administrant, uti praevidetur in art. 79 constitutionis *de S. Liturgia.*

b) Sed certe non potest dici, munus sacristae vel ministrantium (« acolythorum ») per se ad clericos spectare. Concedendum est per tot saecula saltem in occidente has functiones consideratas esse ut munera clericalia. Rubricae liturgicae, uti legebantur usque ad annum 1960, fictionem conservabant, ministrantes altaris esse clericos seu ministros et adhuc hodie italice pueruli ministrantes nominantur « piccolo clero » e « chierichetti ». Instructio de Musica Sacra et de S. Liturgia, quam edidit S. Congregatio Rituum anno 1958, declaravit: « Laici... masculini sexus, sive pueri sint, sive iuvenes aut viri, cum a competente auctoritate ecclesiastica ad ministerium altaris vel ad musicam sacram exsequendam deputantur... *servitium ministeriale directum quidem, sed delegatum* exercent. Ea tamen condicione, si de cantu agatur, ut " chorum " seu " Scholam cantorum " constituant » (Art. 93 *c*), dum e contra « clerici... ministrorum sacrorum aut ministrorum minorum munere fungentes sive etiam in choro seu in schola cantorum partem habentes, *servitium ministeriale proprium et directum* exercent, et quidem vi ordinationis aut assumptionis in statum clericalem ».

Sed sententia, secundum quam munera ista per se competerent clericis et ideo deberent delegari per quandam missionem canonicam, non potest amplius sustineri. Certe sententia non est iuris divini. Sed etiam ius ecclesiasticum non erat nec est constans nec universale. Ordines minores paulatim evoluti sunt diverso

modo in diversis ecclesiis. In ritibus latinis e. g. non adest nec aderat ordinatio cantorum, etsi per aliquod tempus habebatur ordinatio psalmistae. Officium sacristae nullibi et nunquam ordinationem specialem habebat; non enim aequiparandum est cum officio Ostiariorum. Ecclesia Romana saeculis classicis Liturgiae (saec. VI ad IX) non ordinavit nisi lectores et acolythos. Demum saeculo X reintroduxit sub influxu Pontificalis Romano-Germanici ordinationem exorcistarum et ostiariorum, quamvis officia ipsa plus minusve obsoleta erant.

c) Quidquid sit de historia, in ecclesiis orientis non habetur nisi ordinatio lectoris vel cantoris vel psalmistae. Probabiliter etiam in reformatione liturgiae Romanae, actuales Ordines minores exceptu Lectoratu non remanebunt, quia sunt fictiones potius quam realitates.

d) Constitutio de S. Liturgia art. 29 clare affirmat: Non solum ministri (sacri), sed (haec verba introductoria habebantur in schemate, claritatis gratia) « etiam ministrantes, lectores, commentatores et ii qui ad scholam cantorum pertinent, *vero ministerio liturgico* funguntur ». Consulto constitutio dereliquit terminum « servitium ministeriale delegatum », quem adhibuit Instructione a S. Rituum Congregatione anno 1958 redacta. Agitur ergo de vero ministerio liturgico, quod nec ex natura rei nec iure divino nec iure ecclesiastico est aut remanere debet ministerium per se clericale, tantum propter penuriam clericorum laicis deputandum.

e) Quia officia (saltem) sacristarum, ministrantium, cantorum non sunt natura sua clericalia, neque *missione canonica* opus est. De cetero hucusque nemo de necessitate missionis canonicae locutus est, sed ad summum de necessitate deputationis. C.I.C. in can. 1185 loquitur de nominatione a rectore ecclesiae peragenda, quando agit de sacristis, cantoribus, organorum modulatoribus, pueris choralibus, campanae pulsatoribus, sepulcrorum fossoribus ceterisque inservientibus. Ceterum non raro accidit, ut aliquis nec nominatus inserviat, v. g. aliquis vir videns sacerdotem ad altare progredientem sine ministrante.

13

EXC.MUS P. D. PAULUS CHENG

Episcopus tit. Ucculensis, aux. Taipehensis

Venerabiles Fratres,

Uti em.mus moderator noster dixit initio huius congregationis, omitto libenter introductionem animadversionis meae, quae plus minusve loquitur de apostolatu laicorum in genere.

Velim tunc dicere immediate de actione caritativa erga proximum.[1]

In nonnullis locis schematis actualis, loquitur de caritate, per quam apostolatus laicorum peragitur. Et praesertim in art. 12, pag. 12, dicitur « de actione caritativa... ». Optimum est. Sed liceat mihi addere aliqua verba. In actione caritatis requiruntur duo actus fundamentales, scil. aestimatio et fiducia. S. Paulus ...[2] dixit: « Caritas omnia credit,

omnia sperat, omnia sustinet » ...[3]. Caritas enim sine aestimatione debita non est vera, et sine fiducia est ficta. Evangelium praedicamus vicinis, materiam necessariam donamus pauperibus, hoc vero nihil prodest, si erga eos non manifestatur aestimatio neque fiducia. Scimus quod in mundo moderno deficiunt inter homines, immo christianos, aestimatio reciproca et fiducia mutua, et propterea difficiliter habetur vera caritas, quae est donum divinum, sine quo homines non possunt vivere pacifice et christiane.

Et insuper progressus scientificus et technicus attulit humano generi facilitatem vitae materialis, sed suffocat vitam spiritualem. Homo, gaudens prosperitate technica, quaerit et praeoccupat res materiales ...[4]. Spiritualitas, super quam dignitas humana constituta est, valorem perdit apud homines ...[5]. Caritas uti summa spiritualitatis non amplius aestimatur modo debito. Utique, multi ex hominibus modernis, nomine caritatis materiam vitae necessariam aliis donant vel distribuunt; sed haec non est semper caritas. Caritas enim non tantummodo in materiam distribuendo consistit, sed essentialiter est donare aliquid spirituale et morale, quod animum hominis confortat et pacificat, et donare seipsum nempe sese pro aliis sacrificare, si necesse est.

Nos catholici uti filii Dei, gaudentes gratia divina, debemus caritatem Christi in mundum introducere, ut homines sese aestiment et ament. Haec est missio nostra, missio clericorum et laicorum; habeamus aestimationem bonam et fiduciam erga proximum et promoveamus hunc spiritum in nobismetipsis, in familiis nostris, in nationibus nostris et in universo mundo. Sic, auxiliante Dei gratia, creatur paulatim ambitus vere catholicus ut omnes vivant in hoc mundo sicut in familia et sese convertant ad Deum, qui est Pater noster. Apostolatus enim laicorum non est tantummodo evangelizare individuum, sed magis necessarium est christianizare populos, nationes et culturas, ut homines his in terris agnoscant Deum Creatorem et Iesum Salvatorem...[6]

Humiliter propono sequentia:

1. Velit schema nostrum accentualiter assignare vitam christianam practicam laicorum, quippe qui ad promovendum apostolatum debeant realiter vivere ex fide et ex caritate, secus apostolatus laicorum non est nisi « ut aes sonans aut cymbalum tinniens » ...[7] Etenim catholici non practicantes nequeunt alios convincere...[8]

2. Velit similiter nostrum schema indicare quod laici non solum doctrinam apostolatui necessariam discere, sed etiam studere debent, quomodo cognoscent hominem talem qualem. Ut supra dictum est, inter homines deficiunt aestimatio et fiducia, hoc vero non fit semper ex mala

voluntate, sed ex praeiudicio involuntario. Propterea cognitio obiectiva hominis est necessaria pro comprehensione et consequenter pro caritate et apostolatu. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] Velim dicere pauca verba circa schema *de apostolatu laicorum.* Hoc schema in genere consideratum valde laudandum est. In schemate *de Ecclesia* iam dictum est de dignitate laicorum. Sacrosanctum Concilium prima vice in historia indicavit et extollit hanc dignitatem, praecise ut illi possint ac debeant modo activo adiuvare hierarchiam in campo apostolatus. Quia ipsi etiam sunt membra Ecclesiae, membra quidem activa et non passiva. Laici habent onus suum evangelizandi, quod fundatum est in sacramento baptismi. Ab illo enim momento quo homo baptizatus est, factus est filius Dei et illuminatus est per gratiam divinam ita ut ipse fiat « lux mundi » quae ex natura sua expellit tenebras et ducit homines ad « veritatem ». [2] bene. [3] (*1 Cor.* 13, 7). [4] Unus cum altero disputat pro materia, natio contra nationem pugnat pro materia. [5] sive christianos sive non-christianos. [6] et per gratiam divinam fruantur pace et concordia in hoc mundo et vita aeterna in caelo. [7] (*1 Cor.* 13, 1). [8] Ideo iustificent primum vitam suam in omnibus circumstantiis. Sic Deus benedicet eos et efficiet apostolatum eorum fructuosum.

14

Exc.mus P. D. ALOISIUS CIVARDI

Episcopus tit. Thespiensis *

Venerabiles Patres,

Mihi liceat proponere brevem additionem ad cap. III « de finibus assequendis ».

In prima huius schematis editione, diffuse et modo explicito disserebatur de actione sociali *stricte* dicta.

Cum vero schema contractum fuit, actio socialis evanuit. Verum est quod tunc nonnulli putabant quod de actione sociali in schemate *de Ecclesia in mundo huius temporis* pertractaretur; sed hoc schema loquitur quidem de principiis ordinis socialis, sed omnino silet de ipsa actione sociali, ad quam praeprime spectat eorundem principiorum executionem.

Ceteroquin locus proprius tractandi de actione sociali invenitur *hic,*[1] in hoc schemate, ubi etiam disseritur de actione caritativa; et hae duae actiones mutuo integrantur.

Praeterea actio socialis, christiano spiritu imbuta, est vera forma apostolatus, etsi indirecti, et peculiariter ad laicatum pertinet. Qua de re in hoc schemate de ea silere non possumus.

1. Nonnulli, secundum faciem iudicantes, actionem socialem *stricte dictam* — actionem nempe *oeconomico-socialem* — tamquam aliquid profani existimare possunt, et ideo documento conciliari minus *apta.*[2] Sed incidunt in errorem « prospectus », ut vocatur. Respice finem. Et finis primarius actionis socialis christianae est iustitia instauranda inter diversos coetus sociales.

Iustitiam dico, quae inter virtutes cardinales numeratur; iustitiam, quam Iesus Christus in summitate suae legis posuit, cum fortiter redarguit Scribas et Pharisaeos, qui religionem quidem colebant, sed negligebant praestantiorem legis partem, nempe iustitiam, misericordiam et fidelitatem (cf. *Mt.* 24, 23).

Valde bonum est miseris succurrere ope actionis caritativae; sed melius est miseriae fontes extinguere. Et hoc est munus proprium actionis socialis, quae operam dat ut restauretur ordo socialis iustior et humanior, in quo perfici debet ea quae vocatur « securitas socialis ».

2. Insuper, actio socialis est, nostris diebus, necessarium medium apostolatus. In non paucis orbis partibus, uti scimus, multi opifices adhaerent adsociationibus et factionibus politicis, quae principiis marxismi imbuuntur; et complures eorum adhaerent non propter causas sic dictas *ideologicas,* sed propter rationes mere *oeconomicas.* At in memoratis adsociationibus eorum fides religiosa, proh dolor! periclitatur. Quomodo obsistere tanto periculo? Per integrum apostolatum socialem. Per apostolatum, scil., qui necessitatibus animae et corporis subveniat; per apostolatum qui promoveat integram elationem opificis; integram, i. e. materialem et spiritualem, moralem et oeconomicam. Oportet conscientias formare, quin stomachi negligantur.

De qua re, nonne nobis dederunt praeclarum exemplum ipse Dominus Noster et apostoli sui?

Experientia nos docuit, et adhuc docet, huiusmodi integrum apostolatum socialem remedium valde efficax fieri, ne nostri opifices nomen dent perniciosis adsociationibus, et ut recuperentur ii qui ad easdem adsociationes iam se dederunt.

3. Argumentum denique auctoritatis, et maximae auctoritatis, exponere volo. Omnes Summi Pontifices, a Leone XIII usque ad Paulum VI, in Encyclicis socialibus, in nuntiis, in sermonibus, valde commendaverunt clero et laicatui, tamquam ipsorum munus, actionem christianam socialem. Insuper Ioannes XXIII statuit ut integrum caput Synodi Romanae ab ipso indictae, actioni sociali dedicaretur.

Concludo igitur proponendo ut, post par. 12 *de actione caritativa,* mentio fiat etiam de sociali actione et de eius finibus. Propono insuper ut ...[3] incitentur fratres nostri laici, qui inter multas difficultates et ad-

versitates in hoc apostolico munere adlaborant. E contra, Concilii silentium de hac re, ipsos fratres nostros forsitan stupore et maerore afficere potest.

Confido igitur fore ut mea propositio libenter accipiatur a Patribus, qui, experientia edocti, utilitatem ac necessitatem huius hodierni apostolatus bene noscunt. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] aptam. [3] laudentur et.

15

Exc.mus P. D. LUDOVICUS ALONSO MUÑOYERRO
Archiepiscopus tit. Sionensis

Venerabiles Patres,

De Actione Catholica liceat mihi iterum aliqua dicere, de illa nempe organizatione apostolica, quae « piana » vocari solet, cum a S. Pio X *adumbrata,*[1] a Pio XI, quasi divinitus inspirato, solide structa, a Pio XII integre conservata et valde commendata fuerit; quamque Ioannes XXIII « vitaliter necessariam » appellat, *in quadam allocutione ad Actionem Catholicam Portugaliae.*[2] De illa etiam *de qua*[3] saepe saepius Pontifex Paulus VI, feliciter regnans, terminis quasi « pianis » locutus est, ut omnes scitis.

Haec Actio Catholica non recte in schemate consideratur. De ea, in n. 16 cap. IV, ponuntur notae quae dicuntur constitutivae (praeter unam et praecipuam, et est haec, nempe, institutio a hierarchia). In fine huius numeri, modo satis claro dicitur quod hierarchia potest illas organizationes recognoscere, in quibus dentur illae notae (etsi non fuerint ab ipsa *hierarchia*[4] stabilitae). *Unde*[5] commissio noluit clare et aperte recognoscere illam Actionem Catholicam, ut videre est *in ipso textu et*[6] in Appendice, pag. 47 ...[7], quamvis multi Patres illam petierunt, inter quos ego ipse qui loquor.

Res in eo est, mihi videtur, ut unusquisque episcopus possit in sua dioecesi statuere illam quae ipsi aptior videatur ut Actio Catholica, sive hoc nomine sive alio appelletur. Unde si in una natione sunt sexaginta dioeceses, possunt exsistere sexaginta associationes diversae quae nomen Actionis Catholicae ferant, et quoniam hoc absurdum est et valde inconveniens, ideo melius erit, consequenter, praescindere ab hoc nomine. Non erit hoc quod intenditur, *certe.*[8] Sed confusio utique ad hunc finem

ducit. Confusio autem esset maior, si nomen Actionis Catholicae specificae mutaretur, ut in hac aula propositum est. Propositio inadmissibilis. Actio Catholica non inventa est in quodam orphanotrophio, sed quoad rem et quoad nomen, nata est in ipso Solio Pontificio. Tanquam patres habet Romanos Pontifices, qui nomen ei Actionis Catholicae imposuerunt, et ipsum est proprium *et verum*[9] nomen eius. *In hoc sensu audivimus nuper loquentem em.mum card. Liénart, cui libenter adhaereo.*[10]

Haec[11] *Actio Catholica, dico, servari oportet in bonum Ecclesiae*:

1. *Ex magisterio pontificio.* Illi enim Summi Pontifices antea citati saepe de hac Actione Catholica locuti sunt ...[12] Statuerunt etiam doctrinam apostolicam. Fideles in multis nationibus, praelatorum suorum vocem audientes, de hoc magisterio claram notitiam habent. Possunt alia documenta ignorare, v. g. Encyclicas *Pascendi, Humani generis,* etc., sed illa quae ad hanc formam apostolatus referuntur, bene norunt. Consequenter, si vident quod magisterium Romanorum Pontificum parvipenditur, sicut in aliis partibus huius Concilii, non spectetis quod magisterium ordinarium illorum in futuro et multo minus magisterium episcoporum habeant acceptationem quae necessaria est et expedit pro apostolatu hierarchico exercendo. Quod dicitur de magisterio, etiam de obedientia intelligi debet.

2. *Historia* non multa decennia excedit, tamen per omnes fere orbis catholici regiones latissime associationes huius nominis propagatae sunt ...[13], et « uberrimos fructus Regno Christi attulerunt », quod in hodierno schemate ...[14] asseritur. Certe, experientia teste, inter hos fructus, formatio apostolorum laicorum, quae impulit sacerdotes ut sese formarent; adhaesio inconditionalis suis episcopis; protectio ad bona incepta in campo religionis, ut seminariorum, caritatis, operariorum, vocationum sacerdotalium et religiosorum, etc., aliique fructus adnumerandi sunt inter uberrimos fructus quos schema *nostrum*[15] commemorat.

3. (*fortasse praecipuum*[16]). Necessarium est affirmare *ius* episcoporum ad formandas associationes suorum fidelium ut ipsos et parochos adiuvent in operibus apostolicis, sub ductu ipsorum, iuxta normas statutas. Hoc est fundamentum Actionis Catholicae, quod, si non doctrinaliter, utique practice negatur a pluribus, qui velint omnes associationes aequali iure in dioecesibus *suis*[17] regi debere. Hoc ius episcoporum nitide asserendum est, si consequentes esse velimus cum tanta dignitate et potestate quae ipsis in hoc Concilio recognoscitur. Et tamen schema inter tenebras illud reliquit. Impediretur quod aliqui de *privilegio* Actio-

nis Catholicae loquantur, si ipsis ponatur in luce quod de *iure* episcoporum agitur, *de iure* [18] quod episcopi habent a Iesu Christo.

4. Nota etiam peculiaris Actionis Catholicae est quaedam uniformitas inter dioeceses eiusdem nationis, ad intelligentiam inter episcopos, ad solutionem eorumdem vel similium problematum, ad organa nationalia non multiplicanda, etc. Iamvero, in cap. III « de pastorali episcoporum munere », ...[19] modo generico proponitur *quod* [20] unio in formis apostolatus *agatur* [21]; quapropter in conferentiis nationalibus de hac re agendum est. Et tamen in schemate « de apostolatu » nihil de conferentiis dicitur.

5. Tandem illa Actio Catholica apprime confert ad laicos Ecclesiae *multum* [22] coniungendos. Pius XI dixit quod laici in Actione Catholica locum occupant qui proxime accedit ministerio sacerdotum. Ergo in schemate actuali, non progressus, sed regressus est ad confusionismum.

Est etiam eminenter *pastoralis,* quia ...[23] episcopi indigent cooperatoribus fidelissimis, ut solent esse membra Actionis Catholicae, *de quibus possint disponere omni tempore et quidem libere.*[24]

Quaero ergo, Fratres venerabiles, si Actio Catholica non est exclusiva et est cum aliis associationibus compatibilis — *ut certe est* [25] —, si non imponitur episcopis, quia conditiones locorum non sunt eaedem et aliquae impediunt ut statuatur; si etiam inter dioeceses eiusdem nationis permittitur aliqua diversitas, etc.: quod erit inconveniens ut non admittatur, immo proponatur et commendetur episcopis in illis locis ubi possibile sit, eam statuere vel conservare? Si in aliqua natione nomen Actionis Catholicae male sonat, *ut ipsi audivimus paucis abhinc momentis,*[26] nihil obligat ad sustinendum hoc nomen; immo, si casus ferat, ab ipsa praescindere opus erit; sed, quid obstat ut in aliis nationibus conservetur?

Si etiam *foederatio* operum apostolicarum commendatur, inclusa Actione Catholica, non apparet ulla difficultas ut ista commendetur. Secus, quaerendum erit, *cui prodest* quod inter nebulas relinquatur hoc magnum opus et methodus excellens apostolatus?

Itaque rogo commissionem ut hanc propositionem acceptet his vel similibus verbis: « Ius episcoporum est eorumque muneris proprium associationes instituere suorum fidelium, qui ipsos et parochos adiuvent in apostolatu, intra limites suae potestatis, sub ductu ipsorum et iuxta normas a conferentiis episcopalibus statutas, nisi Romanus Pontifex eas iam *statuerit.*[27]

Si possibile non sit has associationes habere vel aliae opportuniores videantur, fiat modo approbato in conferentiis, et nemo, qui aliis asso-

ciationibus sunt adscripti, ad alias associationes nomen dandum obligetur ». Dixi.

In textu scripto tradito: [1] instaurata. [2] (Allocutio ad Actionem Catholicam Portugaliae, die 16 martii 1959). [3] deest. [4] deest. [5] Tandem in n. 17 sermo est indirectus de associationibus urgentioribus quas hierarchia « instituendas decreverit ». [6] deest. [7] nn. 16 et 17. [8] deest. [9] deest. [10] Igitur, schema gravissimo vulnere sauciat Actionem Catholicam et proxime morti ubique exponit. [11] Et tamen illa. [12] Noto quod in schemate anteriore hoc recognoscebatur, sed in praesenti schemate adverbium « saepe » suppressum est. Tamen illud est verissimum. [13] (ut dicebatur in anteriore schemate). [14] servatur et. [15] deest. [16] deest. [17] deest. [18] deest. [19] n. 36. [20] deest. [21] ad maius bonum fidelium. [22] in sua hierarchia et vita ecclesiali. [23] inservit pastoribus in operibus quae necessitas exigit. Aliunde. [24] deest. [25] deest. [26] deest. [27] dederit.

Secretarius Generalis: Patres velint ad sua loca regredi, quia post horae quadrantem fiet suffragatio, in qua oportet ut sedeant.

16

EXC.MUS P. D. ANDREAS IACOBUS FOUGERAT
Episcopus Gratianopolitanus

Venerabiles Patres ac Fratres,

In hac brevi interventione, velim aliqua verba dicere de munere apostolico quod adimplent « Organisationes Catholicae Internationales » (vulgo O.I.C.), — et loquor ut consiliarius seu assistens ecclesiasticus internationalis unius illarum organisationum.

In par. 14, pag. 13, linn. 29 ss., legimus: « Universale munus missionis Ecclesiae requirit ut incepta apostolatus catholici magis magisque perficiant formas associatas in campo internationali ».

In recentioribus Litteris Encyclicis Beatissimi Papae Ioannis XXIII, felicis recordationis, necessitas ac munus organisationum catholicarum internationalium solemniter proclamata sunt. Et maior pars Auditorum et Auditricum electa a Beatissimo Patre Paulo VI, feliciter regnante, ab illis associationibus provenit; et sic totus mundus christianus ad eas oculos vigilantiores convertit.

Summus Pontifex Ioannes XXIII, nempe, indicavit ut pretiosam praesentiam magis ac magis largiorem christianorum, titulo personali, in magnis « organismis » — ut dicunt — internationalibus: vulgo:

O.N.U., U.N.E.S.C.O., O.M.S., F.A.O., etc., sed indicavit quoque quam necessarium esset ut in associationibus internationalis indolis se coadunent illae multiplices formae apostolatus consociati (quarum Beatissimus Pontifex Pius XII, piissimae memoriae, mentionem fecerat in suis magnis orationibus in Congressibus universalibus apostolatus laicorum).

Et hoc valde necessarium evadit sane, ut acquirent vigorem maiorem et caritatem pleniorem, in sinu Ecclesiae « ad intra »; sed hoc omnino necessarium, ut modus cogitandi et modus agendi christianorum, et illarum influxus in conscientiis et moribus, sint, in organisatione internationali totius mundi nunc incepta, praesentes apud Status et Gubernia, ac, si fieri potest, per medium organisationum non stricte nationalium, sed praeditarum statuto consultativo (vulgo « Organisations non gouvernementales à statut consultatif »).

Ad hunc finem attingendum, requiritur ut, iuxta organisationes internationales unitatem requirentes in campo evangelizationis, exstent aliae in campis magis temporalibus, qui tamen non sint — aut non sint unice — Caesaris, quia cum spiritualibus connectentur et ab Ecclesia affirmentur ad suam competentiam pertinere, v. g.: educatio et cultura — beneficentia socialis — sanitas mundi et problemata medico-moralia et medico-socialia, etc.

Hic modus insertionis apostolicae christianorum in mundo non plene affirmatur in nostro schemate; et clarius enuntiare debemus multiplicitatem formarum esse necessariam ad plenam praesentiam christianismi. Itaque tradam secretariatui emendationem huius generis, quam, brevitatis causa, in aula conciliari non lego. Gratias. Dixi.

17

Exc.mus P. D. HENRICUS NICODEMO
Archiepiscopus Barensis

Venerabiles Patres,

Cum materia apostolatum laicorum respiciens, lata quidem et complexa, prima vice in Concilio Oecumenico pertractetur, mihi videtur ita, saltem in summis lineis, definienda esse ut in iure condendo tuto recipi possit et enucleari.

Dum vero de Actione Catholica agitur, ut hoc modo et ad hunc finem ipsa definiatur, puto ante oculos habendum esse magisterium pontificium, a quo Actio Catholica — uti hodie communiter intellegitur,

etsi diversimode quoad ipsum nomen quandoque configuretur — sua intrinseca elementa constitutiva accepit: praesertim Summorum Pontificum Pii XI speciali modo, Pii XII, Ioannis XXIII et Pauli VI, feliciter regnantis. Secus, neque loqui de Actione Catholica possemus.

Quibus praemissis, haec, quae sequuntur, animadvertenda censeo circa Actionem Catholicam uti in schemate proponitur.

1. In schemate innuitur, absque dubio, differentia inter Actionem Catholicam et alias institutiones seu formas associativas. Affirmatur enim finem Actionis Catholicae esse *finem apostolicum ipsius Ecclesiae*; indicatur, per incisum tamen, cooperatio cum hierarchia; loquitur de vocatione ad directam cooperationem ex parte hierarchiae, quamvis disiunctive tantum; admittitur saltem possibilitas mandati hierarchiae.

At innuere differentiam Actionis Catholicae ab aliis apostolatus associationibus minime sufficit. Oportet, e contra, uti in multorum votis est, eam clare et definite determinare.

Determinanda igitur esset *differentia specifica* Actionis Catholicae in *genere proximo* apostolatus laicorum (parcatis mihi si, unice ad meam mentem pandendam, his utor verbis, non certo in decreto adhibendis!), quae differentia specifica in hoc videtur consistere quod Actio Catholica *participat apostolatum hierarchicum* in *stricta dependentia* ab ipsa hierarchia. Ceterum, hoc idem in nota affirmatur: « Dependentia strictior ab hierarchia — legitur in nota 12 — dat *characterem specialem,* praeter alias notas, associationibus Actionis Catholicae ». Cur non posset affirmari in textu quod in nota affirmatur?

Ex quo sequitur Actionem Catholicam primum locum ex natura sua tenere inter associationes apostolatus: quod in iure condendo, meo iudicio, esset sanciendum.

2. Apostolatus Actionis Catholicae, etiamsi fundamentum habeat in charactere sacramentali Baptismatis et Confirmationis, et ideo in officio et iure omnium baptizatorum et confirmatorum apostolatum exercendi, differt nihilominus a communi apostolatu laicorum ob realitatem superadditam participationis ad apostolatum hierarchicum. A. v., Actio Catholica, cum agit, partes facit, modo sane sibi proprio, ipsius hierarchiae, ad quam ideo responsabilitas omnium inceptorum Actionis Catholicae ultimo pertinet.

Si propter varietatem formarum Actionis Catholicae in diversis nationibus, censetur affirmari non posse in decreto expliciti mandati hierarchiae necessitatem, saltem dicatur littera *d*), n. 16, pag. 15: « Laici, sive sponte sese offerentes *hierarchiae libere acceptanti,* sive *ab ea* vocati ad actionem, etc. ... ». Deinde, eadem littera *d*): « Hierarchia, *cui com-*

petit hanc cooperationem semper, saltem implicite, recipere, eam potest etiam per explicitum mandatum sancire ».

Ad magisterium pontificium quod attinet, sufficiat hic verba Beatissimi Patris nostri Pauli VI referre in Allocutione diei 7 decembris *anni praeteriti*[1] ad « Giunta Centrale dell'Azione Cattolica Italiana » habita: « La piena efficienza pastorale non può ora concepirsi e raggiungersi senza l'Azione Cattolica, tanto nella sua primigenia espressione diocesana e parrocchiale, quanto in quella delle sue ramificazioni specializzate e rivolte all'apostolato d'ambiente ». Et paulo post: « Vedremo sempre con eguale affezione quanti cercano il loro perfezionamento e la esplicazione del loro apostolato in altre forme associative e religiose riconosciute dalla Chiesa..., ma saremo grati a quei figli del nostro Laicato, che vorranno riconoscere nella Azione Cattolica la via maestra per professare adesione alla Chiesa, per alimentare in se stessi la pienezza del suo impegnativo significato, il *sensus Ecclesiae,* e per offrire una testimonianza ed una collaborazione... ».

Non igitur loqui potest de « monopolio » apostolatus laicorum ex parte Actionis Catholicae, sed potius loqui debet de necessaria gradatione in apostolatu laicorum sive relate ad obiectum sive relate ad responsabilitatem ecclesiasticae hierarchiae.

3. Evidens est omnia haec substantiam ipsam Actionis Catholicae respicere, minime vero uniformitatem organizativam exigere.

4. Quamobrem humillime censeo in textu agi non debere de Actione Catholica ubi agitur de aliis formis associativis, pro quibus libertas laicorum in eis organizandis recte agnoscitur, sed in numero distincto, qui inscribatur « De Actione Catholica », et ita etiam in iure condendo. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] 1963.

Moderator: Velitis attendere, venerabiles Patres! Moderatores opportunum ducunt quaerere a vobis utrum placeat finem iam imponere, in hac congregatione generali, disceptationi circa schema *de apostolatu laicorum.*

Patres quibus placet ut finis imponatur velint surgere et manere stantes; quibus vero non placet velint manere sedentes in suis locis.

[*Patres quasi omnes surgunt*].

Secretarius generalis: Audiant Patres universi, etiam qui sunt extra! Exacta disceptatione super schemate *de apostolatu laicorum,* loquentur crastina super eodem schemate illi, qui verbum petunt nomine septua-

ginta Patrum. Deinde, verba nobis faciet Auditor laicus nomine suorum collegarum, et replicabit, si ipsi visum fuerit, relator huius schematis, prout ceterum *Ordo* praescribit.

Post hoc schema, discutiendum est schema XIII, *de Ecclesia in mundo huius temporis*. Attamen, cum relationes praescriptae nondum sint in promptu, — forsan post aliquos dies habebimus — moderatores, ne tempus inutiliter teratur, censuerunt procedendum esse ad disceptationem et successivam suffragationem aliorum schematum. Et cum schema *de sacerdotibus* iam a pluribus diebus distributum sit, fiet initium ab hoc schemate. Deinde, prosequemur, si adhuc non erunt promptae relationes — de schemate XIII, uti patet — prosequemur cum schemate *de Ecclesiis orientalibus,* cuius relatio crastina Patribus distribuetur.

Quapropter, crastina, post exhaustam disceptationem circa schema *de apostolatu laicorum,* fiet relatio et incipiet brevis disceptatio schematis *de sacerdotibus,* quae disceptatio, ut praevideri potest, prosequetur etiam feria quarta.

Finita hac disceptatione — forsan feria quinta proxima —, fiet suffragatio modo qui iam pluries descriptus est, nempe suffragatio circa singulas propositiones, per triplicem illam formulam: *placet, non placet, placet iuxta modum*. Uti videtis, hic mos est parumper diversus a more quem secuti sumus pro schemate, v. g. *de Ecclesia,* vel *de Oecumenismo.* Circa singulas propositiones habetur triplex formula.

Unde, cum certi simus Patres iam studuisse illi schemati, qui volunt suffragium ferre — post disceptationem — *placet iuxta modum,* iam nunc praeparent modos, qui sunt tradendi assignatoribus locorum una cum schedula suffragationis.

Ergo, crastina incipiet disceptatio parva, post relationem, de schemate *de sacerdotibus*.

Et nunc communico Patribus alium tristem nuntium, nempe piissimae mortis, in Belgio, exc.mi D. Alphonsi Verwimp, e Societate Iesu, ep. tit. Gibbensis, olim episcopi Kisantuensis in Congo. Rogemus Dominum etiam pro ipso.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: *De profundis clamavi ad te, Domine...*

Moderator: Proxima congregatio generalis locum habebit crastina die, hora nona.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: Reponatur Sacrosanctum Evangelium.

CONGREGATIO GENERALIS C

13 octobris 1964

CONGREGATIO GENERALIS C

13 octobris 1964

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, arch. tit. Samosatensis, *Ss. Concilii secretarius generalis*:

Exeant omnes. [*Intervallum*]. Festinetis, festinetis exire.

Em.mus ac rev.mus D. Petrus Gregorius Agagianian moderabitur hanc congregationem generalem, quae est centesima [*plausus*]. Patres venerabiles, nostra congregatio centenaria est, sed nondum senuit; est plena dierum, sed iuvenescit adhuc. Gratias Deo agamus et Patribus omnibus. Et in nomine Domini procedamus usque ad consummationem.

In hac congregatione adsunt iam parochi quos peramanter et fraterne salutamus omnes.

Distribuetur in hac congregatione generali relatio super schemate decreti *de Ecclesiis orientalibus,* quod schema discutietur et suffragationi subiicietur post schema *de sacerdotibus,* nisi iam promptae sint relationes super schemate *de Ecclesia in mundo huius temporis,* prout dictum est hesterna congregatione.

Et lego nomina in primis eorum qui orationem facere petierunt nomine 70 Patrum. Et sunt exc.mi DD. Aemilius Guerry, arch. Cameracen. in Gallia, Sanctus Quadri, ep. aux. Pinerolien. in Italia, et Elias Zoghbi, vic. patriarchalis Melchitarum.

Deinde transitus fiet ad schema cui titulus proprie est *de vita et ministerio sacerdotali.* Verbum facere petierunt em.mus D. card. Albertus Meyer, arch. Chicagien. in Statibus Foederatis; exc.mi DD. Petrus Théas, ep. Tarbien. et Lourden. in Gallia; Iulius R. Rosales, arch. Cebuan. in Insulis Philippinis; Ioseph B. Evangelisti, arch. ep. Meeruten. in India; Antonius Añoveros Ataun, ep. Gadicen. et Septen. in Hispania; Armandus Fares, arch. Catacen. et ep. Squillacen. in Italia; Franciscus Ayoub, arch. Aleppen. Maronitarum in Syria; Ioseph Bank, ep. elect. aux. Iaurinen. in Hungaria; Ioseph Hiltl, ep. aux. Ratisbonen. in Germania; Iacobus Komba, ep. aux. abb. null. Peramihoen. in Tanganyica; Leonardus Rodriguez, arch. Arequipen. in Peruvia; Ioannes Perris, arch. Naxien. et Tinen. in Graecia; Ioannes Donovan, ep. aux. Detroiten. in Statibus Foederatis; Guidus M. Casullo, ep. aux. prael. null. Pineren. in Brasilia; Franciscus Kuharić, ep. aux. Zagra-

bien. in Jugoslavia; Salvator Baldassarri, arch. Ravennaten. in Italia; Antonius Ferreira, arch. coad. Apparitiopolitan. in Brasilia; Ludovicus Sanchez-Moreno, ep. aux. Chiclayen. in Peruvia; Paulus Latusek, ep. aux. Wratislavien. in Polonia; Fernandus Gomes, arch. Goianen. in Brasilia; Emmanuel Pereira, ep. aux. Conimbricen. in Lusitania; Casimirus Kowalski, ep. Culmen. in Polonia.

Patres venerabiles, postquam illi tres Patres nomine 70 locuti sunt, verba nobis faciet, ut heri dixi, Auditor laicus nomine suorum collegarum, et deinde concludet relator schematis. Gratias.

PATRUM ORATIONES

(*De apostolatu laicorum*)

1

Exc.mus P. D. AEMILIUS MAURITIUS GUERRY

Archiepiscopus Cameracensis

Venerabiles Patres,

N. 9 schematis *de apostolatu laicorum* duas normas statuit, quae magni sunt momenti:

1. Distinguit etenim *duo* obiecta in apostolatu laicorum: ex una parte evangelizationem et sanctificationem; ex altera parte, animationem christianam ordinis rerum temporalium.

2. Simul autem affirmat *unitatem* apostolatus in conscientia christiana laicorum.

Mihi valde placet hic articulus. Aliquas tantum observationes faciam, ad textum pressius determinandum.

1. *Prima norma. Distinctio inter duo obiecta apostolatus.* Talis distinctio aliud non est quam applicatio logica, in ordine practico, quorumdam principiorum in Constitutione *de Ecclesia* clare expressorum.

Primum principium. a) *Unitas consilii Dei pro salute hominum,* secundum duplicem ordinem: in ordine naturali creationis, in ordine supernaturali redemptionis. Ex natura sua duo illi ordines ab invicem distinguuntur, non autem seiunguntur, neque solummodo iuxtaponuntur.

De facto autem, saepissime non coniunguntur in vita concreta laicorum, quia vita eorum nunc est profana, nunc religiosa. Ordo autem

christianus ad salutem complectitur simul ordinem naturalem et ordinem supernaturalem, qui in unum coalescere debent in vita concreta christianorum.

Secundum principium. b) *Duplex missio apostolica Ecclesiae, cui respondet duplex obiectum apostolatus laicorum.*

Prima missio Ecclesiae tendit ad evangelizationem et sanctificationem, scil. ad proclamationem *boni nuntii* salutis hominibus ut ad Deum adducantur per fidem in Christum Iesum, unicum redemptorem. Talem missionem participant laici modo quidem directo, utpote baptizati, membra Corporis mystici, viventes in familia ex vita Ecclesiae, et testimonium perhibentes de fide christiana.

Secunda missio. Ecclesia prosequitur animationem societatis humanae. Revera, missio propria Ecclesiae non in eo sistit, ut instaurationem promoveat civitatis temporalis. Hoc est praecise opus laicorum. Attamen Ecclesia influxum illuminativum et vivificantem exercet in societatem humanam, ex plenitudine veritatis et vitae quae scaturit ex eius mysterio, ex eius doctrina et activitate. Nunc autem, ut ait Summus Pontifex Pius XII, « per opus laicorum Ecclesia efficitur *principium vitale societatis humanae* ». Talis missio reapse propria est laicorum. Et si eam non explerent, nemo eis posset in hoc campo substitui. Talis est magnitudo eorum apostolatus!

2. *Secunda norma. Unitas in diversitate laborum apostolicorum.* Art. 9 decreti specificat quod laicus simul est « fidelis et civis ». Apostolatum suum adimplet eodem tempore et in Ecclesia et in civitate. Numquid sibi adversantur haec duo genera laborum? Minime quidem! Etenim, ab invicem distinguuntur obiecta eorum ex fine operis. Attamen ex fine operantis unitas efficitur in conscientia christiana apostoli laici. Quanam ratione? Ex eo quod in utroque campo missionis testimonium perhibet fidei suae viventis in Deum Creatorem et Redemptorem, et in consilium amoris divini ad salutem omnium secundum utrumque ordinem.

Tale testimonium fidei perhibet, primo:

a) *in ordine temporali creationis.* Laici christiani, utpote concives, adlaborant cum non-credentibus pro instauratione civitatis terrestris. Actio haec temporalis (sive sit socialis, vel politica, vel « syndicalis » ut dicitur) per se considerata, non est verus apostolatus, sed tantum servitium in bonum commune societatis. Attamen tali cooperationi in ordine temporali conferri potest valor apostolicus. Quonam autem modo? Ex eo quod laici efficiuntur testes operosi consilii Dei ad instaurationem

ordinis universi. Hoc consilium divinum amoris existit iam in ordine temporali. Etenim, Deus homines liberos et responsabiles condidit. Eis concredidit organizationem civitatis terrestris. Sed Deus vult ordinem qui humanus sit, et iustus, et fraternus ...[1]. Hoc consilium Dei in ordine creationis exprimitur in doctrina sociali Ecclesiae. Laici, in hac doctrina sociali edocti, caritate Christi impulsi, pro viribus conantur alios homines ad id adducere, ut societas humana magis magisque consilio Dei conformetur, proinde ut in ea magis ratio habeatur boni communis hominum, et iustitiae, et caritatis fraternae, et exigentiarum Evangelii Domini nostri Iesu Christi.

Testimonium fidei perhibet laicus, secundo et ultimo:

b) *in ordine Evangelizationis et Redemptionis*. Proprie in actione illa temporali, per quam in unum conveniunt cum non-credentibus, laici missionem suam evangelizationis explere valent. Etenim, tunc testes esse possunt suae fidei viventis in consilium inscrutabile Dei, qui omnes homines vult salvare in Christo et in Ecclesia, quia « Deus caritas est ». Sic testes fiunt in verbo et in omni opere ad salutare consilium Dei proclamandum. Haec est eorum « confessio fidei », de qua loquitur S. Thomas...[2]

Concludo.[3] Exoptarem:

1. Ut duo « modi » maximi momenti, i. e. evangelizatio et animatio pressius et praecisius definiantur.

2. Ut in n. 11 *v. g. in titulo*[4] qui respicit ordinem temporalem ab intus animandum per actionem Christi...[5] Autonomia civitatis temporalis plane servanda est in ordine suo, sed etiam transcendentia Ecclesiae in sua missione in servitium generis humani. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] in talibus condicionibus compaginatus, ut in tuto ponatur dignitas personae humanae, et possibilis reddatur institutio consociationum in quibus vigeat pax et libertas, amor et iustitia. [2] Testes etiam fiunt fidei suae per vitam caritate operosa imbutam, in servitio aliorum, in abnegatione suiipsius pro bono fratrum suorum, praesertim eorum qui pauperes sunt, vel victimae peccatorum hominum. Attamen notandum est quod tale testimonium vitae, vel etiam verbi, a laicis perhiberi non poterit, nisi vivant et ipsi ex vita Iesu Christi, in participatione vitae liturgicae, eucharisticae et apostolicae Ecclesiae. [3] Concludendo. [4] deest. [5] in apostolis laicis viventis, tales expressiones vitentur, quae interpretari possent quasi vellet Ecclesia dominationem exercere in civitatem temporalem, quasi exoriri posset novus « clericalismus », v. g. titulus « in ordine temporali instaurando ».

[*Subscripserunt etiam*] Petrus Théas, ep. Tarb. et Lourd.; M. M. Dubois, Besançon; Ioseph Urtasun, arch. Avignon; Paul Vignancour, év. Valence; Ioseph

card. Lefebvre; André Pioger, év. Sées; Gabriel M. Garrone; Stephan Desmazières; Roger Johan; Antoine Caillot, Evreux; Marcel Riopel, év. aux. Rennes; Gilles Barthe, év. Fréjus-Toulon; Henri Vion, év. Poitiers; Pierre de la Chanonie, év. Clermont; Alfred Ancel, év. aux. Lyon; Jean de Cambourg, aux. Bourges; H. Donze, év. Tulle; Fr. Kervéadou, év. St. Brieuc; Louis Ferrand, arch. Tours; René Georges Piérard, év. Châlons; Jean Hermil, év. aux. Autun; Jacques Guilhem, év. Laval; Paul card. Richaud; Marius Maziers, év. aux. Lyon; Pierre Rougé, év. Nîmes; Jean Prou, abbé Solesmes; René Graffin, AT Mistia; Paul Chevalier, év. du Mans; J. Le Cordier, aux. Paris; H. Mazerat, év. Angers; F. Bougon, év. Moulins; C. Dupuy, arch. Albi; A. Parenty, aux. Arras; J. Evrard, év. tit. Dionisiopol.; Jean Mouisset, Nice; Félix M. Verdet, La Rochelle; François Marty, arch. Reims; J. Ménager, év. Meaux; Henri Gufflet, év. coad. Limoges; Augustin Jauffrés, ep. tit. Arsennaria; Jean Guyot, év. Coutances; René Fourrey, év. Belley; Aimé Decosse, év. Gravelbourg; André Jacquemin, év. Bayeux et Lisieux; André Rousset, aux. Versailles; Alfred Joseph Atton, év. Langres; Gérard Huyghe, év. Arras; Pierre Boillon, év. Verdun; Claude Flusin, év. St. Claude; Rémi J. De Roo, év. Victoria; Yves Ramousse, év. tit. Pisita; A. R. Jacq, év. tit. Cerasa; Adrien Gand, év. coad. Lille; Louis Durrieu, év. Ouahigouya; Etienne Loosdregt, vic. ap. Vientiane; Jules Leguerrier; Jorge Manrique, ob. Oruro, Bolivia; Vuccino, arch. tit. Apro; Marc Lallier, arch. Marseille; B. Piñero C., év. Temuco, Chile; Antoine Hacault, aux. S. Boniface, Canada; Maurice Baudoux, arch. S. Boniface; Bernardin Hoffmann, év. Djibouti; B. Collin, év. Digne; Maurice Pourchet, év. St. Flour; G. Jacquot, év. Gap; J. Patria, aux. Beauvais; J. Dozolme; év. du Puy; A. Cazaux, év. Luçon.

2

Exc.mus P. D. SANCTUS QUADRI

Episcopus tit. Villanovae, aux. Pineroliensis

Venerabiles Patres, amatissimi Parochi, clementes Sorores et Fratres,

Schema placet etsi melius reddendum iuxta omnium desideria, *et imprimis ipsius commissionis.*[1]

Aliquas animadversiones proferam circa n. 11, nempe de actione christianorum in ordine rerum temporalium. Propositiones concretas, *brevitatis causa,*[2] ad textum meliorem faciendum commissioni tradam.

Linn. 13, 14, 15 in pag. 11 sic sonant: « (Ordo rerum temporalium). 1. Integer manens in sua natura, 2. lege morali, quam caritas perficiat, construatur et 3. ad Deum per Christum ordinetur ».

1. Res creatae, institutiones et activitates temporales hominis in earum propriis natura, finibus, legibus et methodis sunt cognoscendae et agnoscendae.

Hoc primum necessarium est pro quolibet homine qui modo serio vult in ordine temporali operam suam navare.

Observantia vel respectus autonomiae et necessaria competentia sunt primae leges quibus omnes, praesertim qui in Deum credunt, oboedire tenentur; pro credentibus enim agitur de cognoscendis et de facto agnoscendis rebus et natura hominum prouti a Deo sunt factae...[3]

Etiam complexus rerum temporalium habet suam propriam rationem vel rationabilitatem et ideo quemdam ordinem constituit in quo unaquaeque res, institutio et activitas, quamvis servet propriam naturam et valorem, pars fit alicuius realitatis amplioris, in qua novum locum et novam altiorem significationem adipiscitur, simul cum limitibus functionalibus, promanantibus ex connexione et coordinatione cum valoribus diversi gradus eiusdem ordinis.

In rebus temporalibus adest ergo ordo et honestas propria quae ab homine cognoscenda et agnoscenda est.

Res temporales proprium aliquid continent (vulgo: Eigengehalt, an essence of their own, leur propre consistence, proprio contenuto) quod non est simpliciter applicatio alicuius principii moralis superioris. *Nec continetur in Sacra Scriptura aut in doctrina sociali Ecclesiae, sed cognoscitur* [4] diuturno studio et cotidiano usu propriae et alienae experientiae.

2. Aliunde qui vera pollet competentia in rebus temporalibus, non solum recte novit quid sit legitima et necessaria autonomia istarum rerum et institutionum sed audit, ut ita dicam, exigentiam ex ipsis rebus promanantem, earum collocationis in complexu ampliori valorum superiorum et universalium. Ita activitates temporales hominis fiunt revera humanae, scil. manifestatio suae naturae spiritualis et simul modus ad vitam spiritualem augendam.

Novus ordo oritur: ordo moralis, qui integra servans naturam, fines, leges, methodos rerum, institutionum et activitatum temporalium eas roborat et elevat in servitium omnium valorum personae humanae.

Nil mirum si, etiam hic, unaquaeque res temporalis, et ipse ordo temporalis, limites functionales invenit qui, salva manente earum natura, effective eas ponit in servitium personae humanae, a Deo creatae et intra ordinem moralem obiectivum positae...[5]

Christianus operam suam navans ad res temporales efficiendas vel meliores faciendas scit omnes vocatos esse ad actionem et collaborationem responsabilem, et seipsum et ceteros necessario educandos esse ad rectum usum rerum et institutionum quae ex iustitia tenetur consequi vel construere.

3. Et tandem logica interna rerum et vis intima ordinis moralis ad Deum ducit.

Ordo rerum temporalium, in ordine morali constructus, ad Deum per Christum ordinatur...[6]

Ordinatio ad Deum rerum, institutionum et activitatum est aperte affirmanda; hoc non est integralismus sed simpliciter veritas...[7]

Talis ordinatio exigit ...[8] validitatem propriam ordinis temporalis, operatur, modo completo, ipsius compositionem in ordine morali et ipsum aperit ad valores supernaturales; huiusmodi ordinatio fit ab homine per virtutem sanantem et elevantem gratiae Christi quae libertatem hominis adiuvat ut valores temporales incompletos et relativos non reddat aliquid absolutum...[9]

Debemus tamen fateri quod si non difficilis apparet collaboratio cum omnibus hominibus quando agitur de rebus temporalibus intra ambitum legis naturalis evolvendis, difficilior evadit eadem collaboratio, quando agitur de ordinatione rerum ad Deum.

Dicamus explicite quod « ad Deum ordinare » non significat amissionem legitimae autonomiae ordinis temporalis et eius moderationem ex parte hierarchiae ecclesiasticae; etiam hierarchia evidenter habet suas partes in christiana animatione ordinis temporalis, quae opportune *et clare in n. 18* [10] recensentur et quas omnes christiani vereri tenentur ...[11]; sed actio temporalis remanet temporalis quia eius obiectum est temporale et ideo positum in responsabilitate hominis in quantum est membrum societatis civilis; ipse sua consilia capit, utique intra ambitum legis moralis et suae conscientiae christianae rite instructae.

Sunt in ipsa actione temporali aspectus apostolici considerandi quos breviter innuemus; sed ipsi quoque non auferunt naturam temporalem rerum, institutionum et activitatum.

Omitto aliqua, quae ad commissionem tradam.[12]

Concludendo, aliquid de aspectibus apostolicis actionis temporalis. Christianus apostolatum exercet:

a) si, magis quam alii, naturam et autonomiam propriam ordinis temporalis cognoscit et agnoscit ac veram competentiam acquirit;

b) si, magis quam alii, ordinem moralem servat, res temporales in ipso componendo; ipse enim auxilio revelationis et magisterii Ecclesiae, firma cum certitudine, nullo admixto errore et maiore cum claritate, leges fundamentales ordinis moralis cognoscit et, gratia suffultus, securius potest servare;

c) si, magis quam alii, humiliter et amanter quaerit solutionem problematum continuo insurgentium;

d) si, melius quam alii, componere satagit scientificas notiones et artes technicas in apta cognitione Dei ...[13];

e) si, melius quam alii, caritate ductus, necessitates aliorum videt et, nullo paternalismo nec religioso nec sociali inquinatus, in liber-

tate ...[14] iustitiam pro omnibus quaerit, consociationibus, mediis et modis legitimis et historice efficacibus;

ultimo.[15] si, magis quam alii, obiectivam necessitatem educationis, hierarchiae valorum, ordinis (et ideo limitum et conatus ascetici) etiam in temporalibus servat et affirmat...[16]

Laici[17] qui in ordine temporali ita agunt, una cum presbyteris qui spiritualiter eos adiuvant, nostra salutatio et noster gratus amor. Ipsi revera societatem civilem hominis dignam construunt et Ecclesiam praeclare illustrant.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] Bona voluntas apostolatum exercendi nequit substituere has leges fundamentales; qui apostolatum in rebus temporalibus exercere volunt competentiam, prae ceteris, adipisci debent ne fiant infidelibus deteriores, contemptui exponentes ipsum apostolatum. [4] Non potest v. g. effici syllogismus in quo maior constituitur a principiis doctrinae socialis christianae, minor a situationibus concretis (quae ut res omnino transcurabiles reputantur) et conclusio fluit ut aliquid facillimum. Minor enim istius syllogismi est maior, scil. valde complexa et recte poni potest tantum ab iis qui profunda competentia oeconomica, syndacali, iuridica, politica et sociali pollent; quae competentia non datur neque a Sacra Scriptura neque a doctrina sociali Ecclesiae, sed acquiritur. [5] Istae limites acceptantur ab hominibus qui ordinem moralem acceptant. Qualis campus patet pro apostolatu laicorum qui insudare debent non tantum ad condemnationes vel lamentationes faciendas, sed praesertim in sui et aliorum educatione ad valores morales altiores vivendos. [6] Optime fecerunt redactores istius n. 11, recolentes unicum esse historicum consilium Dei de salute hominum, tam naturalia quam supernaturalia, tam temporalia quam aeterna complectens. [7] Ceteroquin ordinatio ad Deum est ordinatio ad vitam, ad iustitiam, ad Creatorem et Redemptorem; ipsa nequit res vel institutiones destruere sed potius in sua natura firmat, roborat et elevat. [8] ergo. [9] (Non datur ambiguitas). [10] in schemate. [11] (cf. n. 18, pag. 15). [12] Quid implicet, in doctrina et in factis, ordinatio rerum ad Deum pro hominibus viventibus in societate ideologice pluralistica et in plurimis corporibus vel consociationibus intermediis, secundariis ut sociologi aiunt, adhuc melius definiendum manet. Tamen duo saltem videntur certe affirmanda: *a*) necessitas pro christianis vivendi unicum et unitarium consilium Dei de salute hominum in tota sua amplitudine, etiam in ordine temporali; *b*) possibilitas et ideo necessitas, intra ambitum iurium personae humanae ex lege naturali promanantium, considerandi aspectus, consectaria et influxus in vitam religiosam hominum quae proveniunt, directe aliquando, indirecte saepius, ex actionibus et institutionibus temporalibus. Societas quae sit revera in servitium personae humanae, nequit negligere ista iura fundamentalia ipsius personae. [13] sive ex ratione sive ex revelatione. [14] filiorum Dei. [15] deest. [16] Ita verbis, operibus, tota vita sua testimonium exhibet de exsistentia Christi et Spiritus Sancti eius in mente fidelium; transit per bona temporalia non solum non amittens aeterna, sed consequens aeterna, sibi et aliis opus salvificum Christi extendens; opera sua temporalia efficaciora reddit et fermentum Evangelii in societate diffundit; doctrinae socialis christianae et etiam spiritualium

rerum desiderium in aliis accendere valet; viam sibi ipsi et aliis sternit ad alias formas apostolatus exercendas quae directe ad vitam supernaturalem conferunt.
[17] Laicis.

[*Subsignaverunt etiam*] A. Barbisotti, ep. tit. Cauno; Cesario Minali, prael. Carolinensis; Luigi Marinoni; St. László; André Perraudin; Placido Cambiaghi; Pietro Fiordelli; P. Winters; Manuel Fernandez Conde; Ioseph Lecuona, ep. tit. Vagaden.; Thomas Morris, AR Cashel; Carlo Zinato; Ioseph Ijjas; J. Bank; Janez Jenko; Antonio Cunial; Carlo Colombo; L. Agboka; Thomas Ryan, Bp. Clonfert; Laurent Noël; Thomas Vaquero; De Liva; José; Federico Sargolini; Lionellus Berti; Emilio Guano; Franciscus Costa; Aloisius Civardi; Aloisius Paro; Carolus Manziana; Jacques Marty; Corrado Bafile; P. Redois; Carlos; William Gordon Wheeler; P. Benincasa; John J. Graham; Calheiros Valdir; Bernardus J. B. Miele, ep. tit. Bararitanus; G. Ruotolo; G. Fallani; J. B. Przyklenk, Januaria; Constantinus Trapani, ep. Nicosia; Alfredus; Paulus Savino; Elias Zoghby, arch. Nubia; Gerard McDevitt, ep. tit. Tigiensis; Petrus Boillon, ep. Verdun; Ioannes Proni, ep. Termoli; Luigi Liverzani, vesc. Frascati; José Gonçalves da Costa, ep. tit. Rodopoli; Remi J. De Roo, ep. Victorien.; J. B. Parodi, ep. Savona et Noli; Luis Yañez R. T., ob. S. Maria Angelorum Chili; Luigi Morstabilini; Dino Tomassini, Ischia; Norberto Perini, arch. Fermo; Egidio Bignamini, arch. Ancona; Gilberto Baroni, Albenga; Helder Pessao Camara, Brasile; Francesco Spanedda, ep. Bosa; Costantini; G. Canestri; F. Pocci; Francesco Minerva, ep. Lyciensis; Valentinus Vallati, ep. S. Severi; Virginius Dondeo, vesc. Orvieto; Albino Mensa, vesc. Ivrea; G. Binaschi, vesc. Pinerolo; Francesco Brustia, vesc. Andria; C. Gaddi, vesc. Bergamo; Emilio Pizzoni, Terracina P. e S.

3

Exc.mus P. D. ELIAS ZOGHBY

Episcopus tit. Nubiensis, vic. patr. Antiochenus Melchitarum pro Aegypto

Venerabiles Patres, Fratres Parochi, et omnes alii,

Exemplum dabo vobis concretum de cooperatione laicorum cum clero in oriente, apud Orthodoxos et etiam in aliquibus catholicis communitatibus, ita ut videatis sat longam hanc traditionem nullo modo ansam praebere accusationi clericalismi. Loquar de Ecclesia graeca-catholica Melchitarum in Aegypto in qua, per viginti quinque annos ut parochus et dein episcopus laboravi.

In quacumque civitate Aegypti quae parochiam possidet extat commissio quaedam laicalis, quam patriarchalem vocamus. Cairo et Alexandriae, viginti quatuor constat membris, quorum duae ex tribus partibus a populo praesentantur, et alia tertia ab Ordinario loci, i. e. patriarcha, designatur.

Huius commissionis, praeses est ipsemet patriarcha, vel, eo absente, vicarius generalis qui episcopus est; et ad gradum parochialem est paro-

chus. Haec commissio magnam exercet activitatem in Ecclesia, et in plures comitatus repartitur:

1. Doctrinalis scil. (enseignement), cuius est vigilare, communiter agendo cum sacerdotibus qui de his curant, ea omnia quae scholas respiciunt.

2. Comitatus *iuridicus,* advocatibus constans, qui forum contentiosum patriarchatus constituit, et omnes activitates Ecclesiae relate ad leges et ius publicum dirigit. Ex his advocatibus eligebatur tribunal communitatis, cuius erat iudicare de effectibus civilibus matrimoniorum coram nostra Ecclesia contractorum: puta de pensione alimentaria, de custodia filiorum, de adoptione, etc. ... cuius competentia nobis ablata est, quando, fere decem abhinc annis, tollebantur apud nos tribunalia religiosa.

3. Comitatus sic dicto Wakfs, i. e. bonorum ecclesiasticorum, cuius est de gestione bonorum Ecclesiae curare, sub praesidentia Ordinarii loci, aut eius delegati. Etenim, sine Ordinarii consensu nihil alicuius momenti decretari potest.

4. Extant adhuc comitatus de nitore coemeteriorum curans, comitatus ecclesiarum, qui materialem eorum gestionem vigilat, beneficiaque tribuit ampliora pauperioribus ecclesiis.

Hic comitatus quibusdam officialibus adiuvatur sicut in occidente (marguilliers), qui, sub directione parochorum, directe de aedificiis ecclesiarum, necnon de pecuniis recolligendis curant, pro extraordinariis coeremoniis ecclesias parant, festa adunationesque paroeciales organisant.

Aliae laicorum associationes operibus caritatis incumbant, quarum praecipua est societas beneficentiae, cui fideles immobilium bonorum legationes quandoque pie tradunt. Magnus fidelium numerus, quocumque anno, ad eleemosynas recolligendas se offerunt.

Sedes istius societatis, ex laicis compositae, est, in ipsa domo patriarchali. Haec societas curat de pauperibus familiis, de aegrotantium hospitio; fundos necessarios egentibus tribuit pro gratuita instructione.

Etiam mulieres sedulo partem habent huic operi, vestimentis pauperum providentes, de prandio puerorum pauperum, quibus vicissim inserviunt, curantes dum aliae de ornatu paramentisque sacris ecclesiarum curam dant.

Haec omnia opera omnes adunationes sub umbra Ecclesiae, in connexione continua cum clero, fiunt. Laici, mirabili apostolatu istis operibus impendunt, pastores Ecclesiae devote colentes, quin ipsas suas voluntates imponant. Ex alia parte, clerus experientia fidelium, ita agentium, advocatorum scil., in rebus technicis, oeconomicisque peritorum, quorum concursus necessarius est, magnum haurit proficuum.

Episcopi, sicut et parochi, qui has collaborationes laicorum reiicerent, auctoritatem suam, influxumque super fideles prorsus amitterent.

Huic laicorum activitati, in rebus materialibus, necnon socialibus caritativisque et piis operibus, intra proprias Ecclesias, *alia munera* adduntur interritualia, catholica, uti Actio Catholica, Legio Mariae, Conferentiae S. Vincentii, Coloniae vacationum, de quibus non loquar quia ea vos scitis.

Ergo, ut videtis, venerabiles Patres, collaboratio inter laicos et clerum in oriente, est continua et intensa in omnibus apostolatui rebus. Tertia parti tantum officium (gallice bureaux) utitur patriarchatus noster in Cairo et Alexandriae pro rebus proprie ecclesiasticis, dum duae aliae partes locorum activitatibus laicorum inservit.

Insuper, ad servitium altaris extenditur haec collaboratio laicorum, quippe qui epistola in liturgia cantant, orationes, psalmos et prophetias in officiis legunt. Imo, apud Coptos Orthodoxos, saepe saepius, laicus quidam, ad hoc bene formatus, parochum adiuvat in praedicatione.

Quae omnia vobis exponere volui, ut sciatis, venerabiles Patres, apostolatum laicorum in oriente semper vivum esse.

Quanta adiutoria et exempla nobis erunt vestrae formae apostolatus laicorum, vos non latet, de quibus formis, de cetero, multum expectamus ad melius conservanda ea quae nostri Patres nobis tradiderunt. Dixi.

[*Subsignaverunt etiam*] Pierre Leclerc, ep. Ségou; F. Scalais; Ioseph Blomjous, ep. Mwanza; Ioseph Tawil; P. Dalmais; J. H. Berlier; A. Roy; Rich. Cleire; M. Hermaniuk; A. Sapelak; F. Zayek; Andrea Katkoff; Louis Durrieu, év. Ouahigouya; F. Poirier, arch. Port-au-Prince; J. Wolff, arch. Diego-Suarez; Franciscus Šeper, arch. Zagreb; Claude Flusin, év. S. Claude; John Bassoul, arch. Homs; Luigi Punzolo, Intern. ap. Damas; S. Quadri, ep. tit. Villanova; Athanasius, arch.; Aug. Farah, ep. Tripolit. Melch.; G. Hakim, arch. Galilea; C. E. Benni, arch. syr. Mossul; A. Perraudin, arch.; G. E. Carter; V. Bazin; Pierre Habra; B. Collin; Amand Hubert; Youh. Kabès; M. M. Dubois; Paul Noussier; Athanasius Tutundji; Benedictus Printesis; N. Edelby, arch. tit. Edessa; Pierre H. Medawar, arch. tit. Pelusio; J. Perrin; Jean Cayer; Paul Gouyon, arch. Rennes; Godefr. Dayez; Isaac Ghattas; Henricus Jenny; Alfred Ancel; Abdulahad Sana; Ablahad Rabban, sup. gén. S. Hormisda; Raphael Bidawid, ep. Amadiensis Chadl.; D. de Montclos, év. Sikasso; Percival Cazo, adm. ap. Valleyfield; J. M. Coderre; José; Enrico de Cocq; Stephanous, patr. Alex.; C. Vanderkerckhove; J. Alain Leroy, év. Kilwa.

Moderator: Et nunc, venerabiles Patres, ut iam nuntiatum est, clarissimus vir Patrick Keegan, nomine collegarum, ex ambone verba faciet ad Patres conciliares usus lingua anglica. Eumque perlibenter audiemus.

D. PATRICIUS KEEGAN
Auditor laicus

Your Eminences and Most Reverend Fathers of the Council,

In the name of the lay Auditors, men and women, present in Rome, I thank the Cardinal Moderators for the honour and opportunity of addressing this great Assembly. I would assure you, Venerable Fathers, that we are very conscious of our responsibility at this historic moment to try, however inadequately, to voice the sentiments of the faithful laity throughout the world.

We have welcomed most warmly the Chapter of the document on the Church dealing with the Laity, giving us a new vision of our active participation in the whole mission of the Church. We have welcomed also the Constitution on the Liturgy which has vitalised our share in the public worship of the Church.

We offer the assurance of our loyal cooperation in fulfilling the noble aims of the document on Christian Unity. And now we have been following with the greatest attention your debate on the Lay Apostolate.

This schema marks for us a point of fulfilment in the historical development of the Lay Apostolate. We sincerely hope that it marks also the beginning of a whole new stage of development.

The schema is the natural outcome of the Church's new awareness of Herself. It is also the result of the progressive discovery by men and women of their responsibility and role within the whole apostolate of the Church. All those who work in the different fields of the apostolate will welcome the present debate as a powerful recognition of their efforts. The very existence of the document under discussion is proof that the apostolate of the laity is no luxury nor passing fashion. It means that this apostolate is incorporated into the new dynamism of the Church, seeking new ways to implement the message of the Gospel, seeking new means better adapted to the different social, economic and cultural situations of modern man.

No document could have provided a codification of all that is being done in the different fields of the apostolate. Nor would one have wished that *one would had provided such a Pist.*[1] This schema leaves the field open for further developments and at the same ...[2] it points to the common ground in apostolic endeavour. Because circumstances and needs will differ, precise forms and structures cannot be universally imposed.

In the general report on the schema, we heard with great interest of the Commission's intention to link this schema with the other Conciliar documents which directly affect the laity: with, for example, the Chapter on the laity in "De Ecclesia"; with the Decree on Means of Communication. In particular, we anxiously await the debate on the Church in the Modern World. All this will have immense implications for the responsible activity of the laity both in the spiritual and in the temporal orders.

It is clear that an apostolic lay action must be rooted in the actual situation and needs of the world. And, as we all know, these needs, both spiritual and temporal, are very great.

Yet, whilst it is true that all Christians are called through baptism and confirmation to the apostolate, we *have to* [3] face the fact that few answer that call.

How are the vast majority of Catholics to be made aware of their apostolic responsibility to bear witness in their daily life, as members of ...[4] family, as members of the community of the Church and of the whole community? This is the challenge for all those who bear responsibility for Christian formation—for parents, for teachers, for priests and for leaders of Catholic groups and organisations. It is here that we see the first role of our organisations. It is clear that association provides the most favourable conditions for Christian formation and for sustaining the individual in the development of his creative potential and in the witness he must bear to the world. The establishment and development of organised groupings should therefore *in our opinion* [5] be strongly encouraged.

To help us to fulfil our role, Venerable Fathers, may we presume to appeal through you for priests to give us their indispensable help. It is the priest who brings Christ to us through the Sacraments and the Gospels. It is the priest who equips us spiritually to "consecrate the world". Those of us, especially those who work in lay movements know how much we owe to our brotherly cooperation with our chaplains. *And we are grateful to that.*[6]

The lay apostolate cannot be an isolated entity in the Church. It reaches its fullness in collaboration with all the other members of the Church. By its very nature it demands a constant and regular exchange between the Hierarchy and the laity. It is for us as lay *man and women* [7] to bring to our Pastors our experience of the needs of the world in which we live, and to seek from them guidance in our endeavour to respond to these needs. In simple terms, *Fathers* [8] there must be the

"family dialogue" of which our Holy Father, Pope Paul, has spoken so frequently and emphasised in his recent Letter " Ecclesiam Suam ".

His Eminence Cardinal Cento, *the other day,*[9] to whom our thanks as to all members of his Commission are due, told us in his introduction to this debate that there is, by wish of her Divine Founder, a distinction within the Church between the Hierarchy and the Laity. But this distinction implies no distance. This debate in the Council has done much to bind us together inseparably in the single mission of the Church.

Thank you very much.

In textu scripto tradito: [1] it should. [2] time. [3] must. [4] a. [5] deest. [6] deest. [7] people. [8] deest. [9] deest.

Moderator: Absoluta iam disceptatione circa schema *de apostolatu laicorum* exc.mus D. Franciscus Hengsbach, qui iam fuit relator commissionis, verba faciet per modum conclusionis ad normam par. 5 art. 57 *Ordinis Concilii servandi.*

Exc.mus P. D. FRANCISCUS HENGSBACH
Episcopus Essendiensis

Venerabiles Patres, Fratres et Sorores,

Discussione peracta super schema *de apostolatu laicorum* nomine competentis commissionis quaedam puncta addere velim.

1. Magna cum attentione membra nostrae commissionis audiverunt interventiones Patrum. Gratias agimus maximas. Non parum enim contulerunt ad hoc, ut textus noster in multis emendari possit. Inter ea enumeranda sunt praesertim haec: maior adaptatio nostri schematis ad constitutionem dogmaticam *de Ecclesia,* distinctior expositio naturae, fundamenti theologici et finium apostolatus laicorum; complementum eorum quae agunt de spiritualitate et de formatione laicorum; relatio clarior inter apostolatum laicorum et animationem ordinis temporalis, praesertim actionem socialem in Ecclesia; connexio magis interna variarum rationum apostolatus; vis magis dynamica totius schematis, quae insuper omnibus futuris incrementis huius apostolatus aperta manet, immo ad ea incitat. Et stylus.

2. Quaedam animadversiones Patrum fundamentum suum minus habuisse videntur in mente schematis quam in eius imperfecta reda-

ctione; v. g. quae a Patribus dicta sunt de clericalismo, de quodam iuridismo, de nimia existimatione apostolatus sic dictae directae evangelisationis, vel apostolatus organisati. Vel de quadam diminutione associationum, quae non ad actionem catholicam pertinent. In his omnibus textum perficere studebimus ita ut clarior sit.

3. Quaedam contrarietates opinionum in aula correspondent eis quae iterum iterumque recurrerant in ipsa nostra commissione, v. g. quoad definitionem laicatus, vel apostolatus, vel apostolatus laicis proprii. Et quoad notas distinctivas actionis catholicae. Saepe textum mutavimus. Tamen post novas disputationes ad veteriorem formam redivimus, ut approbationem duarum ex tribus partibus votorum attingere possemus formam textus aliquoties non cum ultima precisione proposuimus. Talis defectus precisionis pretium indispensabile esse videtur maioris libertatis pro episcopis et pro laicis in Ecclesia. Tamen conari volumus in nova redactione textum ita perficere, ut, in quantum hoc possibile sit, quinque momenta respiciat et coniungat: 1. quam maximam libertatem; 2. quam maximam applicabilitatem in tantam varietatem locorum et in evolutionibus futuris; 3. quam maximam precisionem; 4. quam maximam continuitatem historicam, in variis regionibus; et 5. quam maximam approbationem in Concilio.

Semper, venerabiles Patres et fratres, sorores, in memoriam habeamus haec; textus conciliaris conveniens esse debet pro toto mundo, non tantum pro particulari territorio. Alia ex parte ea quae in aliqua particulari regione legitime evoluta sunt, non ad uniformitatem cogere licet. Omnes igitur studeamus ut omnes omnia aspiciamus cum oculis omnium. En practicum exercitium collegialitatis.

4. Aliud adhuc commissio nostra vestrae considerationi proponendum statuit. In relatione quae discussioni praemissa est dixi, nos sperare nobis ad schema apte emendandum in Concilio opportunum tempus adhuc concessum iri. Quid ergo requiritur adhuc, ut schema apte emendetur? Primo, quod est evidens, diligentissimum examen omnium animadversionum Patrum, quae non paucae erant et saepe complexae; secundo, omnino requiri debetur cognitio plus minusve definitive textus schematis de Ecclesia in mundo huius temporis. Sicut enim nostrum schema sine constitutione *de Ecclesia* suo fundamento carere, sic sine schemate *de Ecclesia in mundo huius temporis,* careret suo complemento essentiali practico. Ut ergo nostrum textum, spectatis eius finibus practicis, recte exprimamus adaptatio ad schema *de Ecclesia in mundo huius temporis,* omnino desideratur. Tertio, responderet expectationibus nunc a locutore laicorum prolatis, et veritatibus in ipso nostro schemate ex-

pressis, si in definitiva redactione nostri textus peritia et experientia laicorum uti possemus et etiam nonnullorum non in Concilio participantium. Haec tria verificari solummodo possunt si Commissioni nostrae tantum tempus patet quantum gravitas huius decreti ab omnibus in Concilio agnita requirit. Dixi. Gratias.

Moderator: Gradum facientes nunc ad schema *de vita et ministerio sacerdotali,* audiatur imprimis exc.mus D. Franciscus Marty, arch. Remensis, relator de ipso schemate designatus a competenti commissione.

DISCEPTATIO

1 – SCHEMA PROPOSITIONUM DE VITA ET MINISTERIO SACERDOTALI

Textus prior

[*Prooemium*]. Sacrosancta haec Synodus, quae in Constitutione « De Ecclesia » naturam theologicam presbyteratus eiusque missionem declaravit, ad vitam spiritualem sacerdotum roborandam eorumque ministerium pastorale in hodiernis locorum ac temporum adiunctis fovendum, haec quae sequuntur statuit:

Textus emendatus [7]

[*Prooemium*]. Sacrosancta haec Synodus, quae in Constitutione « De Ecclesia » *et in Decreto « De pastorali Episcoporum munere »* naturam theologicam *episcopatus et* presbyteratus eorumque missionem pastoralem declaravit, *necnon de peculiari presbyterorum vocatione ad sanctitatem egit* (*A*), *modo quasdem normas ad vitam et ministerium sacerdotum* (*B*) *spectantes decernit*:

1. (novus numerus). [*Sacerdotum cum laicis conversatio*] (*A*). *Novi Testamenti sacerdos, Sacramenti Ordinis ratione, specialiter Deo consecratus atque peculiare ac necessarium in Populo et pro Populo Dei munus patris et magistri exercens, memor semper sit se cum omnibus Christifidelibus Domini esse discipulum, Dei vocantis gratia Eius Regni participem factum* (cf. *1 Thess.* 2, 12; *Col.* 1, 13), *quapropter hoc intendere debet, ut de die in diem huius Regni dignior inveniatur.*

Sit ergo libenter etiam frater inter fratres

NOTANDA: Verba, initio Propositionum litteris inclinatis inter uncos [ ] posita, in redactione definitiva tollentur. In Schemate habentur duo textus: textus *prior* et textus *emendatus*. Hic vero factus est iuxta emendationes a Patribus Conciliaribus postulatas et a Commissione de disciplina cleri examinatas atque propositas.

Quae in textu Propositionum litteris inclinatis scribuntur sunt verba emendata vel addita relate ad priorem redactionem.

Litterae (*A*), (*B*), etc. spectant ad litteras correspondentes in Relatione de singulis Propositionibus, ubi innotescunt rationes cur textus ab antiquo recedat, iuxta Patrum animadversiones.

[B]

Textus prior

3. [*Vita sacerdotalis ad Evangelii normas componenda*]. Totam vitam suam sacerdos, Christi vestigia premens, ad Evangelii normas componere curet, ita ut in aliorum exemplum praeluceat ob animum solutum ab immodico amore rerum temporalium, regno autem Dei et operi salutis plene sit addictus; (...); christianam austeritatem ita colat, ut vere pauper spiritu appareat, atque ab omni specie vanitatis, tam in vestibus ferendis quam in titulis vel honoribus quaerendis, maxime abhorreat, non tantum ad propriam sanctificationem, sed etiam ad pauperes aptius evangelizandos; castitatem sancte custodiat et sincere amet; interno spiritu obedientiae ducatur, nec tantum

Textus emendatus

(cf. *Mt.* 23, 8), *utpote cum iisdem membrum unius Christi Corporis, cuius aedificatio omnibus in fonte baptismi regeneratis et sacro chrismate signatis, secundum mensuram gratiae et donum quod singulis datur* (cf. *Rom.* 12, 6; *Eph.* 4, 7) *demandata est* (*B*). *Studeat igitur cum fidelibus laicis operam coniungere, honore eos praeveniat* (cf. *Rom.* 12, 10), *quippe qui regalis sacerdotii* (cf. *1 Pt.* 2, 9) *sint participes. Missus non ut ministretur ei, sed ut ministret* (cf. *Mc.* 10, 45), *omnibus ita sit deditus ut in ipso appareat benignitas et humanitas Salvatoris nostri* (cf. *Tit.* 3, 4); *quapropter enixe eas virtutes colat, quibus, Domino praecipiente, omnes ornati sint oportet* (*C*), *quaeque in humano etiam consortio magni aestimantur, videlicet cordis bonitas, animi sinceritas, robur et constantia, assidua iustitiae cura, urbanitas aliaeque quas Sanctus Paulus commendat dicens*: « *Quaecumque sunt vera, quaecumque pudica, quaecumque iusta, quaecumque sancta, quaecumque amabilia, quaecumque bonae famae, si qua virtus, si qua laus disciplinae, haec cogitate* » (*Phil.* 4, 8) (1).

2. (olim n. 3). [*Vita sacerdotalis ad Evangelii formam componenda*] (*A*). Totam vitam suam sacerdotes, Christi vestigia prementes, ad Evangelii normas componere curent, ita ut *prae ceteris fidelibus* animo ab immodico amore rerum temporalium soluto eluceant atque *uni Deo* et operi salutis plene sint addicti. Sint pauperes spiritu, *sciant et necessaria habere et penuriam pati* (cf. *Phil.* 4, 12) (*B*), atque ab omni specie vanitatis, tam in vestibus ferendis quam in titulis vel honoribus quaerendis *fugiant*. Castitatem sancte custodiant et sincere ament (*C*), *et qui sacrum coelibatum, Ecclesia commendante immo vel etiam iubente, gratia Dei confisi voverunt, toto corde eidem inhae-*

Textus prior

illa quae sub praecepto cadunt, sed et ea quae a superioribus commendantur, filiali ac generoso animo adimpleat.

1. [*Exigentia sanctitatis sacerdotalis eiusque fundamentum*]. Sacerdotes Novi Testamenti peculiari ratione ad sanctitatem assequendam se adstrictos sentiant oportet, eo quod, per gratiam Sacramenti Ordinis et Characterem Sacerdotalem, novo titulo Deo mancipantur, ut nempe Christi Capitis sacerdotium ministerio episcopatus vel presbyteratus, repraesentent et exerceant, atque in Eius persona agant, ad bonum commune totius Corporis; talem igitur inter homines vitam ducant, ut in ipsis sanctitas quodammodo effulgeat Illius, qui pro nobis factus est « sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus » (*Hebr.* 7, 26).

2. [*Sacerdotis sanctitas proprii muneris adimpletione alitur atque augetur*]. Sacerdotes

Textus emendatus [8]

reant atque gaudeant se hac ratione indivise cum Christo uniri (cf. *1 Cor.* 7, 32-34) *necnon Dei familiae liberius ministrare; in hoc igitur statu recte ac fortiter procedant, ita ut expeditiores* [9] *in dies fiant ad serviendum atque plenius paternitatem in Christo acquirant* (2) (*D*). *Providi ordinis episcopalis cooperatores, unum sacerdotium et ministerium Christi cum Episcopis et sub eorum ductu repraesentantes* (*E*) *et exercentes, eisdem sincero amoris et oboedientiae spiritu adhaereant,* nec tantum quae *praecipiuntur,* sed etiam quae commendantur, generoso animo adimpleant. *Quae sacerdotalis oboedientia natura sua differt ab illa quae religiosis vel laicis convenit, eo quod fundatur in ipsa participatione missionis episcopalis, quae presbyteris per Sacramentum Ordinis confertur atque ideo spiritu pastorali imbuta sit oportet, necnon filialem cum Episcopo communionem requirit* (3) (*F*).

3. (olim nn. 1 et 2). [*Quae in ministerio sacerdotali elucere debent*] (*A*). Sacerdotes peculiari ratione *ad sanctitatem tendant oportet* (4) (*B*), eo quod per *Sacramentum Ordinis* (*C*), *Charactere Sacerdotali insigniti,* novo titulo Deo *consecrantur* (*D*). Quapropter verbum Dei praedicantes, quod docuerint *observent*; mortis Dominicae mysterium celebrantes, quod tractaverint imitentur; gregem Dei pascentes, exemplum Boni Pastoris secuti, pro ovibus suis totam vitam impendant (*E*). *Rectam intentionem peculiaremque spiritum asceticum in implendo pastorali munere colant, ita ut per ipsum ministerium sacerdotale in caritate erga Deum et proximum continuo crescant, atque in vita sua apostolica intime ac perfecte actionem et contemplationem coniungant* (*F*). Neque negligant sacerdotes, *etiam quando labor apostolicus*

[9] *Textus prior*	*Textus emendatus*
ad sanctitatem contendant praesertim ipso exercitio muneris sibi a Deo commissi, cum Episcopo coniuncti, ita ut mortis Dominicae mysterium celebrantes, quod tractaverint imitentur; verbum Dei praedicantes, quod docuerint faciant; gregem Dei pascentes, exemplum Boni [10] Pastoris secuti, pro ovibus suis totam vitam impendant. Attamen, etsi urgeat labor apostolicus, sacerdotes caveant translaticia subsidia neglegere ad sanctitatem acquirendam et fovendam, cuiusmodi sunt cotidiana oratio mentalis et similia, quae longo saeculorum usu nequaquam obsoleta dici possunt, sed potius ad efficacitatem sacri ministerii necessario requiruntur.	*urgeat* (*G*), *traditionalia* subsidia ad *vitam interiorem* fovendam, uti sunt cotidiana mentalis oratio aliaque huiusmodi pietatis opera (*H*), *quae quidem spiritu liturgico informentur oportet* (*I*), quaeque longo saeculorum *decursu* obsoleta *minime* dici *valent,* sed potius ad efficacitatem sacri ministerii *multum conferre possunt* (*K*). *Magni tandem faciant cultum Sanctissimae Eucharistiae atque devotionem erga Beatissimam Virginem Mariam. Ita agentes intimius Deo coniunguntur* (*L*), *atque fidelibus, immo et infidelibus, validum dant Christi testimonium* (5) (*M*).
3. [*Vita sacerdotalis ad Evangelii normas componenda*]. ... (sacerdos) cum sacerdotibus uniatur vinculo fraternae caritatis, orationis, mutui auxilii, animi relaxationis, ideoque vita communis quam maxime fieri possit proveatur ...	4. (olim pars n. 3). [*Sacerdotum inter se confraternitas*] (*A*). *Episcopis bonum corporale et spirituale cooperatorum suorum pro viribus cordi sit* (*B*). *Singuli autem presbyteri confratribus suis* uniantur vinculo caritatis, orationis, cooperationis atque animi relaxationis. *Auxilium humanum et spirituale libenter ferant erga confratres, erga illos praesertim hodie saepius plus quam par est operibus oneratos, et sic « mandatum novum »* (cf. *Io.* 13, 34-36) *sollicite servantes, fidelibus suis exemplo sint verae fraternitatis christianae. Quare etiam Sacrosancta Synodus instanter commendat ut,* quam maxime fieri possit, *vitam communem sacerdotes instaurent* (6) (*C*).
4. [*Studium ad essentialia officia status sacerdotalis pertinet*]. Presbyteri ab Ecclesia in ministerium sacrum idcirco assumuntur, ut partem cum Episcopis habeant in praedicatione verbi salutis et in cura animarum. Quapropter, ut ipsi in condicionibus socialibus et psychologicis nostri temporis fideles operarii in vinea	5. (olim n. 4). [*Studium ad essentialia officia status sacerdotalis pertinet*]. Presbyteri ab Ecclesia in ministerium sacrum idcirco assumuntur, ut partem cum Episcopis habeant in praedicatione verbi salutis et in cura animarum. Quapropter, ut ipsi fideles operarii in vinea Domini inveniantur, *praesertim* in condicioni-

[10]

Textus prior

Domini inveniantur, necesse prorsus est ut sancte et per totam vitam in studio verbi Dei scientiarumque sacrarum indesinenter perseverent, necnon acquirere nitantur altissimam cognitionem scientiarum humanarum, earum praesertim quae ad methodos apostolatus efficacius exercendi peculiari modo pertineant.

Textus emendatus

bus socialibus et psychologicis nostri temporis (7), necesse prorsus est ut *bene noscant studium ad essentialia officia status sacerdotalis pertinere* (*A*). *Sancte ergo* et per totam vitam in studio verbi Dei scientiarumque sacrarum indesinenter perseverent (*B*), necnon acquirere nitantur *opportunam* (*C*) cognitionem scientiarum humanarum, earum praesertim quae ad methodos apostolatus efficacius exercendi peculiari modo pertineant (8).

[11]

5. [*Scientia pastoralis pro locorum adiunctis acquirenda*]. Quo facilius autem sacerdotes, plurimis quidem occupationibus implicati, in studia incumbant et aptius in eis excitetur animi ad studium inclinatio, omni cura ipsis opportuna subsidia comparentur, cuiusmodi sunt creatio studiorum moderatoris necnon institutio cursuum pastoralium vel centrorum, ut aiunt, ad pervestigandum de re catechetica, liturgica et sociologica, qui autem cursus non tantum scientiam sed etiam artem docere debent. Pariter utilissima erit constitutio bibliothecarum, quarum libris ac ephemeridibus facile utentes, possint presbyteri condiciones populorum ac regionum ubi ministerium suum pastorale exercent plenius accuratiusque cognoscere et, intimam coniunctionem cum Episcopis servantes, maiore semper vi atque efficacitate dispensatores divitiarum Christi effici valeant

6. (olim n. 5). [*Scientia pastoralis pro locorum adiunctis acquirenda*]. Quo facilius autem sacerdotes, plurimis quidem occupationibus implicati, in studia incumbant et aptius in eis excitetur animi ad studium inclinatio, omni cura ipsis opportuna subsidia comparentur, cuiusmodi sunt creatio studiorum moderatoris necnon institutio cursuum pastoralium vel centrorum, ut aiunt, ad pervestigandum de re catechetica, *homiletica,* liturgica, sociologica, *etc.,* (*A*) qui autem cursus non tantum scientiam sed etiam artem docere debent. *Iis aliisque aptis mediis peculiari cura adiuventur sacerdotes iuniores* (9), *neoparochi et illi qui in aliam dioecesim aut paroeciam transferantur* (*B*). Pariter utilissima erit constitutio bibliothecarum (*C*), quarum libris ac ephemeridibus facile utentes, possint presbyteri condiciones populorum ac regionum ubi ministerium suum pastorale exercent plenius accuratiusque cognoscere et maiore semper vi atque efficacitate dispensatores divitiarum Christi effici valeant (10).

7. (novus numerus). [*Sacerdotum sollicitudo omnium ecclesiarum*] (*A*). *Sacerdotes, qui Christi Domini sacerdotium et salvificam missionem miro ipsius delectu ac concessu*

[11] *Textus prior* | *Textus emendatus*

participant, et cooperatores sunt Episcoporum eorumque muneris apostolici socii, recolant omnium ecclesiarum sollicitudinem sibi cordi esse debere. Quapropter, praeter officium omnibus incumbens ecclesiasticas vocationes suscitandi (*B*), *sacerdotes illarum dioecesium quae maiori vocationum copia ditantur libenter se paratos praebeant, permittente vel exhortante proprio Ordinario, ad suum ministerium in dioecesibus, regionibus vel operibus penuria laborantibus sacerdotum exercendum* (11).

Textus prior:

6. [*Cleri distributio apte fovenda*]. Normae de incardinatione et excardinatione ita
[12] recognoscantur ut, firmo manente pervetere hoc instituto, hodiernis pastoralibus adiunctis et necessitatibus aptius respondeant, et, ubi ratio apostolatus postulaverit, faciliora reddantur non solum cleri dioecesani distributio, sed etiam peculiaria quaedam opera pastoralia, quae in aliqua regione, vel natione, aut in quacumque terrarum orbis parte, aut etiam pro quibusdam coetibus socialibus perficienda sunt; ad hoc ergo constituantur Seminaria internationalia, dioeceses vel praelaturae personales et alia huiusmodi, salvis semper iuribus Ordinariorum locorum.

Textus emendatus:

8. (olim n. 6). [*Cleri distributio apte fovenda*]. Normae de incardinatione et excardinatione ita recognoscantur ut, firmo manente pervetere hoc instituto, hodiernis pastoralibus adiunctis atque necessitatibus *melius* respondeant (*A*), et, ubi ratio apostolatus postulaverit, faciliora reddantur non solum *apta* cleri distributio, sed etiam peculiaria quaedam opera pastoralia, quae in aliqua regione, vel natione, aut in quacumque terrarum orbis parte, aut etiam pro quibusdam coetibus socialibus perficienda sunt; ad hoc ergo Seminaria internationalia, peculiares dioeceses vel praelaturae personales et alia huiusmodi constituantur, quibus, *modis pro singulis inceptis statuendis et* salvis semper iuribus Ordinariorum locorum, *sacerdotes addici queant* (12) (*B*).

Textus prior:

7. [*Fines ad quos bona in Ecclesia destinantur*]. Meminerint Ecclesiae ministri, quippe quorum Dominus sit « pars et hereditas », bona quaelibet — tum ecclesiastica proprie dicta, tum quae occasione exercitii cuiusdam ecclesiastici officii clerici sibi comparant — secundum rei naturam atque iuxta antiquitus inductam et ab Ecclesia firmatam consuetudinem, destinari ad cultum divinum ordinandum, ad honestam

Textus emendatus:

9. (olim n. 7). [*Fines ad quos bona in Ecclesia destinantur*]. Meminerint Ecclesiae ministri, quippe quorum Dominus sit « pars et hereditas » (Num. 18, 20), bona quaelibet — tum ecclesiastica proprie dicta, tum quae occasione exercitii cuiusdam ecclesiastici officii clerici sibi comparant (*A*) — secundum rei naturam atque iuxta antiquitus inductam et ab Ecclesia firmatam consuetudinem, destinari ad cultum divi-

Textus prior

cleri sustentationem procurandam, necnon ad opera sacri apostolatus vel caritatis, praesertim erga egenos, exercenda.

8. [*Officiis ecclesiasticis princeps locus in iure tribuendus*]. Relicto systemate vi cuius officium beneficio quandoque subordinatum est et adhuc hodie haud raro nimis arcte alterum cum altero coniungitur, ipsis officiis ecclesiasticis, quae ut munera quaelibet stabiliter collata in finem spiritualem exercenda intelligi debent, princeps in iure locus tribuatur.

9. [*Aequa remuneratio clericis providenda*]. Quia « dignus est operarius mercede sua » (*Lc.* 10, 7), atque « Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere » (*1 Cor.* 9, 14), curent sacrorum Antistites ut, pro suo cuiusque territorio, normae instituantur, quibus honestae sustentationi atque congruae pensioni eorum qui in Ecclesia quolibet munere funguntur apte consulatur, ita quidem ut, ratione habita locorum temporumque condicionum, summa pecuniae ab unoquoque percipienda fundamentaliter eadem sit pro omnibus in iisdem adiunctis versantibus, eorum condicioni sit congrua et eis tribuat facultatem per se ipsos indigentibus aliqua ratione subveniendi.

Textus emendatus [12]

num ordinandum, ad honestam cleri sustentationem procurandam (*B*), necnon ad opera sacri apostolatus vel caritatis, praesertim erga egenos, exercenda (13). *Itaque nemini unquam licet officium ecclesiasticum quaestui habere reditusque ab eo provenientes in propriae rei familiaris amplificationem impendere* (14). *Quare clerici, nequaquam divitiis cor apponentes* (cf. *Ps.* 61, 11), *omnem cupiditatem semper vitent et ab omni specie mercaturae sedulo abstineant* (15) (*C*).

10. (olim n. 8). [*Officiis ecclesiasticis princeps locus in iure tribuendus*] (*A*). Relicto systemate *sic dicto beneficiali,* vi cuius *olim quandoque primario erant loco beneficia, quibus officia subordinabantur atque* hodie adhuc haud raro *officia cum beneficiis* nimis arcte coniun- [13] guntur, princeps in iure tribuatur locus ipsis officiis ecclesiasticis, quae *quidem deinceps* ut munera quaelibet stabiliter collata in finem spiritualem exercenda intelligi debent (16) (*B*).

11. (olim n. 9). [*Aequa remuneratio clericis providenda*]. Quia « dignus est operarius mercede sua » (*Lc.* 10, 7) (17), atque « Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere » (*1 Cor.* 9, 14), curent sacrorum Antistites, *sive singuli pro sua cuiusque dioecesi, sive melius plures simul pro communi territorio* (*A*), ut normae instituantur quibus apte consulatur honestae sustentationi atque congruae pensioni eorum qui in Ecclesia quolibet munere funguntur, ita quidem ut, ratione habita locorum temporumque condicionum, summa pecuniae ab unoquoque percipienda fundamentaliter eadem sit pro omnibus in iisdem adiunctis versantibus, eorum condicioni sit congrua et eis tribuat facultatem per se

[13] *Textus prior*

Textus emendatus

ipsos indigentibus aliqua ratione subveniendi (18) (*B*).

10. [*Massa communis bonorum in singulis dioecesibus constituenda*]. Ut valeant Antistites huic obligationi erga clericos satisfacere aliisque dioecesis necessitatibus subvenire, in singulis dioecesibus, quantum fieri poterit, massa communis constituatur bonorum, imprimis ex fidelium oblationibus obvenientium, sed ex aliis quoque fontibus, iure determinandis, derivantium. Optandum etiam est ut dioeceses divitiores adiuvent pauperiores.

12. (olim n. 10). [*Massa communis bonorum in singulis dioecesibus constituenda*]. Ut valeant Antistites huic obligationi erga clericos satisfacere aliisque dioecesis necessitatibus subvenire, in singulis dioecesibus, quantum fieri poterit, massa communis constituatur bonorum, imprimis ex fidelium oblationibus obvenientium, sed ex aliis quoque fontibus, iure determinandis, derivantium. *Valde* etiam *commendatur* (*A*) ut dioeceses divitiores adiuvent pauperiores (19).

[14] NOTAE

[1] Cf. Schema « De Sacerdotibus », n. 4. Hac aliisque in Propositionibus citantur numeri praecedentis Schematis « De Sacerdotibus », typis editi et ad Concilii Patres transmissi mense aprili anni 1964, quo plenius pateat quaenam fuerit mens Commissionis in hoc textu redigendo.

[2] Cf. Pius XII, Litt. Encycl. *Sacra virginitas,* 25 mart. 1954: *A.A.S.,* 46 (1954), p. 161 ss.

[3] Cf. Schema « De Sacerdotibus », nn. 5, 6 et 9.

[4] Cf. inter alia:

S. Pius X, Exhortatio ad clerum *Haerent animo,* 4 aug. 1908: *S. Pii X Acta,* vol. IV (1908), p. 237 ss.

Pius XI, Litt. Encycl. *Ad catholici sacerdotii,* 20 dec. 1935: *A.A.S.,* 28 (1936), p. 5 ss.

Pius XII, Adhort. Ap. *Menti Nostrae,* 23 sept. 1950: *A.A.S.,* 42 (1950), p. 657 ss.

Ioannes XXIII, Litt. Encycl. *Sacerdotii Nostri primordia,* 1 aug. 1959: *A.A.S.,* 51 (1959), p. 545 ss.

Recolenda etiam hic sunt verba Sancti Thomae: « Ad idoneam exsecutionem ordinum non sufficit bonitas qualiscumque, sed requiritur bonitas excellens; ut sicut illi, qui ordinem suscipiunt, super plebem constituuntur gradu ordinis, ita et superiores sint merito sanctitatis » (*Summa Theol.,* Suppl., q. 35, a. 1, ad 3).

[5] Inter alia, Sacrosancta Tridentina Synodus opportune iam admonebat: « Nihil est, quod alios magis ad pietatem et Dei cultum assiduo instruat, quam eorum vita et exemplum, qui se divino ministerio dedicarunt. Cum enim a rebus saeculi in

iniiciunt, ex iisque sumunt quod imitentur » (Sess. XXIII, Decr. *de reform.*, [14]
cap. 1). Relate ad textum huius Propositionis, cf. Schema « De Sacerdotibus », nn. 1, 2, 3, 4, 7 et 8.

[6] Cf. Schema « De Sacerdotibus », n. 5.

[7] « Multa enim in populi christiani mores rerum cursus induxit, patrum nostrorum inaudita temporibus: quae pernovisse hodie sacerdotem oportet, ut nova novis remedia malis in Iesu Christi virtute reperiat, et salutarem Religionis vim in omnes venas afferat humanae societatis » (PIUS XI, Epist. Ap. *Officiorum omnium,* 1 aug. 1922: *A.A.S.*, 14 [1922], p. 456).

[8] Cf. PIUS XI, Litt. Encycl. *Ad catholici sacerdotii,* 20 dec. 1935: *A.A.S.,* 28 (1936), p. 34. Relate ad textum huius Propositionis cf. Schema « De Sacerdotibus », nn. 11-16.

[9] Quamplurima S. Sedis documenta particularem curam de novis sacerdotibus habendam inculcant, et in genere pastoralem praeparationem sacerdotum commendant. Praeter ea quae in nota 4 recensentur, memoranda sunt imprimis:

PIUS XII, Motu proprio *Quandoquidem,* 2 apr. 1949: *A.A.S.,* 41 (1949), p. 665 ss.

PIUS XII, Const. Ap. *Sedes Sapientiae* (pro Religiosis), 31 maii 1956, et adnexa Statuta Generalia: *A.A.S.,* 48 (1956), p. 354 ss.

PIUS XII, *Allocutio* Sacerdotibus Convictus Barcinonensis, 14 iun. 1957: *Discorsi e Radiomessaggi,* XIX, p. 271 ss.

IOANNES XXIII, *Allocutio* in Pontificio Collegio Urbaniano de Propaganda Fide, 30 nov. 1958: *A.A.S.,* 50 (1958), p. 1012 ss.

IOANNES XXIII, *Allocutio* in Magno Auditorio Pontificiae Universitatis Gregorianae, 18 ian. 1959: *A.A.S.*, 51 (1959), p. 74 ss.

IOANNES XXIII, *Allocutio* in Pontificio Collegio Foederatarum Americae Sep- [15]
temtrionalis Civitatum, 11 oct. 1959: *A.A.S.,* 51 (1959), p. 770 ss.

IOANNES XXIII, *Allocutio* ad Seminariorum Rectores, 29 iul. 1961: *A.A.S.,* 53 (1961), p. 559 ss.

PAULUS VI, Epist. Ap. *Summi Dei Verbum,* 4 nov. 1963: *A.A.S., 55* (1963), p. 979 ss.

[10] Cf. Schema « De Sacerdotibus », nn. 17-21.

[11] Cf. Schema « De Sacerdotibus », nn. 36 et 37.

[12] Cf. Schema « De Sacerdotibus », n. 39, simul cum eius nota 8.

[13] CONC. ANTIOCH., can. 25: MANSI, 2, 1328; Decretum Gratiani, c. 23, C. 12, q. 1.

[14] CONC. PARIS., a. 829, can. 15: *M. G. H.,* Sect. III, Concilia, t. 2, pars 1, 622; CONC. TRID., Sess. XXV, Decr. *de reform.*, cap. 1.

[15] Cf. Schema « De Sacerdotibus », nn. 23 et 24.

[16] Cf. Schema « De Sacerdotibus », n. 25.

[17] Cf. *Mt.* 10, 10; *1 Cor.* 9, 7; *1 Tim.* 5, 18.

[18] Cf. Schema « De Sacerdotibus », nn. 26 et 35.

[19] Cf. Schema « De Sacerdotibus », nn. 27-32.

[17] RELATIO DE SINGULIS PROPOSITIONIBUS

De Prooemio

(*A*) Commissio, iuxta desiderium perplurium Patrum, expedire censuit ut in Prooemio hae referentiae includerentur, non solum ad textum clarius redigendum, sed etiam quo manifestius pateret normas seu exigentias fundamentales de quibus in Propositionibus agitur communes esse omnibus qui charactere sacerdotali ornantur, sive Episcopi sint sive presbyteri.

(*B*) Adhibetur verbum *sacerdotum,* loco *cleri dioecesani,* quia nec necessarium neque opportunum visum est has Propositiones limitare ad solos sacerdotes dioecesanos. Procul dubio omnes hae Propositiones clerum dioecesanum directe et immediate respiciunt, sed etiam magna pars normarum attingit sacerdotes non dioecesanos, praesertim eos qui curam animarum exercent. Etenim omnes sacerdotes, etsi in diversis condicionibus vitae et in diversis statibus sint, ad ministerium populi christiani consecrantur.

De propositione N. 1

(*A*) Idea centralis huius novi textus — qui redactus est praesertim iuxta animadversionem Patrum linguae germanicae et Scandiae — est quod sacerdos, praecipue vero sacerdos dioecesanus, qui ratione sui ministerii in toto ambitu suae vitae ad Christi gregem pascendum ordinatur, hoc ministerium recte et fructuose explere nequit nisi in debita consuetudine et communione cum fidelibus laicis.

Peculiaris missio patris et magistri communitatis christianae, pro qua consecratus est, requirit etiam ut sacerdos se gerat tamquam fratrem inter fratres, ut membrum inter membra Corporis Christi, quia profecto omnes fideles, sacerdotio regali insigniti, secundum mensuram gratiae et donum quod singulis datur, in aedificatione Corporis Christi socia opera collaborant. Sic etiam sacerdos — vox et imago Christi — melius in sua vita ostendere poterit mysterium Incarnationis et praesentia totalis Christi in mundo.

(*B*) His verbis etiam recipitur aliquo modo in hac paragrapho desiderium unius Patris, qui postulabat ut magis ostenderetur relatio ministerii sacerdotalis cum mysterio Christi, qui in Ecclesia continuo vivit et agit ad hominum salutem.

(*C*) Haec affirmatio, eodem modo ac citatio textus Phil. 4, 8 in fine [17] huius paragraphi, fit ad clare ostendendam relationem quam huiusmodi [18] virtutes naturales praeseferunt cum Voluntate divina et vita supernaturali, ne sententia redolere possit quemdam naturalismum vel « opportunismum apostolicum ».

De propositione N. 2

(*A*) Cardo huius Propositionis in eo consistit quod in ipsa agitur de vita sacerdotis Deo et operi salutis totaliter dicata, quapropter eius animus speciali ratione a rebus terrenis solutus esse debet. Relicta quaestione disputata, utrum presbyteratus sit vel esse debeat status perfectionis necne — qua super re duo Patres in suis animadversionibus contrarias sententias proposuerunt —, in textu edicitur praxim consiliorum evangelicorum peculiari ratione in sacerdotibus requiri — modo quidem respondente condicionibus sui status —, quin tamen hae virtutes sub votis imponantur.

(*B*) Addita est, iuxta animadversionem Patrum linguae germanicae ac Scandiae, referentia ad textum Phil. 4, 12, quae verba optime ostendunt aliquam inter praecipuas manifestationes paupertatis spiritus, ut ab alio Patre postulabatur.

(*C*) Uti patet, haec commendatio generalis valet pro omnibus sacerdotibus, cuiuscumque ritus ipsi sint.

(*D*) In hac paragrapho breviter exponitur recta significatio et valor sacri coelibatus, qui semper ab Ecclesia enixe laudatus est. Hoc factum est iuxta animadversiones septuaginta Patrum, qui instanter postulaverunt ut in textu clara mentio fiat de coelibatu, cum tot voces confusae sonuerint de possibili huius legis abolitione. Hoc in loco adhibetur locutio *Ecclesia commendante immo vel etiam iubente,* vi cuius id quod dicitur applicari potest non solum iis qui ex lege, libere quidem accepta, in coelibatu vivunt, sed iis quoque sacerdotibus qui, iuxta consilium Domini (cf. *Mt.* 19, 12; *1 Cor.* 7, 40) et continuam ac universalem commendationem Ecclesiae, statum castitatis perfectae amplexi sunt.

(*E*) Postulavit unus Pater ut, loco verbi *repraesentare* diceretur *participare.* Commissio tamen censuit retinendam esse notionem repraesentationis: etenim de omnibus fidelibus vera ratione dicitur eos *participare* sacerdotium Christi, quapropter notio participationis minus specifica est quam notio repraesentationis, quae multipliciter in Traditione exprimitur: sacerdos enim dicitur *imago, typus, eikôn, figura,* etc. Christi Sacerdotis.

(*F*) His verbis, et in genere in tota paragrapho, super eo insistitur,

[18] ut postulatum est a tribus Patribus, quod necessaria unio cum Episcopo atque peculiaris oboedientia ei exhibenda non innititur solummodo in potestate iurisdictionis quae eidem competit, sed etiam in paternitate spirituali quam induit et in participatione missionis episcopalis quae ipsis presbyteris per Sacramentum Ordinis confertur.

[19] De propositione N. 3

(*A*) In hoc textu plura continentur quae in priori redactione inveniebantur in Propositionibus 1 et 2, iis exceptis quae nunc recepta sunt in Constitutione « De Ecclesia ». Quaedam tamen nova adduntur, quo melius ostendantur exigentiae ad ordinem asceticum et mysticum pertinentes, quas in vita sacerdotis secumfert rectum exercitium ministerii pastoralis, ut ipsum re vera sit, sicut oportet, medium aptissimum ad illam sanctitatem prosequendam, ad quam speciali titulo tenentur sacerdotes.

(*B*) Dicitur « *ad sanctitatem tendant oportet* » loco prioris dictionis (« *ad sanctitatem assequendam se adstrictos sentiant* »), ad melius ostendendum characterem voluntarietatis, uti postulatum est ab uno Patre.

(*C*) Iuxta petitionem duorum Patrum, dicitur tantum « *per Sacramentum Ordinis* » loco prioris dictionis (« *per gratiam Sacramenti Ordinis* »), ne textus asserere videatur gratiam Ordinis esse subsidium ad sanctitatem acquirendam in eadem linea ac gratia Baptismi, nam gratia Ordinis non tendit directe ad sanctificationem sacerdotis.

(*D*) Loco *mancipantur* dicitur *consecrantur,* uti postulaverunt Episcopi Iaponiae et Episcopi linguae germanicae ac Scandiae, quo melius exprimatur effectus Sacramenti Ordinis.

(*E*) Attenta petitione unius Patris, mutatur ordo expositionis trium munerum sacerdotalium, ita ut praedicatio verbi Dei ponatur in primo loco.

(*F*) Sic in hoc textu — partim proposito a Patribus linguae germanicae et Scandiae — et attenta etiam petitione unius Patris, referentia fit ad valorem mysticum ipsius vitae apostolicae sacerdotalis; pariter modo positivo sacerdotes monentur de periculis vacui activismi « apostolici », qui ordinarie originem ducit ex defectu rectae intentionis ac vitae interioris.

(*G*) Iuxta animadversionem unius Patris emendata est praecedens redactio (« *etsi urgeat labor apostolicus* »), ad ita significandum modo clariori et positivo necessitatem fovendi vitam pietatis sacerdotalis etiam, sicut plerumque continget, quando labor apostolicus urgeat.

(*H*) Postulavit unus Pater ut mentio fieret de examine conscientiae,

alter vero ut inter exercitia pietatis includeretur recitatio quotidiana [19]
Rosarii Marialis, alius demum ut recenseretur visitatio Sanctissimi Sacramenti. Commissio tamen opportunum duxit haec omnia particularia remittere ad Directoria post Concilium redigenda vel ad Commissionem Codici Iuris Canonici recognoscendo. Consulto omissa sunt alia praeter orationem mentalem, non solum quia character necessario generalis et brevitas textus harum Propositionum impediunt quominus in ipsis agatur de singulis laudabilibus pietatis exercitiis quae commendari possent, sed etiam quia infinitae discussiones oriri possunt circa maiorem minoremve momentum uni exercitio prae aliis tribuendum. Ceterum, in Propositione
commendatur devotio erga Sanctissimam Eucharistiam et Beatissimam [20]
Virginem Mariam; ad examen conscientiae vero quod attinet, ipsum iam est pars Horae Completorii, quando dicitur tamquam ultima precatio in fine diei.

(*I*) Adduntur haec verba, iuxta petitionem unius Patris, ad insistendum super necessitate componendi exigentias vitae liturgicae feliciter resurgentis cum exercitiis pietatis individualis.

(*K*) Praecedens textus (« *necessario requiruntur* ») mutatus est iuxta animadversionem unius Patris, quia forte dici nequit absolute illa exercitia pietatis omnino necessaria esse ad efficacitatem sacri ministerii.

(*L*) Adduntur haec verba, postulantibus duobus Patribus, ad insistendum expresse super intimitate cum Deo in qua vivere debet sacerdos; quae intimitas unionis obtinetur et continuo alitur per ipsum exercitium ministerii pastoralis iuxta formam quae in textu declaratur.

(*M*) Sic ostenditur, iuxta animadversionem Patrum linguae germanicae et Scandiae valor evangelizationis quem habet testimonium propriae vitae in ministerio sacerdotali.

De propositione N. 4

(*A*) Amplius explanatur, iuxta desideria perplurium Patrum, quod dicebatur de fraternitate sacerdotali in aliqua paragrapho Propositionis n. 3 praecedentis redactionis.

(*B*) Commissio libenter recipit hunc textum, a Patribus linguae germanicae ac Scandiae propositum, ubi breviter et complete agitur de paternali ac pastorali sollicitudine quam Episcopi ostendere debent de bono spirituali et corporali singulorum suorum sacerdotum: idque vero non solum vi ipsius muneris, sed etiam ex obligatione iustitiae respondendi ad amorem filialem et completam unionem cum Episcopo quae presbyteris exiguntur, uti etiam alius Pater animadvertit.

[20] (*C*) Fortior facta est commendatio de vita communi inter sacerdotes instauranda, iuxta petitionem unius Patris, etiamsi nondum appareat possibile vel opportunum vitam communem omnibus sacerdotibus imponere.

De propositione N. 5

(*A*) Attenta petitione unius Patris, in ipso textu includitur quod prius explicite dicebatur tantum in titulo ipsius Propositionis.

(*B*) Unus Pater postulavit ut pressius in Propositione monitio fieret de necessitate lectionis biblicae in vita sacerdotis, sed Commissioni visum est textum non esse emendandum, quia iam in ipso sacerdotes monentur ut *sancte et per totam vitam in studio verbi Dei... indesinenter perseverent.*

[21] (*C*) Dicitur *opportunam,* loco verbi *altissimam* in priori redactione adhibiti, quia, ut unus Pater notavit, nimium est exigere a sacerdotibus ut habeant etiam altissimam cognitionem scientiarum humanarum.

De propositione N. 6

(*A*) Additiones factae sunt, attentis duabus animadversionibus, ut tales cursus pastorales non limitentur ad rem catecheticam, liturgicam et sociologicam, sed de aliis quoque rebus haberi possint, prout temporum locorumque adiuncta suadeant. Opportunum e contra visum non est modo aliquo determinare tempus durationis huiusmodi cursuum specialium: quae quidem quaestio nimis particularis est et proinde remittitur ad Directoria post Concilium conficienda.

(*B*) Inseritur hic textus iuxta animadversionem Patrum linguae germanicae ac Scandiae, qui postulaverunt ut peculiaris mentio fieret de speciali institutione pastorali sacerdotibus iunioribus et neoparochis impertienda.

(*C*) Censet unus Pater forsitan inutile non fore si bibliothecae de quibus in Propositione agitur paroeciales vel vicariales sint, quod profecto facilius erit ubi vita communis instauretur. Res tamen nimis particularis videtur ut in textu includatur, quam ob rem ad Directoria pastoralia post Concilium redigenda remittitur.

De propositione N. 7

(*A*) Postulantibus tribus Patribus, inter Propositiones includitur hic textus, desumptus e praecedenti Schemate « De Sacerdotibus » (n. 37), ad alendum in sacerdotibus, qui sunt cooperatores ordinis episcopalis, sensum participationis in sollicitudine omnium ecclesiarum et in desiderio apostolico promovendi bonum totius Ecclesiae Sanctae.

(*B*) Sic etiam, iuxta animadversionem unius Patris, in mentem omnium sacerdotum revocatur obligatio, quam vi muneris habent, suscitandi et fovendi vocationes sacerdotales. [21]

DE PROPOSITIONE N. 8

(*A*) Commendatur recognitio normarum hac super re hodie vigentium, ita tamen ut cum moderatione fiat, prout ab uno Patre postulatum est, sed tali modo etiam, ut, in bonum totius Ecclesiae, melius provideri possit solutioni gravium atque urgentium problematum pastoralium, quae persentiuntur in aliquibus regionibus et coetibus socialibus (hoc quidem a perpluribus Patribus postulatum est).

(*B*) Redactio ultimae periodi leviter modificata est, ad maiorem claritatem, iuxta animadversionem unius Patris.

DE PROPOSITIONE N. 9 [22]

(*A*) Postulavit unus Pater ut expungerentur verba « *tum ecclesiastica proprie dicta, tum quae occasione exercitii cuiusdam ecclesiastici officii clerici sibi comparent* », quia *quaelibet bona* sacerdotum ad fines in Propositione recensitos destinanda sunt. Commissio tamen opportunum censuit ut haec verba retinerentur, quia distinctio facienda est inter bona ecclesiastica et bona quae sacerdos sibi comparet occasione exercitii muneris sacri ex una parte et, altera ex parte, bona quae habet ex capitibus personalibus, hereditate aliave ratione acquisitis, quae sacrum ministerium non respiciat. Priora enim ad fines in Propositione dictos sunt destinanda, et sacerdos ad illud faciendum tenetur. Altera vero possunt ad eosdem fines destinari, nisi forsan sacerdos teneatur aliqua obligatione pietatis erga propinquos, sed eadem non *debent* ad eos fines destinari.

(*B*) Quae a Patribus linguae germanicae et Scandiae addenda proposita sunt, nempe « ad honestam cleri *eiusque domesticorum* sustentationem », Commissioni expedire non videntur. Non tantum quia aequum non est ut de domesticis sermo fiat, sed etiam quia honesta sustentatio sacerdotum includit quod ipsis possibilitas dari debet domesticos sustentandi, qui eis se devovent. Directe tandem bona, de quibus agitur, non sunt ad domesticorum sustentationem, sed tantummodo indirecte, in quantum scilicet ipsi sacerdotes obligatione tenentur ad illos sustentandos.

(*C*) Attenta petitione unius Patris, addita est haec paragraphus, quae inveniebatur in n. 24 Schematis « De Sacerdotibus », ad Propositionem complendam.

[22] De propositione N. 10

(*A*) Haec Propositio — cuius redactio, ad maiorem claritatem, leviter modificata est, iuxta animadversionem unius Patris — duplicem continet affirmationem: 1) relinquendum est systema beneficiale, in quo scilicet primarius locus tribuebatur beneficio et non officio: hoc systema olim praesertim vim habebat, sed et in iure hodierno eiusdem sunt vestigia, quia nimis arcte saepe officium cum beneficio coniungitur; itaque systema admittendum est in quo officio ipso primus locus tribuitur; 2) officia deinceps intelligenda sunt *quaelibet* munera stabiliter collata in finem spiritualem exercenda; in iure enim Codicis Iuris Canonici officia sensu stricto illa tantum sunt munera stabiliter collata, quae aliquam secumferunt participationem potestatis ecclesiasticae sive ordinis sive iurisdictionis (can. 145): votum ergo exprimitur ut latius accipiatur officium.

(*B*) Unus Pater postulavit ut adderetur suppressio classium, sim-
[23] plificatio vestium cleri, abolitio titulorum puri honoris et limitatio in perpetuitate fundationum. De hoc partim iam agitur in Propositione 2 (ubi verba fiunt de vestibus et titulis sacerdotum relate ad spiritum paupertatis); cetera vero res nimis particulares videntur ut in Propositione statuantur, et proinde ad Commissionem Codici Iuris Canonici recognoscendo remittuntur.

De propositione N. 11

(*A*) Emendatus est textus prior (« *pro suo cuiusque territorio* ») iuxta animadversionem unius Patris. Difficile quidem est ut unaquaeque dioecesis proprias normas utiliter condere possit.

(*B*) Postulatum est in nonnullis animadversionibus ut ageretur de cura ab Episcopo exercenda circa sacerdotum valetudinem et animi relaxationem, quod Commissioni opportunum visum est. Haec idea tamen, potius quam in hac Propositione, inseritur in Propositione n. 4 per verba: *Episcopis bonum corporale et spirituale cooperatorum suorum pro viribus cordi sit.*

De propositione N. 12

(*A*) Modificatur textus prior (« *Optandum etiam est* ») ad roborandam commendationem, prout a duobus Patribus postulatum est.

(*B*) Postulavit unus Pater ut ageretur de parte quae laicis competit in administratione bonorum ecclesiasticorum, uti fiebat in n. 34 Schematis « De Sacerdotibus ». Commissio tamen opportunius duxit rem remittere ad Directorium postconciliare.

2 – Exc.mus P. D. FRANCISCUS MARTY
Archiepiscopus Remensis

RELATIO

...[1] Perhonorifico fungor munere, a Commissione Conciliari « De disciplina cleri et populi christiani » mihi commendato, vobis exponendi ea quae in Propositionibus « De vita et ministerio sacerdotali » vestrae considerationi atque approbationi nunc proponuntur.

Imprimis vero aliquid dicendum est de mutatione prioris tituli « De Sacerdotibus », qui titulus potius respondebat iis quae in primigena Schematis redactione continebantur. Nunc vero, cum necessarium fuerit totam materiam perstringere, Patres Commissionis censuerunt opportunum non esse talem titulum retinere, quippe qui nimis amplus sit. Praeterea de sacerdotibus agitur, praeterquam in nostro Schemate, etiam in Constitutione « De Ecclesia » aliisque in Schematibus.

Hae Propositiones « De vita et ministerio sacerdotali » sunt fructus impensi laboris a nostra Commissione peracti, postquam attente ac diligenter consideratae sunt tum normae a Commissione « De Concilii laboribus coordinandis » impertitae, tum omnes ac singulae animadversiones a vobis, E.mi ac Exc.mi Patres, in textum nostri Schematis propositae, quas sane libenti ac grato animo recepimus, et quae nos efficaciter adiuvarunt. Ne autem taedio vos afficiam, necessarium non exsistimo hic vobis dicere quodnam responsum datum sit singulis emendationibus, et quaenam exinde mutationes in textu factae sint, cum haec omnia comperire possitis legentes relationem de singulis Propositionibus.

Sed quaenam fuit mens Commissionis et quaenam criteria adhibita sunt in his Propositionibus conficiendis? Hoc in textu accurata ratio habita est pastoralium necessitatum Ecclesiae et condicionum vitae atque apostolatus sacerdotalis in mundo moderno, idque vero modo potius positivo quam negativo: Commissio nempe maluit solutiones directe vel indirecte proponere, potius quam difficultates aut pericula denuntiare.

Liceat mihi nunc aliquid vobis exponere de huiusmodi adiunctis atque necessitatibus, quae in textu conficiendo a Commissione prae oculis habita sunt:

In Ecclesia Sancta Dei, integre missionis servitio dedita, consideranda est relatio sacerdotum cum ceteris Christifidelibus: etenim ubique terrarum nunc feliciter conspicere possumus quomodo laici magis in dies conscii fiant sui muneris ecclesialis. Necessarium est autem ut sa-

cerdotes se habeant erga ceteros Christifideles non solum tamquam patres et magistros, sed etiam tamquam fratres inter fratres, quos honore praevenire debent, cum ipsi Membra sint eiusdem Corporis Christi, in cuius aedificatione omnes simul socia opera collaborare debent.

Ad colloquium cum mundo moderno efficacius instituendum et ad exemplum ceteris fidelibus praebendum, apte in sacerdotum mentem revocari potest necessitas colendi, praeter virtutes supernaturales, eas quoque quas naturales vocant, quaeque per gratiam ad ordinem supernaturalem evehantur oportet.

Cum hodie tot voces confusae resonent sacrum coelibatum impugnantes, peropportunum etiam visum est ipsum expressis verbis confirmare eiusque excelsam significationem in vita et ministerio sacerdotis exponere.

Ad sanctitatem quod attinet, clare affirmatur sacerdotes ad illam contendere praesertim ipso exercitio, in unione cum Episcopo, muneris sibi a Deo commissi, et imprimis vitam liturgicam esse debere praecipuum fontem pietatis. Expedit ergo principia quaedam statuere quibus normae in Codice Iuris Canonici contentae, quae potius respicere videntur personalia exercitia pietatis, apte componantur cum vita liturgica communitatis, nostris diebus feliciter resurgente.

Ministerium sacerdotale semper novis condicionibus accommodetur oportet, et ideo iugiter nostris diebus persentitur necessitas instituendi, pro locorum adiunctis, speciales cursus pastorales aliaque incepta, quibus sacerdotum praeparatio pastoralis atque intellectualis per totam vitam augeatur atque continuo alatur.

Ad paupertatem quod attinet, mentio imprimis fiat oportet de ipsomet spiritu paupertatis, iuxta exemplum Christi, qui non habebat ubi caput reclinaret (cf. *Mt.* 8, 20). Congruit igitur ut sacerdotes ab honoribus et luxu fugiant, sed expedit quoque aliquid in concreto edicere de bonorum administratione atque destinatione.

Sacerdotes presbyterium efformant, ex quo intima veluti necessitate scatet ut vita communis instanter sacerdotibus commendetur.

Sacerdotibus quoque, qui participant Episcoporum sollicitudinem omnium Ecclesiarum, cordi esse debent non solum suscitatio vocationum ecclesiasticarum, sed etiam problemata de animarum cura apte gerenda, quae Pastorum animos, per terrarum orbem dispersorum, tam graviter angunt. Ideo quaedam normae proponuntur quibus problemata de distributione cleri aptius solvantur et incepta statuuntur ad aliquos apostolatus specificos facilius perficiendos.

Omnino etiam expedit ut reformetur systema beneficiale, ne Ecclesia Sancta Dei accusari possit « feudalismi », neque inter clericos diver-

sae « classes sociales » exsistere videantur. Attamen omnes clerici obtinere debent congruam remunerationem, qua de eorum sustentatione et providentia apte caveatur, quem in finem haud parum conferre poterit institutio massae communis bonorum dioecesanae.

Quinam est igitur finis nostri laboris? Voluimus quidem, iuxta criteria exposita, quasdam breves Propositiones normativas redigere, quae complectantur aliquos adspectus fundamentales in vita spirituali, ascetica, intellectuali, pastorali et materiali sacerdotum.

Etenim, cum fons totius vitae sacerdotalis sit intima unio sacerdotis cum Christo, cuius Sacerdotium repraesentat et exercet cuiusque instrumentum fit, ratio totius vitae et operis sacerdotalis in hac unione consistit. Munus sacerdotis, iuxta exemplum Christi Domini, qui « non venit ministrari, sed ministrare, et dare animam suam, redemptionem pro multis » (*Mt.* 20, 28), est servitium fratrum, quibus etiam exemplo esse debet, ut ipsis ostendat « investigabiles divitias Christi » (*Eph.* 3, 8), quam ob rem sacerdotes prae ceteris eluceant oportet ob plenam suae missioni deditionem omniumque virtutum exercitium, ita efficientes ut in sua vita et ministerio actio et contemplatio iugiter coniungantur.

Firmiter speramus fore ut, si has Propositiones dignas exsistimaveritis quae a vobis approbentur, omnes hae normae aptissimum subsidium praebeant vitae ac ministerio sacerdotum qui, providi cooperatores nostri Ordinis, in universo terrarum orbe patienter, generose et indefesse suam actuositatem exercent.

Sacerdotes quidem commoti sunt et quandoque in angustiis versantur propter exigentias mundi moderni. Magna fiducia sperant fore ut Concilium eos adiuvare possit ad Evangelium impensius in dies annuntiandum; ipsi enim, cum Ecclesia et Episcopis, volunt esse Christi testes apud homines: « Medius autem vestrum stetit quem vos nescitis » (*Io.* 1, 26).

In oratione: [1] Honor est quod de sacerdotio agatur in centesima congregatione generali. Sic probatio fit quod Concilium non senuit. Salutamus cum gaudio et dilectione omnes parochos praesentes et adhuc non praesentes, et multitudinem sacerdotum qui laborant cum tanto zelo in mundo universo.

Moderator: Pro praeclara relatione gratias maximas tibi, exc.me Pater, et omnibus membris commissionis una cum em.mo praeside.

3 – PATRUM ORATIONES

4

EM.MUS P. D. ALBERTUS GREGORIUS CARD. MEYER
Archiepiscopus Chicagiensis

Venerabiles Fratres,

1. Schema propositionum *debeo cum omni sinceritate fateri*[1] in toto suo complexu minus placet *vel placet iuxta modum.*[2] Hoc dicitur non quia singulae propositiones non sint generatim in se bonae, sed potius quia non facile eruitur scopus praecisus huius schematis. Iuxta relationem hic scopus est ut « accurata ratio habeatur pastoralium necessitatum Ecclesiae et condicionum vitae atque apostolatus sacerdotalis in mundo hodierno, idque modo potius positivo, quam negativo ». Ex iis autem quae in disceptationibus de apostolatu laicorum audivimus, mihi non videtur, his paucis propositionibus « accuratam rationem pastoralium necessitatum quod ad vitam et munus sacerdotum pertinet revera habitam esse ». Multa enim quae de apostolatu laicorum dicta fuerunt a fortiori valent de sacerdotibus, et propter dignitatem et momentum eorum apostolatus in nostro schemate dicenda essent.

2. Schema propositionum, igitur, minus placet quia in re tam magni momenti non datur vera discussio, sicut factum est in schemate *de pastorali munere episcoporum* atque in schemate *de apostolatu laicorum.* Etenim sacerdotes sunt, ut schema bene dicit, « providi cooperatores » muneris episcopalis, atque, ab eorum munere et zelo pastorali, episcopi in proprio munere fungendo maximopere dependent. Insuper et apostolatus laicorum in multis pendet ab apostolatu sacerdotum. Etenim maxima cooperatio inter sacerdotes et laicos desideratur ut iamiam audivimus ab oratore laico *hodierno die.*[3] Quod etiam bene in n. 1 schematis illustratur. Decet autem mea opinione, ut habeatur schema integrum quod omnes has veritates fusius illustret. Decet etiam ut Patres conciliares tali modo veram opportunitatem habeant eorum intimum nexum cum omnibus sacerdotibus manifestandi.

Dico, « cum omnibus sacerdotibus » nam schema deberet, *mea opinione*[4] respicere etiam principia enuntiata in dictis S. P. Pii XII « de ministerio ordinario et de ministerio extraordinario » sacerdotum, vel secundum terminologiam Pp. Ioannis XXIII, « de ministerio directo et de ministerio indirecto » *sacerdotum.*[5]

3. Schema propositionum loquitur quasi exclusive de variis sacer-

dotum obligationibus, et non multum habet quod sacerdotes nostros confortat et elevat pro adimpletione harum obligationum. *Et ideo, ut mihi videtur, schema non servat bonum aequilibrium. Et ratio est in eo ponenda est quia ad has paucas tantum propositiones reducitur.*[6] Vellem igitur, ut saltem in prooemio aliquid de dignitate, de necessitate atque de alta missione sacerdotis in toto complexu missionis Ecclesiae dicatur. Verum est quod prooemium, uti nunc sonat, ea, quae in schemate *de Ecclesia* de sacerdotibus dicuntur, breviter recolit. Haec autem aliquatenus fusius, sub aspectu pastorali, iterum recolenda sunt...[7]

b) Non bene intelligitur etiam cur statim post prooemium transitus fit ad « conversationem sacerdotum cum laicis ». Verum quidem est sacerdotem pro hominibus constitui, sed in iis quae sunt ad Deum. Homo Dei igitur sit priusquam est homo inter homines.

c) Debeo *etiam*[8] fateri quod mihi non clare eluceat num schema uti nunc iacet normas iam sequendas statuere velit, vel tantummodo aliquas normas generales indicare velit quae in revisione codicis Iuris Canonici considerari deberent.

d) Minus *etiam*[9] placet quod in n. 3 maximum opus maximusque fons apostolatus, sacrificium nempe Missae, in qua actione etiam elucet maxima dignitas sacerdotalis, per pauca tantum verba *nempe*[10] « magni faciant cultum Sanctissimae Eucharistiae » recolitur.

e) Quae superius dixi de aequilibrio non bene servato valent praesertim, ut mihi videtur, de n. 2 (ubi agitur de vita sacerdotali ad Evangelii formam componenda) et de n. 3 (ubi agitur: quae in ministerio sacerdotali elucere debent). Item dici posset de n. 9, saltem eo sensu quod res ibi tractata praesertim in ultima parte huius numeri singularem habuerit mentionem in documento conciliari.

f) N. 12 *etiam*[11] ubi loquitur de « quadam massa communi » uti sonat in textu omnino non placet, quia tamquam norma generalis non vere correspondet diversarum regionum adiunctis.

Conclusio. Mihi in votis est ut habeamus schema integrum discutiendum fere ad modum schematum quae tractant de apostolatu episcoporum et de apostolatu laicorum. Quod votum — mihi persuasum est — melius correspondet tum scopo eminenter pastorali huius Concilii tum expectationibus plurimorum sacerdotum qui huic scopo indesinenter incumbunt. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] deest. [4] meo iudicio. [5] deest. [6] deest. [7] 4. Schema propositionum, uti nunc iacet, non videtur servare bonum aequilibrium, et ratio, ut mihi videtur, in eo

reponenda est quia ad paucas has propositiones reducitur. *a*) Hoc apparet ex iis quae iam dixi de modo fere exclusivo quo schema loquitur de obligationibus sacerdotum. [8] deest. [9] deest. [10] deest. [11] deest.

5

EXC.MUS P. D. PETRUS M. THÉAS
Episcopus Tarbiensis et Lourdensis

Venerabiles Patres, dilectissimi Sacerdotes, Periti ac Parochi, carissimi Observatores et Auditores,

Propositiones schematis *de vita et ministerio sacerdotali* maximi momenti sunt: quaestio de clero debet esse, et *de facto*[1] est, nostra praecipua cura.

Schema mihi placet; attamen non sufficienter in lucem adducit necessitatem presbyterorum et praestantiam presbyteratus.

I Pars. De necessitate presbyterorum. Semper maior fit *in Ecclesia*[2] numerus episcoporum et semper ut puto minor numerus presbyterorum. Progressus illorum minime compensat deficientiam ultimorum, speciatim in mundo huius temporis, ubi in dies accrescit multitudo populationis.

Partem maiorem, quam Sacrosancta Synodus merito tribuit episcopis, minime liberat Patres conciliares a cura dedicandi sacerdotibus, qui idem sacerdotium Christi participant ...[3], documentum solemne, quod pro sua qualitate, attentionem excitet ipsorum sacerdotum, et admirationem procuret apud universum populum Dei.

In schemate *de apostolatu laicorum* citatur verbum S. Ignatii Antiocheni: « Nihil sine episcopo ». Numquid etiam dici posset, in sensu analogo: « Nihil sine presbyteris »?

1. Etsi nos episcopi magis ac clarius conscii sumus tituli « successorum apostolorum »; etsi plene participes sumus sacerdotii Christi, ad idem collegium pertinentes sub capite Petri, et responsabiles in solidum evangelizationis et salutis mundi, attamen, in aperto nobis est, quod sine cooperatione sacerdotum minime implere possumus missionem doctrinalem necnon pastoralem et munus sanctificationis. Limitatae potentiae nostrae memores, rite dicere possumus: « Nihil sine presbyteris ».

2. Fideles utriusque sexus sive sint religiosi sive laici, sacerdotibus egent prout sunt praedicatores verbi, educatores fidei, ministri sacramentorum, praecipue sanctissimae Eucharistiae. Apostolus laicus, etsi plene libertate gaudet, etsi aptus est ad incepta prosequenda vel ad

responsabilitates assumendas, attamen praesentiam et influxum sacerdotis magis magisque expostulat in campo spirituali.

Sic ergo laici sicut religiosi unanimiter dicunt: « Nihil sine presbyteris ».

3. Si de missionibus loquitur, tunc praecipue instantius proclamat Ecclesia: « Nihil sine presbyteris ».

4. Momentum maximum Concilii in eo sistit ut ad praxim deducantur eius decreta vel constitutiones, post earum promulgationes. Hoc *autem*[4] munus imprimis Summi Pontificis et episcoporum, est ...[5]. Attamen, in hac applicatione actuum conciliarium partes habebunt sacerdotes, et quidem necessarias atque praevalentes. Etenim in coniunctione directa et permanente vivunt cum fidelibus; eorum actio sane ex hierarchia pendebit, sed in praxi eorum influxus erit decisivus in executione constitutionum et decretorum Sacrosanctae Synodi.

Venerabiles Patres, quatenus curam habemus de renovanda Ecclesia, quod scopus est principalis Vaticani II, nobis necessarii sunt sacerdotes: « Nihil sine presbyteris ».

II Pars: ...[6] In mundo huius temporis, ubi fides debilitatur, etiam apud christianos, sacerdos non amplius consideratur ut a Christo efficitur. Permulti vident in eo simpliciter hominem, aliis credentibus similem, cultu religioso fungentem. Tria ergo proclamanda sunt:

1. Per impositionem manuum episcopi, sacerdotium ipsius Christi in animam ordinandi effunditur, ita ut ex eo tempore ministerium exerceatur *in persona Christi.* Proinde sic definitur sacerdos in traditione catholica: « Sacerdos alter Christus ».

In mundo huius temporis, a Christo delapso, ipse sacerdos in discrimen venit, ne sacerdotium suum contemplet in plena luce fidei. Propterea valde opportunum esset iterum proclamare quod presbyter, ...[7] particeps fit potestatibus Christi, et ideo participare debet Christi sanctitatem.

2. Lumine suffulti Sacrosanctae Synodi Vaticanae II, vinculum perspicimus intimum ...[8] inter sacerdotem et episcopum ...[9]. Adest inter eos quasi quaedam circuminsessio: episcopus est in sacerdote et sacerdos in episcopo. Missio episcopi eadem est ac missio sacerdotis, quippe qui, *cum*[10] episcopo coniunctus, populum Dei edocet, sanctificat et ad salutem perducit.

Praestantia sacerdotum et episcoporum ex eadem fonte promanat scil., ex communi participatione sacerdotii Christi. Presbyterium sacerdotum est pro episcopo prima necessitas et gaudium maximum...[11]

Ultimam[12] potenter et amantissime interveniat in favorem sacerdotii

catholici Virgo Maria, Regina cleri, Mater summi et aeterni sacerdotis. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] etsi in gradu inferiore. [4] deest. [5] necnon comitatuum exsecutionis in futuris instituendorum. [6] De praestantia presbyteratus. [7] quatenus. [8] quod. [9] exsistit. [10] deest. [11] 3. Dum veritas de presbyteratu ex officio et coram omnibus proclamatur, necnon necessitas eius et praestantia, Concilium magnopere conferre potest ad influxum cleri firmandum, ad eius actionem amplificandam, et ad numerum vocationum augendum. Pueri et iuvenes cupiunt ut ex propria vita aliquid pulchri et optimi eveniat. Pro illis quos Deus vocat nil est sacerdotio pulchrius et sacrificia libenter accipiuntur quando ab ipso Christo comprehendimur per sacramentum Ordinis. [12] Utinam.

6

Exc.mus P. D. IULIUS ROSALES
Archiepiscopus Caebuanus

Venerabiles et carissimi Patres,

Liceat mihi, nomine episcopatus Insularum Philippinarum, aliquas considerationes exponere circa schema propositionum *de vita et ministerio sacerdotali.*

Placet imprimis quod in his duodecim propositionibus breviter sed modo efficaci recepta sint problemata quae nostris diebus persentiuntur relate ad vitam et ministerium sacerdotum. Hodierna enim adiuncta multas mutationes induxerunt in vitam populorum, quae sane prae oculis habendae sunt ut aliqua prudenter modificentur, alia vero firmiter retineantur in modo vivendi et actuositate sacerdotali. Quaecumque vero sit responsio his novis adiunctis danda, necessarium est ut ipsa considerentur, quod quidem in schemate fit. Breves sunt igitur hae propositiones, sed multa in ipsis continentur quae valde utilia sunt.

Bene dicitur in relatione huius schematis commissionem ob oculos habuisse pastorales necessitates Ecclesiae et condiciones vitae atque apostolatus sacerdotalis in mundo moderno, quapropter principia quae in propositionibus enunciantur multum conferre poterunt ut sacerdotes suum ministerium efficaciter adimpleant.

Hic sensus pastoralis pervadit integrum textum schematis, dum simul aequilibrium servatur in proponendis omnibus quaestionibus. Quod aequilibrium praesertim elucet in rebus quae maiores difficultates praebere possunt: sic, e. g., schema insistit super necessitatem ut sacer-

dotes totam vitam suam ad Evangelii formam componant, et exponit virtutes quas sacerdotes colere debent, sed consulto definire non vult quaestionem disputatam utrum presbyteratus includi debeat in statu perfectionis necne. Pariter laudanda est prudentia qua proponitur ut reformentur normae hodie vigentes de incardinatione et excardinatione, firmo tamen manente ipso instituto, quae quidem reformatio tam necessaria est ut melius exerceri possit pastoralis cura multorum fidelium, qui per menses vel per integros annos sacerdotibus carent qui verbum Dei praedicent et eis sacramenta administrent. Eadem prudentia, at simul fortiter, commendatur ut sacerdotes, qui sane peculiari ratione inter se fratres sunt, vitam communem instaurent.

Peculiari mentione digna videntur ea quae dicuntur de sacerdotum conversatione cum ceteris fidelibus: quo in textu aequilibrium servatur, nam clare dicitur sacerdotem esse patrem et magistrum, at simul fratrem aliorum fidelium, et fratrem quidem qui ad servitium fratrum consecratur. Utilis est etiam commendatio ut sacerdotes colant virtutes sic dictas humanas seu naturales, quae sunt fundamentum supernaturalium.

Quae de paupertate, castitate et oboedientia dicuntur omni laude digna sunt, et praesertim ea quae spectant ad sacrum caelibatum, cuius valor positivus extollitur prout est medium unionis cum Deo et medium etiam ad serviendum fratribus. Necessarium omnino est ut hic textus integer servetur, nam vox auctoritativa Concilii solemniter confirmare debet sacrum caelibatum, qui hodie a nonnullis impugnatur.

Agitur etiam de oboedientia sacerdotum, quae non debet esse caeca oboedientia, sed spiritu pastorali, et ideo sensu responsabilitatis, plene imbuta. Huic oboedientiae et filiali unioni sacerdotum respondere debet — uti etiam in schemate dicitur — paterna sollicitudo ex parte episcopi, qui peculiari obligatione tenetur curandi de salute tum spirituali tum corporali suorum cooperatorum, qui presbyterium efformant.

Id quoque laudandum est, quod in schemate nulla apparet disiunctio inter vitam interiorem et exercitium ministerii sacerdotalis. Re quidem vera rectum exercitium ministerii postulat vitam orationis, sacrificii ac plenae deditionis, sed haec vita unionis cum Deo necessario ducit ad exercitium ministerii, nempe ad infundendum in alios plenitudinem propriae vitae supernaturalis, ex quo oritur maior in dies configuratio cum Christo, cuius Sacerdotium sacerdos participat, et efficit ut in vita sacerdotis actio et contemplatio intime coniungantur et invicem exigantur.

Statuitur quoque studium pertinere ad essentialia officia status sacerdotalis, et media valde utilia proponuntur ut sacerdotibus *faciliter* [1]

reddatur adimpletio huius officii. Cursus pastorales, de quibus in schemate agitur, sacerdotes adiuvabunt ut diligentius in dies in studia incumbant et sint semper « aggiornati », uti dicitur, circa ea omnia quae necessaria sunt ad ministerium perficiendum.

Consideratur etiam sacerdotum sollicitudo omnium ecclesiarum, quae est logica consequentia unionis cum episcopo. Haec sollicitudo sacerdotem ducere debet imprimis ad vocationes indesinenter quaerendas, nempe ad continuam orationem, et sacrificium, et conversationem cum fidelibus, ut supernum donum vocationis ecclesiasticae recipere queant. Sed haec sollicitudo eos quoque ducere debet ad consideranda ut sua propria etiam problemata aliarum ecclesiarum, in quibus solvendis totis viribus, praesertim vero per suam vitam supernaturalem, cooperari debent.

Ideo schema continet optima principia, quae quandoque paucis verbis exponuntur, sed haec generalis enunciatio erit criterium directivum ut normae in hoc textu contentae ad praxim postea deducantur sive per Directoria pastoralia post Concilium conficienda sive per laborem revisionis Codicis Iuris Canonici.

Hac de causa integrum schema valde placet et opportunum videtur in hodiernis rerum adiunctis. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] facilior.

7

Exc.mus P. D. IOSEPH BARTHOLOMAEUS EVANGELISTI
Archiepiscopus-episcopus Meerutensis

Venerabiles Patres et Fratres,

Schema *de vita et ministerio sacerdotali* valde placet, *perfici utique potest.*[1] Ut autem perfectius evadat, aliquid ulterius addendum puto, quod est omnino necessarium ad genuinam sanctitatem et interiorem vitam fovendam in sacerdotibus, *i. e. aliquid circa spiritum vere missionarium ut dicitur.*[2]

Etenim[3] in hoc schemate ne verbum quidem fit de necessitate spiritus missionarii in vita sacerdotali. Nunc autem remedium *afferre huic*[4] lacunae est scopus nostrae interventionis.

Ecclesia enim ex voluntate Christi est essentialiter missionaria: « Euntes, docete omnes gentes... ». Ex altera parte, secundum dicta in schemate *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia,* episcopi, ra-

tione collegialitatis, debent non tantum curare bonum suae dioecesis sed etiam, aliquo vero modo, bonum totius mundi: nam totus mundus humanus creatus est ad efformandum novum populum Dei. Sacerdotes autem sunt cooperatores episcoporum, eorumque in munere et responsabilitate participes.

Ratione huius collegialitatis, sicut Summus Pontifex, dum totam gubernat Ecclesiam Dei, non obliviscitur *duarum ex tribus partium* [5] generis humani quae adhuc suum Redemptorem non cognoscunt, sic et episcopus et parochus dum respective gubernant suam dioecesim et paroeciam, oblivisci non debent maximae partis generis humani quae adhuc nec episcopum nec parochum uti suum pastorem agnoscit.

Ex hoc clarum est problema missionarium stricte tale esse problema maximum totius Ecclesiae Christi: *Totius Ecclesiae Christi,* dico, et non tantum Summi Pontificis et episcoporum atque missionariorum qui sub Sacra Congregatione de Propaganda Fide adlaborant, et aliquorum christianorum, qui illis aliquod subsidium praestant.

Consequenter omnes episcopi et sacerdotes spiritu vere missionario imbuti esse debent.

Ideo suggero ea quae sequuntur:

1. Ut in n. 3, pag. 9-10 textus nostri, ubi media ad vitam interiorem *sacerdotum* [6] fovendam indicantur, post haec verba, « Magni faciant cultum S.mae Eucharistiae atque devotionem erga B.mam Virginem » haec vel similia addantur: « spiritum vere missionarium in seipsis et in aliis colant quippe qui sit spiritus Cordis Christi qui testatus est " Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur " ».

2. In n. 12, lin. 27, *rogo ut* [7] ita legatur: « ut valeant antistites huic obligationi satisfacere aliisque dioecesis et, in quantum fieri potest, totius mundi necessitatibus subvenire... ».

3. ... [8] Linn. 32 ss. ita *quaeso,* [9] legantur: « Enixe etiam rogatur ut dioeceses et paroeciae divitiores adiuvent pauperiores, illas speciatim quae in territoriis sub Sacra Congregatione de Propaganda Fide inveniuntur ».

4 et ultimo: Notare velim quamdam saltem apparentem contradictionem inter numerum tertium et undecimum. In numero undecimo sermo fit de pensione sacerdotibus danda. In numero vero tertio sacerdotes monentur ut « pro ovibus suis totam vitam impendant ».

Meo humili iudicio, idcirco quod exiguus sit numerus sacerdotum, sermonem utique facere debemus de eorum honesta sustentatione non vero de eorum pensione, quamdiu iudicio episcopi, aliquod ministerium sacerdotale exercere possunt pro animarum bono; nam hic quoque applicare debemus axioma illud « salus animarum suprema lex ».

Apparentem itaque contradictionem vitare poterimus, si textum in n. 11 ita exhibeamus « Normae instituantur quibus apte consulatur sacerdotum honestae sustentationi, necnon congruae pensioni, quando, ratione valetudinis vel senectutis, iudicio episcopi, sacerdotali labori impares evaserunt ». Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] deest. [4] huius. [5] duae tertiae partis. [6] deest. [7] deest. [8] Tandem. [9] deest.

8

Exc.mus P. D. ANTONIUS AÑOVEROS ATAÚN
Episcopus Gadicensis et Septensis

Venerabiles Patres, carissimi Parochi et sacerdotes et omnes alii,

Schema optima est conflatio praecedentis *de clericis,* sed, mea humili sententia, nimis contractum.

Suam concisionem servando schema explicitius esse potest in partibus quibusdam.

In n. 2. Inter sanctificationis sacerdotum media saltem indicare oportet sanctam Missam, officium divinum, conscientiae discrimen. Minimismus in hac re, interpretari posset veluti depreciationem rerum spiritualium in sacerdotum vita, unde opiniones hodiernae gignuntur, quas nos aegre lugimus.

Mihi parcite, venerabiles Patres, si hoc vobis innuere audeo, quod inter media efficientiora sanctificationi nostrorum sacerdotum, nostrum exemplar vitae cernere debemus: vita orationis, abnegationis, caritatis, servitii sine limitibus, paupertatis. Et etiam ut instituatur in dioecesibus in aliquo sensu pater spiritualis pro sacerdotibus cum singulari independentia ab episcopo.

Permagnum esset episcopos et conferentias episcoporum aperte significare hanc magni momenti notam, his forsitan verbis:

Videat unusquisque episcopus ut primum officium sui muneris pastoralis, opportunam omnibus suis sacerdotibus curam spiritualem praebere, eis prae oculis offerendo mediorum et occasionum copiam eorum sanctificationi.

Episcoporum conferentiae eos omnes conatus et consilia, promotionem conventionum ad certa tempora, et monita quae opportuna sibi videantur cultui et *ellationes* [1] status spiritualis sui cleri praebeant.

In n. 6. Quaestio de aequiore distributione cleri maximae gravitatis est, et postulatum genuini sensus catholici, aequitatis, iustitiae, carita-

tis, adhuc etiam humanitatis. Concilium, ut demisse sentio, suam auctoritatem exercere debet, ut commissio reformae Codicis formulam iuridicam inveniat, satis generosam et apertam, quae solutionem quaerat huic gravissimo Ecclesiae negotio.

Praesentes modi et formae cooperationis nimis complexae et insufficientes evadunt. Mundus vero et animae conficiuntur siti operariorum Evangelii, qui in mundo sunt quidem, sed non aeque distributi.

In n. 8 ...[2]. Consentaneum videtur ut Concilium commissioni reformandi Codicis praebeat aliquid gravius quam simplicem commendationem, quod attinet ad hodiernum systema beneficiorum.

Tempori praesenti rerum accommodatio ...[3] quam Ioannes XXIII postulabat, sibi vult instaurationem funditus novatam. Omnibus sane perspectis, fortasse validus et firmus iussus de praesenti systemate beneficiorum requiritur, quod hodiernum ad maiorem partem extemporaneum est, et a multis ecclesiasticis admitti non potest.

Verum si dicimus, in Concilio maxime omnium pastorali, vix explicari potest nostrorum capitulorum in ecclesiis cathedralibus temperatio: ut sint beneficia sine officiis, eaque esse debent practica, necessitatibus pastoralibus huius temporis, ita mutabilis, aptata.

Denique, liceat mihi in aliquo sensu digressionem. Aegre etiam iustificatur, mero sensu Ecclesiae, quod nonnullae nostrarum cathedralium, nulli rei paene sunt quam ut attractioni et voluptati invisentium exterorum ...[4] inserviant. Nondum autem erit hora, ut omnis ecclesia cathedralis, simul ecclesia paroecialis sit, vel ut communitatibus religiosis committantur, ut olim alicubi factum fuerat, quae fidelium vitam liturgicam foveant atque roborent? Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] ellationi. [2] Beneficiorum systema. [3] (aggiornamento). [4] (turistas).

9

EXC.MUS P. D. ARMANDUS FARES

Archiepiscopus Catacensis et episcopus Squillacensis

Em.mi Praesides et Moderatores, venerabiles Patres, carissimi Parochi hic praesentes prima die,

Circa schema de vita et ministerio sacerdotali quasdam animadversiones proponere intendo.[1]

1. *Animadversio generalis.* Textus actualis nobis propositus, cum mutatione ipsius inscriptionis: (antea: « de sacerdotibus », nunc « de

vita et ministerio sacerdotali ») in genere placet. Magis ac magis placuisset mihi, si ea quae dicuntur disposita fuissent alia ratione, et praecise illa ratione quae respondet textui de presbyteris exarato et approbato in schemate *de Ecclesia* cap. III, n. 28, in quo optime de ipsis *presbyteris* [2] agitur in relatione ad Christum, ad episcopos, ad presbyterium et ad populum christianum. Hinc:

1. in relatione *ad Christum*: necessitudo sacerdotis cum Christo in ratione sanctitatis, *fundamentum omnium aliarum rerum* [3] (n. 2, n. 3, n. 1, *actualis textus* [4]) quod explicat etiam rationem agendi sacerdotis in populo ...[5];

2. in relatione *ad episcopos*: vinculum oboedientiae etc. *in* dioecesi propria, *in* sollicitudine *cum* Ecclesia et *pro* Ecclesia universali etc. (n. 4, in initio: ...[6] n. 7; n. 8);

3. in relatione *cum confratribus sacerdotibus*: *in* communione bonorum spiritualium (n. 4 ...[7]); *in* ministerio sacro ad quod sese praeparare debent continuo etiam per studium (n. 5) et per scientiam pastoralem iuxta necessitates acquirendam et applicandam (n. 6); ...[8]

4. in relatione *ad populum christianum,* qui sacerdotes agnoscere praecipue debet *quatenus sunt* [9] *sal* terrae et *lux* mundi (n. 1 et n. 2).

2. *Animadversiones speciales.* 1. in n. 2: pag. 8, lin. 36 *sermo fit* [10] de sacro caelibatu. Bene, inter difficultates praesentes, affirmatur mens Ecclesiae circa legem caelibatus. *In memoriam revocari oportet illam declarationem quam paucis ante diebus in ephemeride « L'Osservatore Romano » publicata est, publici iuris facta est contra fantomaticas exaggerationes et imaginationes multarum ephemeridum in toto mundo.*[11] Sed in textu datur haec dictio: « et qui sacrum caelibatum... *voverunt* ».

Num hic definiri vult, vel mens Ecclesiae auctoritative edici desideratur circa illam quaestionem: i. e. utrum caelibatus sit tantummodo *lex* Ecclesiae an necessario includat *Votum* castitatis perfectae et perpetuae?

Meo iudicio, in hoc loco mutanda esset dictio vel expressio; et tantum in revisione Codicis Iuris Canonici, si postulata Patrum hoc efflagitant, quaestio esset accuratius perpendenda et resolvenda.

2. in n. 4: in fine, ubi de vita communi sacerdotum agitur, adderem: « *saltem in primis vitae sacerdotalis annis* ». Quod facilius evenire potest, sive ad experientiam pastoralem acquirendam; sive in institutis pastoralibus studiis incumbendo; sive in Seminariis dioecesanis operam praestando quae tamen permittat simul quaedam in ministerio sacro externo exercere.

3. in n. 9: duo, modo magis explicito, dicantur: videlicet:

a) non haberi in clero duas classes sacerdotum: Ecclesiae pauperum et Ecclesiae divitum. Nulli desint quidem necessaria et apta ad perfectionem acquirendam in ratione ministerii, in studiis etc.; in auxilio, iuxta praeceptum Domini, patri et matri exhibendo *si necessitatem habeant*[12]: quod nemo negare potest. Sed:

b) omnes toto animo et studio *et zelo*[13] laborent (*apostolus Paulus aiebat ad Corinthios*[14] « laboramus operantes manibus nostris ») et quidem laborent *in ministerio sacro* sibi concredito, in institutione fidelium, *in confessionibus audiendis*[15] etc. Ne amplius accidat quod frequenter fit, videlicet multi laborant sed in his quae lucrum afferunt; et omnia alia derelinquunt quae sine pecunia sonanti perfici nequeunt.

Etiam *sacerdotes*[16] sibi dicta *credant*[17] illa verba Domini in paradiso *terrestri*[18]: « in sudore vultus tui vesceris pane! » ...[19].

Hoc quod dictum est valet etiam pro n. 12 *de massa communi constituenda*[20]: ne ex existentia massae communis quis suspicetur tempus otii a Concilio promissum esse!...

Ceterum maximam grati animo exhibitionem facimus omnibus sacerdotibus nostris qui praesertim in difficultatibus praecipuis in quibus positi sunt, praesertim a tempore ultimi belli, multa bona exempla nobis dederunt et maximum auxilium nobis dederunt in explicatione ministerii nostri episcopalis.[21] Gratias.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] deest. [4] pag. 7, lin. 21; pag. 8, linn. 1-24. [5] (ut in n. 1). [6] pag. 10, linn. 10-13. [7] pag. 10, linn. 13-24. [8] *in* aequa distributione bonorum temporalium (n. 9, 10, 11, 12). [9] ut sint. [10] deest. [11] deest. [12] deest. [13] deest. [14] *1 Cor.* 4, 12. [15] deest. [16] sacerdos. [17] credat. [18] deest. [19] (*Gen.* 3). [20] deest. [21] deest.

10

EXC.MUS P. D. FRANCISCUS AYOUB
Archiepiscopus Aleppensis Maronitarum

Venerabiles Patres,

Mihi valde placet quod schema peculiare, conficiatur de sacerdotibus; utrum plene illorum spei respondeat illorumque missionem accurate exprimat, non auderem affirmare. Memorat certe consilia et praecepta quorum executione vita sacerdotis nutritur in spiritu, mente et opere pastorali, immo quorum executione ipsa vita materialis susten-

tatur. Attamen non in plena luce apparet locus sacerdotum in Ecclesia, ex quo haurire debent, in laborando, et vigorem et methodum.

Qua de re mihi liceat aliquas animadversiones facere circa locum et ordinem illorum quae dicuntur.

Circa locum. In nn. 8-12 agitur de cleri distributione, de bonis et officiis ecclesiasticis, de clericorum remuneratione; nonne haec omnia plus pertinent ad episcoporum pastorale munus quam ad sacerdotes? Ad sacerdotes pertinet ut, etiam his in materiis, ordinationi episcopi animo sint dociles, non autem ad hanc ordinationem procurandam. Ideo in meliore loco venirent haec ubi de episcoporum munere; sufficeret autem, hic, ut sacerdotibus commendetur ut, in his materiis sicut in ceteris, episcoporum ordinationes assumant et ad executionem ducant.

Circa ordinem. In aliis numeris veniunt praecepta sacerdotibus facta, attamen sine ordine logico: Haec praecepta, nonne possunt ordinari in aliquo fundamento, ex quo sacerdotes haurire possunt et vigorem et methodum in laborando?

Hoc fundamentum mihi videtur adesse in notione « presbyterii » cuius membra sunt sacerdotes. In unaquaque peculiari ecclesia, episcopus est caput; fideles, vi sacerdotii baptismalis, sunt membra; sed presbyteri, per presbyteratum consecrati et deputati ad apostolatum, sunt speciali titulo membra et quidem activa. Attamen sacerdotium acceperunt — quod valet etiam de sacerdotibus religiosis — non ut unusquisque motu proprio et in proprium finem, ministerium exerceat, sed ut cum episcopo, per quem sacerdotium a Christo receperunt, « presbyterium » constituant deputatum in Ecclesiae servitium. Qua de re dicta Ignatii Antiocheni celeberrima omnibus nota sunt.

Haec autem veritas recte intellecta potest esse sacerdotibus et fons vigoris et regula actionis in opere apostolico.

A Christo, Summo Sacerdote, omnes nos et episcopi et sacerdotes accipimus.

Sacerdotes acceperunt a Christo per episcopum, patrem; acceperunt et titulum et gratiam: illos ergo episcopus assumere debet ut filios et cooperatores, immo secundum verbum Domini, non « ut servos sed ut amicos »; sacerdotes vero episcopum assumere debent ut patrem et ducem, laborantes non unusquisque pro commodo et honore proprio, sed omnes cum episcopo pro commodo et honore Ecclesiae Dei.

Quod si presbyteri se sciant uniti in eodem « ministerio » non theoretice, sed practice et « re vera », si se sciant uniti in eodem « presbyterio », iam non praecepta accipiunt ut « servi », a longe et passive obedientes, sua functione secundum aliquem « functionarismum » fungentes, sed ut veri filii, qui cum patre incepta concipiunt et animo gene-

roso ad opus se vovent, non alienum sed proprium opus, toto presbyterio assumente totius Ecclesiae curam; tunc sacerdotes, in sua spe non decipiuntur, et missione sua alliciuntur, et cum zelo et gaudio operam navant, se habentes coram Deo ut « servi inutiles » sed coram seipsis non putant se inane impendere vitam; cum gaudio testimonium perhibent, etiam in labore, secundum hoc Augustini: « Ubi amatur, non laboratur et si laboratur, labor amatur ».

Et sic sicut in celebratione eucharistica, Corpus Christi consecratur celebrante episcopo et presbytero assistente episcopum, ita Corpus Christi mysticum quod est Ecclesia sanctificatur pascente episcopo et presbytero illum assistente.

Haec de habitudine sacerdotum ad episcopum; de habitudine etiam sacerdotum inter se, eadem veritas, nempe « presbyterii » illorum mentem et corda transfigurare potest:

Sacerdotes, se scientes membra eiusdem presbyterii eodem ministerio fungentes, iam non ut ad invicem extranei inter se concurrunt secundum quamdam aemulationem, sed fraterno affectu ducuntur, inter se cooperantes et seipsos adiuvantes, auxiliis spiritualibus immo et materialibus. Uniuscuiusque labor iam non limitatur finibus propriae paroeciae, sed omnium labor se extendit ad totam dioecesim, secundum eamdem rationem procedens, et ad omnes necessitudines se extendens, alio supplente quod alii deest. Quae caritas activa contra infelicia experimenta praemunit et sacerdotes et ipsum episcopum, omnium conamina dirigit ad feliciores exitus.

Tandem in relationibus sacerdotum cum laicis, unum verbum addendum videtur de instituendis laicis ad apostolatum.

Circa modum loquendi. Bene consideranti, non sine aliquo paternalismo videntur dici quae dicuntur. Ibi supponuntur sacerdotes nondum maiores quibus diriguntur consilia et praecepta. Sacerdotes autem se considerant et revera sunt adulti: illis Ecclesia committit suum opus: sunt ergo fiducia digni qui totam virtutem in servitio impendunt et ita debent alloqui ut seipsos ad melius impellunt.

Post illa quae de laicis dicta sunt, alia aliter de sacerdotibus dicenda.

Conclusio. Salvo meliore iudicio, optarem, si fieri potest, ut textus recognoscatur ita ut

a) prooemium novum conficiatur de « presbyterio »;

b) ut in n. 1, posito fundamento omnis sacerdotii in sacerdotio Christi, tractetur de habitudine sacerdotum ad episcopum, et in n. 2 de habitudine sacerdotum inter se;

c) ut alia exponantur in numeris sequentibus, in lumine eiusdem fundamenti, nempe presbyterii.

Materia, secundum hanc ordinationem exposita, apparebit forsan magis conformem doctrinae generali de Ecclesia a Concilio elaborata, et spem sacerdotum, mea spe et opinione, melius respondebit. Gratias.

11

Exc.mus P. D. IOSEPH HILTL

Episcopus tit. Constantiensis, aux. Ratisbonensis

Venerabiles Fratres, reverendi et carissimi Parochi,

Liceat mihi quondam munere parochi *per aliquos annos* [1] functo *in schemate* [2] verba pastoralis momenti proferre. In schemate propositionum *de sacerdotibus* n. 9 et nunc in textu emendato n. 11, agitur de « aequa remuneratione clericis providenda ».

Huic causae *satis providere non* potest nisi in regionibus Ecclesiae oeconomice quodammodo constitutis et a regimine civili non nimis suppressis, *proh dolor.*[3]

In illis autem regionibus, ubi clericis aequa remuneratio et honesta sustentatio obtinget, antistites territorii clericos *et parochos* [4] admonere debent, ut ipsi etiam assistricibus domesticis suis non solum *iustam et congruam* mercedem ordinarie pendant sed etiam pro assecuratione sociali (Sozialversicherung in lingua germanica) earum provideant, ne istae fideles famulae tempore invaliditatis et senectutis *egestate onerosa* laborent.

Quae obligatio urget etiam erga *eas* domesticas famulas, quae cum clericis cognatione coniunctae sunt. Non sufficit, istis famulis solummodo *aliquam spem* futuri *legati* in testamento praebere. Hic remunerandi modus non esset vera *cautio* futuri victus praestandi.

Ex neglectu huius obligationis socialis a parte sacerdotum oritur crebro *damnum* emergens in oeconomia domus sacerdotalis, *parochialis,*[5] quia hodie subditae non sufficienter remuneratae et pro invaliditatis annis in tuto non collocatae incitantur ut alibi in regione industriali uberiorem remunerationem acquirere conentur.

Ex hoc damno *oeconomico* domus parochialis oriri debet etiam incommodum *pastorale,* quia in domo pastoris, in qua absente *famula* non congruenter consulitur necessitatibus corporis, sollicitudo pastoralis et zelus animarum imminui incipit.

Haec causa est etiam alicuius momenti et non leviter transeunda *non expedire,*[6] quia est res pastoralis et socialis iuxta Encyclicam Ioannis Papae XXIII *Mater et Magistra.*

Conclusio. In pag. 13, textus emendati, linn. 15 s., ad verba « normae instituantur, quibus honestae sustentationi eorum qui in Ecclesia quolibet munere funguntur » addatur « etiam eorum (*earum* [7]) in domo pastoris famulatus munere funguntur apte consulatur ». Gratias.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] aliqua. [3] deest. [4] deest. [5] deest. [6] deest. [7] deest.

12

Exc.mus P. D. IACOBUS KOMBA

Episcopus tit. Thignicensis, aux. abb. null. Peramihoensis

Venerabiles Patres,

Schema praesens *de vita et ministerio sacerdotali* in genere laudandum est, cuius titulus etiam placet. Videtur tamen novum schema nonnunquam solummodo bene intelligitur, si explicatur secundum textum primi schematis. Sed certo melius esset, si novus textus emendatus brevitate habita non indigeret commentario, ut intelligeretur, sed si per se ipsum sensus patefieret. *Quaedam in singulis*: Proh dolor, articulus ...[1] in quo apud primum schema agebatur de « cruce in apostolatu cum gaudio amplectenda » penitus omissus est. Quantum solatium esset multis sacerdotibus in aerumnis et persecutionibus degentibus audire pauca verba consolationis ex ipso Concilio. Et aliquando, ego ipse *episcopus* [2] conscie vel inconscie sum causa istius crucis. Forsitan haec pauca verba in fine n. 2 praesentis schematis essent addenda: « In aerumnis et persecutionibus sacerdos magis conformatur Christo patienti et sacrificium in cruce offerenti et pro parte sua adimplet ea quae desunt passionum Christi in carne sua. Cum Domino patitur ut cum Eo glorificetur, qui fuit " victor et victima, et ideo victor, quia victima ". Etiam in hoc sacerdos imitetur quod tractat ».

Pag. 8, n. 2, lin. 31. Schema nostrum emendatum optime exhortatur, ut sacerdotes paupertatem apostolicam colant, etsi *proh dolor,*[3] non fuse sicuti in primo schemate. Pudet me, ut episcopum, *successorem apostolorum,*[4] neque in schemate constitutionis *de Ecclesia,* neque in schemate decreti *de pastorali episcoporum munere in ecclesia* admonear, ut paupertatem apostolicam, cum sim ipse per se successor apostolorum, colam, et ut ab omni specie vanitatis fugiam, ita clare et succincte sicut hic admonentur sacerdotes. Quo modo igitur ego *ut episcopus* [5] possum admonere meos sacerdotes ut sint paupertatis spiritu imbuti, et ut fu-

giant ab omni specie vanitatis, tam in vestibus ferendis quam in titulis vel honoribus quaerendis? Quod de me ipso non praedicatur a Concilio. Anglice diceretur: "an unfair game". Ergo videant consules schematis *de pastorali episcoporum munere in ecclesia.*

Pag. 11 s., n. 8. Qui numerus vix clare intelligitur quin respiciantur nn. 36, 37 et 39 prioris schematis, pag. 43-45, praesertim quid sit munus praelaturarum personalium.

Pag. 12, lin. 9. Ibi dicitur: « pro quibusdam coetibus socialibus » forsitan claritatis causa addatur « v. g. opificibus et intellectualibus ». Vide relationem prioris schematis, pag. 13.

Ibidem lin. 11. Quoad « praelaturas personales » item claritatis causa addatur exemplum pro quo munere instituantur.

Pag. 12, n. 10, lin. 37. Loco « relicto systemate » forsitan melius diceretur « relicto *usu* » vel « relicta *consuetudine* ».

Pag. 11, n. 6, linn. 9 s. Ibi dicitur « ad pervestigandum de re catechetica, homiletica, liturgica, sociologica, etc. ». Proponerem « ad pervestigandum *de rebus curam animarum spectantibus* » sine enumeratione singularum rerum, ne excludatur quid momenti, e. g. de re ethnologica in terris missionum.

Loco vocabuli « artem » *ibidem* [6] forsitan clarius esset etsi non tam classice *scriberetur* [7] « usum » vel « viam et rationem » vel « *praxim* » vel « *exercitium* », claritatis causa.

Art. 11 et 12 optima principia statuunt pro honesta ac congrua sustentatione clericorum. En problema pro novellis ecclesiis ubi firmus et stabilis et constans fons sustentationis sacerdotum sunt stipendia Missarum, quorum localia sunt pauca et tenua. En periculum dissuadendi stipendia Missarum localia et speciei mercaturae in stipendiis pinguibus acquirendis. Qua via et ratione hoc periculum tollendum sit, *videant consules.* [8]

Principia hic insinuata reducantur in praxim. [9] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] vide appendicem in n. 10, pag. 25. [2] antistes. [3] deest. [4] quia nullibi, ni fallor. [5] uti antistes. [6] deest. [7] scribatur. [8] fusius ibidem insinuata exponantur a novo codice iuris canonici. [9] deest.

13

Exc.mus P. D. LEONARDUS IOSEPH RODRIGUEZ BALLÓN
Archiepiscopus Arequipensis

Venerabiles Patres,

Loquor de n. 8.[1] Distributio aequior cleri non potest non optime amplecti a nationibus Americae, quibus communiter opus est pluribus sacerdotibus, ut subvenire possimus necessitatibus spiritualibus multitudinum maxima parte catholicarum et ex quibus fructus suos eripere cupiunt diversae protestantismi sectae, communismus, etc.

Hac de causa gratias nostras referimus diversis sodaliciis aliquarum nationum et characteris etiam internationalis a quibus hodie missio sacerdotum in nostras gentes moderatur.

Quaedam tamen animadvertere cupimus. Optandum esset ut haec sodalicia, a quibus nostri populi *opitularunt,*[2] inter se convenirent forsitan quodam gremio coordinatore, ut aequius disponeretur haec optata distributio tum sacerdotum, cum subsidiorum nostris seminariis.

Etiam confirmare cupimus necessitatem cognitam et ad partem provisam ab his institutionibus a quibus clerus distribuitur, sacerdotes nempe accurate praeparandi in nostras dioeceses venturos. Noverint vel saltem apti veniant ut noscant mores et consuetudines nostrorum fidelium.

Periculum est interdum ut unusquisque formam propriam imprimere cupiat, quam catholicismus habet in regione unde procedit, ideoque primam formam catholicismi contemnunt, quam quidem non destruere sed fulcire sed roborare debent. Sua quaque populus psychologia indoleque praeditus est: in domo Patris mansiones multae sunt.

Optimum nobis videtur, ut pericula solitudinis et difficultates ex accommodatione ortae sacerdotum qui nobis opitulari veniunt ab aliis nationibus, ut modus quaeratur eis committendi in dioecesi aliquam portionem, veluti vicariatum foraneum, ubi una laborent et sese mutuo spiritualiter iuventur, cum copulati sint non modo vinculis amicitiae, verum etiam voluntatis communis apostolicae adspiratione. Simul tandem vitandum ut in dioecesi velut corpus extraneum efforment, quin cum clero nativo et praelato dioecesano cohaereant.

Hoc denique dicere intendimus, quod quidem recentiores Romani Pontifices saepe significarunt, maximum apostolatum per sacerdotes ad nos venientes efficiendum esse fovere et conquirere vocationes indigenas, nos in familia roboranda et christianizanda iuvare, quae vere plantarium et seminarium vocationum est.

Quod quidem facile factu non est, sed esse debet inter prima proposita actionis hodiernae, quae Ecclesia in America intendere debet. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Loqui intendo de schemate propositionum de sacerdotibus. [2] opitulantur.

14

Exc.mus P. D. IOANNES PERRIS

Archiepiscopus Naxiensis, Andrensis, Tinensis et Myconensis

Venerabiles Patres, dilectissimi Parochi,

Loquar de una categoria sacerdotum de qua *nihil*[1] dicta sunt in Concilio scil. de parochis ruralibus qui tamen numerosi in omnibus nationibus inveniuntur.

Laetatus sum valde cum audivi heri unum ex istis parochis vocari ex Gallia ad Concilium quod facilius reddit mihi munus de illis loquendi. Tum absentia enim eorum ab hac aula, tum oblivio totalis in schematibus nostris quamdam iniustitiam mihi sapiebat erga illos intimos cooperatores nostros qui tam dure et laudabiliter laborant et qui digni sunt omni cura et amore.

Cum isti sacerdotes qui fere omnes saeculares sunt, non pertinent ad aliquam Congregationem, frequenter obliviscuntur et parvipenduntur ut ultima categoria clericorum.

Nonne bonum esset si in schemate nostro paragraphus nova inseratur in quo describeretur breviter valor parochiarum ruralium in vita Ecclesiae? Ecclesia enim amat coetus humilium agricolarum sicut Christus amabat eos, qui peragravit regiones montanas praedicando Evangelium humilibus et pauperibus incolis vicorum. Nonne ex his Christus elegit suos apostolos quorum successores esse gloriamur? Nolimus ergo istorum incolarum pastores oblivisci.

Tot fiunt conatus ad paganos evangelizandos, tales conatus fere deficiunt in regionibus Europae ad incolarum ruralium fidem ipsam conservandam quam parochi rurales soli sustentant verbo et exemplo tamquam antesignatores et defensores fidei suorum parochianorum. Multi enim agricolae ad civitates hodie refugiunt desiderio indomito bonorum materialium ut melius vivant, dum parochi rurales ad loca sua fideliter remanent socias habentes paupertatem et solitudinem confidentes tamen Dei providentiae et consolationi.

Fructus apostolicus in paroeciis ruralibus copiosior certe esset si parochus ruralis qui sustinet pondus et aestus diei adiuvaretur melius moraliter et materialiter ab episcopo. Opportunum, et audeo dicere, necessarium est episcopos visitare posse frequentius illos sacerdotes quippe qui auxilium morale non raro desiderant et expectant. Num possibile esset ut detur ipsis per aliquod tempus ...[2] substitutus vicarius ut possit in societate alicuius sacerdotis boni meriti vel in contactu confratrum convivere quo etiam contactu isti Sacerdotes accipiant informationem theologicam et socialem in connexione cum problematibus vitae hodiernae.

Ubi episcopi copiam sacerdotum non habent ad hanc substitutionem efficiendam nonne illud effici posset a religiosis qui supplerent sacerdotem dioecesanum illo tempore? Opus quoddam institui deberet ad illum finem.

Insuper propono ut instituatur Organizatio internationalis ex coetu episcoporum dioecesium ditiorum composita cum scopo sublevandi paupertatem sacerdotum et speciatim parochorum ruralium in regionibus derelictis. Digni sunt operarii isti mercede sua et quidem aestimatione et honore.

In textu scripto tradito: [1] vel nihil vel paucissima. [2] (puta per aliquas hebdomadas).

15

Exc.mus P. D. IOANNES DONOVAN

Episcopus tit. Rhasensis, aux. Detroitensis

Venerabiles Patres,

In n. 4 huius schematis declaratur quod episcopi est bonum corporale suorum sacerdotum cordi habere. Haec agnitio in documento conciliari circa valetudinem sacerdotalem mihi placet. Attamen, cum aliquando, ne dicam saepe, hoc officium episcopale bene non adimpletur, mihi videtur quod ipsum fortius fusiusque in hoc schemate, tractari debet. Deinde quod diceretur de eodem officio etiam superioribus religiosis maioribus in loco apto dirigatur oportet.

Episcopus, utpote pater sollicitus atque pastor pastorum mansuetus, vellet exhaurire non solum vires suas sed etiam ex thesauro dioecesano generose providere ut suis sacerdotibus peritissima cura medicinalis atque therapeutica offeratur. Solummodo quando omnes artes medicinae cum patientia ac liberalitate infelici exitu adhibitae fuerunt,

potest episcopus bona conscientia manere de impossibilitate sanationis de quacumque aegritudine qua sacerdos laborat. Nemini porro latet quod saepissime quaedam aegritudines quae mentem, emotiones ac systema humanum neurologicum tangunt, diutiori cura ac peritiori arte medicinali fere semper indigent.

In mente prae alias habeo quasdam aegritudines psychologicas et neurologicas ...[1] quae notabiliter in societate humana his ultimis annis creverunt, praesertim post bellum internationale recentissimum. Quae quidem aegritudines victimas ut captivos infeliciter tenuerunt et adhuc tenent plurimos sacerdotes. Iidem victimae, qui secundum imaginem Christi Summi atque Aeterni Sacerdotis, veri sunt sacerdotes Novi Testamenti ...[2] non raro admirationem christifidelibus provocant, etsi in quodam sensu sine pleno voluntario agunt, eoque forsitan non sunt pro suis gestibus abnormalibus undequaque culpabiles.

His infelicibus episcopi saepe recursum habent non solum ad poenas ecclesiasticas ferendas in ipsos, sed etiam ad eosdem seponendos in aliquo loco pro his destinato, nempe sive in nosocomiis specialibus sive in aliis locis quae vulgo appellantur « carceres ecclesiastici ».

His autem adiunctis episcopi e contra prompti essent tam ad expendendas vires suas quam ad solvendum ex opibus dioecesanis ut praefati aegri sacerdotes valetudinem propriam denuo acquirant. Ipsi enim sunt figurae tragicae (*vulgo tragic figures*[3]) in mente atque in emotionibus perturbati, reatu ac timore obsessi; revera sine spe cotidie vivunt. Nihilominus, vocati adhuc sunt ad personam Christi agendum eoque ad populo Dei inserviendum...[4]

Saepe tales sacerdotes aegri sanari possunt si episcopi eosdem introducant peritis in scientiis psychiatriae, psychologiae clinicae ac neurologiae, cum iidem magis magisque hodiernis diebus exitum felicem attingunt in cura eorum qui abnormaliter agunt.

Verum est haec actio, omnino caritativa sed in iustitia fundata, patientiam tempus protractum et pecuniam requirat; qualem autem staturam habent illae necessitates sub luce instaurationis eorum qui vocatione vera iam gaudent, immo qui partem cum episcopis habent in celebratione mysterii mortis Dominicae, in praedicatione verbi salutis et in cura animarum...[5]

Uti dictum fuit in schematibus huius Concilii iam discutitis:

Nonne episcopi sacerdotes suos ut filios et amicos considerent?

Nonne episcopi sacerdotes suos paterna semper caritate amplectantur, solliciti eorum conditionum?

Nonne episcopi operosa misericordia prosequantur sacerdotes qui in periculo quoquo modo versantur?

Hanc realitatem omnino modernam schema nostrum debet agnoscere et fusius tractare ut unusquisque sacerdos in quantum possibile mente sana in corpore sano semper, vel si casus ferat, denuo gaudeat.

Ceterum textus est nimis iuridicus in quibusdam locis ac proinde minime correspondet indoli pastorali quae invenitur in aliis schematibus ubi de presbyteris agitur, nempe in schemate *de Ecclesia* atque in schemate *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia.*

Relinquantur Commissioni post-conciliari pro redactione Codicis Iuris Canonici omnia quae iuridice sapiunt, praesertim quod dicitur de studiis in n. 6 ac de beneficiis in n. 10.

In n. 4, lin. 21 usque ad finem numeri, commendatio vitae communis pro omnibus sacerdotibus indiget clarificatione. Sane plurimi sunt qui clero dioecesano sese aggregant *praecise* quia ducere nolunt vitam in communi sicuti qui ad communitatem religiosam admittuntur. Si vox « vita communis » sibi vult quamdam consociationem amicitiae inter sacerdotes ad evitandam onerosam periculosamque solitudinem, sic in textu clare dicatur.

Quod dicitur in n. 9 de bonis ecclesiasticis eorumdemque recto usu non solum sacerdotibus dirigeretur, sed etiam et quidem primo episcopis aperte extendi debet. Nonne episcopi cum in summo gradu sacerdotii constituuntur, nonne specialissimo modo memores debeant se teneri « ad exemplum sanctitatis praebendum in caritate, humilitate et vitae simplicitate? » ...[6]. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] (Hic loquor praecipue de alcoolismo deque homosexualismo. Propter rationes sat claras nolo mentionem publice facere verborum illorum coram Patribus conciliaribus in congregatione coadunatis). [2] (cf. schema *de Ecclesia,* n. 28). [3] deest. [4] (cf. ibidem). [5] (cf. hoc schema, n. 3, 5). [6] (cf. schema *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia,* n. 15).

Animadversiones additae:

De prooemio et n. 1: placet iuxta modum. Modus autem est sequens: transferatur n. 1 ad alium locum et substituatur numerus omnino novus, de dignitate sacerdotii ac de necessitate laboris pastoralis ex parte sacerdotum ut episcopi proprium officium adimplere possint.

De n. 2: placet iuxta modum. Modus autem est sequens: cum textus sit nimis paternalisticus et negativus, integre reelaboretur.

De n. 3: placet iuxta modum. Modus autem est sequens: 1. fusius dicatur cur « sacerdotes peculiari ratione ad sanctitatem tendant oportet »; 2. textus est nimis magisterialis.

Ad n. 4: placet iuxta modum. Modus autem est sequens: in linn. 11-13: episcopi est non solum prae oculis semper habere bonum spirituale cooperatorum suorum, sed etiam providere non obstantibus expensis generose sollicite que pro

bono corporali eorundem praesertim quando aegritudinibus undequaque peculiaribus praefati sacerdotes laborant — aegritudines quae natura sua fere semper indigent patientia, tempore protracto et pecunia ut exitus felix attingatur scientistis in re psychologica ac psychiatrica.

Quod dicitur de episcopis in hac re etiam superioribus religiosis maioribus in loco apto applicetur.

In lin. 23: clarificari debet quid sibi vult vox « vita communis ».

Ad n. 6: placet iuxta modum. Modus autem est sequens: referatur textus vel schemati *de pastorali episcoporum munere,* vel commissioni post-conciliari pro redactione Codicis Iuris Canonici.

Ad n. 7: placet iuxta modum. Modus autem est sequens: melius tractaretur haec sollicitudo i. e. in linn. 33-38, tam episcoporum quam sacerdotum in schemate *de pastorali episcoporum munere.* Sane episcopi est decidere de copia sacerdotum hic et de penuria in alio loco.

Ad n. 8: placet iuxta modum. Modus autem est sequens: Transferatur ad commissionem post-conciliarem pro redactione C.I.C.

Ad n. 9: placet iuxta modum. Modus autem est sequens: melius tractaretur in schemate *de pastorali episcoporum munere.* Monitio de qua in linn. 31-34 extendi debet etiam episcopis.

Ad n. 10: placet iuxta modum. Modus autem est sequens: relinquatur commissioni post-conciliari de redactione C.I.C.

Ad nn. 11-12: placet iuxta modum. Modus autem est sequens: transferantur schemati *de pastorali episcoporum munere.*

16

Exc.mus P. D. GUIDUS M. CASULLO

Episcopus tit. Uticensis, aux. prael. null. Pinerensis

Em.mi Praesides ac Moderatores, venerabiles Patres et carissimi omnes in sacerdotio vel baptismate Fratres in aula adstantes,

Quique omnes *sanctiorem vitam et efficacius* totius cleri *ministerium* certissime desideratis:

Commissionis et aulae Patribus gratissimus, necnon peritis et aliis, qui opus dederunt ac dabunt pro hoc breviori schemate *de vita et ministerio sacerdotali* apparando et solerter perficiendo, ad idem schema quo fieri potest salutarius per saecula reddendum, humillime rogo ne sit vobis grave super unum non ultimum punctum providam attentionem vestram breviter convergere: in n. 4 scil. pag. 10, ubi de vita sacerdotali ad Evangelii normas et sacerdotum inter se fraterna vita componenda et ducenda veluti « apostolica vivendi forma ».

Divinum Pastorem novimus vitam suam publicam *in communi* cum apostolis suis iugiter duxisse, eosque et discipulos saltem « binos (*Lc.*

10, 2) misisse » ad evangelica priora ministeria explenda, et — post tale maximum exemplum — numquam et nusquam in Ecclesia sua defuisse incoepta praeclara, iuxta locorum et temporum adiuncta, eandem « apostolicam vivendi formam » pro viribus instaurantia ac promoventia.

Pernotae item sunt regiones integrae et magnae christianae nationes, quae — fructus uberrimos *ministerii sacerdotum in communi viventium* expertae — abs dubio melius post Concilium hoc per eandem viam incedent.

Si vero plus et melius, nec semper nec ubique, factum est, hoc certe debetur difficultatibus pluribus et magnis, quae, divina Providentia favente, iam in dies minores fiunt, praesertim ob exstructas feliciter paroeciales domos, nec non *ob communicationis et locomotionis socialis instrumenta* (inter quae eminet « autocinetum »), quae omnia merito et rite adhiberi debent ut ministerium nostrum latius et validius extendi possit.

Si autem censeatur etiam pericula *perversionis socialis* nunc non esse minora, hoc *rursus* [1] inducit eandem conclusionem ad vitam sacerdotum nostrorum utique humanius sed etiam *tutius* disponendam, maxime si perplures *sacerdotes* [2] iuniores inter ipsos fatentur *se malle vitam fraterne consociatam,* in qua *facilius* comparari possunt sive humanae *curae* ac subsidia culturalia, sive pastorales cooperationes, *ex institutis sive religiosis sive saecularibus.*[3]

Hoc idem *exquiret* [4] moderna conditio, quae est etiam *pastoralis necessitas,* agendi scil. *non* seiunctim, marte proprio, sine coordinatione et sine cohaerenti perseverantia, sed unite, collatis ideis ac viribus, necnon laboris partibus sapienter distributis, fraterna veluti « specialisatione », quae dicitur, *sive* [5] *pro* ipsius *ministerii,* saltem fundamentali, varietate *sive* [6] pro ipsorum fidelium libertate, seligendi nempe *saltem inter duos* Dei ministrum ad ...[7] animi necessitatibus consulendum.

Quod valere potest etiam in nostris pervastis Americae Latinae regionibus: *melius, ibi erit, sacerdotes rarius apparere simul unitos per plures vias, ac frequentius et singulariter.*[8]

Brevitatis gratia omittam totidem argumenta vel confirmationes, quae commode et valide derivari possent ab omnibus fere propositionibus ipsius schematis emendati, quod prae oculis habetis: nonne, venerabiles Patres, sacerdotum evangelica *sanctitas, studium* per totam vitam, *zelus* apostolicus, sollicitudinis omnium ecclesiarum participatio et cetera omnia, quae sunt in exspectatione Domini et Ecclesiae suae, solummodo per ...[9] adhuc desideratam *vitae et ministerii stabilem com-*

munionem, ad peculiares utique cleri dioecesani condiciones, gradatim et congrue aptandam, obtineri possunt?

Ad difficultates, praesertim psychologicas, quae pluribi extant, praecavendas, sane sufficiet *congruam annorum* — v. g. 10 aut 15 — *periodum* interponere, qua durante, transitus opportunus fiet a consilio et exhortatione ad vere *iuridicam ac generalem* ...[10] *institutionem*, presbyteris provectioris ...[11] facultate facta *habitandi, manendi singulariter*.[12]

Ceterum, sive iuniores sive seniores, memores omnes sumus, in similitudinem Summi Sacerdotis, cuius Sacerdotii *ineffabilis*[13] sumus veluti viventes particulae, nos ordinatos *fuisse*[14] « Sacerdotes et Hostias » ad sacrificandum scil. praesertim opiniones ac placita personalia.

Plurium Patrum nominibus, qui idem sentiunt, una cum ceteris non parvi momenti rationibus ex ascetica sacerdotali et sana rerum ac temporis administratione depromptis, Concilii secretariae traditis, concludere liceat appellando ad perillustrem sacrosanctae Tridentinae Synodi decisionem *de Seminariis*.

Tridentini Concilii tempore, ...[15] non minores exstabant difficultates ad vitam communem *ad sacerdotium candidatorum*.[16] At, ...[17] Seminaria, quae iam alicubi *extabant*,[18] feliciter ...[19] instituta sunt, et iam, quatuor elapsis saeculis, innumerae Deo et pastoribus, sacerdotibus et christianis familiis reddendae gratiae.

Gratiae non minores erunt in posterum reddendae Deo ob hoc invocatum caritatis servitium quod praesens Concilium praestare *potest*[20] toti Ecclesiae *Suae*.[21]

Res ...[22] agitur — ut clarum est — quae proxime attingit ipsum finem primarium Concilii huius, quod praesertim pastorale esse contendit.

Cum vero Concilia *nequeant*[23] nec soleant vigesimo quoque anno celebrari, sistere adhuc in solis, licet enixis, commendationibus, quae nec Vaticano I defuerunt, non esset progressus iuridicus...[24]

Sit ergo sapientiae et caritati vestrae humillima sed enixissima in Domino propositio: ultimae quattuor lineae praedicti n. 4, ita ordinentur vel aequivalenter: « Quare Sacrosancta Synodus sacerdotum vitae ac ministerii communionem pluribi *exstantem*[25] amplissime laudat, ad eam ineundam quot fieri potest sacerdotes enixe in vita, *eamque in proximo futuro opportune in iure ordinandam decernit* ». Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] iterum. [2] deest. [3] sodalium ope, religiosorum aut saecularium. [4] postulat. [5] non solum. [6] sed etiam. [7] proprii. [8] melius enim erit, pro illis nostris ruricolis, presbyteros duos vel tres secum habere rarius et plures dies, quam unicum per unum diem frequentius.

[9] istam. [10] vitae communitariae. [11] aetatis. [12] permanendi singulariter, ut antea. [13] deest. [14] esse. [15] enim. [16] instaurandam pro ad sacerdotium candidatis. [17] Dei grandi Providentia. [18] habebantur. [19] pro tota Ecclesia. [20] poterit. [21] Dei. [22] enim. [23] nec possint. [24] nec post fere saeculum elapsum. [25] exsistentem.

17

Exc.mus P. D. FRANCISCUS KUHARIĆ

Episcopus tit. Metensis, aux. Zagrabiensis

Fratres venerabiles,

...[1] Multi tam venerabiles patres de hoc themate dixerunt vel dicent tam pretiosa verba, mihi autem liceat tres sequentes propositiones proponere:

1. Ad art. 3. Art. 3 loquitur de sanctitate vitae sacerdotalis. Utique sacerdotes Christi praecipue sub aspectu sui divini ministerii vocati sunt ut quam similiorem vitam Christi vivant...[2]

Sed non est satis dare tantum principia, consilia, decreta, quae numquam defuerunt. Humili mea opinione dandum est sacerdotibus aliquod adiumentum ad principia exercenda. Ad hoc consequendum existimo valde utile esse ut in quavis dioecesi pater spiritualis pro parochis, cooperatoribus et catechetis instituatur.

Ratio. In seminariis minoribus et maioribus secundum Codicem Iuris Canonici debet esse sic dictus pater vel dux spiritualis qui unico suo munere obligatus est animas alumnorum ad perfectionem ducere, in rebus vitae spiritualis consulere et problemata huius solvere.

Sed quando novus sacerdos relinquit seminarium et venit in vineam Domini ad praeliandum praelium Dei, saepe solus sibi ipsi relictus manet tot curis, periculis ac tentationibus expositus. Quae omnia religiosos non tangunt. Sacerdotes manent semper homines et valde indigent per totam fere vitam ut patrem vel ducem spiritualem habeant, praesertim illi qui in paroeciis dispersis soli vivunt. Episcopo prae primis maxima cum responsabilitate pro animabus sacerdotum curandum est. Sed ipse persaepe oneribus oppressus omnia exercere non potest. Ideo propono magna sinceritate humilitateque, ut ab hoc S. Concilio pastorali et providentiali enixe Ordinariis commendetur institutio patris spiritualis pro clero dioecesano. Iste sacerdos scientia, pietate, prudentia, ac experientia pastorali, magna latitudine cordis praeditus unico munere patris spiritualis sacerdotum fungeretur. Unicum eius officium esset sacerdotes dispersos per dioecesim, praesertim existentes in aliquo periculo

morali, saepius visitare, litteras scribere, cum vigilantia strenua in datis momentis monita et consilia dare. Ipse ut pater generalis spiritualis adiutores posset habere parochos idoneos in singulis regionibus dioecesis. Ille maxime fraternitatem sacerdotalem et caritatem, oboedientiam ac reverentiam erga episcopum, sanctam serenitatem in laboribus foveret. Quot sacerdotes e seminario ditati ardore apostolico exierunt, attamen postea in apostasiam lapsi sunt! Hoc certe in singulis casibus non accidisset, si tales sacerdotes in momento decisivo patrem et amicum spiritualem ut consultorem et quandoquidem ut consolatorem habuissent.

Aliquod proverbium in mea patria dicit: Melius malum impedire est, quam medicari. Hanc propositionem ante S. Synodum effero propria experientia pastorali motus et ex votis tot parochorum qui mihi cor quandoque contritum aperuerunt...[3]

2. Quoad art. 9 in pag. 12 laudabiliter inveniuntur haec verba: « Itaque nemini umquam licet officium ecclesiasticum quaestui habere redditusque ab eo provenientes in propriae rei familiaris amplificationem impendere ». Sed quid de bonis quaesitis post mortem? Persaepe fructus quaesitos occasione ecclesiastici officii metebant qui nullo modo seminaverant. Quot rixae, quot invidiae inter familiares divitiae sacerdotales excitaverunt!...[4] *Ideo propono ut post hanc phrasim valde logice inseratur*[5]: « omnis clericus bona comparata occasione solius officii ecclesiastici testamento post suam mortem in bonum dioecesis non vero suae familiae relinquere debet excusante causa merae iustitiae tantum Ordinario loci iudicante, Sancta Sede vero in causa episcopi ».

3. Ad art. 10, pag. 12, lin. 37, animadversionem sequentem habeo: Ibi legitur: « Relicto systemate sic dicto beneficiali ». Cur definire quamdam immutabilitatem istius systematis? Systema beneficiale maxime florebat tempore feudalismi. Experientia historiae docet quod beneficia beneficiatos ab officiis spiritualibus ad curas terrestres trahebant. Parochi, e. g., possidentes agros, vineas, silvas plus oeconomi quam pastores saepe erant.

Quam parvam utilitatem bonum commune Ecclesiae ab hoc systemate sic dicto beneficiali habebat. Potius tam magna damna Ecclesia patiebatur in campo spirituali ac pastorali. Factum est quod hodie in magna parte orbis terrarum institutiones ecclesiasticae clerusque plus donis fidelium ac benefactorum sustentantur quam redditibus beneficiorum. Beneficia autem saepe erant sacerdotibus in perditionem, fidelibus in scandalum, inimicis Ecclesiae vero optima occasio ad excitandam multitudinem iniuriam socialem patientem contra ipsam fidem. Signa huius temporis, persaepe in hac aula memorata, nos monent, ut toto mundo

sperante Ecclesia liberetur a quavis forma feudalismi, cuius tempus tam diu elapsum est. Ideo loco verbi « relicto systemate », quod aliquam definitionem significat, mihi melius placeret verbum « abiecto systemate ».

Viva membra Ecclesiae iam demonstraverunt quod sua caritate possunt Ecclesiam non tantum sustentare ad vivendum, sed etiam ad benefaciendum.

...[6] Venio ad conclusionem. Ergo propono: Si in hoc S. Concilio adhuc non audetur commutare « relicto » in « abiecto systemate », inseratur saltem in textum: « pro nunc relicto » vel « commutando *systemate* » *vel* « *reformando* ».[7] Hoc modo portae patent saltem pro futuro. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] Schema *de vita et ministerio sacerdotali* in hoc S. Concilio pastorali propositum esse, valde mihi placet, ut manifestatio curae et caritatis omnium episcoporum hic in Spiritu Sancto congregatorum erga sacerdotes suos. [2] Sacerdotes indignae vitae quandoque multas plagas in corpore Ecclesiae aperuerunt. [3] Ad eundem articulum pag. 10, ubi agitur de devotione erga Ss.mum Sacramentum et B. Virginem Mariam, quae excellentissimo modo Mater sacerdotum appellari potest, puto quod melius esset hanc commendationem practice exprimere ita ut sacerdotibus saltem prope ecclesiam habitantibus, enixe commendetur recitatio divini officii ac rosarii in ecclesia coram Sanctissimo. Hoc modo oratio sacerdotis maxime esset in aedificationem ipsius fideliumque, ac in unione illius divinae intentionis qua Redemptor noster Iesus Christus laudes Patri persolvebat. Ad veram sanctitatem sacerdotum perseveranter fovendam mea humili opinione valde utile esset, ut in futuro Codice renovato omnes sacerdotes ad exercitia spiritualia omni anno et ad recollectionem omni mense obligentur.
[4] Quam propter causam in patria mea aliquod proverbium de divitiis sacerdotalibus dicit: « Tantum valent quantum caro equi », i. e. nihil! [5] Puto tamen iustum esse post phrasim superius citatam ut sequens addatur, ac valde logice. [6] Ecclesia sic dicti silentii sine beneficiis vivit. Non desiderat beneficia, sed tantum plenam libertatem. Fratribus fidelibus in occidente qui eam laudabili largitate adiuvant, semper pro eis rogans gratias agit. Hac digressione facta ad argumentum, quam velint mihi Patres venerabiles ignoscere. [7] systemate sic dicto beneficiali ».

Animadversiones additae:

Expectans suffragationem pro schemate *de vita et ministerio sacerdotali* praeparavi modum ad protegendam unitatem inter episcopum et clerum. Agitur nempe de facto sequente: In pluribus statibus sub potestate atheismi associationes sacerdotum fundantur nec coarctione exclusa quibus autem conatur separare sacerdotes ab episcopo. Intentio potestatis minus vel magis abscondita est formatio ecclesiae sic dictae nationalis a S. Sede separatae. Ad protegendam unitatem Ecclesiae episcopis in talibus circumstantiis auctoritas Concilii valde necessaria esset. Agitur de re fidei! Hoc non est tantum momentum politicum! Ideo propono, ut

in schema *de vita et ministerio sacerdotali* fortiter et fortius inseratur obligatio oboedientiae erga episcopum prohibendo expresse sacerdotibus sub poena suspensionis nomen dare cuicumque associationi, quae ab episcopo non est approbata.

Cum autem suffragatio non fuerit, humiliter rogo venerabilem secretariatum ut hunc modum commissioni praeparanti novum schema tradat.

Moderator: Proxima congregatio generalis habebitur crastina die, hora nona.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: Reponatur Sacrosanctum Evangelium.

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE

QUOAD SCHEMA DECRETI DE APOSTOLATU LAICORUM

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE

QUOAD SCHEMA DECRETI DE APOSTOLATU LAICORUM *

1

EM.MUS P. D. PAULUS AEMILIUS CARD. LÉGER

Archiepiscopus Marianopolitanus

Hoc schema optima elementa continet et mihi videtur servandum in genere. Cum autem quaedam partes illius recognoscendae videntur, mihi liceat observationes proponere, et quidem, claritatis causa, lingua vulgari.

1. Il est regrettable que, sauf dans les quelques lignes du préambule, on n'ait pas réussi à donner *une perspective historique* à ce document sur l'apostolat des laïques. L'apostolat des laïques, dans ses formes organisées, est une réalité qui a connu un développement considérable dans l'Eglise depuis un siècle et demi. C'est une réalité qui demeure très difficile à définir du point de vue notionnel. On ne saisit avec une certaine exactitude les notions que lorsque l'on en observe le développement au cours des diverses phases historiques vécues depuis un siècle et demi et dans les divers contextes géographiques et politiques où cette réalité de l'apostolat laïc prit naissance. Cette note très importante est absente du document.

2. L'apostolat est certes une réalité difficile à circonscrire. Cependant, le schéma manque à ce propos de rigueur et inclut sous le vocable apostolat toutes sortes d'activités qui appartiennent plutôt à la vie chrétienne en général qu'à l'apostolat. Ainsi, l'aide mutuelle que se donnent les époux et l'éducation des enfants (pag. 8, lign. 15-19) ne sont pas à proprement parler de l'apostolat; non plus que la participation de chacun à la liturgie (pag. 8, lign. 31). A force d'étendre le sens du mot apostolat, on finit par le dévaluer. Par suite d'un usage inconsidéré de ce mot, il est déjà devenu difficile d'utiliser ce terme dans un sens qui soit significatif. Le schéma devrait réagir sur ce point.

3. La distinction que l'on propose au début de la troisième partie (art. 9), entre les deux grands objets de l'apostolat des laïques, semble insuffisamment claire. On a voulu embrasser sous ces distinctions l'apostolat individuel de chaque laïque autant que les formes organisées de l'apostolat des laïques. Je crains que cette perspective ne conduise à une inévitable confusion.

---

* Huiusmodi textus lecti non sunt quia Patres vel, scripto exhibito, loqui non petierunt, vel iuri loquendi renuntiaverunt, vel disceptatio interrupta est.

Par exemple, cette distinction laisse dans une sorte d'ombre douteuse les mouvements qui poursuivent comme fin spécifique la formation et le soutien spirituel des laïques en relation avec leur engagement dans les tâches temporelles. Je pense en particulier aux mouvements spécialisés d'action catholique, qui demeurent la forme la plus caractéristique d'apostolat des laïques qu'ait connue l'Eglise moderne. Ces mouvements poursuivent-ils un but direct d'évangélisation ou de sanctification ou un but d'animation chrétienne de l'ordre temporel? Il me semble impossible de répondre à une question posée en ces termes. Car ces mouvements visent à la sanctification et à la formation, mais en relation étroite avec la réalisation d'une présence constructive et animatrice à l'intérieur de l'ordre temporel.

Tout le document me semble malheureusement porter la marque de cette ambiguité originelle qu'on a cru éliminer en en parlant d'une manière extrêmement discrète.

4. On a bien fait de maintenir une mention toute particulière de l'action catholique. Les quatre caractéristiques que l'on propose pour reconnaître un mouvement d'action catholique me semblent valables. Il manque cependant une caractéristique très importante qui fut même la première aux yeux de ceux qui ont vécu et expérimenté cette forme d'engagement spirituel, à savoir le *pouvoir de génération spirituelle* qui caractérise toute action catholique authentique. Un laïque qui s'engage dans l'action catholique ne contribue pas seulement à la réalisation des fins apostoliques de l'Eglise. Il est lui-même le sujet d'une seconde naissance qui ne peut venir que d'une expérience où il est invité à porter sur ses épaules une partie du fardeau de l'Eglise. Il me semble que cette dimension est injustement laissée de côté.

Quant aux difficultés méthodologiques que présente la terminologie relative à ces questions, on peut en convenir facilement. Mais il faut prendre garde, sous prétexte de ne pas déplaire à tel ou tel pays particulier, de se laisser imposer inconsciemment des normes apostoliques qui prévalent dans ce pays et qui ne sont pas nécessairement les plus évoluées et les plus approfondies.

5. Je suggère que le document contienne un chapitre solide sur ce qu'on pourrait appeler la problématique actuelle de l'apostolat des laïques dans l'Eglise. Le document contient beaucoup d'exhortations et de distinctions notionnelles contre lesquelles il est difficile de s'ériger. En retour, il ne soulève guère de ces problèmes concrets qui sont au cœur de l'existence apostolique des laïques engagés au service de l'Eglise. Voici quelques-uns de ces problèmes:

1) Difficulté et en même temps nécessité d'établir un *ordre de priorité* appuyé sur des critères solides en vue du développement multiforme de l'apostolat des laïques.

2) Le problème de la responsabilité réelle des laïques dans l'exercice de l'apostolat. Comment y parvenir graduellement? Il ne suffit pas d'indi-

quer cet objectif de manière théorique. Il faut aussi expliciter les obstacles à surmonter, les difficultés actuelles.

3) Le grand dilemme éducation vs propagande. L'action catholique et l'apostolat laïque se débattent depuis des années entre deux tendances. Une tendance veut mettre l'accent sur la propagande, l'action massive, les réalisations spectaculaires. Une autre tendance veut mettre l'accent sur l'éducation, sur l'engagement en profondeur, sur le dégagement de la responsabilité personnelle. Il est plus difficile qu'on ne le croie pour ces deux tendances de cohabiter. A laquelle doit aller de nos jours la préférence d'une Eglise qui cherche à se mettre à jour?

4) Relations entre l'apostolat laïque et les institutions chrétiennes.

5) Relations entre l'action catholique et l'apostolat laïque d'une part et la politique.

2

EM.MUS P. D. PAULUS M. CARD. RICHAUD
Archiepiscopus Burdigalensis

Circa n. 1. Ubi non est satis manifesta distinctio inter apostolatum episcoporum et apostolatu laicorum. Videtur lin. 7 pag. 6 gignere perniciosam et anti-theologicam confusionem. *Ratio* est: Apostolatus episcoporum pendet non solum a baptismo, confirmatione, sacramentis quae accipiunt laici, sed a consecratione sacramentali episcopali, atque episcopis confert potestatem docendi, regendi et sanctificandi eo modo valde diverso a missione apostolica laicorum.

Insuper, si haec distinctio non sit accuratius proposita, non abest periculum independentiae apud laicos erga apostolorum successores.

Circa nn. 7 et 11. Maxime et crudeliter dolenda est vera omissio apostolatus laicorum in re caritativa et in re sociali.

a) Opera caritatis et misericordiae tamen sunt opera tam apostolica quod Christus Dominus noster mandavit expresse suis apostolis ea exercere, dum misit apostolos ad civitates et castella (*Mt.* 10). Nunc ista opera praesertim pertinent ad laicos et etiam inserviunt authentice ad consecrationem mundi.

Nam activitates caritativae praebent specialem efficacitatem ad relationes personarum cum personis. Non sunt omittendae in ipsa hodierna societate.

b) Actio socialis, quae maiorem amplitudinem sumit quando « socialisatio » crescit, potest et debet expresse inscribi in campo apostolatus laicalis.

Quis non videt quod actio socialis fere reservatur laicis, et merito sese habet ut verus apostolatus, saltem indirectus.

Nam: 1. Actio socialis sistit primum in diffusione doctrinae socialis Ecclesiae.

2. Actio socialis tendit ad influxum christianismi inter institutiones civiles.

3. Actio socialis, quando affert quasdam facilitates ut cives particulares gaudeant servitiis et retributionibus publicis, revera est efficax modus ad instaurandum spiritum in favorem evangelisationis, et latissimo sensu potest accipi ut quaedam actio catholica.

Christus non tantummodo Evangelium suum per verba spiritualia ac doctrinalia, sed quoque signis materialibus.

3

EXC.MUS P. D. CUSTODIUS ALVIM PEREIRA
Archiepiscopus de Lourenço Marques

1. Ut distinctio fiat inter apostolatum ad hierarchiam pertinentem et apostolatum proprium laicorum.

Concilium approbare non potest *exaggerationes,* quae hodie multae sunt circa laicos.

2. Etiam apostolatus laicorum semper ac semper fiat sub ductu s. hierarchiae. Hoc clare constet in schemate.

3. Omnino necessarium est principium supernaturalitatis apostolatus iterum ac iterum affirmare, ideo *oratio* et *paenitentia.*

Pag. 6, lin. 23, aliquid dicitur, sed mihi videtur insufficiens, « sine me nihil potestis facere » et Pio XII (f. m.) locutus est de haeresi actionum.

4

EXC.MUS P. D. IOANNES CAROLUS ARAMBURU
Archiepiscopus Tucumanensis

Magni momenti consideratur hoc schema ad adimplendam finalitatem propositam a Summis Pontificibus Ioanne XXIII et Paulo VI circa actionem Ecclesiae ad extra in mundo, seu de dialogo cum ipso, mediante apostolatu distincte ibi exposito, et sic nuncupato tam evangelizationis et sanctificationis, ex una parte, quam animationis christianae ordinis rerum temporalium ex alia.

Hae duo species apostolatus (quorum radix doctrinaria exponitur in hoc schemate et in alio de Ecclesia), valde iuvabunt ad augendam adimpletionem missionis militantis Ecclesiae, conferendo laicis conscientiam obligationis et valoris suae cooperationis cum Ecclesia, per actionem apostolicam in mundo. Et etiam valde solidabit et extollet animum eorum laicorum qui iam generose et fideliter collaborant in apostolatu.

Sed extraneum videtur quod in schemate dum ex una parte instantur laici ut « incepta quae dicuntur assistentiae socialis *pro viribus foveant* »,

ex alia, quoad apostolatum evangelizationis, qui finem apostolicum ipsius Ecclesiae habet, in schemate modo mere expositivo praesentatur, etiam in gradu quo arctiori vinculo cum Ecclesia unitur, sicut in casu associationis cum quatuor notis expositis, et quae sive Actio Catholica, sive alio nomine in diversis nationibus nuncupatur.

Certe quo intimius cum Ecclesia datur unio associationum laicorum ad apostolatum evangelizationis, eo fortior et fructuosior erit ipsarum valor apostolicus. Nam sicut qui vult finem vult media, etiam qui in suo apostolatu, certo quodam modo, participat de fine Ecclesiae, ut fine immediato, sicut Actio Catholica et aliae organizationes similares, hae, certo quodam modo et gradu, participant etiam de assistentia promissa a Iesu Christo apostolis cum commendaret finem Ecclesiae, ita ut ex hoc maiores fructus producantur. Et adhuc uberiores fructus dabuntur in apostolatu laicorum si accedit ipsum mandatum Ecclesiae, ita ut detur factum, in non paucis nationibus, quod hae associationes, habentes nempe finem apostolicum evangelizationis etiam cum mandato, cum sint numero non sat magno membrorum, tamen efficaciores sunt in extensione Regni Dei, quam aliae associationes non strictae unitae cum hierarchia.

Nec dicatur mandatum opponi recognitae laicorum libertati. Non enim apponitur quia omnes diversae formae apostolatus consociati, etiam Actionis Catholicae, libere ab ipsis seliguntur iuxta aptitudines et conditiones suae vitae tam spiritualis quam socialis, sicut libere elegit statum sacerdos, medicus etc.

Cum mandato laicus non amittit facultatem agendi ut talis, nomine proprio, sed solum *additur* ei maior dignitas et pondus, et consequenter etiam maior efficacia in ordine apostolico, ut etiam agat nomine Ecclesiae.

Praeterea omnis apostolatus est *collaboratio,* sed haec non datur ubi divortium, sed ubi proximitas adest.

In schemate de Ecclesia dicitur: « apostolatus laicorum est participatio ipsius salvificae missionis Ecclesiae ». Sed participatus maius et melius munus exercet quo intimius unitur cum participante i. e. cum Ecclesia.

Et si quis in apostolatu vellet omnimodam libertatem ab Ecclesia, vellet non apostolatum sed actionem sine vi fermenti evangelici. Hoc esset habere talentum evangelicum magni valoris, sed sine administratione et perditum in Ecclesia Christi.

Certe apostolatus laicorum admittit diversos gradus unionis cum Ecclesia, sed foveri debet non maior distantia erga ipsam, sed e contra maior proximitas.

Tamen schema nostrum nullibi instat ut hae associationes, habentes arctiorem unionem cum Hierarchia, pro viribus foveantur, sed quasi timide solum exponit quatuor notas Actionis Catholicae, et meram possibilitatem dandi ipsae explicitum mandatum. Videretur ita quasi subaestimare et non intendere meliorem et efficaciorem obiectum pastorale harum associationum, ubi et quando adest opportunitas hoc urgendi.

Quod certe non consonat cum magisterio multoties patefactum ultimorum Summorum Pontificum a Pio XI usque ad Paulum VI. Omitto citationes diversas quia iam a Patribus factae sunt in hac aula conciliari. Solum dicam quod Paulus VI in sua memorata allocutione diei 7 decembris anni 1963, ubi clare et firmiter extollit valorem apostolatus Actionis Catholicae, ipse vocat sua verba ut pauca et simplicia, sed « fundamentalia ».

Puto quod schema, iuxta orientationem Summorum Pontificum, et speciatim Pauli VI, debet clare manifestare valorem associationum habentium illas quatuor notas. Et amplius: ne depereant, sed e contra ut obtineantur uberiores fructus statuere, vel saltem commendare, explicitum mandatum pro ipsis.

Mandatum explicitum quod, ex alia parte, nequit dari aliis associationibus non directe finem evangelizationis, sed solum animationis christianae ordinis rerum temporalium habentibus. Nam ibi attingeretur materia quod non directe et integre Ecclesiae competit, sed quae praerequirit informationem et experientiam laicorum qua talium. Et Ecclesia nequit hac de causa, assumere ut propriam illam responsabilitatem respicientem directe res temporales.

Concludendo iuxta dicta postulo ut in pag. 15 lin. 6, loco verborum: « Hierarchia potest hanc cooperationem, etiam per explicitum mandatum sancire », ponatur haec alia redactio, nempe: « Associationes his quatuor notis ornatis pro viribus foveantur et, ad uberiores fructus obtinendos, convenit ut ipsarum cooperatio etiam per mandatum sanciatur. Quod mandatum minime convenit praeberi associationibus quaerentibus animationem christianam ordinis rerum temporalium ».

5

Exc.mus P. D. HYACINTHUS ARGAYA GOICOECHEA
Episcopus Mindoniensis-Ferrolensis

Ad cap. V, nn. 18-19. Ad clariorem enucleationem binomii hierarchia-laicatus de quo schema in hoc cap. V et nn. 18-19 loquitur, aliqua humiliter proferre audeo, et non tanquam magister qui docere intendit, sed ut qui fructus propriae meditationis patefacit.

Ut in Corpore Christi mystico servetur unitas Spiritus in vinculo pacis et vita Corporis promoveatur atque per vim apostolicam amplificetur, necesse est ut singula membra inter se coaptentur et harmonice operentur in finem spiritualem propria et specifica activitate, sub ductu episcopi, auxiliante Spiritu Sancto.

Haec actuosa consociatio est quoddam signum unitatis in Ecclesia. Sacra autem hierarchia debet esse elementum cohaesionis huius actionis consociatae.

Iam vero in hoc miro complexu dioecesano, officium episcopi non est

tantum laicis praeesse et super illos auctoritativam dominationem exercere, sed ipsis in humilitate prodesse ac servire, spiritu verae diakoniae.

Non est per se exercere quae ipsi laici valent per se efficere.

Non est obicem et impedimenta actioni et zelo laicorum obponere, nec diffidentiam exhibere ad ea quae subditi intendunt, dummodo illi rectitudine intentionis et dociles operentur.

Non est se constituere, ut ita dicam, in exclusiva possessione Spiritus Sancti, ac si divinus Spiritus daretur unice Pastoribus, non vero etiam subditis.

Non est refrenare activitates apostolicas laicorum vel eas, tanquam si non essent, ignorare.

Non est destruere veteras associationes quae frugiferam vitam degunt vel quae saltem, si debilitate laborant, impulso superiore reviviscere possent.

Non est substituere illas, desiderio novitatis, pro aliis consociationibus, eosdem, fortasse, fines persequentibus.

Non est claudere activitatem apostolicam suam, suorumque intra strictos limites propriae dioeceseos, non cooperando, generoso corde, communibus Ecclesiae angustiis et necessitatibus.

Non est discriminare vocationem ad apostolatum alios ad opus pastorale vocando, alios vero, sine discrimine sufficiente, reiiciendo.

Officium episcopi est e contra recte promovere et dirigere vires activas totius dioeceseos, subditos cognoscere, praesertim laicos in suo valore humano et apostolico; inspirare actionem communem vel saltem coordinatam omnium; efformare rationem agendi concretam seu programma laborum; sedulo invigilare ut quisque in suo munere se contineat.

Est attendere non tantum ad singulas personas privatas suae curae commissas, sed etiam ad personas morales, i. e., apostolicas laicorum associationes, immo ad universam gregem, evangelica miseratione erga turbas.

Est laborare assidue ut omnes « cooperatores Ordinis sui » sive sacerdotes, sive laici plenitudine vitae interioris floreant quae vere et anima apostolatus est et unica spes exitus laborum.

Est promovere, quando opus sit, novas associationes et opera necessitatibus hodiernis accommodata.

Si ita est nostra cooperatio episcopalis in apostolatu, nullatenus laedit libertatem laicorum, sed e contra eam tuetur, dirigit et extollit. Haec non raro desunt, et ideo vires apostolicas frequenter miserrime dispersantur.

Conclusio. Ut n. 18 non careat theologico fundamento, praeponantur haec verba: « Ut in Corpore Christi mystico servetur unitas in vinculo pacis et vita Corporis promoveatur atque amplificetur per vim apostolicam, sacrae hierarchiae erit laicorum apostolatum favere... ».

Et in fine lin. 20, eiusdem numeri, addantur sequentia vel similia verba: « applicando in regimine dioeceseos principium " subsidiarietatis ", non agendo episcopus ministerio suorum sacerdotum, minus autem per se ipsum, ea quae laici ipsi, apostolatui dediti, recte exercere valent ».

6

Exc.mus P. D. AEGIDIUS HENRICUS ALEXIUS BARTHE
Episcopus Foroiuliensis-Tolonensis

Aliquas observationes proponere intendo circa schema decreti *de apostolatu laicorum* et speciatim circa art. 13, ad textum complendum:

Consociationes catholicae certe medium sunt optimum in servitio Ecclesiae, ad apostolatum exercendum. Per eas etenim pressio socialis dirigitur in sensu christiano; credentibus praebent ambitum, in quo vita rite ducitur secundum propriam fidem; non credentibus autem ostendunt, quid sit reapse religio christiana, et eos disponere valent, ad fidem amplectendam.

Attamen, diversissimae sunt consociationes. De illis praesertim loqui vellem, quae scopum habent eodem tempore spiritualem et temporalem, et quae proinde prorsus eamdem activitatem exercent ac alia instituta *non catholica,* sive in campo caritativo: cura aegrotorum, auxilium indigentibus praestandum (in nosocomiis, in domibus pro personis provectioris aetatis); sive in campo sociali: in sic dictis syndacatis, seu consociationibus opificum ad commune bonum promovendum; sive in campo educativo: in scholis vel in institutis postscholaribus pro pueris vel iuvenibus. Hac de re duo notare intendo:

1. Huiusmodi consociationes, quamvis magna sit utilitas vel necessitas earum, de facto non amplius existere possunt in diversis nationibus; in aliis regionibus, solum magna cum difficultate possunt propriam missionem prosequi, quam olim optime explebant in bonum commune, quia hodie ipse Status civilis huiusmodi missionem in vastissima extensione assumpsit, et quidem cum mediis et auxiliis, quae non amplius praesto sunt Ecclesiae, sive agatur de habilitate hominum sive de perfectione instrumentorum plerumque pretii magni.

Inutile hic est adducere nomina vel exempla. Omnibus notissima sunt. Talis evolutio rerum sane deploranda est, sed non neganda. Contra factum non valet illatio. Res debemus inspicere prouti exstant.

2. Huiusmodi consociationes, etiam quando florescunt, attamen insufficientes apparent. Sane, magni momenti est quando structurae harum institutionum christianae sunt, quando auctoritas ecclesiastica intervenire potest, ad mores ibi secundum evangelium promovendos, vel ad directores seligendos qui spiritum habeant religiosum. Sed plane erraret, qui opinaretur quod aliqua institutio, ex eo solo quod nomen praeseferat christianum, reapse apostolatum efficacem exerceat, vel quod optimi directores in rebus humanis etiam optimi sint apostoli pro nostra societate. Dicit enim textus *de Ecclesia* iam a congregatione generali acceptus, in capite « de laicis »: « Apostolatus autem laicorum est participatio ipsius salvificae missionis Ecclesiae... (Apostolus) est testis simul et vivum instrumentum totius missionis Ecclesiae », i. e. Evangelium Christi annuntiat et vitam hominum eius Spiritu imbuit.

Immo, pro possibilitate, tota ipsa consociatio praebere debet testimonium collectivum vitae sincere christianae. Si hac in re non attente procedimus, e contrario, talis institutio praebere posset testimonium Evangelio plane noxium.

Insuper erroneum esset (et forsan hoc saepe accidit) si crederetur solam inscriptionem alicui consociationi apostolicae sufficere, ut quis ex eo vere apostolus efficiatur.

Ex dictis, duae consequentiae deducuntur, quae in art. 13 addendae essent:

1. Catholici, qui partem habent in consociationibus cum scopo evangelico, et conscii sunt propriae responsabilitatis, apostoli esse debent et in ipsis consociationibus, relate ad personas quae eas componunt, ut et consociationes conserventur in ambitu christiano. Quo magis praedictae consociationes scopum prosequuntur materialem, eo magis animari debent spiritu evangelico.

2. Parati esse debent catholici ad carendum structuris institutionum, hodie faventibus, cras autem forsan deficientibus; in quibusvis circumstantiis hoc pro certo habeant, quod semper et ubique inter fratres suos fermentum farinae debent esse ad instaurationem Regni Dei.

7

Exc.mus P. D. HERIBERTUS BEDNORZ

Episcopus tit. Bullensium Regiorum, coad. c.i.s. Katovicensis

Schema *de apostolatu laicorum* generaliter placet. Inter alia elementa, quae nobis placent, unum specialiter enumerandum est, quod dictum est in cap. V, par. 18, lin. 4, pag. 16, sequentibus verbis: « nullum... inceptum nomen catholicum sibi vindicet, nisi implicite vel explicite consensus accesserit legitimae auctoritatis ecclesiasticae ».

Attamen schema in cap. I, par. 3, pag. 7, ubi de formatione apostolica loquitur, perfectius elaborandum est.

Non placet responsum in appendice datum alicui conferentiae episcopali et uni Patri, qui petierunt, « ut exercitia spiritualia ponantur inter media formationis, et quidem primo loco » (pag. 34, lin. 6). Velim probare meam propositionem:

1. Prudens legislator semper concrete indicare debet media ad bonum commune promovendum necessaria.

Nihil autem determinat sequens generalis schematis enuntiatio: « Haec formatio, ex variis elementis spiritualibus doctrinalibusque constans, ... in methodis probatis tam traditionalibus quam modernis fundata, non sola instructione recepta, sed praxi quoque apostolatus perficienda est » (cap. I, par. 3, lin. 13).

2. Quicumque ad magnos fines assequendos vocatur et obligatur strictum ius habet ad media proportionata adhibenda.

Iamvero dicitur in cap. I, par. 1: « Omnia membra Ecclesiae apostolatum exercere debent ».

In cap. III, par. 11, lin. 18 assignatur finis: « ut ordinem temporalem restaurent ac perficiant eumque spiritu christiano imbuant ».

In cap. III, par. 10, in lin. 1, pag. 11 dicitur: « Curent vero in apostolatu pro animarum salute ac profectu exercendo, ut ex plenitudine vitae interioris loquantur »...

Eo modo laicis omnibus assignatur in schemate maximi momenti fines tamquam eorum officium.

Atqui media, quae in schemate enumerantur, non sunt totaliter proportionata, non ducunt ad « plenitudinem vitae interioris » sed pertinent fere unice ad unum ex duobus a schemate indicatis elementis, ad elementum formationis « doctrinale ».

Nam in formationis apostolicae processu, qui in par. 3 describitur, laici concipiuntur *tamquam passive sese habentes* et tamquam recipientes externum influxum a variis ibi enumeratis magistris et educatoribus provenientem. Hoc apparet ex talibus expressionibus: laici « instituendi sunt », « formatio apostolica omnibus omnino impertienda est », « ad laicos penitius in apostolatu efformandos ».

In lin. autem 35 ss., ubi brevissime et generaliter solum describitur labor auto-educationis ipsius laici, nullum indicatur concretum medium spirituale, ad orationem mentalem systematice introducens, sicut in variis generis recollectionibus fit.

Ergo par. 3 necessario supplenda est *per indicationem concreti medii auto-educationis internae* modo systematico in oratione mentali peractae. Laicus habet ad talem medium strictum ius, cui correspondet quorundam aliorum officium indicandi hoc medium et facilitandi eius usum. Ex hoc mutuo labore proveniet nova spiritualitas laicorum, de qua alii hac in aula aliquoties iam loquebantur.

3. Ex multis enuntiationibus Romanorum Pontificum saec. XX, ex experientia quatuor saeculorum et ex increscente hodie motu recollectionum clare patet, quod datur tale proportionatum medium, quo auxiliante ipse laicus *active* seipsum formare potest systematice in oratione mentali, in cooperatione cum divina gratia, in paupertate evangelica amanda, in zelo apostolico excitando et exercendo.

Haec omnia, quam maxime in labore apostolico in mundo hodierno necessaria, ipse laicus obtinet brevi temporis spatio per « Exercitia Spiritualia » S. Ignatii Loyolae.

Propterea propono sequentem emendationem: in cap. I, par. 3, in fine pag. 7 ad lin. 38 addantur verba: « Ad systematicam activam laici auto-educationem apostolicam in oratione mentali obtinendam, quam maxime diffundenda et facilitanda est praxis recollectionum pro laicis, praesertim autem " Exercitiorum Spiritualium " S. Ignatii Loyolae ».

8

EXC.MUS P. D. BOHDAN BEJZE

Episcopus tit. Idassensis, aux. Lodzensis

Schema *de apostolatu laicorum* est pro nobis gravissimi momenti res, tum doctrinalis, tum etiam pastoralis: gratia huius schematis profecto abolетur falsa, adhuc vigens opinio secundum quam partes activas in Ecclesia a solo clero gerendas esse, dum laici vero passive se habeant.

Inter quaestiones principales atque in praesenti urgentes, quae in schemate nostro exponuntur, invenitur illa de apostolatu laicorum in divulganda Ecclesiae doctrina (vide pag. 6, lin. 36).

Quod ad hanc quaestionem attinet, mihi videtur necessarium esse supplementum, quod sequitur:

In schemate legimus nempe: « verus denique zelus apostolicus (...) opportunas quaerit occasiones etiam verbis Christum annuntiandi; eo magis quia multi homines, longe a Christo et Ecclesia versantes, non possunt nisi per vicinos laicos Evangelium audire et Christum cognoscere ».

Propositio, quam modo citavi, necessitatem apostolatus doctrinae Ecclesiae apte demonstrat. Attamen necessario demonstratio haec plenius reddenda est, animadvertendo sequens argumentum:

In multos homines, qui vitam longe ab Ecclesia agunt, impetus violentos ideologiae quaedam fidei catholicae hostiles faciunt, maxime vero in religiosa re indifferentismus ille necnon relativismus moralis. Quae ideologiae inimicae imprimis iuventutem perfide corrumpunt, sensum animi religiosum in ea exstinguunt atque facile eam ad cynismum moralem perducunt.

Quae cum ita sint mortifera ac pro animis periculosa, tam vehementer patet necessarius catholicorum apostolatus laicorum in campo doctrinae catholicae; ipse enim clerus non exercet per se influxum in homines, qui longe ab Ecclesia versantur.

Oportet insuper addere, quod nisi laici doctrinae catholicae apostoli ideologiis christianismo hostilibus efficienter repugnaverint, illae veneno non paucos aggrediantur fideles nostros, qui usque adhuc credunt et praecepta religionis observant. Ad haec cum animum sedulo convertimus, ante oculos nobis constituitur, in quibusdam terris christianis, possibile divulgatae neopaganitatis periculum.

Hoc iam inde concluditur, in textu schematis plane exprimere necessitatem apostolatus laicorum in doctrina catholica divulganda oportere.

Suadeo igitur, ut propositio, quae in pag. 6, lin. 36 legitur, ita proferatur: « Verus denique zelus apostolicus maxime intendit etiam verbis Christum annuntiare; eo magis quod in multis societatibus longe lateque disseminantur ideologiae quaedam doctrinae catholicae hostiles, et maxime in re religiosa indifferentismus necnon relativismus moralis; non pauci vero homines, longe a Christo et Ecclesia versantes, non possunt nisi per vicinos

laicos nihili errorem aestimare, et Evangelium audire et Christum cognoscere ».

Quod propositum rectum censere non tantum unusquisque conciliaris Pater, verum etiam quilibet integer homo, audacter confidere oportet. Omnis enim homo probus tanti desiderat homines veritatem et ordinem moralem semper quaerere.

Sed finis sit! Ceteras vero animadversiones ad secretariatum Concilii scriptas conferre audeo.

9

EXC.MUS P. D. STANISLAUS BRZANA

Episcopus tit. Cufrutensis, aux. Buffalensis

Schema de apostolatu laicorum valde bonum et aptum est. Cum autem futurum sit quasi « magna charta » pro generationibus sequentibus, optimum ac aptissimum oportet fieri, quoad formam et quoad materiam. In recognoscendo schemate, periti laici quam maxime participent sub moderatione Patrum.

a) Quoad n. 6, pag. 9, linn. 3-7, quando insistitur quod nihil fiat sine episcopo, principium hoc oportet ita statuere, ut non extinguatur laudabilis ambitio ac initiativa personalis, atque ut non inculcetur spiritus pusillanimis ac immaturus excessivae dependentiae a superioribus. Nolumus habere populum qui numquam se movet nisi a superiore moveatur. Obedientia erga praelatos, quam laici exhibere debent, non est obedientia puerorum sed obedientia filiorum maturae aetatis. Praeterea, Spiritus Sanctus flat ubi vult, superiore saepe non cognoscente. Quamvis in n. 18 datur aliquid de libertate laicorum, in hoc n. 6 plus dicere oportet.

b) In n. 15, pag. 14, melius est non citare canonum numeros (700-725), qui in recognoscendo codice mutabuntur.

c) In exhortatione finali (n. 21) bene ponatur aliud motivum, quod per exercendum apostolatum laici merentur participationem in speciali praemio Apostolorum, qui pro laboribus suis in vita aeterna centuplum accipient (cf. *Mt.* 19, 29). Verba Domini de igne mittendo in terram (cf. *Lc.* 12, 49) melius directe citentur ad aptissimam conclusionem faciendam.

Utinam schema nostrum, inspirante Spiritu Dei, maximos fructus producat.

10

EXC.MUS P. D. ISMAEL MARIUS CASTELLANO

Archiepiscopus Senensis

Ad cap. V. Iuxta principium in hac aula pluries enuntiatum, in schematibus nihil declarari debet de his, quae inter theologos iure meritoque disputantur. Principium autem hoc generale aliquas exceptiones iam invenit, quae approbationem Patrum Concilii obtinuerunt.

Inter quaestiones disputatas invenitur procul dubio illa, sat nota, de « mandato », quod datur vel dari potest a hierarchia laicis in apostolatu laborantibus. Laudabiliter tamen — meo iudicio — haec quaestio solvitur in n. 18 nostri schematis et hoc, ni fallor, propter duas rationes: 1) quia de mandato sermo est in pluribus documentis magisterii Summorum Pontificum et episcoporum de laicorum apostolatu tractantibus et non semper eodem sensu; 2) quia hic agitur de decreto, quod practice ordinare debet totam materiam de laicorum apostolatu et haec ordinatio completa non esset, nisi adderetur praecisa et clara relatio huius apostolatus cum hierarchia.

In schemate, in primis, enuntiatur *libertas,* qua laici gaudent in apostolatu exercendo; hierarchia vero invigilare debet ne abusus vel errores introducantur, laudare vel prohibere potest, iuxta rerum adiuncta, sua auctoritate et prudenti iudicio. Auditores nostri et omnes laici in apostolatu militantes, de hac declaratione valde gaudebunt.

Postea in pag. 16, linn. 7-8, haec adduntur verba: « Aliquando ab hierarchia quaedam laicorum apostolatus formae a iure Ecclesiae recognoscuntur ». Agitur, ergo, de simplici recognitione alicuius activitatis apostolicae, sive individualis sive collectivae, et haec recognitio fit a hierarchia. Sed perperam additur « a iure Ecclesiae », quia ista verba *a*) vel significant quod recognitio fieri debet iuxta ius canonicum, et tunc sunt superflua, quia omnia quae dicuntur sub hoc numero fieri debent iuxta ius Ecclesiae; *b*) vel significant quod recognitio debet esse semper iuridica et tunc sunt omittenda, quia hierarchiae non debent ligari manus, sed relinqui ei debet facultas recognoscendi activitates apostolatus quo modo ipsa opportunum iudicat.

Tertio loco sermo est de *mandato* et bene dicitur quod est actus quo hierarchia, propter necessitates boni communis Ecclesiae, suo proprio muneri apostolico arctius coniungit aliquam activitatem apostolicam laicorum, illam opportune ordinat, et circa eam specialem responsabilitatem assumit. Debet agi de activitate apostolica, quae, etiamsi versetur circa res temporales, tamen finem spiritualem immediate intendat. Propter mandatum, *apostolatus laicorum remanet laicorum,* necessaria facultate sua sponte agendi gaudet, sed a sacerdotibus, ab auctoritate hierarchica designatis, adnititur, immo velut unum continuum cum apostolatu hierarchiae constituit.

Quarto loco, denique sermo est de *missione canonica,* qua hierarchia laicis quaedam munia apostolica committit, quae ad ipsam pertinent hierarchiam, v. g. in liturgia, in verbi Dei praedicatione, in cura animarum, in bonorum ecclesiasticorum administratione. « Vi huius missionis — dicitur in lin. 20 — laici ipsius hierarchiae apostolatum suo modo participant » et ego adderem « quin membra fiant eiusdem hierarchiae ». Notandum etiam est quod, propter missionem receptam laici, quoad muneris collati exercitium, plene subduntur superioris ecclesiastici moderationi, fiunt *instrumenta* hierarchiae et *nomine* Ecclesiae suum apostolatum exercent.

Ita solvitur difficultas quae ab aliquibus movetur, iuxta quam v. g. verbum Dei docere omnes laici possunt virtute Confirmationis. Etenim tantummodo missione canonica accepta et sub directione superioris ecclesiastici agentes, catechistae docent *nomine Ecclesiae et tamquam executores* ipsius hierarchiae.

Vocabulum, autem, missionis canonicae, etiam quoad laicos, iam in usu Ecclesiae invenitur, ut patet ex pluribus concordatis aliisque documentis pontificiis.

In n. 19 sermo est de modo sese gerendi episcoporum et sacerdotum et religiosorum erga laicos; sed nihil dicitur de modo sese gerendi laicorum erga pastores. Nullum verbum de oboedientia, de pietate filiali laicorum erga pastores, quamvis hic sit locus proprius. Quomodo dici potest schema habere vitium clericalismi?

Denique in n. 20 proponitur quod constituatur « apud S. Sedem quidam particularis secretariatus *seu centrum* pro apostolatu laicorum ». Haec suggestio valde laudanda mihi videtur et confirmat Concilium nostrum momentum apostolatus laicorum vere recognoscere.

Sed — meo iudicio — laicorum apostolatus separari nequit ab ipsa vita laicorum in Ecclesia: immo ad eius essentiam ac perfectionem pertinere videtur. Unde proponere audeo quod apud S. Sedem specialem instituatur congregatio *de laicis,* sicut habetur v. g. de religiosis. Haec congregatio omnia quae pertinent ad laicorum formationem, vitam ecclesialem, apostolatum socialem, caritativum, religiosum studere debet sub quolibet aspectu, etiam internationali, associationes aliasve formas rite considerando. In hac congregatione, et non solum in secretariatu proposito, cooperentur clerici, religiosi et laici, viri et mulieres, opportune selecti, eiusque impulsu omnes laici christiani mirabile reddent Christo testimonium coram mundo nostri temporis.

11

Exc.mus P. D. GERARDUS M. CODERRE

Episcopus S. Ioannis Quebecensis

I. *La vocation apostolique des laïcs.* N. 1. La participation des laïcs à la mission de l'Eglise.

A) A souhaiter que ce numéro donne une définition complète de ce qu'est un laïc. Elle permettrait de préciser dans tous les paragraphes de ce numéro, le *mode* de participation à la mission de l'Eglise *propre* aux laïcs. Les acquisitions du schéma sur l'Eglise à propos du peuple de Dieu et de la *place propre* du laïcat dans l'Eglise permettront certainement d'étoffer théologiquement ce numéro qui demeure très imprécis. Cependant en axant ce premier numéro sur la participation des laïcs à la mission de l'Eglise, le schéma s'oriente dans une perspective ecclésiologique des plus fécondes pour mieux préciser la participation propre des laïcs à la mission de l'Eglise.

B) Dans le deuxième paragraphe du n. 1, la perspective dans laquelle on a placé la définition de l'apostolat semble déficiente et étriquée. A cause de l'incise « qui tire son nom... jusqu'à et à leurs successeurs », on donne l'impression que l'apostolat des laïcs est simplement un service de la hiérarchie alors que fondamentalement il est la participation propre et irremplaçable des laïcs à la triple mission de l'Eglise et du Christ. Il faudrait que l'apostolat soit défini pour lui-même sans cette incise. Ensuite on pourrait préciser que la hiérarchie jouit sur le peuple de Dieu d'une sorte de priorité ministérielle d'origine, d'un rôle de pastorat qui vise surtout au plein épanouissement des grâces et des missions reçues de Dieu par chacun des membres. Dans cette perspective, on percevrait mieux que dans le dessein de Dieu, la hiérarchie existe en vue du peuple de Dieu, l'inverse n'étant pas vrai.

N. 2. L'apostolat à exercer par tous et chacun. Ce numéro énumère diverses façons pour chaque fidèle d'exercer l'apostolat. Tout en étant d'accord avec ce qui y est dit, il existe un manque de lien systématique entre les paragraphes. Il vient du fait que dans le numéro un, on n'a pas réellement défini la participation propre du laïc à la triple mission du Christ. Dans le n. 2, on aurait pu alors expliciter de façon systématique les formes d'apostolat à exercer par tous et chacun pour remplir leur triple mission.

N. 3. La formation apostolique. Ce numéro est bon quoiqu'il sente un peu la recette. Il conviendrait d'ajouter un paragraphe pour dire clairement que les laïcs comme tels ont à former d'autres apôtres laïcs. Il faudrait aussi insister d'avantage sur la formation par l'action.

II. *Le communautés et les milieux de vie.* N. 5. La famille. Dans le n. 5 ligne 14 du texte latin, on trouve l'expression « apostolatus adiutrices »; si par « adiutrices » on veut dire « agent d'apostolat » c'est juste, mais si on veut dire que la famille est seulement « auxiliaire » à l'apostolat, c'est un recul; la famille est vraiment un des champs d'apostolat, et non seulement parce qu'il s'y trouve des individus, mais un foyer, un couple.

N. 7. Le milieu propre. Dans le premier paragraphe, on parle pour la première fois de « l'apostolat propre du laïc ». Le schéma ne définit pas ce qu'il entend par là. Le schéma aurait dû préciser les différents sens du mot apostolat. La cause de beaucoup d'ambiguité et de flottements dans le schéma réside en ce manque, surtout en ce qui regarde la distinction de l'ordre temporel et de l'ordre spirituel.

III. *Les buts à atteindre.* N. 9. Les objectifs de l'apostolat. Les précisions de ce numéro sont plus imprécises que précises. L'explication des nn. 10 et 11 se ressent beaucoup de cette imprécision.

N. 12. L'action caritative. Pour parler de l'évangélisation, on emploie dans le premier paragraphe le terme « praedicatio Evangelii ». Le mot « praedicatio » est mal choisi, car il désigne d'abord une fonction du sacerdoce ministériel. A trouver un autre terme pour désigner l'ensemble des formes d'évangélisation que peut exercer un laïc.

IV. *Les Associations.* N. 15. Les Associations. Il faut regretter que la IV partie, ne parle pas d'organisme de coordination, de promotion et d'orientation d'apostolat laïc sur le plan diocésain, national et international.

N. 16. L'Action Catholique.

A) Une tentative de précisions existe. Il y a là des jalons pour éviter beaucoup de confusions. Cependant la formulation se ressent beaucoup de l'ecclésiologie d'autrefois plutôt axée sur les pouvoirs de la hiérarchie. Il faudrait reprendre la question de l'A. C. à partir d'une ecclésiologie axée sur la mission de l'Eglise. Dans cette perspective, on verrait mieux que les laïcs d'A. C. participent à fond plus à leur mission de laïc et à la mission de l'Eglise qu'à celle de la hiérarchie. Ces éléments aideraient à mieux voir comment s'harmonise le *rôle public de l'A. C.* et le *rôle pastoral de la hiérarchie.*

B) Il faut souhaiter que le numéro parle du rôle de l'A. C. comme génératrice d'apôtres laïcs engagés dans d'autres formes d'apostolat.

V. *Les principes d'organisation.* N. 18. Les relations avec la hiérarchie. Il conviendrait de les établir dans la perspective de droits des laïcs et non seulement de devoirs envers la hiérarchie, v. g. droit à dire ce que les laïcs pensent comme des adultes doivent et peuvent le faire.

N. 19. Les pasteurs. Il a été bon d'insister sur la formation spéciale à donner aux prêtres voués de façon plus particulière à l'apostolat laïc.

Conclusion. 1. Puissent ces remarques améliorer ce schéma qui est très important dans l'aggiornamento de l'Eglise.

2. A souhaiter que la théologie du laïcat soit élaborée d'une façon beaucoup plus nette, pour mieux définir l'apostolat laïc selon *son mode propre de participation* à la triple mission du Christ. Ceci ferait qu'on se baserait beaucoup plus sur l'ontologie sacramentaire de chaque fidèle et sur ses charismes pour l'inciter à l'apostolat. Les aspects « organisation » et « lieu juridique » prendraient alors leurs vraies perspectives. Bien plus, toute cette théologie élaborée sur la participation à la triple mission de l'Eglise ferait ressortir comment le rôle de chaque fidèle est un rôle de membre et donc un *rôle de service* de tout le corps (cf. St. PAUL, *1 Cor.* 12). Depuis le Concile, on a beaucoup parlé du rôle de *serviteur* de l'épiscopat, il serait bon que la théologie élabore aussi cet aspect fondamental de la vocation du laïc.

3. Elle est excellente l'orientation fondamentale du schéma qui veut révéler à l'ensemble des fidèles leur vocation apostolique et susciter une formation apostolique adéquate. L'ensemble de la pastorale devra s'efforcer de réaliser cet aspect du dessein de Dieu.

4. Enfin, il conviendrait de souligner fortement l'aspect missionnaire de l'Action Catholique et de tout apostolat laïc.

12

EXC.MUS P. D. FRANCISCUS COGONI
Episcopus Octeriensis

In defendenda, toto corde, prout strenue et paterne fecerunt Summus Pontifex Pius XI et Successores eius, Actione Catholica, adhaereo animadversionibus quas in aula conciliari fecerunt em.mus card. Caggiano, exc.mus ep. Nicodemo, exc.mus ep. Maccari.

Ratio est, quia munera, officia, definitio Actionis Catholicae non a semetipsa, sed a Summis Pontificibus eidem tributa sunt. Non de monopolio, non de privilegio agitur, sed de fideli servitio, etiam cum sacrificiis, hierarchiae praestito. Ita humiliter sentio.

13

EXC.MUS P. D. FRANCISCUS COSTA
Episcopus tit. Emmausensis

Mihi liceat, ante omnia, gratum animum patefacere Actionis Catholicae Italicae, necnon omnium laicorum apostolatus coetuum, eo quod tam fusius et tam conspicue in hoc sacrosancto Oecumenico Concilio de vocatione christifidelium laicorum in Ecclesia, dissertatum sit. Iam vero in constitutione *de Ecclesia,* uti membra Corporis Christi mystici, laici recensiti et vocati sunt ad intensiorem actuositatem apostolicam; nunc de illis iterum sermo est, ut efficacius locum proprium inveniant in missione Ecclesiae, in aedificationem corporis Christi.

Schema generatim placet. Attamen tota materia, iam abundanter ad trutinam revocata per praecedentes Patrum animadversiones et observationes, oportet clarius novae elaborationi subici.

In particulari, venerabiles Patres, velim quod melius determinentur peculiares notae Actionis Catholicae, ut fas est videre in cap. IV, n. 16 huius schematis. Quae ibi sunt dicta, mihi videntur nimis vaga et generica. Scil.:

1. Actio Catholica hoc habet ut primam proprietatem, quod *instrumentum sit ad inducendam activiorem et pleniorem, magis consciam ac responsabilem participationem laicorum in vitam totalem Ecclesiae*; quo instrumento laici monentur et adiuvantur ut intelligant, et sibi assumant in Ecclesia, locum quod illis competit, ut propriae vocationi in Ecclesia et in mundo correspondeant, ut omnia officia impleant ad quae vocati sunt, praesertim vi Baptismatis, Confirmationis et Eucharistiae.

Distinguitur igitur ab aliis operibus apostolatus laicalis praecise et praesertim in hoc quod non tendat ad fines particulares, specialibus ambitibus vel methodis consequendos, sed finem persequatur ecclesialem sensu pleno, auxilium scil. praebendo ad plenam laicorum vitam ecclesialem, in Ecclesia

universali, sicut in dioecesibus, in paroeciis et ubicumque laicus ad operandum vocatur.

Haec, nisi fallor, videtur quoque mens Summi Pontificis Pauli VI, quando loquens de Actione Catholica eam sentit et dicit quasi « via maestra per professare adesione alla Chiesa », et instrumentum essentiale participationis vitae ecclesialis: « (essa) entra oramai nel disegno costituzionale della Chiesa ».

Ex his consequitur in Actione Catholica ea primatum habere quae spectant ad christianam formationem seu ad opus sanctificationis et ad laudem Dei, sicut fit in Ecclesia. Quae formatio, fundata in verbo Dei et eiusdem gratia, in valoribus igitur supernaturalibus, debet omnibus valoribus temporalibus quoque patere; respicere debet ad plenam hominis maturationem quoad omnia sua officia, in libertate, in veritate et in caritate: sive quoad suam vitam in Ecclesia, sive quoad suam vitam in mundo; sive quoad suam vocationem ecclesialem, sive quoad suam vocationem temporalem, et hoc quam maxime positive iuxta illud apostoli: « facientes veritatem in caritate crescamus per omnia in eo qui caput est Christus ».

Ita ut dum in Actione Catholica laici assumuntur, proprio modo, in executionem missionis pastoralis Ecclesiae, in actione temporali — nulla ablata responsabilitate —, quinimmo actuosa participatione non cessant operam dare in iis quae proprie historiae sunt.

2. Altera nota Actionis Catholicae est laicorum sui ipsius libera oblatio, vel spontanea acceptatio vocationis Ecclesiae, *in cooperatione cum apostolatu hierarchico.*

Haec cooperatio cum apostolatu hierarchico rectius intelligitur si directe cum activitate pastorali Ecclesiae connectitur.

Consequitur quod in sua specifica agendi ratione, Actio Catholica — quae in actu formativo ad totam provinciam maturationis humanae extenditur — mentem habeat ad integrandam, semper modo proprio, activitatem pastorum, i. e. ad evangelizandos homines, ad eos sanctificandos ad eorumque conscientias efformandas, ita ut communitates et varii vitae ambitus spiritu evangelii imbuantur. Ex quo fit ut persaepe a conditione mere passiva et receptiva laici transeant ad positionem activam et responsabilem.

3. Alia nota est *initiativa laicalis sub ductu pastorum.* Eo quod agatur de cooperatione cum apostolatu hierarchico, clara per se evadit principalitas apostolatus pastorum. Ipsi regunt Ecclesiam in persona Christi: ipsi participant gratiae capitis et repetunt actus mediationis Christi inter Patrem, qui in caelis est, et populum Dei, qui est in via ad caelestem Ierusalem.

Ex parte laicorum Actionis Catholicae profitetur, ex spiritu, specialis docilitas ad nutum pastorum; dum ex parte hierarchiae conceditur Actioni Catholicae specialis accreditatio. Assidua adsistentia cleri, quae semper habetur in omnibus adsociationibus Actionis Catholicae, est quodammodo signum et auxilium huius fidelitatis.

Attamen agitur de vera initiativa laicali.

Magis atque magis in dies haec nota in evidentiam ducitur. Ita ut nulla

vera Actio Catholica detur, ubi non adest vera initiativa laicalis. Vocantur enim laici ut tales ad cooperationem cum apostolatu pastorali, ut cum incoeptis propriis propriisque responsabilitatibus, uti convenit iis qui ad aetatem maturationis christianae pervenerunt, operam dent ad progressum evangelizationis.

Sunt simul in mundo et in Ecclesia. Eo quod sunt in mundo operatores historiae et mundanarum rerum experti, veram notitiam conferunt Ecclesiae realitatis temporalis; eo quod sunt pars viva Ecclesiae experientiam salutiferam afferunt mysterii salutis. Sic efficiuntur « Pontes » inter mundanas et divinas realitates: et in condicionibus et adiunctis perpendendis, in programmatibus elaborandis, in actibus specificae cooperationis exsequendis fiduciam offerunt et quaerunt, ita ut Actio Catholica res eorum propria existimetur, quamvis semper sub moderamine hierarchiae in unitate Ecclesiae. Fiunt in caritate Christi omnium pastorum filii carissimi et cooperatores indispensabiles, « gaudium et corona apostolatus evangelici ».

4. *Laici Actionis Catholicae, denique, agunt ad instar corporis organici.* Unitas quoque Corporis Christi in hoc adumbratur, et maxime exprimitur et significatur efficacia apostolatus. Organizatio enim in hoc tendit: ut sicut in caritate omnes unum sunt sic in unitate ad apostolatum properent.

Organismi vita quaerit cooperationem systematicam et globalem, non fragmentariam et occasionalem: fovet cooperationem universalem et missionariam, non partialem et alicuius portionis communitatis localis; amat contextum totius actionis pastoralis in omnibus adiunctis Ecclesiae. Sic omnes laici Actionis Catholicae in paroecia in unum corpus organicum coaugmentati, una cum paroco, unitariam exprimunt activitatem ut tota paroecia una communitas fidei, cultus et caritatis efficiatur; sic in dioecesim una cum episcopo, sic in Ecclesia universali una cum Romano Pontifice, Pastorum Principe.

In hac universali visione laicorum cooperationis cum apostolatu hierarchico mihi liceat extremum votum exprimere de constituendo apud Sanctam Sedem secretariatu in servitium apostolatus laicorum, ut in textu nostri decreti proponitur.

Hic secretariatus sit permanens dialogus inter hierarchiam et laicatum; sit centrum activum et aptis instrumentis dotatum ad investigandum de hodiernis quaestionibus, ad suppeditandum ideas et incoepta apostolatus; sit practica occasio cooperationis inter clericos et religiosos, inter cuiusque adsociationis responsabiles, inter viros et mulieres ad augendam in mundo laudem Dei, salutem animarum et progressum ordinis temporalis.

14

Exc.mus P. D. MICHAEL DARMANCIER

Episcopus tit. Auguritensis, vic. ap. Insularum Vallis et Futuna

Iuxta animadversiones a pluribus Patribus in aula prolatis deest in schemate *de apostolatu laicorum* sufficiens doctrina de formatione spirituali laicis « apostolis » impertienda. Ad quem defectum corrigendum sequens additamentum humiliter proponimus in fine par. 3 inserendum (in summo pag. 8): « Inter quae, praeter centra instituenda ad formationem apostolorum quasi technicam, perutile munus suum retinent motus ad formationem spiritualem ordinati, scil. Tertii Ordines et cetera huiusmodi, ad mentem par. 15 infra ».

[*Subsignaverunt etiam*] Pierre Martin, vic. ap. Novae Caledoniae, Louis Julliarol, vic. ap. Nouvelles Hébrides, Ioseph Buckley, sup. gen. S. M.

15

Exc.mus P. D. ALBERTUS DEANE

Episcopus Civitatis Mariae

Posibles divisiones del apostolado de los laicos, para así comprender — incluir — a todas las formas de apostolado que se han discutido en las asambleas generales del Concilio Ecuménico.

1. Apostolado, laico..., oficial..., organizado, y reconocido como tal por la Jerarquía. Pueden ser varios en una misma Diócesis, como la J.O.C., la Legión de María, la Cofradía de la Doct. Cristiana, etc.

2. Apostolado personal, individual, obligatorio por nuestra condición de Cristianos. « Sic luceat lux vestra », etc.

3. Apostolado laico, organizado, sin dirección eclesiástica, bajo su propia responsabilidad. Podrá tener Asesor si lo desearen ellos. La Jerarquía solamente mantendría una vigilancia general (véase n. 18, pag. 15, lin. 30, y pag. 16, linn. 1-5). Así habrá plena libertad para los laicos que desearen esa clase de apostolado, con escasísimo control eclesiástico. Presupone buena formación apostólica (ejemplos: Conferencia Vicentina; Serra Clubs, etc.).

4. Si los Obispos de un territorio, ó de una nación así lo desearen: *Que uno* de los apostolados laicos, oficial, ut supra del n. 1, sea declarado por la Jerarquía: Acción Católica (ó cualquier otro nombre).

En esta forma tendríamos en estas 4 secciones, todo el apostolado posible, que cabría en una de estas divisiones arriba enunciadas.

En segundo lugar: tendríamos, en el 1, y en el n. 4, ese apostolado especialísimo, que es la « Via maestra para demostrar nuestra adhesión a la Iglesia », como lo ha definido Paulo VI.

16

EXC.MUS P. D. ANTONIUS DE CASTRO MAYER

Episcopus Camposinus

Ad cap. II, pag. 9, lin. 3. Post verba finalia « Ecclesiae afferant » addatur: « quatenus habeant respectum ad animarum salutem ». *Ratio*: aliter enim non sunt apud communitatem Ecclesiae agenda.

Pag. 9, lin. 16. Post verba « Faveant laici » interponatur: « cum debita cautela ne catholica fides detrimentum capiat ». *Ratio*: pericula enim adsunt et non sunt silentio negligenda.

Pag. 9, lin. 36. Sub fine: vox « transforment » melius substitueretur voce: « instaurent ». *Ratio*: aptior est ut mens S. Pii X exprimatur: « Instaurare omnia in Christo ».

Pag. 10, lin. 4. Post verba: « coetus omnibus patentes », interponatur: « catholicae conscientiae principiis non infensos ». *Ratio*: tales esse possunt coetus quibus interesse ratio apostolatus non cohonestat, immo aliis scandalo merito esse potest.

Pag. 10, lin. 9. Sub fine, addatur: « et consilio necnon et auxilio in fide servanda fruantur ». *Ratio*: consociationes apostolicae et hunc finem habere debent.

Ad cap. III, pag. 11, lin. 19. Ultima verba sic immutentur: « restaurent perficiantque spiritu christiano ». *Ratio*: non sunt duo scopi apostolatus, alter mere naturalis et alter salutaris, sed unus, scil. ordinem temporalem ad finem supernaturalem ducere; ordo vero naturalis, ipsa ordinatione ad finem supernaturalem iam in sua propria natura perficitur (cf. S. PIUS X, *Il fermo proposito*: *Pii X Pontificis Maximi Acta,* vol. II, pag. 115).

Pag. 11, lin. 35. Ad finem addatur: « Hierarchiae ductu, cum opus sit, non neglecto ». *Ratio*: quo efficacius praecaveantur consequentiae bonum animarum attingentes.

Pag. 12, lin. 10. Ordo paragraphi sic immutetur: « Amor christianus et efficacitas apostolatus postulant ut colantur etiam qualitates humanae quae a natura requiruntur, et a non credentibus maximi habentur, ut sunt humanitas, rerum peritia ac sensus civicus, et virtutes probitatis, sinceritatis, fortitudinis, prudentiae, sive quibus nec vita christiana, etc. ». *Ratio*: quia probitas, sinceritas, etc. in christiano non sunt mere qualitates naturales, sed verae virtutes supernaturales.

Ad cap. IV, pag. 14, lin. 31. Post ultimum verbum « hierarchiae », addatur: « et sub eius approbatione ». *Ratio*: ne obliviscatur actionem propriam laicorum nunquam ab approbatione hierarchiae independentem evolvi posse.

Ad cap. V, pag. 18, lin. 17. Post verba « et in organizationibus sive nationalibus sive internationalibus » addatur: « firmis semper servatis iuribus et officiis catholicae fidei ». *Ratio*: haec cautela omnino in mentem revocari

debet, cum ex luctuosa experientia pateat conatus aliquarum organizationum huiusmodi ad fidem et religionem pedetentim eliminandam. Praeterea, haec cautela clare proponitur a Ioanne XXIII, praecise in loco citato in schemate sub notula 20; quae citatio, si memorata cautela omittatur, vix videretur quomodo esset ad rem.

17

REV.MUS P. D. ODEMARUS DEGRIJSE
Superior generalis C.I.C.M.

Libenter assentio multis laudibus quae tributae sunt schemati, quod plerumque Patrum Concilii exspectationi respondet.

Hic insistere vellem quibusdam punctis quae, meo humili iudicio, omnino in schemate servari et adhuc clarius enuntiari deberent. Quod dico, nititur meae cognitioni apostolatus laicorum in occidente et in multis missionibus per orbem terrarum exsistentibus.

1. Problema fundamentale apostolatus laicorum est officium et ius ad apostolatum totius populi Dei, singulorum eius membrorum, quae per baptismum participes facti sunt sacerdotii Christi, et per hoc deputantur ad servitium operis redemptionis. Singuli baptizati habent vocationem et gratiam ad apostolatum exercendum. Tota Ecclesia, in omnibus suis membris, *in statu missionis* constitui debet. Apostolatus non est privilegium *electorum* laicorum, sed est officium *omnium*.

Haec doctrina, e schemate *de Ecclesia* desumpta, revolutionem in Ecclesia suscitare debet. Integrum problema nunc in hoc consistit ut serie et conscientiose accipiatur, imprimis a sacerdotibus. Absque generali mobilisatione baptizatorum, Ecclesia missionem suam in mundo hodierno adimplere non valet. *Electa* copia laicorum huic operi non sufficit, atque theologice non iustificatur tantum electos quosdam vocare et *animare* ad apostolatum.

Quapropter mihi videtur doctrinam de laicis, e schemate *de Ecclesia,* hic latius exponendam esse, ut clare pateat problema fundamentale apostolatus laicorum in eo consistere ut omnes baptizati officii sui apostolici conscii efficiantur. Ecce magnus nuntius quem Concilium laicis afferre debet. Dein tantum de apostolatu organizato agendum est. Ante actionem catholicam venit actio catholicorum.

Conatus magis fundamentalis, nunc in Ecclesia faciendus, non dirigendus est ad organizationem coetuum laicorum, sed ad hoc tendere debet ut simplex baptizatus de officio suo apostolico conscius efficiatur.

2. Sicut exc.mus D. L. Bettazzi in aula bene enucleavit, omnis apostolatus in Ecclesia ex se est *communitarius,* vi ipsius naturae Ecclesiae et vitae ac activitatis christianae. Etiam apostolatus apostoli, qui solus operatur.

Miror cur paroecia et dioecesis non proponuntur tamquam exemplum fundamentale apostolatus *communitarii.* Paroecia, quae est Ecclesia « *in mi-*

niatura », est prima familia apostolica circa altare congregata. Si paroecia, qua paroecia, non potest effici communitas apostolica, atque apostolatus organizatur extra vel supra paroecias, Ecclesia numquam ad plenam suam *vitalitatem* perveniet, neque apostolatus laicorum, sub respectu theologico, umquam rectam formam assumet.

Evolutio normalis apostolatus laicorum videtur esse sequens:

Imprimis paroecia convertenda est in communitatem missionariam, dein instituatur sic dicta Actio Catholica generalis, demum Actio Catholica specialisata.

Impediendum est ne in schemate dominetur *visio* apostolatus laicorum quae tantum quibusdam nationibus Europae applicari potest.

3. Apostolatus laicorum praeprimis et praesertim *ab adultis* exercendus est. Praestat ut schema non specialiter agat de iuventute. Constat apostolatum laicorum in mundo universo hucusque plus aequo fuisse apostolatum *iuniorum*. Facilius et iucundius est iuvenum animum excitare quam adultos ad apostolatum inflammare. Multi iuniores sacerdotes quodam *infantilismo* laborant et adultos negligunt. Adagium « slogan »: « Qui iuventutem habet, futurum possidet », falsum est. Iuventus enim saepius « ideale » suum perdit, ubi primum in ambitu adultorum versatur.

4. Semper insistendum est primum officium apostolatus, etiam laicorum, esse annuntiare Evangelium, ut clare declaratur in n. 10. Necessarium est ut Concilium hoc clare affirmet, quia hac in re multae opiniones erroneae habentur. Quid prodest consecratio mundi, si iam non dantur fideles ut mundum incolent? Singuli baptizati in mundo hodierno imprimis et praesertim de Deo proximo suo loqui audere debent; primo *panem* fidei dare audere oportet.

Tota Ecclesia, in omnibus suis membris, semper et continuo in statu evangelisationis esse debet.

5. Quae in nn. 2 et 10 de apostolatu laicorum dicuntur, non videntur recte enuntiata:

a) quia *actio* apostolica tantum secundo loco ponitur et tamquam *secundaria* apparet. Sic non formabuntur apostoli;

b) quia minus momentum tribuitur testimonio verbi; attenta Biblia, primatus semper tribuitur testimonio verbi, et ante testimonium vitae ponitur: « fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi ». Num Concilium cedere debet timori, inter catholicos tam late sparso, ferendi testimonium de sua fide? Datur tolerantia et respectus aliorum, quae proprie ignavia et defectus caritatis dicenda sunt.

6. Sors apostolatus laicorum non dependet primo a laicis, sed a sacerdotibus. Si volumus laicos ad apostolatum convertere, primo sacerdotes ad laicos convertere debemus (hoc in n. 13 dici posset). In hunc finem sacerdos triplicem conversionem subire debet: intellectualem (in theologia de Ecclesia), in suo verbo (catechesis, praedicatio), et in sua aptitudine erga laicum

(abiicere omnem clericalismum). Episcopi ante omnia curam impendere et operam dare debent, non laicis, sed sacerdotibus qui laicos excitare, animare et educare debent.

18

EXC.MUS P. D. CAROLUS DE PROVENCHÈRES

Archiepiscopus Aquensis in Gallia

Pag. 5, n. 1, lin. 24, pro: continuare, melius: *praesens reddere. Ratio*: solus Christus nos salvat.

Lin. 26, pro: per omnia sua..., legere potius: *cooperantibus omnibus suis membris. Ratio*: « per » instrumentalitatem insinuat, quae tantum in ordine sacramentali habetur.

Pag. 6, linn. 9-13, nihil dicunt de caritate Christi a Spiritu discipulis communicata, quae proprie est anima apostolatus. Insuper, proprie loquendo apostolatus non defluit directe a Regali Sacerdotio. Textus denuo scribatur.

Pag. 11, n. 11, expressiones habentur quae non plene concordant cum iis quae sub n. 9 optime dicuntur. Immo non christiani scandalizari possunt.

Lin. 8, legere: Filii sui *finaliter* consummandam. Linn. 9-10, legere: ad universum... ordinem perficiendum. Reliqua, linn. 10-11 deleantur. *Ratio*: plena consummatio in Christo est res eschatologica. In nunc temporis, ubi sub velamine fidei et per crucem ambulamus, tantum in spe gloriam Christi possidemus et creatura visibilis adhuc ingemiscit. Textus ut sonat sic intelligetur ac si voluntatem ex parte Ecclesiae exprimeret, civitatem terrenam dominandi. Citatio *1 Cor.* 3, 23, non est ad rem ut ex contextu eiusdem epistulae constat.

Lin. 14, legere: quam caritas perficiat, *fides illustret, spes dirigat*, exstruatur... Lin. 15, deleantur verba: per Christum. *Ratio*: gratia omnimoda naturam in suo ordine manentem confortat. Sic expressio: « per Christum » inutilis evadit. Insuper male intelligi posset.

Lin. 28, legere: ad *plenam* ordinis... Lin. 32, legere: *Ordinis* temporalis instaurationi... Vox: « christianae » deleatur. *Ratio* est eadem ac supra.

Lin. 34, legere: attingit, *secundum Christi spiritum* instaurando. *Ratio*: « ad Christi gloriam » sic intelligetur ac si exprimeret imperialismum clericalem Ecclesiae.

Pag. 12, linn. 13-14, legere: civicus. *Reliqua* deleantur. *Ratio*: haec sunt recta sed non hoc in loco poni debent, cum insinuent scopum immediatum actuositatis christianorum in ordine temporali esse testimonium caritatis.

Linn. 10-14 melius ponerentur in fine n. 10, pag. 11, lin. 5. Pag. 12, n. 12, lin. 19, verba: « et caritatis » deleantur. *Ratio*: ne caritas theologalis ad opera misericordiae restringatur dum caritas inspirat etiam formas apostolatus de quibus nn. 10 et 11.

Pag. 13, n. 14, lin. 20 expressio: « animatio christiana ordinis rerum temporalium » est optima et adhiberi deberet n. 11.

19

EXC.MUS P. D. HUBERTUS D'ROSARIO

Episcopus Dibrugarhensis

The cell of the nation and society is the family. It may be a fault of omission in the past that we have not put in prominent focus the great mission of father and mother in the family and ultimately in society, in the nation and in the Church.

History reveals that certain religions will, humanly speaking, last till the end of time because of the family set-up. This is particularly seen in the case of the Jews and Muhammadans who have stood ut to persecution and still keep going strong. One of the many reasons may be that the father is not only recognised as the physical head and bread-winner of the family but also as the spiritual head and dispenser of the truths of religion, performing some of the rites of religion and following the growth of children in the knowledge and tradition of their religions. Religion has come to be a part of the lifes interwoven closely with their social living.

I propose that Father and Mother be spoken of in glowing terms in this schema and that we recognise the great mission entrusted to them in sharing the universal priesthood. Father and Mother should be urged to be also the dispensers of religious knowledge and followers-up of its living in their children. What a lovely sight it must be to see Father or Mother every evening after the family rosary or at least on Sundays having the family around for religious instruction!

The Church could enrich this mission by indulgences. Father may be allowed to exercise blessings as sacramentals, blessing of the table, blessing of children, and sacred objects etc. The baptism of children could be performed in the homes and Father may be allowed to carry the Holy Eucharist to the sick of the family when the minister is not available.

I feel that if the Father of the family is made to share in the priesthood in such practical ways, our Catholic children will know, love and live their Faith, through peaceful days and through persecution when the priest may not be available at all.

20

EXC.MUS P. D. VILLELMUS DUSCHAK

Episcopus tit. Abiddensis, vic. ap. Calapanensis

Proponitur: Constitutio *Consilii paroecialis pastoralis laicorum.*

Multa et perpulchra dicta sunt in hac aula de laicis, de eorum loco in Ecclesia, dignitate et, in verbis magis generalibus, de eorum activitate et cooperatione cum clero. Laici autem aliquid magis practicum et tangibile uti dicitur sperare et expectare videntur quo partem habere possint in vita et activitate apostolica Ecclesiae, praesertim localis.

Apostolatus laicorum est « participatio laicorum apostolatus hierarchiae » (sec. schema, pag. 53, lin. 1) vel eorum participatio ipsius salvificae missionis Ecclesiae; apostolatus autem « trahit nomen a munere docendi, regendi et sanctificandi ». Sic certe vel minima forma regendi vel cooperandi in regimine Ecclesiae non potest excludi ab actione apostolica laicorum, saltem et praesertim in ambitu paroeciali.

Hic notandum est quod « inter commissionis huius schematis membra et consultores nullus laicus numerabatur. Laicorum tamen peritia et consilio, uti dicit relator, in aliquibus quaestionibus uti potuimus ».

Sit ergo venia mihi, qui non sum laicus, loquendi nomine laicorum, qui aliquam licet exiguam formam et gradum communionis in regimine Ecclesiae saltem localis, i. e. paroecialis, desiderant et expectant.

Schema brevissime tantum mentionem facit possibilitatis instituendi consilia actionis apostolicae in ambitu paroeciali vel interparoeciali, uberius versatur in explicando consilio dioecesano et « secretariatu apud Sanctam Sedem » constituendo (schema, pag. 17, infra, et pag. 18, supra).

Mea opinione et experientia Apostolatus et Actio Catholica infra paroeciam et cum consilio suo paroeciali est radix et mater totius apostolatus et actionis catholicae. Et si in relatione (pag. 29) clare et recte statuitur finem secretariatus apud Sedem Sanctam esse « informativum, investigativum et consultativum, non vero directivum », idem certe valet pro consilio paroeciali, quin nimis urgeatur negatio vocis et voti directivi in ambitu paroeciali. Paroecia etenim est quasi patrium solum et domicilium laici eiusque familiae, quam laicus intima familiaritate novit et diligit, quae ei curae est et cordi. Insuper Concilium favet participationi laicorum, aspectibus pastoralibus, sanae accommodationi spiritui in quantum sanus est, temporis nostri, quo tam mirifice extollitur dignitas et aequalitas hominum. In Ecclesia, et imprimis in domo materiali Ecclesiae, nos sacerdotes a fidelibus saepissime percipimur uti « soli domini », immo tyranni spirituales, qui tonare, iudicare, vituperare, reprehendere possunt fideles, quin contradicere vel respondere vel saltem exponere possint. Detur laicis ope consilii paroecialis laicorum instrumentum aptum quo communicare possint, quid cogitent, sentiant, desiderent, proponere velint parocho eiusque assistentibus. Consilia paroecialia quae existunt finem habere solent potius pecuniarium vel administrativum. Opus autem est *consilio paroeciali pastorali*.

In tali consilio paroeciali selecta membra communitatis paroecialis statuto tempore cum parocho deliberabunt de rebus, problematibus et propositis quae exsistunt in paroecia. Quae ad considerationem consilii paroecialis referri possunt sunt e. g.: Tempus missarum, et aliarum devotionis exercitiorum, pulsatio campanarum vel ipsius organi, modus celebrandi et audiendi missam praecipue quoad ordinem, preces et cantus, administratio (quoad exteriora) sacramentorum, celebratio primae et solemnis communionis, processiones, peregrinationes. Item, cum reverentia quidem et circumspectione, desideria sua proponere laici audeant quae spectant ad sermones, ad metho-

dos pastorales, visitationes domorum, aegrotantium, ad decus ecclesiae domus, ad refectiones faciendas aedificiorum, ad nova aedificia, maxime vero ad novas ecclesias erigendas vel antiquas immutandas. Nostris temporibus non raro ecclesiae aedificantur, quae non aedificant fideles. Extra ecclesiam, sed intra civitatem vel pagum quo paroecia continetur haec e. g. Consilio paroeciali sunt consideranda: problemata scholarum, instructio religiosa, sic dicta caritas publica et privata, activitates sectarum, ephemeridum, stationum radiophonicarum et televisionis, generatim quae fidem et mores in vita publica attingunt. Rerum harum laici, imprimis si complures sunt congregati, frequentius cognitionem uberiorem et magis particularem habent quam ipse parochus.

In Insulis Philippinis, ubi apostolatus laicorum sub forma Actionis Catholicae bene consolidatus est in ambitu et paroeciali, et dioecesano et nationali, in plurimis paroeciis habetur tale consilium paroeciale (Parish Council, Consejo Paroquial, vel lingua nostra nationali, Tagalog, Sangguniang Pamparoquia). Membra (ex officio) sunt praesides diversarum associationum, quae propter indolem mandato episcoporum gaudent, uti Confraternitas Doctrinae Christianae, Knights of Columbus, Holy Name Society, Catholic Women's League, Legio Mariae, Sodality of the Blessed Virgin etc. Sunt parochi, qui insuper eligunt personas, qui scientia, prudentia, auctoritate excellunt ut e. g. medicum, magistrum, advocatum necnon peritos in problematibus socialibus, oeconomicis et industrialibus. Semel saltem in mense conveniunt. Praeses est laicus, parochus est moderator spiritualis. Agenda proponuntur et praeparantur ab omnibus. Secretarius relationem scribit, cui subscribit cum praeside et parocho. Liber relationum potest inspici ab episcopo occasione Visitationis Canonicae, qua occasione et ipse Consilium paroeciale convocare potest et solet. Fructus abundantes huius instituti, consilii nempe paroecialis, vix enumerari possunt.

Propositio mea: 1. Habeatur paragraphus nova in schemate quae tractet de Apostolatu laicorum in ambitu paroeciali et qua recommendetur institutio talis Consilii paroecialis.

2. Formatio talis consilii paroecialis diverso modo diversis regionibus fieri potest, dummodo laici voce et voto contribuere possint ad incrementum et progressum interiorem et exteriorem paroeciae in spiritu apostolatus et secundum propriam opinionem, experientiam et inspirationem.

Concludendo expositionem meam hoc mihi succurrit: Parochi vel missionarii ab initio saltem resistent fortasse introductioni talis Consilii paroecialis, ut et ipse feci; venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos messis pastoralis ex insperato opimae.

21

EXC.MUS P. D. ISIDORUS MARCUS EMANUEL

Episcopus Spirensis

In n. 3, pag. 7 (de formatione apostolica). Desideratur valde, ut *exercitia spiritualia* expresse nominentur, quae inter « varia elementa spiritualia et doctrinalia formationis » apostolicae locum omnino fundamentalem obtinent.

Qua schola spiritualitatis neglecta activitas apostolica brevi ad activismum infructuosum evacuatur.

22

EXC.MUS P. D. ARMANDUS FARES

Archiepiscopus Catacensis et episcopus Squillacensis

Omnibus perpensis, circa schema *de apostolatu laicorum* sequentia adnotanda propono, quae inservire possunt ad definitivam redactionem textus conciliaris.

1. Textus ita conficiendus esset, ut omnium laicorum possit fieri « vade mecum » seu « Summarium » seu « Magna charta » apostolatus qui ab ipsis exercetur. *Ratio* est: prima vice in Concilio Oecumenico Ecclesiae agitur de hoc munere laicorum; ideoque optandum ut mens Ecclesiae ipsis genuine et simplici modo pateat.

2. Non inopportunum videtur in ipso prooemio praecipuas laicorum organizationes memorari quae diversis in nationibus, diversis quidem conditionibus moralibus, politicis etc. optime meruerunt de Ecclesia et de Summo Pontifice: quibus organizationibus laus et grati animi expressio debetur totius Ecclesiae in Concilio adunatae per episcopos totius mundi.

Hoc inserviret etiam ad hoc ut plena libertate Concilium quasdam possit praescriptiones edicere, quae nullo modo detrahentes his qui vitam exposuerunt calamitatibus pro Christo et Ecclesia, attamen, mutatis locorum et temporum conditionibus, opportuniores et aptiores in ipso apostolatu laicorum fovendo videbuntur.

3. In initio magnopere insistendum est in sequentibus principiis:

1. Missio, quam Christus Dominus Ecclesiae suae concredidit, omnes seu omnia omnino membra afficit, aliter tamen et aliter spectato ordine causarum finalis et efficientis;

2. In ordine quidem causae finalis: in mentem omnium revocetur finem Ecclesiae esse: *a*) in statu termini: salutem aeternam consequendam ab omnibus et singulis filiis suis; *b*) in statu viae, seu Ecclesiae temporis praesentis seu Ecclesiae peregrinantis et militantis: sanctificationem acqui-

rendam, quae est per se sola medium ad salutem aeternam consequendam. « Gratia Dei - vita aeterna ». In hac ratione finali praeprimis insistendum est, ad hoc ut vitentur in campo practico confusiones et aequivocationes et etiam conflictus inter Ecclesiam et Statum et inter competentiam laicorum in apostolatu praesertim organizato et competentiam Status (cf. Enc. *Non abbiamo bisogno,* 20 iunii 1931). Ecclesia et Status distinguuntur inter se *ratione finis,* cum plerumque, saltem in regionibus nostris occidentalibus, iidem sunt qui Ecclesiae et Status membra sint. Ideoque laicis omnibus semper in comperto sit finem diversum et distinctum Ecclesiam inter et Statum prae oculis habendum, ut limites iustos in actione practica non praetergrediantur, memores verborum Domini: « reddite ergo quae sunt Caesaris, Caesari; quae sunt Dei, Deo ».

3. In ordine causae efficientis, seu quinam et quomodo membra Ecclesiae agere debeant ad finem sanctificationis consequendum in Ecclesia.

a) *Quinam* agere valent. Distinguendum in hac *materia*: missio *propria* et *specifica* sacrae hierarchiae, quae ex institutione Christi Domini competit Summo Pontifici et episcopis Ecclesiae: ab hac missione, quae dynamismo peculiari ab actione Sancti Spiritus afficitur et totam pervadit Ecclesiam, tota pendet actio apostolica in Ecclesia; missio quaedam *generalis* seu *generica* quae omnia membra Ecclesiae afficit, quae, cum sit generica, necessario variis modis exprimitur sive *in* singulis fidelibus, sive *in* relatione ipsorum ad alios.

b) *Quomodo* agere possunt in ordine ad finem Ecclesiae consequendum.

Distinguatur, ut logice procedamus, ordo qui respicit singulos fideles, et qui alios quoque respicit.

Fideles, omnes et singuli, ius habent ut a hierarchia accipiant illa omnia media necessaria ad hoc ut ipsi formentur christiani veri nominis: per fidem; per sacrificium et sacramenta; per directionem a Pastoribus acceptam. Agitur de modo, qui sensu quodam passivo seu receptivo dici potest (*actioni* hierarchiae respondet *passio* fidelium: actio et passio sunt in eodem genere...).

Sed semel formati in Christo, fideles Christi, sub ductu Spiritus Christi, quodam modo — i. e. *modo sibi debito* — urgentur ut etiam aliis communicent bona Dei sibi oblata et accepta: en radix apostolatus seu actionis qua quicumque fidelis tenetur in ordine ad promovendum bonum seu finem societatis Ecclesiae seu sanctificationem animarum.

Quod perfici potest duplici in ambitu: Ecclesiae et mundi.

1. *In ambitu Ecclesiae.* Sub hoc respectu comprehenduntur omnes modi apostolatus laicorum, qui evidenter cum non possint eadem ratione exerceri, possunt sequenti modo considerari:

a) sensu quodam *generalissimo*: in adimpletione officiorum quae unicuique sunt propria sive personalia, sive respectu familiae, Ecclesiae, Status. Hinc apostolatus orationis, boni exempli, familiaris etc., quae omnia deri-

vant ex statu gratiae in quo fidelis vivit et vivere debet, diffundendo bonum Christi odorem in omni loco, etc.;

b) sensu quodam *generali* in ambitu ipsius Ecclesiae: *per* sodalitia, societates, organizationes pluralisticas quae omnia opera caritatis, spiritualia et corporalia, respicere possunt in ordine *ad* cultum divinum, *ad* institutionem christianorum, *ad* diffusiones Evangelii, *ad* auxilium pauperum etc.: apostolatus caritativus, socialis etc.;

c) sensu quodam *speciali*: per peculiares organizationes quae ab ipsa hierarchia assumuntur ut per specialem collaborationem ipsam hierarchiam adiuvent in explenda specifica missione Ecclesiae, idest in explendo mandatum Christi salvificum, quatenus compossibile cum conditione personali fidelis *laici,* qui sacros ordines non recepit. Ita v. g. Actio Catholica, etc. in qua mandatum peculiare hierarchiae exigitur.

2. *In ambitu mundi,* in quo vivit Ecclesia ipsa. Apostolatus laicorum in ambitu mundi potest assimilari modo praesentiae Dei in mundo et in omnibus rebus. Deus enim praesens est: per essentiam: quia omnia sunt per ipsum; per potentiam: quia omnia agunt per Deum; per praesentiam: quia omnia nuda et aperta sunt oculis eius.

Laici in mundo, per ipsorum apostolatum sub quacumque forma consideratum, debent:

a) demonstrare *praesentiam* Ecclesiae in mundo tanquam praesentiam ipsius Christi Salvatoris, qui per Ecclesiam saluti spirituali omnium hominum consulit. Hoc obtinetur *per* sanctitatem vitae uniuscuiusque, *per* opera bona (« ut videant opera vestra bona etc. »), *per* favorem religioni impensum, etc.;

b) demonstrare *quid possit* influxus religionis Christi, qua ipsi vivunt, in ipsam felicitatem temporalem populorum: nam religio, et praecipue religio christiana est firmum sustentaculum iustitiae, qua reguntur populi in mundo. Hinc omnis actio apostolatus ad removenda mala socialia, iniustitias sociales, malos mores etc.;

c) demonstrare *quid sit* seu essentiam vitae christianae quae dilucidat practice missionem veram Ecclesiae in mundo, in campo nationali et internationali.

In exhortatione finali, non esset omittenda mentio ad passiones pro Christo sustinendas in adimpletione officii apostolatus, citando v. g. quaedam ex epistola *1 Pt.*: 1, 13 s. de dignitate christiana et vocatione ad sanctitatem; 2, 11 sq. de odio mundi in christianos; 3, 8 sq. de unanimitate in bono promovendo; 3, 16 sq. de firmitate in bono operando etsi inter malos simus; numquam ut simus mali (5, 14 sq.); animum addendo omnibus in campo apostolatus: *2 Pt.* 3, 14.

23

EXC.MUS P. D. EMMANUEL FERNÁNDEZ-CONDE
Episcopus Cordubensis

Cap. IV, n. 16, *de Actione Catholica.* Quot et quantas difficultates commissio apostolatus laicorum superaverit in schemate suo redigendo — placeat id necne — nemo ignorat, nedum qui in ipsa commissione adlaboravimus. Si tamen hoc de schemate in genere dicendum, maxime confitendum est erga cap. IV, « formis associativis » consecratum, cum sint innumerae associationes eaedemque varietatis infinitae.

Inter has consociationes Actio Catholica eminet, cui propter eius historiam, propter eius commendationes a Romanis Pontificibus factas, propter eius firmum influxum in conscientia laicorum apostolica suscitanda, nostrum schema n. 16 dicat. Nullum igitur sic dictum favoritismum in hac re videri potest, cum contrarium revera esset rerum conditionis et ultimae evolutionis apostolatus laicorum quaedam incognitio.

Postquam statuta est necessitas admittendi multiplicitatem formarum associativarum apostolatus, et libertatem laicorum in earum constitutione et regimine, commissio animum advertit ad studium casus singularis Actionis Catholicae, perpendendo in diebus praeparatoriis diversas ad eam positiones, et in tempore conciliari Patrum observationes scriptas.

Omnes sententiae et observationes ostendebant variam mentalitatem Patrum, necnon varia adiuncta nationum e quibus proveniebant. Commissio omnes consideravit difficultates et putavit, ut dixit exc.mus relator, mediam viam esse tenendam. Sed cur haec via media? Erantne tanti ponderis animadversiones contra Actionem Catholicam sensu traditionali? In omnibus quaestionibus Concilii, quae inter auctores disceptantur, provisum est, ut nulla quaestio dirimatur, hic tamen aliter factum est. Nonne hoc erit — salva intentione — error nostrae commissionis?

Haec attamen solutio, ut in aula conciliari apparuit, duabus partibus non placuit. Quid ergo? Si post omnes observationes quaestio esset adhuc obscura, sine dubio ad istius numeri retractationem deveniendum esset.

Ut haec quaestio solvatur non sufficit appellativum *Actionis Catholicae* respicere, quae vi nominis significat in genere activitatem in campo catholico. Prae oculis habendum est, ex primo usu hoc nomen sensus generici, exprimere formam certae et concretae activitatis laicorum in ordine apostolatus cohaesionem et cooperationem cum hierarchia servantem.

Ita significatio communis singularis devenit et solummodo illi associationi singulari tribuitur. Ex sensu itaque nominis ad sensum rei perventum est; dictio Actio Catholica igitur, non quemlibet laicorum apostolatum indicat, sed illum tantum qui in directa cooperatione cum hierarchia Ecclesiae fit. Similiter accidit aliquibus notionibus sive in sensu communi hominum, sive scientiarum; sic vox *presbyter,* sensu communi seu ethymologico senex

est, sed hodie iam nonnisi ministros Evangelii designat. Item *episcopus, baptismus*... Sed non intendit forsan schema nostrum denuo instaurare conceptum genericum Actionis Catholicae? Ceterum aliae associationes sub proprio nomine apparuerunt: Legio Mariae, Congregationes Marianae...

Bene si perpendamus evolutionem apostolatus laicalis proximorum decenniorum eandem conclusionem inveniemus. Inter varios apostolatus ille Actionis Catholicae vicinior missioni Ecclesiae visus est; quapropter dicendum esset, forsitan historice incoeptum esse, qua finire oportuit.

Quaesitum est ut definitio Actionis Catholicae praebeatur, vel ut alii malent, ut Pii XI definitio iteretur in sensu participationis vel collaborationis. Descriptio enim in schemate proposita non omnibus certe placere potest, nisi viam mediam suscipiant, qua itum est. Nullum est dubium quin, pianam definitionem tenere, conformius esset omni traditioni pastorali superiorum decenniorum, quia omnia huius apostolatus essentialia elementa comprehendit et etiam in Concordatis commemorata et determinata. Si ex discussione videretur coetum conciliare nova redactione huius numeri optare, tum quaestio esset criteria cernere quibus reficiendus esset. Quae principia prae oculis statuenda? Ad haec omnia liceat mihi sequentia innuere:

1. Nullo modo sunt praetermittendae doctrinae pastorales Pontificum a Pio X ad Paulum VI, quem Deus sospitet, de Actione Catholica. Multis in documentis atque orationibus sermonem super ea fecerunt, eius structura descripserunt, eius praestantiam praetulerunt, eam denique commendarunt. Verba Pauli VI die 26 iulii anni currentis — postquam igitur nostrum schema redactum fuerat — patent: « Optamus Actionem Catholicam vivere et permanere substantialiter, quale auctoritas et prudentia nostrorum Praedecessorum his proximis annis delineaverunt ». Verba Pii XII in allocutione ad Congressum Internationalem Apostolatus Laicorum, anno 1957, exprimebant tantum suggestionem receptam, et ab ipso postea proposita, ut inquireretur de hoc problemate; nihil ut determinatum continebant.

2. Evolutio foecunda huius formae associativae in magnis Ecclesiae partibus exigit ne defraudentur milia milium fidelium qui in ea laborant, atque ne in discrimen mittatur ille apostolatus optime meritus, tot societatis campos reficiendo.

3. Servanda est unitas in varietate formarum Actionis Catholicae ad indolem nationum, traditionum et requisitorum uniuscuiusque, ut possibilis eveniat eius instauratio in locis ubi erigi oporteat, illud tantum servando quod ad eius naturam pertinet, cooperationem in apostolatu hierarchico. Si quo in loco erectio non est possibilis conferentia episcopalis vel Ordinarius loci decernat quid facere oporteat.

4. Tribuendi sunt apostolatui laicali diversi gradus, qui, ut dictum est in schemate *de Ecclesia* cap. IV de laicis, devenire possunt ad perficienda « quaedam munera ecclesiastica, ad finem spiritualem » si a hierarchia vocentur. Necesse est igitur secernere vocationem communem ad apostolatum a formis specialibus sub arctiore copulatione cum hierarchia.

5. Haec tamen cooperatio laicorum eripere non debet sive eorum conatus sive liberam progressionem associationis sub eorum auctoritate. Ceterum haec submissio nullius generis clericalismum continet, quia est una ex formis apostolatus laicalis. Est *slogan* quoddam huius Concilii non semper opportune sumptum.

6. Liberetur haec associatio — ab Ecclesia instituta vel confirmata — ab omni genere necessitatis in eam adscribendi, sitque ea expressio voluntatis laicorum qui sua sponte vel vocati laborare cupiunt arctiore collaboratione cum hierarchia.

Utinam quaestio solvatur meliori modo possibili.

24

Exc.mus P. D. MARION FRANCISCUS FORST

Episcopus Dodgepolitanus

Although I approve the schema, I believe that the entire schema should be re-organized, rewritten and shortened. The text as it stands reads too much like a sermon—which serves no purpose in a Conciliar document. Furthermore, as it stands it could result in alienating the good will of responsible laymen, since the "tone" of much of the text may leave the impression that the laity have been regarded as "juveniles".

To shorten the schema may I recommend the following:

Omit from the Schema all except that listed below:

Prooemium: page 5 lignes 9 to 15.

Chapter I: De laicorum vocatione apostolica: page 6, lines 9 to 16. Add paragraph identifying a layman's obligation to society as part of a responsible use of the graces of Confirmation.

2. De Apostolatu ab omnibus et singulis exercendo: page 6 lines 17 to 23 and 28 to 35.

3. Apostolic Formation: pages 7 and 8, lines 7 to 10 and 19-20 and 22 to 26, and rewrite.

4.

Chapter II: De communitatibus et vitae ambitibus (rewrite).

5. In familia: page 8, lines 15 to 21.

6. In Ecclesiae communitatibus: page 9, lines 14 to 21.

7. In proprio ambitu: page 9, lines 31 to 36.

8. In coetibus omnibus patentibus: Omit all.

Chapter III: De finibus assequendis.

9. Apostolatus obiecta et distinctio: approve.

10. De hominum conversione: page 11, lines 1 to 3.

11. De ordine temporali: page 11, lines 16 to 19 and 36.
12. De actione caritativa: page 12, lines 15 to 19.

Chapter IV: De formis associativis.

13. De momento formae: page 13, lines 4 to 7.
14. De multiplicitate formarum: page 13, lines 24 to 28.
15. Associationes fidelium: page 14, lines 11 to 15.
16. De Actione Catholica: Omit entire paragraph.
17. Associationes: Omit.

Chapter V: De ordine servando.

18. De relatione ad hierarchiam: page 15, lines 18 to 20.
19. Pastores: page 16, lines 29 to 33; page 17, lines 1 to 11.
20. De mutua cooperatione: page 17, lines 31 to end.

25

Exc.mus P. D. RAPHAEL GONZÁLEZ MORALEJO
Episcopus tit. Dardanius, aux. Valentinus

Distinctio inter apostolatum hierarchicum et apostolatum laicorum. In disceptatione iam elapsa de schemate nostro in genere, nonnulli Patres consulto dixerunt in textu desiderari clara et perspicua distinctio inter apostolatum laicorum et apostolatum hierarchiae in Ecclesia.

Diversa sunt loca ubi haec quaestio aliquomodo tangitur. Oportet ergo ut ea breviter et ordinate consideremus, antequam quasdam mutationes ad solvendam quaestionem necessarias vobis humiliter proponam.

(*Cap. I*). Duo sunt imprimis paragraphi quae aliquomodo accedunt ad problema nostrum: nempe, par. 1, in pag. 6, linn. 14-16, et par. 7, in pag. 9, linn. 23-25.

Iam vero, nullus ex his textibus videtur tribuere apostolatui laicorum aliquam differentiam specificam. Verum est dici ibidem laicos exercere « apostolatum sibi proprium »; sed in utroque textu negatur tantummodo posse laicos substituere ecclesiasticos « in iis muneribus quae potestatem ordinis vel iurisdictionis exigunt », et negatur etiam posse ecclesiasticos substituere laicos « in iis ambitibus », nempe in ambitu familiari et in aliis « in quibus divina Providentia eos collocavit » (n. 7, pag. 9, linn. 22-23).

Agitur ergo tantummodo de duplici campo ubi duplex perspicitur competentia, id est de distinctione mere extrinseca. Hoc solo fundamento possemus merito affirmare episcopos exercere apostolatum *proprium* et diversum ab eo quem sacerdotes et religiosi exercent, et vice versa, cum eorum unusquisque pertingat campos in quibus alius alium non potest substituere.

Animadvertere aliunde oportet posse etiam ministros exercere, ut de facto exercent, suum apostolatum in ambitu familiari et in aliis ambitibus saecularibus et professionalibus, ut expresse dicitur in cap. IV *de Ecclesia,*

laicis consecrato (pag. 118, linn. 7-9). Videtur igitur ex his textibus, prout iacent, concludendum esse nullam specificam dari differentiam inter apostolatum laicorum et eorum qui laici non sunt.

b) In n. 2, pag. 6, linn. 28-32, de apostolatu ab omnibus et singulis laicis exercendo loquente, agitur de apostolatu sic dicto testimonii. Sed nihil asseritur in hoc textu quod non possit pari modo ministris Ecclesiae et religiosis applicari, immo et potiore ratione, cum illi sint magistri virtutum, praecipui testes fidei et quasi exemplar omnium christifidelium.

Profecto nemo dubitat apostolatum laicorum ad essentiam pertinere testimonii Ecclesiae (n. 2, pag. 7, linn. 5-6), pari prorsus modo ac pertinet ecclesiasticorum apostolatus: sed aliunde est quoque certum testimonium christianum laicorum, ut asseritur in schemate dogmatico *de Ecclesia* (cap. IV de laicis, n. 31, pag. 118, linn. 6 ss.) « indolem saecularem propriam et peculiarem » habere.

Qualis est igitur differentia specifica inter utrumque apostolatum?

(*Cap. III*) *c*) Propius accedere videmus adaequato responso huic quaestioni in n. 11, pag. 11, linn. 32-35 nostri schematis, ubi agitur de animatione christiana ordinis temporalis.

Rursus iteratur hic missionem instaurandi, vel melius restaurandi, ac perficiendi sensu christiano ordinem temporalem communem esse universae Ecclesiae, laicis nempe et ecclesiasticis. Sed additur quoque laicos in hac missione « peculiares partes habere ». Missionem hanc exsequuntur et laici et ministri, sed aliter et aliter: actio hierarchica qua talis et directe non attingit ordinem temporalem, actio vero laicorum qua talis et directe attingit eumdem ordinem.

Potestne hoc satis esse ad constituendam differentiam specificam apostolatus laicorum? Equidem non video! Quia actio hierarchica, nisi fallor, sicuti pari modo actio laicorum, *directe et qua talis* attingit revera ordinem temporalem. Nonne actio hierarchica qua talis ordinatur ut attingat, et quidem directe, fundamenta ipsa ordinis temporalis? Nonne proprium est actionis hierarchicae qua talis et directe docere principia quibus diversi sectores ordinis temporalis nituntur, eorumque applicationem urgere, immo et iudicare auctoritate plena et propria utrum hic ordo concrete respondeat necne principiis illis ab Evangelio dimanantibus?

Si ergo actio hierarchica qua talis et directe attingit ordinem temporalem modo quo dixi, et actio laicorum etiam qua talis et directe attingit hunc ipsum ordinem, quamvis diverso modo, paragraphus haec quam excutimus, sicuti iacet, nondum exprimit perspicue differentiam specificam inter apostolatum laicorum et eorum qui laici non sunt.

Profecto, specifica haec differentia solummodo potest inveniri in modo diverso quo et laici et clerici possunt ac debent exercere suum quisque apostolatum. Sed ad explicandum atque intellegendum dilucide quid hoc significet, res ipsa paulo superius repetenda est.

Fons totius apostolatus in Ecclesia, sicut iam dictum est, consistit in

participatione unius Sacerdotii Christi: sacerdotium autem commune vel universale fidelium, ad quod laici per sacramentum Baptismi et Confirmationis deputantur, et sacerdotium ministeriale quod clerici per sacramentum Ordinis accipiunt, « suo peculiari modo de uno sacerdotio Christi participant » (*de Ecclesia,* cap. II, n. 10, pag. 31, linn. 19-20).

Aliunde, scimus omnem apostolatum exerceri praecipue in duabus rebus: in re stricte religiosa atque in re temporali.

Iam vero, duplex est apostolatus: alius proprius atque specificus hierarchiae, qui exercetur in re stricte religiosa, et consistit in exercitio eorum munerum quae sacerdotium ministeriale exigunt. In eo apostolatu laici non possunt se hierarchiae substituere, cum careant potestate ordinis: sed quatenus participant sacerdotii universalis Iesu Christi, possunt ac debent collaborare in apostolatu hierarchico in omni genere activitatum quae talem potestatem non requirant.

E contra, alius est apostolatus proprius atque specificus laicorum, qui evolvitur in re stricte temporali et consistit in opere ferendo, sensu christiano, constitutioni totius ordinis in civitate temporali in qua ipsi vivunt et in qua responsabilitate personali ac propria sui ipsorum periculum faciunt. In eo apostolatu hierarchia non potest se laicis substituere, nam ut talis est hierarchia, non intrat directe eundem ordinem: sed quatenus actio hierarchica invocatur ad proclamanda fundamenta doctrinalia illius ordinis et ad iudicium ferendum circa cohaerentiam inter aspectus concretos ordinis temporalis et principia ex Evangelio desumpta, potest ac debet influere in actionem laicorum, tum per doctrinam tum per spiritum Evangelii. In quo sensu licet iam dicere apostolatum hierarchicum collaborare in apostolatu specifico laicorum.

Prae oculis ergo habitis omnibus quae dixi, haec mutanda esse censeo in schemate:

1. (*Cap. I*). In n. 1, pag. 6, linn. 14-16, dicatur: « Hic apostolatus laicorum tantum se extendit quantum ipsa missio Ecclesiae, praesertim ad res temporales, sed modo diverso ab illo quo suum apostolatum exercent qui potestatem ordinis vel iurisdictionis habent ».

2. In n. 2, pag. 6, linn. 33-35, dicatur: « Laici igitur, et ipsi soli, quatenus in diversis ambitibus vitae saecularis per se versantur, immo et propriam responsabilitatem accipiunt, sua praesentia et apostolica operositate creare possunt et debent illas condiciones quae vitam humanam et christianam possibilem et facilem reddant ».

3. In n. 7, pag. 9, lin. 29, loco dicendi « Missionis suae apostolicae... », ponatur: « Peculiaris eorum apostolatus... ».

4. (*Cap. III*). In n. 11, pag. 11, lin. 12, sic incipiatur paragraphus: « Apostolatus enim fidelium totum rerum temporalium ordinem attingit... etc. ».

5. In n. 11, pag. 11, linn. 16 ss., loco incipiendi a verbis: « Urget ergo ut laici, praeter sua officia et munera quibus funguntur, operam etiam con-

ferant ad exsequendum... », sic incipiatur: « Urget ergo ut laici, sua officia et munera fungentes, operam conferant ad exsequendum... ».

6. Tandem, in eodem n. 11, pag. 11, linn. 32-35, ita textus redigatur: « Revera christianae ordinis temporalis restaurationi ac perfectioni totius Ecclesiae est operam dare. Sed dum actio hierarchica qua talis directe attingit tantum fundamentum ordinis temporalis, minime vero versatur in ipsius structuris, laici tamen, peculiares partes habent in apostolatu, et ideo propria responsabilitate agere debent in temporali ordine ad Christi gloriam restaurando ».

En habetis breves animadversiones quas huic cap. III schematis *de apostolatu laicorum* faciendas censui:

1. In par. 9, pag. 10, linn. 10 ss. cuius titulus est « Apostolatus obiecta et distinctio », statuitur divisio inter apostolatum quem laici exercere possunt vel in campo religioso vel in ordine temporali. Sed, mea quidem sententia, duae animadversiones huic textui faciendae sunt:

a) Distinctio haec non tantum *potest* fieri — sicut in textu dicitur (*l. c.*, lin. 10) — sed etiam *debet*. Quia apostolatus laicorum in re religiosa nihil aliud est nisi collaboratio vel continuatio apostolatus specifice hierarchici, dum in re temporali, laici exercent, sicut iam diximus in alio nostro interventu in aula, apostolatum proprium et sibi peculiarem. Agitur ergo de duobus campis apostolatus specifice distinctis.

b) Neque sufficit dicere, ut in finem eiusdem textus dicitur (pag. 10, lin. 14) laicum esse « simul fidelem et civem », quasi haec duplex eius condicio exacte respondeat duplici ambitui apostolatus, de quo supra.

Admittendum quidem est in rebus stricte religiosis laicos agere tamquam fideles Ecclesiae sed ubi agitur de re temporali, in qua laici exercent apostolatum sibi proprium ac peculiarem, necesse est quoque distinguere inter iura et officia quae ex illa duplici eorum condicione, fidelis nempe simul et civis, proveniunt. Ita in schemate *de Ecclesia,* in cap. IV de laicis (pag. 123, linn. 38-41).

Alia enim sunt iura et officia quibus laici praediti sunt ad apostolatum exercendum in diversis associationibus apostolicis, alia vero quae illis incumbunt quatenus suum apostolatum exercent, in variis ambitibus in quibus versantur, propria et personali responsabilitate.

Propono igitur ut textus totius par. 9, de qua loquor, hoc modo denuo redigatur: « Cum pressius obiecta apostolatus laicorum considerantur, distingui imprimis debent ea quae ad finem evangelizationis hominumque sanctificationem immediate pertinent, ab iis quae ad finem animationis christianae ordinis rerum temporalium immediate attinent.

Ex altera vero parte, oportet etiam distinguere inter iura et officia quae laicis incumbunt qua fideles sunt et qua cives. Utraque inter se harmonice consocientur oportet, et in utroque ordine, religioso nempe et temporali, laici una conscientia christiana continuo ducantur, cum in neutro eis liceat se a lege divina subtrahi.

Clariori luce ita ponuntur non solum diversorum apostolatus incoeptorum species, sive individuales sive consociatae, immo et differentes habitudines laicorum ad societatem ecclesiasticam et civilem quarum sunt membra ».

2. In n. 11, cuius titulus « De ordine temporali christiane instaurando » (pag. 12, linn. 5 ss.) exhortatio fit laicis ut, instaurando, vel melius restaurando, ordini temporali dent operam « lumine fidei et virtute vitae supernaturalis ». Iam vero, in linn. 5 et 6 ipsius paragraphi asseritur opera temporalia exsequenda esse « secundum leges ipsis inditas et ad finem eorum proprios consequendos ».

His verbis, quantumvis brevissime, enuntiatur doctrina quaedam theologica circa relationes inter christianum fidelem et mundum, in quam attentionem venerabilium Patrum conciliarium excitare vellem. Certum habeo hanc doctrinam suscitaturam esse in hac aula — ubi agendum erit de schemate *de Ecclesia in mundo huius temporis* — plurimos atque summi momenti interventus. Sed eo ipso censeo doctrinam esse perspicue iam nunc in hoc schemate enuntiandam.

Etenim, si tanti momenti est hortari laicos ut suam temporalem missionem exerceant sub lumine fidei et virtute vitae supernaturalis ducti, maioris sane momenti est — mea quidem sententia — eos admonere ut intellegant, quoties opera temporalia exsequuntur, si ea adimpleant « secundum leges ipsis inditas et ad fines eorum proprios consequendos », iam de facto respondere se voluntati Dei, qui universum ordinem temporalem his legibus submisit eique illos fines assignavit, licet id saepissime homo non reflexe animadvertat.

Immo, qui totis viribus exsequitur quamcumque activitatem humanam vel temporalem perfectissimo quo potest modo, elicit, quamvis obiective ac implicite, verum actum fidei, siquidem de facto agnoscit Dei praesentiam, saltem per providentiam ordinatricem, in opere concreto, et maxime quia in exsequendo bene suo opere totum se ut creaturam tradit Deo creatori, in quo totus consistit actus fidei.

Eodem ergo modo quo ille qui non diligit proximum quem videt non potest dicere amare se Deum quem non videt, ita qui non exercet suum opus perfecte non potest dicere agere se sub lumine fidei et virtute vitae supernaturalis ductum: iam vero, cum opera temporalia de more proximos afficiant, quibus in illis servitur, ita qui illa perfecte exsequuntur, licet id non animadvertant, serviunt ipsi Iesu Christo in proximo, et audient suo tempore ex ore Domini illa verba: « Quaecumque uni ex his minimis fecistis, mihi fecistis ».

Propono igitur ut paragraphus de qua loquor, n. 11, pag. 12, linn. 5-9, hoc modo redigatur: « Opera temporalia exercentes, lumine fidei et virtute vitae supernaturalis ducantur: immo et maxime faciant ut ea secundum leges ipsis inditas et ad fines eorum proprios consequendos perficiant, memores se ita non solum activitates efficaciores reddere iuxta ipsarum naturam, sed et suae et aliorum sanctificationi melius consulere ».

26

EXC.MUS P. D. PAULUS GOUYON
Archiepiscopus Rhedonensis

Sane gaudendum est, quod laici in dies sibi conscii sunt missionis propriae in Ecclesia, necnon obligationis apostolatum exercendi.

Attamen, necesse est ut fortiter in lucem ponat schema nostrum, quod apostolatus laicorum plane impossibilis evadit sine auxilio et animatione spirituali ex parte sacerdotis, et quod talis apostolatus, etsi magnopere fructuosus, minime in discrimen vocare debet praestantiam et foecunditatem propriam apostolatus sacerdotalis, necnon eius munus excelsum in Ecclesia Christi.

Ex defectu huius praecisionis in textu schematis timendum esset ne:

1. in familiis, in quibus genitores operam impendunt apostolatui laico, non amplius exsurgant vocationes quas Ecclesia rite ab eis expectare potest, quidquid sit de desiderio genitorum. Dum pueri modum agendi patris vel matris considerant, ad hoc deveniunt, ut cogitent apostolatum sacerdotalem minime amplius conferre ad evangelizationem mundi. Sic accidit ut multi iuvenes, ad sacerdotium idonei, ne quidem ad talem vocationem attendant;

2. sacerdotes, praesertim iuniores, non amplius cum angore sese interrogent circa efficacitatem apostolicam vitae cui nomen dederunt. De hoc nuper testimonium accepi, non sine cordis inquietudinde.

[*Subscripsit etiam*] Marcel Riopel, év. aux. Rennes.

27

EXC.MUS P. D. CAROLUS GRECO
Episcopus Alexandrinus

1. Laici sunt quidem membra Ecclesiae, et in schemate dicitur (pag. 5, lin. 27): « Corpus enim mysticum non sinit ullum membrum esse mere passivum; vocatio christiana natura sua vocatio quoque est ad apostolatum ». Sed si quaeramus quaenam sit natura huius apostolatus, comperire poterimus de ipsa tam pauca et tam diffusa in textu dici, ut praetermitti videatur id quod prae ceteris est dicendum, quia esse debet veluti lux illuminans omnes considerationes quae fiant de apostolatu laicorum. Ideo, iam ab initio clare et concrete agendum est de natura et fine apostolatus laicorum: apostolatus quidem *laicalis* — non suppletivus penuriae cleri — qui exercetur praesertim in ambitu vitae cuiusque fidelis, per exercitium propriae professionis, per adiuncta socialia, familiaria, culturalia, etc. in quibus singuli versentur.

2. Exercitium huius apostolatus specifici — qui correspondet ad *mis-*

sionem specificam laici, prout ipse est pars Ecclesiae — est praeterea exigentia et necessitas pro ipsamet vita spirituali laicorum. Adimpletio enim huius missionis est quod efficit ut laicus se vere sentiat membrum vivum et operativum in aedificatione Corporis Christi mystici. Haec missio apostolica gignit in vita laici peculiares exigentias asceticas, postulat nempe rectam intentionem, spiritum supernaturalem, sacrificium et caritatem operativam. Haec vero, nempe unio virtutum humanarum et supernaturalium et unio actionis cum oratione in vita laici, non bene exponuntur in schemate, qui continet solummodo considerationes spirituales nimis genericas.

3. Plene sanciri debet ius laicorum associationes ad fines apostolicos libere constituendi et organizandi, atque condendi normas seu statuta quibus regatur activitas huiusmodi associationum. Non sufficit ut dicatur « *praesertim* in adhaesione eis danda » (pag. 13, lin. 25), quia sic libertas de facto coarctatur ad solam adhaesionem. Aliud est aliquam associationem *condere et organizare* aliud *adhaerere* alicui associationi.

4. Doleo quod nihil dicitur in schemate de Confraternitate Doctrinae Christianae, per tot nationes diffusa et in ipso C.I.C. commendata, quae mirabiles fructus apostolicos obtulit in multis nationibus. Dum enim Actioni Catholicae — quae quidem non ubique terrarum viget — integer numerus schematis (16) dicatur.

28

EXC.MUS P. D. PAULUS GÚRPIDE BEOPE
Episcopus Flaviobrigensis

Schema videtur valde elaboratum esse. Ita sic deducitur ex relatione sequenti, quam attente legere valde utile est. Opinor proinde pauca addenda vel corrigenda esse.

Prooemium. Nihil alicuius momenti.

N. 1: Initio, cur non dicere *Ecclesiae finis?*

Mihi videtur fundamentum obligationis laicorum apostolatus obscure expressum esse, ex praecepto caritatis, ex unione cum Christo ex participatione regalis sacerdotii, ex qua illarum an ex omnibus?

Ultima verba: « iis solum... » sunt necne adversus n. 18 schematis et notam 15?

N. 2: Prima verba usque ad « quae cooperatio » mihi videntur omittenda esse; eadem idea primum dicta est; similiter et ultima: « Uno verbo... » eadem ratione.

Melius quam « manifestatur » esset « exercetur » (in par. secunda). In par. tertia clarius videtur: cohaerentis *cum* fide... et forse etiam omittenda esset tota par. sicut aliqui PP. dicunt. Si ponatur, videtur omittendum esse verbum « humanam », sufficit « christianam ».

N. 3: Quamvis in duabus ultimis par. aliquid dicatur, videtur melius explicanda esse obligatio sese instruendi eorum qui ceteros instruere de-

bent: patres, tutores, sacerdotes, magistros, catechistae etc.; quomodo dare possunt id quod non habent?

Par.: « Uno verbo... » mihi videtur omittenda esse, quia substantialiter dicta manet. (Haec par.: Uno verbo... pertinet ad n. anteriorem).

Par.: « Sacerdotes autem... » forse omittenda esset eadem ratione.

N. 4: Nihil notandum. Pro « convenit » melius « oportet ».

N. 5: Secundum textum et etiam relationem, hic consideratur familia non tantum ut ambitus apostolatus sed etiam ut *subiectum*; proinde mihi videtur non bene expressum esse fundamentum familiae *ut talis* cum membris quae ei non pertinent. In prima par. videtur fundamentum esse « propagatio regni Christi », in secunda autem « Vi ipsius matrimonii »... quid obscurum.

N. 6: « ... se alant vita liturgica in *paroecia* »; quid dicent religiosi?

In secunda par. dicitur: « spiritu missionali informetur »; non bene apparet ad quid verba ista hic. Aliunde extraneum est inter campos apostolatus laicorum non includere alios duos qui hodie magni momenti sunt: nempe missiones et media communicationis, cinematographus, periodismum, radium... Forse ratio adest in relatione ad finem n. 4, pag. 36, par. 9. Forse in aliis schematibus vel partibus Concilii de hoc agitur.

In par. 4 videtur ad abundantiam dictum esse « tum clerus » quia schema agit de solis laicis.

In hac eadem par. 4 quid significat populum Dei? Estne tota humanitas, an tantum Ecclesia? Cf. pag. 36, par. 9.

Verba: « usque mundi curam habeant » non intelligo; estne « usque mundi fines »?

Mihi personaliter bene dictum videtur (salvo meliori iudicio) id quod quidam P. dicit in pag. 37: « ad quem finem... »; aliunde intelligo schema agere de obligatione *laicorum*. Valde pulchrum est n. 6.

N. 7: Hic forse omittenda essent: « et laici virae testim... missionis suae ». Similiter: « laici spirituali... investigationem » quia iam sufficienter dicta manent in n. 2.

N. 8: Adderent post primam par.: Ad hunc apostolatum exercendum specialis formatio necessaria est, secundum relationem pag. 27.

N. 9: Valde obscura mihi videtur redactio huius numeri. Illa « conscientia christiana » refertur ad conductam *privatam* fidelis an ad conductam *ut apostolus*. Ex relatione pag. 39 n. 9 primum videtur; tunc non est hic locus eius quia schema agit de apostolatu laicorum.

Quid sunt illa munera et habitudines?

N. 10: Datur repetitio earumdem idearum, sicut in par. secunda, tamen hoc numero bene apparet.

Pauca statuuntur sed prae oculis habendum est hic agi tantum de principiis generalibus.

N. 11: Hoc opus, hic labor est! In hoc numero includuntur quaestiones gravissimae, sed agitur, ut antea, de principiis generalibus. Ex relatione

pag. 4 ss. apparet valde elaboratum esse. Quo maior generalisatio tot minor praecisio. Proinde sperare debemus normas praecisiores postea daturas esse. V. g., quid concrete comprehendit *ordo temporalis?* Et « directe » in par. 6, ad quid extenditur? Liber bonus de hac quaestione est: « La Iglesia y lo social », Setién. Mihi videtur valde et attente studiandum esse illud quod in hoc numero dictum est. Consecratio mundi, valde complexum! (In n. 14 vocatur « animatio christiana ordinis rerum temporalium », aliunde aliter).

Advertitur in numero, eius duas par. referri ad *fideles,* ceteras ad laicos.

N. 12: Ex ratione allata a quodam P. in n. 12 relationis, valde conveniens esset addere in par. 4 huius numeri: ... apostolicam accipiant, laici, haec opera ad regnum Dei promovendum ordinantes, dignitatem personae...

Non apparet necessitas ultimae par.: « ... omnes homines... ».

N. 13: Possunt supprimi par.: « ut multo uberiores... in praesentibus »; et etiam illius in fine: « etenim arcta... » quia iam dicta in tribus primis lineis.

Post verba: « forma apostolatus roboretur... », adderem: ubi id facere liceat, vel quid simile; quia dantur ambitus in quibus possibile non est, verbi gratia familia; vel loca in quibus consacratio est nunc impossibilis. Aliunde iam dictum manet in initio huius numeri: « quibusdam in adiunctis unice aptus ».

Iterum in lin. 3 loquitur de *christifidelibus.*

N. 14: Ex relatione pag. 45, 46, apparet diversitas opinionum de interventione hierarchiae. Nobis, senioribus, deceptis propter multa quae vidimus; fastidium gignit tanta libertas; considero par. secundam huius numeri.

Quoad cetera valde imprecisum est: « Salva debita... », quod nihil est.

Quoad par.: « Universale munus... » quomodo interveniet Ecclesia?

Nn. 15, 16, 17: Nihil notandum.

N. 18: Ad bene intelligendum hoc numerum necesse est bene considerare idem num. pag. 15, 16; notas 15, 16 pag. 20; explicationem quae datur in pag. 28, V, De ordine servando... et correctiones datas in pag. 50, 51, 52, 53.

In prima par. « Ut ordo servetur », valde diffusum apparet ita ut videatur multa dicere cum nihil dicat, non obstante n. 18, par. tertiae et quartae pag. 50. Conveniens est explicare amplius.

In par. secunda: « ... et decernere de eis... requiruntur » non bene intelligo, non video ad quid dicatur.

In par. tertia: « ratione obiecti vel variarum... » videtur explicandum esse ex n. 9, 10, 11, 12, 14, 15, 16.

In ceteris par. istius numeri videntur considerari quatuor modi relationis hierarchiae cum apostolatu laicorum: *A*) Ecclesia laudat et commendat; *B*) Ecclesia recognoscit in iure; *C*) Ecclesia mandatum dat; *D*) Ecclesia missionem communicat. Similiter in pag. 28, V.

Cum datur mandatum, Ecclesia assumit specialem responsabilitatem et apostolatum laicorum diversimode ordinat iuxta adiuncta. Cum datur mis-

sio laici plene subduntur superioris ecclesiasticae moderationi. Hae ideae mandati et missionis excessive impraecisae videntur.

Dicerem valde rationabile esse id quod aliqui PP. in pag. 51 dicunt de consensu implicito.

Observationes aliquorum PP. in « De mandato » pag. 51, 52 sunt evidenter valde fundatae. Cur non manifestatur ratio qua non consideratae fuerunt?

N. 19: Completatur et bene explicatur correctionibus pag. 53, 54, 55. In par. secunda huius numeri missio significat quid diversum ac in n. 18. Dicendum est an per se patet? In hac eadem par. verba: « habeant ut fideles sint spiritui et doctrinae Ecclesiae » carent aliquo verbo, verbi gratia addicti, subiecti, dediti aut alio simili.

N. 20: Nihil notandum.

N. 21: Valde diffusum.

29

Exc.mus P. D. PHILIPPUS MATTHAEUS HANNAN

Episcopus tit. Hieropolitanus, aux. Vashingtonensis

Ad par. 21, « De cooperatione cum aliis christianis et non-christianis », propono ut addantur verba quibus urgeantur episcopi sedulo curare ut catholici alacri animo nomen et operam dent societatibus quae caritatem et socialem assistentiam foveant, praesertim iis quas Ecclesia non regit.

Hoc autem praesertim necessarium videtur in regionibus in quibus est ingens numerus acatholicorum, cum huiusmodi sodalitia et societates saepe haud parvae hominum multitudinis inopiam sustentent, etiam si plura adsint similia catholica instituta. *Rationes* vero hae sunt:

1. Secus, facile quis arguet catholicos nihil curare de iis qui ab huiusmodi societatibus sublevantur. Quinimmo aliquo fundamento videretur inniti frequens suspicio quae arguit catholicos tantum habere curam de iis qui fuerint de gremio fidei « et nullam operam dare nisi propriis sodaliciis ».

2. Haec participatio in operibus caritativis et socialis assistentiae apte ostendit nostram reverentiam et obsequium erga virtutem aliorum qui sunt non-catholici. Hoc vero maximi adiumenti est ut promoveantur opera caritatis. Ceterum meminisse iuvabit maiorem partem horum sodaliciorum in multis nationibus adscribendam esse virtuti Protestantium et Iudaeorum. Oportet nos hac de re testari clare et animo generoso.

3. Huiusmodi cooperatio, praeterea, saepe maximae utilitatis est ut communitatem sociatis viribus et promptiori animo iungat: « caritas vinculum perfectionis ».

4. Saepe etiam haec cooperatio utilis est iisdem catholicis societatibus, quia novae comperiuntur viae et rationes ut societates huiusmodi constanter incrementa capiant.

30

EXC.MUS P. D. CAROLUS HERMANNUS HELMSING
Episcopus Kansanopolitanus-S. Ioseph

« De Actione Catholica », page 14, par. 16.

This number should be entirely eliminated from the schema.

"Catholic Action" represents a phase in the history of the apostolate of the laity that has been "weighed and found wanting".

This number expresses a *favoritism* that is altogether unworty of the Church; for experience reveals that many other lay associations by hidden, humble service have contributed much to the welfare of souls and the Church.

To single out *Catholic Action* is to insult multitudes of devoted laity and many fruitful associations.

The norm of appraisal should be simply "ministerium" (diakonia) or service.

31

EXC.MUS P. D. IOANNES HERVÁS Y BENET
Episcopus tit. Doritanus, prael. null. Cluniensis

Ad pag. 5, lin. 5. Addantur quaedam verba, meo quidem iudicio necessaria, et ita in paragrapho inserantur: « ... convertit ad eosdem christifideles laicos, *ut vestigiis Summorum Pontificum inhaerens,* speciali modo... ».

Ratio. Quia omnia fere principia et normae pastorales, quae Concilium in schema proposito decernit, nihil aliud sunt quam compendium praeclarae et abundantis doctrinae de apostolatu laicali a Summis Pontificibus nostris temporibus traditae, ex Sancto Pio X ad Paulum VI.

Non videtur sufficere in notis ad calcem nomina et documenta Summorum Pontificum referre, nam fideles ad textum, non ad citationes, oculos convertent; praeterea aequum videtur quod Concilium agnoscat indefessum magisterii pontificii laborem, quo parata est via ad apostolatum laicorum, et profiteatur huius magisterii vestigiis inhaerere.

Indecorum esset, cum tractetur res tam abunde et luculenter explanata a Romanis Pontificibus, eorum magisterium, quod re vera Concilium sequitur, tacere.

Ad Prooemium et n. 1, pag. 5-6. Melius et clarius ordinetur argumentum et redactio textus, iuxta ea quae infra exponuntur.

Licet argumentum huius decreti multis modis exprimi et ordinari possit, ut patet, atque expediat redactionem accipere qualiter a commissione proponitur, opportunum tamen iudicavi, perspicuitatis causa, novum rerum seu idearum ordinem proponere de his quae in prooemio et n. 1 continentur, si forte alicuius utilitatis commissioni sit. Ordo logicus idearum proponitur:

A) Prooemium. Cum sit introductio totius doctrinae exponendae, haec tantum dicere oporteret: *rationem* qua Concilium agit de apostolatu laicorum; *finem* qui intenditur in hoc decreto; *notionem* apostolatus quae invenitur pag. 6, linn. 3-6, et revera est fundamentalis pro toto decreto exponendo.

Prooemium ergo sic se haberet: « Sacrosanctum Concilium Vaticanum II, cum praecipuum sibi finem proposuerit altiorem omnium membrorum Ecclesiae vitam spiritualem et intensiorem actuositatem apostolicam assequendam, postquam egit de laicis in constitutione *de Ecclesia,* hic iterum animum convertit ad eosdem christifideles laicos, ut, vestigiis Summorum Pontificum inhaerens, speciali modo quaedam principia et directiones pastorales revocet ad eorum apostolatum urgendum et efficacius exercendum ».

« Vocabulo utimur " apostolatus ", qui etsi nomen trahat a munere docendi, regendi et sanctificandi apostolis concreditum eorumque successoribus, omnem etiam Corporis mystici actuositatem designat qua Evangelium Christi annuntiatur et vita hominum eius Spiritu imbuitur ».

B) Secundo loco logice haec quae sequuntur, exponenda sunt:

1. *Ius laicorum* ad apostolatum exercendum, quod e sacramento Baptismatis oritur, Confirmatione roboratur, nutritur SS. Eucharistia et vivificatur spiritu fidei et caritatis.

2. Ius ad apostolatum *simul honore* christianum afficit, cum sit participatio operis a Christo peracti et missionis ab Ecclesia receptae, quae ab omnibus eius membris exercenda quodammodo est.

3. Apostolatus ergo *etiam officium* omnium Ecclesiae membrorum est, quia « vocatio christiana, vocatio est ad apostolatum » et « innata necessitas vitae christianae ». Addatur, si placet, Corpus mysticum non admittere ullum membrum otiosum seu mere passivum, quia « omnia membra Ecclesiae apostolatum exercere debent ».

4. Apostolatus specialis *necessitas* hodierno tempore (cf. schema, pag. 5, linn. 9-12).

Paragraphus quae refertur ad extensionem seu ambitum apostolatus (pag. 6, linn. 14-16) aptius, uti opinor, insereretur pag. 8, n. 4, cuius textus sic se habere posset: « Apostolatus laicorum tantum se extendit, etiam in rebus temporalibus, quantum ipsa missio Ecclesiae, his solum exceptis quae potestatem ordinis vel iurisdictionis exigunt. Inter adiuncta vero concreta, in quibus apostolatus laicalis exercetur, quasdam convenit considerare communitates vel ambitus vitae, qui campi apostolatus haberi possunt eiusque modos definire valent »...

Ad pag. 7, linn. 13-21. Ad complendum et perficiendum textum propositum, collaborandi desiderio motus, hanc novam paragraphi redactionem propono, in qua, ea quae addenda esse credo, linea subtus protracta notantur: « Haec autem formatio, ex variis elementis spiritualibus doctrinalibusque constans, *debet imprimis curare institutionem theoreticam et practicam*

in vita interiore seu supernaturali, a qua fecunditas omnis actionis apostolicae pendet, quia haec cum Christo coniunctio est anima totius apostolatus. Formatio complecti debet etiam cognitionem, conditionis cuiusque congruam, scientiarum socialium et artium; *ita tamen ordinabitur, ut* dum in methodis probatis tam traditionalibus quam modernis fundatur, et non sola instructione recepta sed praxi quoque apostolatus perficitur, *potiores tamen partes tribuat mediis supernaturalibus sanctificationis, quae Ecclesia praebet et commendat; unde omnis laicus, ex ipsis donis sibi collatis, testis simul et vivum instrumentum totius missionis Ecclesiae existit,* secundum mensuram donationis Christi » (cf. *Eph.* 4, 7; schema *de Ecclesia,* cap. IV, n. 33).

« Peculiari modo haec formatio eo contendat... etc. ».

Rationes. Textus dicit formationem apostolorum « ex variis elementis *spiritualibus* doctrinalibusque constare, et statim in explicandis elementis doctrinalibus incumbit; sed de formatione ad vitam spiritualem seu supernaturalem apostolorum, cum omnium praecipua sit, nihil praeter velatam et dubiae interpretationis insinuationem (elementa scil. " spiritualia ") invenimus. Certe antea (pag. 6, linn. 20-22) principium efficacitatis apostolicae quasi obiter proponitur: " actio scil. laicorum " eo fructuosior erit, quo intimior eorum unio cum Christo ». Optime quidem illa dicuntur, sed nullo modo sufficiunt ut laici, ex hac doctrina conciliari, mentem et criterium suum efforment.

Necessitas autem fusius declarandi et commendandi modo speciali formationem spiritualem apostolorum patet:

1. *Ex natura ipsa apostolatus.* Optime enim statuitur in prooemio apostolatum Ecclesiae nihil aliud esse nisi *operis Christi* continuationem, ad Dei gloriam, animarum salutem et omnium in Christo instaurationem (cf. pag. 5, linn. 23-25). Aliis verbis apostolus *cum Christo collaborat* in unico redemptionis et sanctificationis opere, quod Christus exercet in saecula.

Nemo tamen uti aptus Christi operarius habebitur, nisi cum Iesu vera et intima vitae spiritualis necessitudine coniungatur. Unio cum Christo labori apostolico vim et foecunditatem tribuit.

Apostolatus ergo non in sermone vel actione humana, qualicumque arte vel industria praestiterit, non in methodis feliciter excogitatis consistit, sed ante omnia est opus divinum seu supernaturale a Christo peractum, cui homo suam praebet collaborationem: « Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus » (*1 Cor.* 3, 7).

Ipse Iesus dixit: « Qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere » (*Io.* 15, 5): aperte significans illam cum Christo coniunctionem, quae vita interior vocatur, fundamentum unicum esse foecunditatis apostolicae; unde sanctitas seu vita spiritualis recte dicitur anima totius apostolatus.

2. *Testimonio experientiae confirmatur.* Optime hodierni apostoli invitantur ad ea omnia addiscenda quae scientiae, artes et technicae disciplinae docent, quatenus finem hominis eiusque vitam religiosam et moralem spe-

ctant (cf. PIUS XII, ad Congres. Internat. Apostolatus Laicalis, 14 sept. 1956); certe etiam hodiernus apostolatus disciplinis non tantum theologicis vacare oportet, sed etiam socialibus, paedagogicis et psychologicis, aliisque similibus, quae humano progressui respondeant et apostolum apte disponant ut nostri temporis quaestionibus utiliter interveniat (cf. *ibid.*).

Attamen certum etiam est multa hodie conamina, multa nobiliter incoepta irrita et inutilia fieri, quia apostoli, fascinatione humanae sapientiae atque industriae decepti, vitam spiritualem neglexerunt, quae est fons et principium veri apostolatus. Sic opus divinum in sterilem burocratiam, in naturalismum vacuum mutatur.

Cum ergo schema satis animadvertat necessitatem colendi disciplinas et artes humanas pro apostolis laicis instituendis, operae praetium erit et ipsis vitam spiritualem commendare, ne in errores et sterilitatem naturalismi incidant. « Nisi Dominus aedificaverit domum, in vanum laboraverunt qui aedificant eam... » (*Ps.* 126, 1).

3. *Doctrina scriptorum ecclesiasticorum et sanctorum documenta.* Omnes uno ore proclamant theoretice et practice primatum vitae spiritualis et inanitatem actionis apostolicae quae viribus et mediis pure humanis nitatur, unde « haeresim actionis », quam dicunt, cum Leone XIII damnant (cf. Epist. *Testem benevolentiae,* Leonis XIII ad card. Gibbons: *A.A.S.,* prae manibus non habeo).

Unus pro omnibus audiatur S. Ioannes a Cruce, qui quotquot zelo actionis vorantur, putantes se mundum transformare sermonibus et actuoso labore posse, eos ad considerandum invitat quanto utiliores Ecclesiae et gratiores Domini forent, si plus temporis orationi et vitae interioris exercitiis dicarent. Si hoc facerent, longe maiora patrarent uno verbo quam nunc in millibus, quibus tot studia sollicitudinesque insumunt... Absque oratione omnia humana incepta magnam ruinam parant. Apostolus fit aes sonans, nihil operatur, et forsan male operatur, quia sine adiutorio divino, nihil possumus... (cf. *Cantico Esp.,* XXIX).

4. *Magisterium pontificium.* Summi Pontifices nostris temporibus ita crebro et luculenter rem exposuerunt, ut eorum testimonium, tam obvium et evidens, citationibus non indigeat. A S. Pio X ad Paulum VI doctrina pontificia hoc innititur principio: non datur verus labor apostolicus absque caritate et vita interiori.

5. *Hodiernae methodi apostolatus laicalis* rem confirmant. In testimonium afferre liceat optimam apostolatus laicalis experientiam seu methodum, quae vulgo « Cursillos de Cristiandad » nuncupatur, et totum fere orbem pervasit. Haec methodus, quae mediis supernaturalibus innititur, scil. oratione assidua, sacramentorum frequentia, mortificatione et aliis vitae interioris exercitiis; et simul hodiernis psychologiae et paedagogiae inventis utitur, nostrum assertum optime comprobat, cum eadem methodus tamquam principium fundamentale hanc normam habeat: dum probatis scientiae et artis humanae inventionibus utitur, vitam supernaturalem ferventem et fir-

mam causam et fundamentum totius actionis apostolicae habere oportet. Et sollicitudo illa qua omnes homines ad Christum duci satagit, ut illum agnoscant et sese ipsi tradant, origo est mirabilis et generalis acceptionis qua illa methodus ubique grassatur.

6. *Doctrina huius Concilii in schemate de Ecclesia.* In supradicto schemate, cap. IV, n. 33 « De laicorum vita salutifera et apostolica », explicite asseritur vitam interiorem esse « animam » apostolatus. Valde ergo convenit ut nunc quando de formatione apostolorum laicorum sermo est, doctrinam illam ad praxim deducamus. E contra, in formatione apostolorum, Concilium videbitur vitae spiritualis quodammodo oblitus et nimis curare de scientiis et artibus humanis, de quibus instanter disserit.

Non satis est antea (pag. 6, linn. 20-22), quasi per transennam dixisse de apostolatu laicorum: « eo fructuosior erit quo intimior eorum unio cum Christo ». Magni enim momenti est immo necessarium ut Concilium non subobscure vel per transennam, *sed apertis verbis principium fundamentale vitae spiritualis et apostolicae tradat,* quando doctrinam exponit iuxta quam *mens et animus apostolorum laicorum efformari debeat,* unde quae in hoc Decreto dicuntur optime conveniant cum dictis et probatis in cap. IV schematis *de Ecclesia.*

Conclusio. Ipsa apostolatus natura, experientia et vacuitas « naturalismi » in apostolatu, doctrina scriptorum ecclesiasticorum et sanctorum documenta, magisterium pontificium, methodi apostolatus laicalis nunc florentes et doctrina in schemate *de Ecclesia* exposita et probata, ea omnia, meo quidem iudicio, satis testantur necessitatem aperte declarandi potiorem partem quae in efformandis laicis ad apostolatum, vitae spirituali tribuenda est.

32

Exc.mus P. D. CAROLUS M. HIMMER
Episcopus Tornacensis

Circa nn. 14 et 17. Nemo negare potest quod schema nostrum iustam viam mediam sequi conatur. Propterea ipsius adaptatio exegit laborem maximum ex parte commissionis atque laudes nostras vere meretur; non ideo tamen hoc schema vitare potuit, ut iam notatum est defectus et pericula quae inhaerent huic methodo viae mediae seu voluntatis conciliandi omnes opiniones etiam contrarias. Sic pluries deest perfecta cohaesio inter varia asserta et accidit quod quaedam positiones nimis timide et cum quadam ambiguitate praesentantur.

Hoc ostendere vellem pauca animadvertendo circa nn. 14 et 17, non quidem ut destruam sed forte ut pro mea humili parte ad textum meliorem paulisper conferam.

Uti apparet ex appendice (pag. 44 s.) in hac quaestione de formis associativis definiendis, enumerandis, promovendis aut reiiciendis et etiam coor-

dinandis adest sat magna varietas, immo dissensus opinionum. Hi volunt libertatem laicorum salvam facere, illi autem episcopi auctoritatem defendere; alii volunt promovere et conservare omnes associationes apostolicas et pias etiam inutiles et veterescentes, alii e contra propter amorem unitatis et vim actionis unam tantum vel paucas seligere declarant.

Quid nunc schema nostrum agere intendit ut hanc difficultatem solvat?

1. In prima paragrapho enumerat multiplices formas apostolatus. Hoc facit tamen modo quod non in omnibus placet.

a) Haec enumeratio fit acervatim sine sufficienti ordine et respectu ad sic dictam valorum hierarchiam. Hoc ita verum est quod inter has formas ponitur etiam opera cuius finis non est proprie apostolicus, uti v. g. opus quod favere vellet alicuius doctrinae spiritualis incrementum.

b) Neque schema ausum est inter has formas mentionem apertam facere Actionis Catholicae sic dictae « specialisatae », neque illarum associationum iuvenum hodie tamen tam maximi momenti.

c) Quod gravius est. Enumerantur omnia illa operum genera quin simul indicatur criterium secundum quod iudicandum esset de utilitate talis vel talis formae seu methodi. Hoc criterium nequit esse aprioristicum sed ad necessitates concretas et ad problema concreta respicere debet.

2. Veniamus ad secundam paragraphum. Agitur ibi de quaestione quam supra innuebam. Quando agitur de vitanda dispersione, aut de promotione vel de suppressione alicuius operis estne auctoritas episcopi vel libertas laicorum quae praevalere debet?

In responsione a nostro schemate data commendatur relatio cum auctoritate ecclesiastica, sed commendatur tantum. Consilium et quidem sapiens suggeritur vitandi virium dispersionem sed est merum consilium. A. v. non declaratur satis nervose neque satis clare auctoritas episcopi ad iudicium ferendum circa valorem diversarum operum *atque* circa promotionem alicuius actionis pastoralis. Estne ibi sicut in aliis locis schematis vestigium alicuius *liberalismi apostolici,* ex quo gravia consectaria oriri possent? Hic modus agendi nequit admitti:

1. quia non cohaeret cum doctrina recognita in documentis pontificiis et etiam in hoc schemate ubi v. g. in pag. 9, linn. 4 et 5 declaratur ius episcopi moderandi apostolatum totius dioeceseos quae est ecclesia particularis;

2. propter graves consequentias in re pastorali. Sane episcopus debet in magna aestimatione tenere cooperatores suos, sacerdotes et laicos, sese liberare ab omni clericalismo, intactam relinquere laicorum libertatem speciatim in Actione Catholica et in activitate temporali. Similiter oportet episcopum credere possibilitati charismatum apud laicos atque dialogum instaurare et quidem cum iisdem laicis regularem.

Itidem vetatur episcopo procedere cuidam selectioni aprioristicae inter formas associativas vel mutare characteres proprios uniuscuiusque coetus apostolici.

Sed *his positis* non deneganda est *in praxi* propter nescio quemdam abusus timorem responsabilitas primaria et proinde auctoritas episcopi in ordinando apostolatu.

Liceat mihi unum exemplum tantum afferre. Supponamus unam ex his magnis concentrationibus ubi degunt et laborant operarii, sicuti inveniuntur hodie in omnibus partibus mundi. Hae concentrationes ut scitis profundo et tenaci influxui marxismi et materialismi subduntur. Habetne episcopus hoc in casu, auditis sacerdotibus et laicis, investigationibus scientificis iam factis, officium et quidem valde constringens et proinde ius stabiliendi principia normativa alicuius pastoralis adaptatae et ut dicitur collectivae (pastorale d'ensemble)? Hoc ius episcopi debetne continere inter alia facultatem concedendi *prioritatem* cuidam formae prae aliis, v. g. *actionis missionariae* vel evangelizationis horum qui longe sunt vel Actionis Catholicae operariae, ut aiunt, etc.?

Sed quid accideret si episcopus nequiret statuere quamdam hierarchiam inter diversa opera, si colloquendo hac de re cum sacerdotibus, religiosis et laicis eisdem non posset nisi praesentare normas pastorales ut meliores, plurimi faciendas (sicut declaratur n. 17) et non obligatorias?

Concludo. Petitur instanter ut in schemate, speciatim in his numeris 14 et 17, modo explicitiori vindicetur libertas et auctoritas episcoporum relate ad selectionem formarum apostolatus magis adaptarum.

Eodem tempore exigi possent ad salvandam laicorum et coetuum laicorum iura: 1. interventus conferentiae episcopalis; 2. erectio consiliorum dioecesanorum ubi sacerdotes et laici repraesentarentur.

33

Exc.mus P. D. HADRIANUS HIPOLITO

Episcopus tit. Diospolitanus in Thracia, aux. S. Salvatoris in Brasilia

Ad n. 1. *a*) Pag. 6, lin. 3. Loco « Apostolatus, qui *nomen* trahit... » melius staret: « Apostolatus qui *sensum* (vel significationem) trahit... ». *Ratio*: « nomen trahere » ethymologiam apostolatus indicat.

b) Pag. 6, lin. 8. Loco « ... obligatio, *quae oritur ex praecepto caritatis* » dicatur: « ... obligatio caritatis ». *Ratio*: Servatur parallelismus « necessitas vitae - obligatio caritatis »; vitatur repetitio, nam mox scribitur: « Hoc ius et officium ad apostolatum oritur... ».

c) Pag. 6, linn. 6-8. Periodus sic melior fieret: « Quo sensu omnia membra Ecclesiae apostolatum exercere debent, utpote innata necessitas vitae christianae et obligatio caritatis ».

Ad n. 2. *a*) Pag. 6, lin. 17. Quod in fine huius numeri pag. 7, linn. 5-6 dicitur melius forsitan initio poneretur, vel sic vel aliter: « Cum apostolatus laicorum ad essentiam testimonii Ecclesiae pertineat, omnium et singulorum laicorum... ». *Ratio*: Fundamentum clarius apparet. Vitatur repetitio, cf. pag. 7, linn. 5-6 et pag. 7, linn. 7-8.

b) Pag. 6, linn. 17-19. Loco « Omnium et singulorum laicorum cuiusvis aetatis, sexus et condicionis honor est et officium... » dicatur: « Omnium et singulorum laicorum et officium et ius, necnon magnus honor, est, ut... ». *Ratio*: Illud « cuiusvis aetatis sexus et condicionis » nihil essentiale additur, praesertim cum statim dicatur: « adlaborent sua quisque mensura et modo ». Deinde: Adlaborare cum Christo non solum honor et officium, sed etiam ius, ut patet ex n. 1, pag. 6, linn. 9-11.

c) Pag. 6, linn. 20-22. Illud « intimior eorum unio cum Christo » supprimatur, nam quod sequitur (nempe: « promptius responsum gratiae Spiritus Sancti ») essentiale iam exprimit.

d) Pag. 6, linn. 23-27. Periodus non placet nam 1. adimpletio voluntatis Dei, quam Iesus toties in Evangelio exigit ut fundamentum vitae christianae ergo et apostolatus non exprimitur; 2. aedificatio Ecclesiae et salus mundi non obtinentur oratione tantum, ut dicitur in textu, sed etiam poenitentiis; ex altera parte laici non satisfaciunt nec intercedunt mortificationibus solis sed etiam orando; 3. item non tantum poenitentiis sed etiam oratione cum Christo conformamur. Proinde textus sic vel aliter melius construendus: « Manifestatur et alitur spiritus apostolicus imprimis fideli adimpletione voluntatis Patris qui est in caelis, oratione praesertim participatione Sacrae Liturgiae et spiritu sacrificii praecipue humili tolerantia laborum aerumnarumque vitae. Quod facientes christifideles sese Christo conformant, Ecclesiam aedificant et mundum sanctificant.

e) Pag. 6, linn. 28-32. Melior textus hic esset: « Cum autem spiritus apostolicus tamquam fermentum omnes humanas actiones pervadere debeat, laici christiani testes esse Iesu Christi oportet et vita cohaerenti fidei, spei, caritatis et honestate in omnibus rerum adiunctis et magnopere sollicitudine de pauperibus, quibus Dominus evangelizare venit ». *Ratio*: 1. « fermentum, testes, evangelizare pauperibus » sermo biblicus qui ad rem pertinet; 2. *honestas* videtur melior quam probitas moralis; 3. honestas lucere debet non tantum negotiis sed etiam omnibus vitae adiunctis.

Ad n. 3. *a*) Pag. 7, linn. 7-8. Loco « Cum vocatio ad apostolatum ad essentiam ipsam pertineat vocationis christianae... » dicatur: « Cum apostolatus ad essentiam vocationis... ». *Ratio*: Vocatio christiana continet essentialiter ut partes integrantes et sanctitatis et apostolatus obligationem. Una sine altera esse non potest.

b) Pag. 7, linn. 8-12 forsan melius formulare deberet vel sic vel aliter: « ... educatio christiana tamquam partem integrantem summi momenti formationem apostolicam includit, qua unusquisque suae responsabilitatis in Ecclesia conscius reddatur et... ».

c) Pag. 7, linn. 15-16. Loco « quae formatio, in methodis... fundata » dicatur: « quae formatio methodo... *utens* ». *Ratio*: methodus non est fundamentum sed via, instrumentum.

Salva meliore sententia.

34

Exc.mus P. D. NARCISSUS JUBANY ARNAU
Episcopus Gerundensis

Schema nostrum multis laudibus certe cumulari potest. Attamen, ad meliorem redactionem obtinendam, varias observationes facere liceat, circa doctrinam quae in nn. 16 et 18 exponitur de *mandato* et *missione canonica.*

Praenotanda: 1. De illorum verborum significatione non levis exstat controversia inter scientiae theologicae et iuridicae cultores, praecise quando de laicorum apostolatu agitur.

2. In schemate, verba *mandatum* et *missio canonica* sensum *iuridicum,* non theologicum, habere intendunt. Revera, prouti in notula 15 pag. 20 advertitur, verba illa semper significant « actum auctoritatis ecclesiasticae ».

3. *Mandatum* et *missio canonica* in documentis Pii XI et Pii XII — de apostolatu laicorum agentibus — saepe occurrunt et quidem non semper eamdem significationem habent.

4. Idem accidit in Codice Iuris Canonici. Sane *mandatum* aequivalet, vel delegationi potestatis publicae (cf. v. g. can. 113, 152, 1582), vel contractui procuratorio (cf. can. 179 § 2, 1659), vel praecepto imposito a competenti auctoritate (cf. can. 55, 260 § 2, 1645). *Missio* autem *canonica* significat, vel communicationem potestatis iurisdictionalis (cf. can. 109), vel concessionem facultatis exercendi ministerium praedicationis, quod, iuxta communem auctorum doctrinam, participationem in magisterio Ecclesiae importat (cf. can. 1328).

Iamvero, textus nostri schematis, *novum conceptum novamque significationem introducere intendit*, quoad verba « *mandatum* » et « *missio canonica* ». Estne id probandum? Mea humili opinione, negative respondendum est. En rationes.

A) *Circa doctrinam « mandati »*, prouti haec continetur in nn. 16 et 18, collatis cum notula 15 pag. 20, sequentes observationes opponi possunt.

1 observatio. In descriptione *mandati* asseritur hierarchiam, praecise per hoc mandatum, « suam missionem impertire laicis ». Iamvero quaeritur in quo consistat haec *missio hierarchiae,* prout contradistinguitur a missione laicorum. Agiturne de missione quae supponit veram potestatem ordinis aut iurisdictionis? Immo, ulterius quaerendum est, utrum haec potestas laicis per mandatum communicetur: hoc enim evidenter significat verbum « impertit ».

2 observatio. In textu asseritur mandatum conferri posse, sive « singulis personis sive coetibus » (pag. 16, lin. 11). Iamvero satis non constat an in utroque casu « mandatum » habeat significationem *univocam*. Revera, si mandatum uni personae confertur, e. g. ad docendam religionem, secum-

ferre potest *veram* communicationem auctoritatis, ita ut *verae missioni canonicae* aequivaleat. Quod quidem longe distat a mandato coetibus collato.[1]

3 observatio. Per mandatum asseritur laicos agere posse « nomine auctoritatis ecclesiasticae et coniunctim cum ea » (nota 15). Iamvero, si hoc verum esset, mandatum *vero* contractui *procuratorio* aequivaleret, quod hodie — quando agitur de apostolatu laicorum — a nemine admittitur. Praeterea,

---

[1] Si magisterium pontificium et documenta legislativa attente considerentur, clare apparet fundamentalem esse in hac re distinctionem inter *mandatum* laicis collatum, *in coetibus* seu associationibus adunatis, et *mandatum singularibus personis* datum.

1.Circa *mandatum coetibus collatum,* en observationes:

a) Pius XI, in litteris ad card. Bertram missis (13-XI-1928) scripsit: « christifidelibus igitur qui sic coiverint atque in unum coaluerint, ut ad nutum hierarchiae ecclesiasticae praesto sint, sacra ipsa hierarchia *quemadmodum mandatum* impertit, sic incitamenta et stimulos adiicit... ». Similia verba constant in litt. ad Primatum Poloniae (10-IV-1929), ad Comm. Ciriaci (30-III-1930), ad A.C.I. (19-IV-1931) et ad card. Schuster (28-VIII-1934).

b) Pius XII, in sermone habito in II Congressu mundiali apostolatus laicorum, clare loquutus est de mandato coetibus collato a hierarchia, ad munia aliqua peragenda per tempus determinatum vel indefinitum (*A.A.S.,* 1957, p. 929). Similia verba continentur in Const. Ap. *Bis saeculari* (*A.A.S.,* 1948, p. 397).

Ex his documentis concludi potest, mandatum, coetibus collatum, esse actum Hierarchiae ecclesiasticae, vi cuius laicorum activitas apostolica arctiorem coniunctionem cum ea obtinet, absque tamen ulla potestatis communicatione et absque ullo mandato procuratorio. Natura autem et vis iuridica talis mandati clare non constant.

2. Circa *mandatum singulis personis* datum, res diversimode se habet.

Revera, Pius XII, in citato sermone, exemplum citavit alicuius laici, qui religionem docet cum *missione canonica,* sc. cum *mandato ecclesiastico* docendi, atque affirmavit sacerdotes — *vi muneris* sacerdotalis agentes — et laici recipere posse mandatum docendi, quod quidem, in aliquibus saltem casibus, *idem* esse potest (*A.A.S.,* 1957, pp. 924-925).

Cum hac doctrina plene concordant ea quae in aliquibus Concordatis, a Sancta Sede initis, statuuntur: v. g. cum Bavaria, cum Baden et cum Austria. En, ad modum exempli, art. 10 Concordati Badensis: « antequam *missio canonica* professoribus in facultatibus theologicis impertiatur, oportet Ordinarius eis ab Apostolica Sede nihil obstat obtinuerit » (*A.A.S.,* 1933, pp. 186-187). Imo et Const. Ap. *Deus scientiarum Dominus* exigit pro professoribus in facultatibus ecclesiasticis « *missionem canonicam* docendi, post impetratum nihil obstat Sanctae Sedis » art. 21 (*A.A.S.,* 1931, p. 251). Quod autem hi professores esse possunt laici, clare edicitur in art. 24 et 25 eiusdem Constitutionis Apostolicae.

Quapropter ex his documentis concludere licet *mandatum* laicis collatum ad docendum in facultatibus ecclesiasticis, verae missioni canonicae aequivalere atque secumferre aliquam participationem in magisterio ecclesiastico. Quaenam autem sit natura iuridica talis participationis, auctores adhuc inquirunt et disputant.

aliud est coetum aliquem agere *coniunctim* cum hierarchia, aliud est nomine illius activitatem aliquam peragere.

4 observatio. In textu clare non apparet cur mandatum non existat, quando de Actione Catholica agitur. Sane haec, prouti in textu describitur, « commendatur atque promovetur » a hierarchia et agit « ad instar organici corporis », « sub moderamine ipsius hierarchiae »: inde oritur « arctior cum hierarchia coniunctio » necnon « actio et directa cooperatio cum apostolatu hierarchico » (n. 16). Iamvero, quaeritur: quid Actioni Catholicae, sic intellectae, mandatum superaddere potest? Quid namque significat « assumere specialem responsabilitatem » (pag. 16, lin. 10), quando iam existit, teste ipso schemate, « arctior coniunctio » et « directa cooperatio »? Difficile ergo est intelligere verba schematis, affirmantia Actionem Catholicam insuper *sanciri* posse per *explicitum* mandatum (pag. 15, linn. 6-7).[2]

B) *Circa doctrinam missionis canonicae*, in pag. 16, linn. 17-22 collata cum nota 15, descriptam, sequentes observationes opponi queunt.

1 observatio. Iuxta notionem *missionis canonicae,* laicis per hanc committuntur quaedam munia — quae *actus clericales* peculiariter appellantur — quaeque propius cum officiis hierarchiae cohaerent. Iamvero hi *actus clericales* nullibi definiuntur: asseritur tantum agi « de activitate ad laicum non pertinente » seu de « actibus circa quos laici nullam habent competentiam propriam » (nota 15): immo et ad modum exempli, citantur munia in actibus liturgicis, in verbi Dei praedicatione, in cura animarum (pag. 16, linn. 18-19). Attamen clare dici deberet *intra quos limites* illi actus continentur: quod quidem certe cognosci non potest, nisi clara et specifica *ontologica* laici definitio — non simplex descriptio *typologica* — tradatur; quod certo, neque in nostro schemate fit, neque in schemate *de Ecclesia* factum est (cf. cap. IV, n. 31). Revera, si laici definitio ignoratur, quomodo cognoscentur actus et officia quae eis competunt? Immo, si distinctio a c. 108 desumitur, notari debet quod tunc criterium specificationis erit iuris *mere* ecclesiastici: quapropter competentia vel incompetentia laicorum ad quaedam munia — in liturgia, in praedicatione vel in cura animarum — maxime incerta et dubia erunt.

2 observatio. Expresse dicitur in schemate missionem canonicam non secumferre « delegationem potestatis sive ordinis sive iurisdictionis » (nota 15). Iamvero, de hoc praecise dubitatur, saltem quoad aliquos casus: e. g. quando

---

[2] Mandati acceptatio ex parte laicorum — excepto casu, quo quis ad docendam religionem mittatur, de quo in praecedenti nota 1 — iuxta doctrinam Pii XII, hoc tantum secumferre videtur: eos arctiori coniunctione associare cum hierarchia ad opus evangelizationis. Revera haec sunt verba ab illo prolata in sermone habito apud Congressum mundialem apostolatus laicorum: « l'acceptation par le laïc d'une mission particulière, d'un mandat de la Hiérarchie, si elle *l'associe de plus près* à la conquète spirituelle du monde... ne suffit pas à en faire un membre de la Hiérarchie » (*A.A.S.*, 1957, p. 925).

agitur de laicis, qui professores in facultatibus theologicis constituuntur. Revera, hi veram missionem canonicam accipiunt et, saltem iuxta fundatam opinionem, in magisterio ecclesiastico participant, vero quodam modo.

3 observatio. Asseritur in schemate missionem canonicam hoc tantum secumferre: « *usum* laicorum ad aliqua munia clericalia, sive ob defectum copiae clericorum, sive ob maiorem peritiam laicorum in aliquo definito campo actionis ». Iamvero, non apparet quomodo hic *merus usus* laicorum aequivalere possit proprie dicto « actui auctoritatis ecclesiasticae ». Revera, in textu schematis, tantum vindicatur pro missione canonica *mera possibilis dispositio laicorum, utilitatis causa*: iamvero, e contrario, actus *vere auctoritativus,* illius qui potestate pollet, vel obligationem aliquam imponit, vel potestatem aliquam communicat: quod utrumque in doctrina schematis negatur.

4 observatio. Terminologia, in nostro schemate adhibita, non satis cohaeret cum ea quae in schemate *de Ecclesia* constat. In hoc enim, *missio canonica* verum et plenum actum iurisdictionis supremae auctoritatis in Ecclesia significat (cf. cap. III, pag. 67, lin. 17) et *mandatum* supponitur in nota — quin in textu ipsa vox adhibeatur — quando laici assumuntur « ad cooperationem magis immediatam cum apostolatu hierarchiae » (cf. cap. IV, n. 33, pag. 120, linn. 29-33): scil. pro illa activitate apostolica laicorum, quae in nostro schemate sub nomine Actionis Catholicae venit.

Quapropter reverenter petere audeo:

1. Verba « *mandatum* » et « *missio canonica* » — in nn. 16 (linn. 6-7) et 18 (linn. 19-20) adhibita — e textu expungantur. Ratio est, quia haec verba conceptus iuridicos important, qui incongruitate et confusione non carent.

2. Doctrina, de laicorum cooperatione magis immediata cum hierarchia, iis accommodetur, quae in schemate *de Ecclesia,* cap. IV, exponuntur.

35

Rev.mus P. D. GERMANUS M. LALANDE

Superior generalis Congr. S. Crucis

Loqui volo de n. 19 ubi quaestio fit de relationibus inter sacerdotes et laicos in apostolatu. Nam quaestio illa valde momentosa pro tota vita Ecclesiae est, praesertim in mundo hodierno. Quod in schemate dicitur mihi humillime videtur valde insufficiens esse. Et hoc quia fundamento proprio et biblico caret. Ergo volo hic: 1. proponere fundamentum proprium illorum relationum inter pastores et laicos in campo apostolatus; 2. aliquas conclusiones practicas deducere.

1. Tota interventio mea in existentia actuali charismatum a Sancto Spiritu in laicis infusorum radicatur. Iam scimus affirmationes S. Pauli, in Epi-

stola prima ad Corinthios (cap. 12) circa hoc. Dicit apostolus charismata dari fidelibus a Spiritu Dei non pro bono particulari illorum, sed pro bono communi totius populi Dei. Dantur praesertim — quamvis non unice — in eventu baptismatis et confirmationis, et proportionaliter ad vocationem propriam uniuscuiusque membri Ecclesiae, sive ille fidelis sit vocatus ad sacerdotium hierarchicum, sive sit vocatus ad actionem apostolicam in coetu laicorum, sed diversimode secundum locum specificum quod tenere debet in vocatione populi Dei et secundum necessitudines locorum et temporum. Charismata clericorum non eadem sunt ac laicorum, sicut etiam in ordine hierarchico, charismata praedicatorum et prophetarum et episcoporum, non eadem sunt ac rectorum paroeciarum et diaconorum.

Attamen, etsi charismata laicorum valde a charismatibus pastorum differunt, aequo modo necessaria sunt ad progressum et dynamismum totius populi Dei. Amplius dicendum est quod si vita Ecclesiae vere pneumatica est in tota realitate sua et in omni instante, id est semper et ubique a Sancto Spiritu inspirata et ducta, hoc pro magna parte complementaritate et communione omnium charismatum provenit.

2. Conclusiones practicae: *Prima conclusio*: Oportet nos pastores credere in ista existentia charismatum laicorum, non tantum modo theoretico, sed etiam et praesertim modo concreto.

Hoc significat quod in actione nostra pastorali debemus agere in communione cum istis donis particularibus laicorum. Sine hoc fit evacuatio illius muneris actionis Spiritus Sancti in Ecclesia. Nam laici bene vident quod non habemus fiduciam in vocatione propria illorum et, de facto, concludent quod unica solutio est pro illis renuntiare muneri apostolico proprio, sicut factum est in saeculis proximis elapsis.

Secunda conclusio: Oportet nos pastores credere in bona voluntate et recta intentione illorum laicorum cum quibus laboramus in apostolatu. Et hoc, etiamsi *opiniones* multorum laicorum saepe exprimuntur modo theologice vel iuridice minus exacto.

Amplius, necessarium est credere in bona voluntate laicorum, etiamsi in *actionibus* illorum sunt elementa quae aliquando apparent extra normas quae nobis videntur inflexibiles, et quae, saepe, in praxi, sunt, sub aliquibus aspectibus, valde secundariae et quasi pharisaicae.

Fides ista in bona voluntate et intentione recta cuiuscumque personae humanae est conditio sine qua non pro omni influxu, tam naturali quam supernaturali, in homine.

Ex quo sequitur quod nos pastores non possumus munus nostrum erga laicos et laborem apostolicum illorum adimplere, si non vere sentiunt quod erga seipsos habemus: *a*) respectum vocationis propriae et charismatum illorum; *b*) fidem in bona voluntate et in rectitudine cordis illorum.

Laici in nobis semper videre deberent non iudices aut inquisitores sed imagines Christi Boni Pastoris.

Tertia conclusio, et ultima: Ex parte pastorum, manifestandum est erga laicos, spiritus fraternitatis et communionis potiusquam, ut dicitur, spiritus paternalismi.

Nam, cum illis, non tantummodo per dialogum mere externum, sed in vera et authentica communione debemus inquirere quale sit genuina expressio Evangelii Christi et exigentiarum Incarnationis in mundo hodierno, quem laici, melius quam nos, cognoscunt, quia in illo vivunt et laborant.

Iterum, decet nos semper agere magna cum simplicitate et cum maxima veritatis reverentia, radicaliter evitando illam diplomatiam quam dicunt clericalem, et quae exasperat laicos, ut experientia constat.

In isto labore apostolico quaestio non est de aliqua minimizatione doctrinae christianae, vel de obumbratione praeceptorum vitae moralis. Nam laici, hac in re, non videntur esse minus exigentes quam nos. Eodemmodo non agitur de aliqua democratizatione exaggerata apostolatus christiani. Sed e contrario, tantummodo his positis, christifideles possunt munus nostrum pastorale accipere quod, uti bene scimus, ex toto corde desiderant.

Emendationes quae consequenter audeo proponere par. 19, scriptis tradentur secretario generali.

1. Suggero ut supprimatur tonus nimis paternalisticus numeri 19. Amplius mihi apparet quod, in pag. 17, sectio a linn. 9-20 supprimi deberet. Haec sectio displicet ob tonum nimis clericalem.

2. In pag. 16, lin. 28, suggero ut inseratur novum paragraphum ita conceptum: « Imprimis oportet pastores credere in existentia charismatum in laicis, et in actione sua pastorali agere in communione cum istis donis particularibus laicorum. Sine hoc esset evacuatio illius muneris actionis Spiritus Sancti in Ecclesia. Debent etiam pastores semper credere in recta voluntate illorum laicorum cum quibus in apostolatu adlaborant. Et hoc, etiamsi opiniones multorum laicorum saepe exprimuntur modo theologice vel iuridice minus proprio, et si in actionibus illorum laicorum sunt elementa quae aliquando apparent extra normas communes. Laici in sacerdotibus videre debent non inquisitores aut iudices opinionum, sed imagines Christi Boni Pastoris. Amplius, ex parte pastorum manifestandum est laicis spiritus fraternitatis et communionis potiusquam ut dicitur spiritus paternalismi. Nam cum illis non tantummodo per directivas mere auctoritativas sed in vera et authentica communione debent inquirere quale sit genuina expressio Evangelii et exigentiae Incarnationis Ecclesiae in mundo hodierno quem laici bene cognoscunt. Iterum decet semper magna cum simplicitate agere et cum magna veritatis reverentia, radicaliter evitando illam diplomatiam quam dicunt clericalem, quae exasperat laicos et cum Evangelio non concordat ».

Ratio huius emendationis. Quando in suis pastoribus laici non percipiunt hunc spiritum aperitudinis ad eorum opiniones benigne accipiendas, tunc facile animo deprimuntur. Nimis faciliter obliviscimur quod nostra cura pastoralis, per suiipsius naturam, communionem appellat cum charismatibus laicis propriis. Imperfectiones quae perspicimus, aut in opinionibus, aut in

modo agendi laicorum, nequaquam exigunt a nostra parte ut dedignaremur hanc contributionem laicis propriam. Sed e contra, exigunt illam actionem typicam pastoralem, quae spectat magis ad directionem, ad educationem, ad florescentiam — et haec omnia — sine destructione.

36

EXC.MUS P. D. CORNELIUS LUCEY

Episcopus Corcagiensis et Rossensis

Pag. 5, linn. 5-6. Loco « ut speciali... revocetur » dicatur « ut amplius adumbretur... » ratione claritatis.

Pag. 5, lin. 7. Loco « efficacius » ponatur « fructuosius ». Quia quod desideramus non est *efficientia* qua talis.

Pag. 5, linn. 19-21. Legatur potius sic: « Nec immerito S. Spiritus operationi tribuitur quod ubique hodie generosi laici se Christi et Ecclesiae servitio devovent ut huic respondeant necessitati ». Directius et ut opinor clarius.

Pag. 6, linn. 17-19. Loco « Omnium etc. » legatur: « Omnibus fidelibus cuiusvis... cum Christo cooperentur sua... ». Aegroti e. g. nequeunt « *adlaborare* » sed tantum per orationem et patientiam cooperari. Infantes et amentes nihil facere possunt!

Pag. 6, lin. 25. Loco « humili tolerantia » legatur: « voluntaria acceptatione ». Mera tolerantia est minus meritoria quam plena acceptatio.

Pag. 6, linn. 33-35. Substituatur « hoc eodem vitali Spiritu imbuti et impulsi, laici gradatim efformare possunt et debent conditiones illas sociales quae vitam plene humanam simul et christianam in variis societatis campis permittant immo et foveant ». Melius sic, ut spero.

Pag. 7, lin. 5. « Uno... laicorum pars integralis est ipsius testimonii Ecclesiae ». Verius fortasse quam *essentialis.*

Pag. 7, lin. 7. ... apostolatum necessario includatur in plenitudine vitae christianae, omnis educatio... ditto.

Pag. 7, lin. 18. ... formatio includat aptitudinem ad amice tractandum et collaborandum cum aliis.

Pag. 8, lin. 20. Loco « apta est » ponatur « opportunitatem praebet ». Ratio patet.

Pag. 9, lin. 8. Loco « nequeunt » legatur « non semper queant » vel « aliquando nequeant ». Quia persaepe possunt!

Pag. 9, lin. 16. Loco « laici » legatur « omnes ». Quia etiam clericis incumbit.

Pag. 9, lin. 25. Addatur monitum forsitan sic: Et ideo fidelis adimpletio « obligationum status » pro unoquoque summi est momenti et quasi fundamentale praerequisitum pro fructuoso apostolatui habeatur. Ne obligationes quotidianae vitae parvipendantur intuitu « apostolatus » mere nominalis.

Pag. 11, lin. 35. Legatur: « et ideo proprio marte agere ne cunctentur ». Secus textus videtur esse negatio omnis subiectionis ad hierarchiam.

Pag. 12, lin. 33. Omittatur « et Christum » vel dicatur « et Christum Dominum ». Loco « libertatem » dicatur « integritatem ». Ne obliviscatur quod Christus ipse est Deus. Ne obscuretur obligatio recipiendi veritatem agnitam.

Pag. 12, lin. 35. ...adiuvant aliquomodo speciem dominandi vel parvipendendi assumant.

Pag. 14, lin. 27. « ... organizationum est finem generalem apostolicum ipsius Ecclesiae pro posse adiuvare, scilicet... ». Limitatur, ut mihi videtur, ad partes non-ministeriales activitatis Ecclesiae.

Pag. 16, lin. 25. Loco « esse proprium » substituatur « pertinere pro captu ad omnes... ». Quod est « proprium » dici non potest de omnibus.

Pag. 16, lin. 26. Addatur « ... Ecclesia etiam laicos... ». Quia sacerdotes *magis* speciales partes habent.

Pag. 18, lin. 21. « ... sit hoc tueri et promovere... ». Omittatur « vel requiritur ». Ne species detur mandati positivi.

37

Exc.mus P. D. GEORGIUS MANRIQUE
Episcopus Orurensis

I - *De formatione apostolica* (n. 3). Multum quidem spectari potest et debet, pro finibus pastoralibus Concilii Vaticani II, de hoc schemate « de apostolatu laicorum ».

Multum quidem, ut omnibus patet, diversae commissiones adlaboraverunt ad ut textum redigerent, quo illa spes nullomodo fraudaretur.

Aliqua tamen — et ut mihi videtur magni momenti — animadversio est facienda ad hoc ut desideratam efficacitatem revera obtineat hic textus conciliaris, attinens nempe his quae dicuntur, *vel potius non dicuntur,* de formatione apostolica laicorum.

« *Haec autem formatio* — habetur in textu, n. 3 — *ex variis elementis spiritualibus doctrinalibusque constans..., complecti debet etiam cognitionem...*

Elementa doctrinalia sive technica formationis apostolicae utique afferuntur atque specificantur, diversae scilicet cognitiones rerum, personarum, adiunctorum, etc. etc.

Elementa vero *spiritualia* supponuntur. Immerito tamen, ac sine sufficienti ratione.

Cum de formatione apostolica loqui velit ac debet, minime sufficit ac sufficere potest affirmare illam ex variis elementis spiritualibus constare. Quibus elementis?

Quod alia ex parte opus erit plene noscere si efficaciter docere intendit *quomodo, quibus mediis* illa efformatio acquiri vel dari possit.

Responsum commissionis uni conferentiae episcopali unique Patri conciliari de hac re conquerentibus fuit, quod « in textu sic abbreviato non potuimus enumerare amplius media formationis, sed solummodo generalis affirmatio habetur: « ... formatio ex variis elementis spiritualibus constans... » in quibus includuntur etiam exercitia spiritualia (pag. 34).

Porro quaestio de *elementis spiritualibus constituentibus* formationem et spiritum apostolicum ac de mediis praecipuis ad illam formationem adquirendam, non videtur tam minimi momenti esse ut tali responsione et tam simplici expressione in textu adhibita possit satis fieri.

Textus schematis si abbreviari debet, abbrevietur non in partibus et elementis quae ipsi essentiales omnino sunt ac summi valoris in fines ipsius Concilii assequendis.

Abbreviari potius potest ac debet, v. g. in his quae immediate sequuntur, scilicet in enumeratione personarum quae illam formationem dare debent inque aliis ideis quae ex solo sensu communi facile capiuntur.

Innui debent praeterea saltem illa media, vel unum saltem ex illis, quae tum ex experientia tum ex magisterio ordinario in Ecclesia ut quaequae efficacia habentur ad talem formationem apostolicam adipiscendam.

Totus ergo n. 3 alio modo redigi debet ut indicta lacuna subsanetur. His vel similibus aliis verbis: 3. « Cum vocatio ad apostolatum... missionem implendam » (sicuti in textu, pag. 7, linn. 7-13). Haec autem formatio in eo consistit quod christifidelis plene conscius suae conditionis membri Corporis Christi mystici ac suae responsabilitatis in eiusdem Corporis incremento, caritate Dei et fratrum impulsus, totus ultro labori diffusionis Regni Christi ac saluti hominum sese tradit. Adquiritur vero praesertim cum sub luce fidei supernaturali assidue mentem vertit ad naturam atque exigentias propriae vocationis in mysterio Ecclesiae et in opere Christo salvifico, ad necessitudines tum spirituales tum temporales fratrum ac populorum, methodis traditionalibus (utpote exercitiis spiritualibus) necnon modernis, aetati conditionique laicorum adaptatis. Complectit etiam cognitionem... etc. (ut in textu habetur).

II - *De mutua cooperatione* (n. 20). Pauca addere liceat circa rationes quibus opera diversa apostolatus laicorum coordinari possit in complexu vitae Ecclesiae localis seu dioeceseos.

Quae in textu dicuntur pulchra sunt ac vera. Insufficientia tamen, meo quidem iudicio aliorumque plurimorum episcoporum cum quibus de hac re difficili quidem ac delicata verbum feci.

Utinam sufficerent piae exhortationes Concilii ad vitandas perniciosas aemulationes, ad mutuam caritatem fovendam, ad spiritum independentiae ordinandum, quae omnia inter opera apostolica facile insurgunt!

At, proh dolor, experientia teste, haec non semper, immo fere umquam, satis erunt.

Etsi sub n. 18 gradus diversae connexionis operum cum hierarchia discrete describuntur, hoc loco, cum de coordinatione omnium operum aposto-

licorum sermo fit, oportet omnino ut clare, etsi breviter, in mentem omnium recolatur episcopum esse, proprio munere et iure, principium coordinationis coeptorum atque actuositatis operum apostolicorum in propria dioecesi, ita ut non tantum « eius sit *invigilare* » (cf. pag. 15, lin. 20), sed etiam « efficaciter coordinare, immo et praeordinare quae opportuna videantur, prouti adiuncta ferant, cooperantibus convenienter clericis religiosis et laicis », sicut in priori redactione commissionis praeparatoriae huius schematis legebatur (sub n. 52).

Bonum est quod laici libere apostolatum sibi eligant quem praeferant, libere ad apostolatum sese consocient; melius autem, immo quandoquidem absolute necessarium erit quod omnes, uno corde et opere, ad urgentissimas necessitates spirituales vel etiam temporales fratrum, consociata actione, sese tradant iuxta prudens iudicium, consilium vel etiam mandatum praesulis Patrisque dioeceseos.

38

Exc.mus P. D. OCTAVIANUS MÁRQUEZ TÓRIZ
Archiepiscopus Angelorum

Nemo dubitat de huius schematis momento. Aetas haec nostra merito « laicorum aetas » appellata est. Praeclaro ordine, in quinque capita schema distributum apparet. Doctrina concinne ac dilucide exposita est. Unde maximis laudibus commissionis labor consalutandus est. Attamen, quamvis in genere et quoad maiorem numerorum partem schema placeat, humillima mea sententia, quam vobis reverenter submitto, adhuc communi nostro labore perpoliendum est. Duo tantum brevitatis causa, dicam:

I - Relate ad cap. I, in pag. 7, n. 3, optime de apostolica formatione sermo fit. Sed, ut mihi videtur, aliquid magni momenti deest, aut clarius exprimi debet. Agitur ibi, de professionali, ut ita dicam, seu technica, apostolorum institutione, ac de personis quae illam impertiri et recipere debent. Deest verbum de apostolorum laicorum *profunda spirituali efformatione.*

Iamvero omnes scimus ad apostolos instituendos maximas habere partes spiritualis profunda efformatio, in qua ignis apostolicus accenditur, alitur ac fovetur. Praesertim tempore hoc nostro in quo multi ab activismo exaggerato, sine vitae spiritualis alimento, misere decipiuntur.

Testes enim episcopi sumus, quomodo Exercitia Spiritualia clausa (Retraite fermée) pro apostolorum etiam laicorum vita spirituali, et apostolica iuvent. Testes praeterea multi episcopi sumus quot uberrimi fructus, aliquando extraordinarii, pro laicorum apostolatu, ex inceptis illis modernis, absque dubio Spiritu Sancto afflante, continuo profluxere, v. g., ex sic dictis « Exercitationibus pro mundo meliore » (« Movimento per un mondo migliore »), necnon ex Curriculis Christianitatis (hispanice « Cursillos de Christiandad ») qui praesertim in Hispania, sed etiam iam in multis Americae

Septemtrionalis, Centralis et Meridionalis regionibus, pro laicorum apostolica institutione in dies magis magisque iuvamen afferunt.

Unde reverenter propono ut in pag. 8, post lin. 2, aliquid etsi breviter, de exercitiis spiritualibus, necnon de modernis praefatis inceptis pro laicorum apostolorum incitamento et spirituali institutione, generali saltem modo, dicatur.

II - Relate ad cap. IV, in pag. 14, n. 16, de Actione Catholica sermo fit. Iamvero, attentis innumerabilibus Summorum Pontificum documentis, quae ordinarium et continuum Christi Vicarii magisterium exhibent, inde a S. Pio X, usque ad feliciter regnantem Sanctissimum Patrem Nostrum Paulum Pp. VI, qui tot tantisque laudibus et gravissimis verbis locuti de Actione Catholica sunt, huius in schemate mentio (reverenter dico) valde debilis et parva apparet. Eo vel magis quod intra parenthesim subtitulus, ni fallor, in textu definitivo cadet.

Verum est, prout in relatione eiusque notulis dicitur, in nationibus aliquibus hanc apostolatus formam nomen Actionis Catholicae non obtinere; verum etiam est aliis in regionibus Actionem Catholicam, sub hoc proprio nomine, diverso modo (parcamus verbo) organizari: unitario nempe, aut generali, aut foederativo, aut specializato (ut dicitur) iuxta diversa locorum adiuncta. Attamen, quidquid de forma sit, semper Actio Catholica remanet ad mentem et iuxta vota Summorum Pontificum.

Valde dolendum est (prout in laudata Relatione dicitur), aliquibus in locis « neque nomen Actionis Catholicae » placere. Enimvero, si Summi Pontifices tam clare tamque graviter de Actione Catholica locuti sunt, de eiusque momento, convenientia, immo et necessitate, quomodo nomen hoc displicere potest? Nonne pro catholicis omnibus, Pastoribus imprimis, Successoris Petri ac Vicarii Christi verba, ut sacra semper habenda sunt?

Porro Pontifices Summi saeculi nostri eousque progressi sunt ut Actionem Catholicam « ad integritatem vitae christianae pertinere » dixerint. Ne citationes ultra tempus multiplicem, in mentem tantum revocare brevissime volo ea quae a Sanctissimo Patre Nostro Paulo VI, inter alia multa dicta sunt: « Recens et ampla docet experientia, ait Summus Pontifex, factorum loquela, Actionem Catholicam regale esse iter pro laicis, qui sese in Ecclesiae servitium tradunt ad omnia in Christo instauranda » (Ad Reipublicae Argentinae Episcopatum, die 12 aprilis huius anni: *A.A.S.*, vol. 56, 27 iunii 1964, n. 7, pag. 452).

In celebratissimo sermone die 25 iulii elapsi anni prolato, haec Ss.mus Pater italice protulit gravissima verba: « Noi desideriamo che *l'Azione Cattolica* viva e rimanga sostanzialmente quale l'autorità e la saggezza dei Nostri venerati Predecessori, in questi ultimi decenni l'hanno delineata. Essa *appartiene ormai al disegno costituzionale della Chiesa...* Varie le forme secondo i vari Paesi (le varie tradizioni, le varie esigenze, i vari sviluppi). Ma la sua definizione di collaborazione dei laici all'apostolato gerarchico della Chiesa, rimane... ».

« Noi diremo di più: Noi desideriamo che l'Azione Cattolica riprenda vigore e acquisti nuova capacità... *Vi chiediamo di avere fiducia in questa forma di apostolato della Chiesa: essa non è superata, non è sostituibile, non è esaurita...* » (*L'Osservatore Romano,* 27 luglio 1963).

Et paucis diebus post haec, sic aiebat: « Voi sapete *quanto apprezziamo l'Azione Cattolica, sia nelle ragioni profonde che la giustificano, anzi, la esigono nel momento storico che la Chiesa sta attraversando,* sia nelle sue forme organizzative derivate dalle esigenze stesse del ministero pastorale e gerarchico... e nello spirito che la alimenta di fedeltà a Cristo e alla sua Chiesa... » (*L'Osservatore Romano,* 31 luglio 1963, pag. 1).

Unde, debita cum reverentia propono ut n. 16 schematis nostri ita perficiatur ut clarius et altius Actionis Catholicae momentum, verbis pastoralibus ostendatur. Hoc minime in contemptu erit aliarum apostolatus formarum, quippe quia, quamvis sub diversis nominibus, in re Actio Catholica semper sint. Haec vel similia verba ut addantur propono, in pag. 15, post lin. 17: « Et ideo, Sacrosancta haec Synodus, ad mentem et iuxta Summorum Pontificum continuum magisterium, specialibus laudibus et commendationibus ornare intendit Actionem Catholicam, variis sub formis existentem quas animarum Pastores hucusque ei dederunt vel in posterum daturi sunt ».

39

Exc.mus P. D. ROBERTUS MASSIMILIANI

Episcopus Civitatis Castellanae, Hortanus et Gallesinus

A) *Animadversiones generales.*

1. Totum schema apparatum est eo posito principio quod apostolatus exercetur solum actuositate, dum verus apostolatus, qui oritur, ut dicit schema (n. 1) ex praecepto caritatis, exercetur etiam *oratione et poenitentia*: secus omnia membra Ordinum contemplativorum, non exercerent praeceptum caritatis et apostolatum, cui omnes tenentur.

Haec aliquo modo innuuntur in schemate, non tamen clare dicuntur. Adsunt variae vocationes pro actuositate in Ecclesia, tum in saeculo, id est inter laicos, tum in vita religiosa.

2. Deest, in schemate, fere ex toto, tractatio de labore promovendo a laicis: pro *operariis*: est maximum problema nostrorum temporum; pro *iustitia sociali*; pro *fame* in mundo; pro *pace et bello*; pro *missionibus.*

Etsi haec problemata tractantur in aliis schematibus, cum pars maior laboris spectet ad laicos, non potest hoc hic non considerari.

B) *Animadversiones speciales.*

1. In n. 3: formatio apostolica: optandum est ut fiat *manuale universale* pro formandis et adiuvandis iis omnibus qui in opere apostolico Ecclesiae laborant.

Ibi sint exposita principia formationis et normae actionis.

2. In n. 11. De ordine temporali christiane instaurando: Videtur quod nimis caute haec materia tractatur: christiani qui sunt in vita publica et politica, etiam in maximis officiis Statuum, *debent* totam suam operositatem exercere iuxta principia christianae vitae, semper, uti patet, respectis circumstantiis: ideo puto quod mitiganda sint principia quae exponuntur in schemate de Oecumenismo, app. de libertate religiosa (pag. 33, linn. 4 ss. et 20 ss.) « civiles potestates nullam capacitatem et competentiam ad determinandas vel moderandas relationes civium cum Creatore... habent... rem publicam... ineptam esse ad iudicia de veritate circa rem religiosam ferenda ». Sequeretur quod catholicus qui rem publicam gubernat, nullam posset actionem apostolatus efficere: Spiritus Sanctus in eo deficeret: ipse deberet fieri agnosticus et neutrus circa religionem.

3. N. 3: de formatione: lin. 26 ss.: quando agitur de iis quibus spectat formatio apostolica, explicite citandi sunt *religiosi*: lin. 27, post: sacerdotes, dicatur *etiam religiosi*: lin. 29 post: scholis collegiis, dicatur *etiam religiosis concreditis*.

C) *Nota historica.* Non placet quod aliqui Patres ita exaltaverint autonomiam laicorum in apostolatu, ut fere independentes eos faciant a hierarchia in activitate quae quoad obiectum a hierarchia pendet.

Historice constat quod multae haereses natae sunt in Ecclesia ob hanc independentiam.

Item multa et gravissima mala ob nimiam ingerentiam laicorum in res quae ad hierarchiam spectant, ut e. g. nominationes episcoporum vel aliorum. Cogita de Simonia et Nicolaismo tempore Medii Aevi: item Iosephinismus, Gallicanismus evenerunt quia laici, etsi in summitate Status positi, non apostolatum egerunt, sed iurisdictionem Ecclesiae invadebant.

Idem dicatur de periodo Avenionensi Summorum Pontificum.

Nunc tandem nominatio episcoporum in Ecclesia latina, fere exclusive pertinet ad ecclesiasticam auctoritatem et inde mala cessarunt. In aliis schematibus recte aboletur quodcumque ius praesentandi vel nominandi penes laicos; item iura patronatus.

Qui in aula hac dixit quod laici deberent fieri Nuntii vel Officiales maiores Romanarum Congregationum, vellet haec mala iterum suscitare.

40

Exc.mus P. D. ALOISIUS MATHIAS

Archiepiscopus Madrapolitanus et Meliaporensis

In schemate decreti *de apostolatu laicorum* sermo est, in variis quidem locis, de apostolatu spirituali laicorum, quo verbum Dei annuntiatur et homines sanctificantur (n. 10, pag. 10), de formis adsociativis, quibus hic apostolatus exercetur (n. 14, pag. 13), praesertim de forma arctissimae con-

iunctionis cum hierarchia, quae Actio Catholica sensu stricto vocatur (n. 16, pag. 14) et de Centris constituendis pro efformandis iis, qui speciali titulo servitio Ecclesiae addicuntur (n. 3, pag. 8).

Optarem, ut in hoc schemate specialis mentio fiat de aliqua institutione seu opere, quo huiusmodi notae vel elementa particulari et eminenti modo in actum deducantur quodque tanti momenti videtur esse in hodierno statu Ecclesiae, ut revera in schemate generali de apostolatu laicorum locum et talem mentionem singularem mereatur.

Agitur de opere formationis et operositatis catechistarum laicorum, de quo vos, venerabiles Patres, iam in sessione praecedenti huius Sacri Concilii allocutus sum et quod vocare velim « Opus S. Pauli ad Gentes ».

Hoc opus revera maxime desideratur in regionibus missionum et, una cum episcopis missionariis, valde dolor, quod in propositionibus de missionibus obiter tantum tangatur, quamvis hodie fundamentalis sit momenti in missionibus. Sed quia etiam in tota fere Ecclesia, praecipue in terris ubi penuriam sacerdotum lamentamur eiusdem fere momenti est, in generali schemate de apostolatu laicorum aptissimum locum habere posset.

Mediante tali opere iuvenes et viri laici, in Centris bene instructis, quorum aliqua iam exstant, non solum ad doctrinam christianam tradendam efformentur et dirigantur, sed etiam ad munera sanctificationis perficienda quae sunt oratio publica in communitate christiana, adsistentia morientium, sepultura defunctorum, adsistentia matrimoniorum contrahendorum aliaque id genus; quinimmo distributio eucharistiae ubi et quando desunt sacri ministri. Ut eiusmodi status catechistarum evehatur non expedit collatio ordinum minorum quia hoc modo ex laicis clerici fierent, nos autem clericalismo peccare nolumus; sed opportunum esset omnino ut eis, una cum missione et mandato, charisma et signum quoddam conferretur per Ecclesiae ordinationem.

In huiusmodi catechistarum statu laici, sive caelibes sive uxorati, perdurante tota vita manere et proprium apostolatum exercere possent. Verumtamen nihil impediret, quominus post congruum probationis tempus etiam statum clericalem ingrederentur et ad ordines minores ascenderent etiam coniugati, quod iam Concilium Tridentinum exoptavit (Sessio XXIII, de reformatione, can. 17). Quinimmo etiam ad ordines maiores, si continentiam perfectam servare apti essent et vellent quam Ecclesia latina semper a sacris suis ministris postulavit. Ita catechistae laici eodem tempore seminarium quoddam constituerent ad vocationes *sacri* ministerii fovendas et efformandas.

Quodsi hoc Concilium Vaticanum II istum catechistarum laicorum statum atque Centra eorum formationis tamquam eminentem apostolatus laicorum modum et desideratam speciem Actionis Catholicae i. e. collaborationis immediatae hierarchiae praestandae in hoc schemate decreverit, opus immortale in honorem S. Pauli, doctoris gentium, cuius nomen Summus Pontifex feliciter regnans sibi elegit, condet: simile illi operi seminariorum quorum salutares fructus excitavit Sacra Tridentina Synodus.

Praesertim cum episcopis missionariis vobis, venerabiles Patres, hoc ardens desiderium submitto spe motus fore ut regnum Dei apud omnes gentes servetur et dilatetur; quod faxit ipse humani generis Redemptor intercedente Sancto Paulo doctore gentium! Dixi, gratias.

41

EXC.MUS P. D. BERNARDUS MELS

Archiepiscopus Luluaburgensis

Liceat nobis, nomine plurium episcoporum Africae quaedam addere relate ad schema *de apostolatu laicorum,* quod nobis tantum ex parte placet ob duas rationes principales, nempe, quia quodammodo naturalismum et etiam clericalismum sapit.

Scimus quidem, decretum *de apostolatu laicorum* ut finem non habere fundamenta theologica exponere. Hoc tractatum est in schemate *de Ecclesia.*

Sed tamen nobis videtur omnino necessarium esse, ut textus noster fideliter servet fundamenta doctrinalia, in schemate *de Ecclesia* posita et descripta, et ea clare et breviter in prooemio retractare.

Clare statuendum est:

1. Voluntatem Salvificam Ss.mae Trinitatis, cui correspondet vocatio hominis ad sanctitatem, esse fundamentum omnis apostolatus. Haec voluntas salvifica, nobis aperte manifestata est, in incarnatione, vita, morte et resurrectione, secundae personae Ss.mae Trinitatis, Salvator noster Christus Dominus, perfectum exemplar a suis discipulis fideliter imitandum.

Missio apostolica a Christo data, est tantum confirmatio authentica et solemnis, huius veritatis.

2. Omnis actio apostolica actuatur, per adventum et actionem Spiritus Sancti in animas fidelium, cui libere et amorose respondetur, sive per orationem, sive per actionem, sive per sacrificia Deo oblata.

3. Organisatio externa Apostolatus esse medium perutile, immo saepe necessarium, sed naturale, tamen a Christo quodammodo intentum cum dicit: « Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum » (*Mt.* 18, 20).

Ne tamen gressus sumat prae realitate supranaturali.

Textus enim — ut nobis videtur — nimis exclusive in descriptione externa, organisatione et diversificatione insistit, et ita non sufficienter apparet realitas spiritualis omnis apostolatus.

Nunc autem, renovatio Ecclesiae et renovatio spiritualis societatis modernae, est et erit semper principaliter opus Spiritus Sancti, qui in omnibus hominibus, cum magna libertate agit, et motiones suscitat quae necessitatibus Ecclesiae respondent, et vocationem personalem uniuscuiusque hominis servat. In nostris regionibus, laeti testes sumus huiusmodi motus Spiritus Sancti ubi simplices laici, viri et mulieres, originem dederunt cuidam renova-

tioni verae mirabili vitae christianae et etiam conversioni paganorum; sine vera organisatione externa, sed cum zelo omnino admirabili. Ipsi laici, initiativam habuerunt, ipsi impulsionem dant!

Interventio hierarchiae, quam in magna veneratione habent, « ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei », in hoc tantum consistit, quod sacerdotes, fraterne laicis admixti, invigilent ut fidelitas actioni Spiritus Sancti servetur, et omnis deviatio doctrinalis vitetur.

Nos, occidentales, quandam obsessionem organisationis externae habemus quae sollicitudinem nimis naturalem successuum visibilium quandoque demonstrat.

Si simpliciter illam sollicitudinem organizationis in nostris regionibus Africae transferimus, experientia teste, periculum erit, apostolatum laicorum, aliquid nimis artificiosum fieri, cum magno detrimento pro authenticitate et profunditate actionis.

Nimia organizatio et regulatio externa facile Spiritum extinguit. Nimia specialisatio, facile extinguit vel minuit spiritum fraternum necessarium in vera communitate christiana, et saepe differentia classium socialium nimium innititur.

Primatus in omni apostolatu detur spiritu vere fraterno, spiritu familiae, spiritu profundae caritatis, inter omnia membra communitatis christianae!

In hoc schemate insuper, pars hierarchiae in suscitando, et organizando laicorum apostolatu extollitur, ac si monopolium quoddam Spiritus Sancti haberet hierarchia!

Non debemus timere ne Spiritus Sanctus apostolos et prophetas et doctores suscitet extra coetus hierarchiae, etiam nostris diebus.

E contrario debemus vivam fidem habere Spiritum Sanctum vere in laicis etiam pauperibus et simplicibus, agere et per eos Ecclesiam renovare, qui Pater saepe revelat parvulis et humilibus, quae nobis sapientibus et prudentibus abscondita manent!

Sed quam facile, venerabiles Fratres, quando de inceptis apostolicis laicorum agitur, ad zelum intempestivum et illuminismum appellamus!

Solummodo quo die, nos episcopi et sacerdotes convictionem practicam habebimus, nos non debere esse moderatores actionis Spiritus Sancti in hominibus, sed ministros et instrumenta, saepe valde debilia, nova Pentecostes et renovatio terrae a Spiritu Sancto facienda, suum plenum fructum habere poterunt. Et maxime, ut firmissime spero, mediante apostolis laicis.

Unde concludendo reverenter optamus ut:

1. Fundamenta omnis apostolatus breviter sed clare exponantur.

2. In lucem ponatur desiderium Christi, « ut omnes vitam habeant et abundantius habeant », per adventum Spiritus Sancti in christifidelium animas. Organisatio externa, maneat docile instrumentum Spiritus Sancti.

3. Diffidentia erga actionem Spiritus Sancti in laicis etiam simplicibus derelinquatur.

4. Clare dicatur munus hierarchiae esse servitium et instrumentum Spiritus Sancti, in renovatione Ecclesiae.

5. Necessitas et primatus verae fraternitatis in magna familia Ecclesiae, sine ulla discriminatione, prae nimia organizatione externa, extollatur.

42

Exc.mus P. D. IACOBUS EUGENIUS LUDOVICUS MÉNAGER
Episcopus Meldensis

Circa n. 16 de Actione Catholica. Multi Patres locuti sunt de *clericalismo* huius schematis, dicentes quod sufficiens libertas laicorum in apostolatu non satis apparet in textu.

Alii non pauci postulaverunt, e contra, ut relatio laicorum cum episcopis suis clarius manifestaretur.

Alii aestimabant notionem Actionis Catholicae quoddam « monopolium » constituere et « favoritismo » indulgere.

Alii, e contra, postulabant ut conceptus Actionis Catholicae pressius enodaretur, maiori cum claritate necnon favore.

Ad hanc oppositionem vitandam et superandam, aliquas observationes velim proponere. Mihi videtur, salvo meliori iudicio, quod *duo principia simul* tenenda sunt:

1. Spiritus Sanctus est qui apostolatum omnium suscitat. Omnes in Baptismo et Confirmatione eum receperunt et ideo in omnibus et per omnes indesinenter operatur, seipsum manifestans praesentia sua vitali et sanctificante necnon ostensione vis apostolicae.

Ergo libertatem Spiritus Sancti sancte observare debemus (nolite exstinguere Spiritum...). Charisma prohibere non possumus (cf. *de Ecclesia*, n. 12) sed tantum ea probare et ad bonum commune Ecclesiae ordinare.

Unusquisque libertatem habeat in tota amplitudine vitae suae apostolum esse, talentis propriis a Deo acceptis utens (parabola evangelica « de talentis »).

2. Attamen *secundum* principium nunc considerare debemus ad illustrandam hanc materiam.

Bono communi Ecclesiae providere oportet, et speciali quidem modo in re pastorali, cum de fine propria Ecclesiae agatur.

Atqui munus proprium est episcoporum huic bono communi suae dioecesis providere. Munus regendi Ecclesiam suam localem episcopus habet, non sane ut dominationem exerceat, sed ut bonus paterfamilias qui omnia disponit ad bonum familiae suae. Non etiam solus, sed in constanti colloquio et fidenti collaboratione cum presbyteris et laicis suis.

Praecipuum officium est episcopi praevidere et ad actum deducere « rationem pastoralem » (plan de pastorale) ad totam activitatem apostolicam suae dioecesis bene moderandam.

Oportet ergo ut, consideratis necessitatibus necnon instrumentis apostolicis (scil. sacerdotibus, religiosis et laicis) suae dioecesis eligere possit « rationem agendi » et media aptiora ad hanc in actum deducendam.

Hoc sane verum est pro apostolatu sacerdotum sed etiam pro apostolatu laicorum ut bene omnia disponantur ad regnum Christi promovendum.

Haec electio talis vel talis medii (vel « motus » apostolici) non est « favoritismus » sed sollicitudo boni communis apostolatus (favoritismus est, e contra, modus eligendi sine sufficienti ratione).

Sic episcopus (vel melius: conferentiae episcopales) potest seligere media apostolica secundum veras necessitates populi sui, sive iam christiani, sive non, instando in tali vel tali campo apostolico (scil. iuvenes, adulti, pueri, vel « laureati » vel operarii vel rurales etc. etc.).

« Mandatum » nihil aliud significat (etsi verbum non sit bene electum) quam hanc potestatem fundamentalem electionis et peculiarem coniunctionem talis formae apostolatus laicorum cum generali « ratione » apostolatus totius dioecesis (« plan de pastorale d'ensemble »).

Talis potestas eligendi vel non eligendi talem modum apostolatus, ad essentiam pertinet muneris regendi episcoporum. Non possumus ergo illam praetermittere.

Applicatio horum principiorum. 1. Monopolium *apostolatus* in favorem Actionis Catholicae sedulo vitandum est. Libertatem Spiritus Sancti servare debemus necnon libertatem laicorum qui sub motione eius, apostolicam vitam pro modulo suo exercere volunt extra associationes pro apostolatu laicorum et extra Actionem Catholicam.

2. Agnoscere debemus ius episcoporum et conferentiarum episcopalium *eligendi* talem vel talem associationem laicorum et ei *peculiarem fiduciam* manifestandi ad melius remedium praestandum urgentioribus necessitatibus populi sui.

3. Agnoscere debemus ius episcoporum et conferentiarum episcopalium *titulum specificum* concedendi (scil. « Actio Catholica » vel alium titulum circumstantiis regionis magis congruentem) coetibus ad regnum Christi directe ordinatis qui possident quatuor notas in schemate definitas, quando volunt eis manifestare peculiarem fiduciam et eos *coniungere peculiari modo « rationi apostolicae »* (au plan d'apostolat) suae dioecesis.

4. Possunt episcopi hanc ordinationem apostolatus laicorum *explicite manifestare* per *actum publicum* qui nuncupatus est aliquando « *mandatum* ».

Hoc verbum, forsan minus recte electum, non significat quod episcopus « missionem suam impertit laicis » sicut falso dictum est in pag. 20 linn. 3 s. (nota), quia missio apostolica fundamentum habet in Baptismate et Confirmatione, sicut dictum est in *de Ecclesia*; sed tantum quod episcopus, sicut supra dictum est, hanc formam apostolatus *eligit* et *assumit* in suam « rationem » apostolatus dioecesani. *Eliminanda sunt haec verba pag. 20 in nota.*

Melioranda etiam esset formula pag. 16 linn. 9-16: loco verborum « suo

proprio *muneri* » vellem dicere « Hierarchia, *vi sui muneris apostolici,* hunc coetum apostolicum *eligit* et *coniungit arctius* cum aliis in tota " ratione apostolica " suae dioecesis » (vel aliis verbis).

Alia animadversio generalis. Ad laicorum munus in apostolico Ecclesiae opere describendum et definiendum, rationem haberi oportet *de Novi Testamenti doctrina circa Spiritus Sancti operationem in Ecclesia.* Haec doctrina, prout ab apostolis Petro et Paulo praecipue evolvitur, in quinque affirmationes reduci potest:

1. *Unusquisque* christifidelis a Spiritu Sancto donum peculiare recipit, i. e. aliquam gratiam peculiarem, aliquod « charisma »; « charismata » ergo non sunt privilegium quorundam credentium, sed omnibus et singulis tribuuntur.

2. Haec Spiritus Sancti dona sunt *varia et multiplicia,* praecise ut multiplicibus Ecclesiae necessitatibus respondeant; singulis ergo membris tribuuntur, ut totius Corporis bonum provideant. In hac varietate et multiformitate a textibus multum insistitur.

3. Eadem dona apparent ut *stabilia,* et ita determinant ministeria stabilia, quae ad vitam Ecclesiae tam necessaria sunt, quam membrorum et organorum functiones necessariae sunt ad vitam corporis humani.

4. Ex alicuius doni acceptione pro unoquoque credentium derivat *officium et obligatio* illud donum exercendi ad bonum totius Ecclesiae; unusquisque ergo, cum ex proprio dono ad servitium proprium erga alios obligatur, etiam *ius* habet donum proprium exercendi ad commune bonum promovendum.

5. In Ecclesia primigenia quaedam « charismata » apparent extraordinaria, quae in ulteriori Ecclesiae vita raro inveniuntur; sed apostolorum doctrina de « charismatibus » illa dona Spiritus Sancti respicit non ut sunt extraordinaria, sed ut sunt *supernaturalia,* i. e. a Spiritus Sancti gratia credentibus tributa. Cum autem Spiritus Sanctus semper operans in Ecclesia creditur, haec de « charismatibus » doctrina semper pro nostris temporibus valet.

Ut illarum quinque affirmationum fundamentum agnoscatur, tres praecipui textus inspiciendi sunt:

1. *1 Pt.* 4, 10-11: « Unusquisque, sicut accepit gratiam (charisma), in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiae Dei. Si quis loquitur, quasi sermones Dei; si quis ministrat, tamquam ex virtute, quam administrat Deus... ». Notetur quod in hoc textu de omnibus credentibus agitur; de « presbyteris » sermo fiet in 5, 1 ss. Unusquisque aliquam gratiam accepit, quam « administrare » debet pro aliis. Illae « gratiae » in duabus categoriis dividi possunt: gratiae loquendi, et gratiae ministrandi.

2. *Rom.* 12, 6-8: « Habentes autem donationes secundum gratiam, quae data est nobis, differentes: sive prophetiam secundum rationem fidei, sive ministerium in ministrando, sive qui docet in doctrina, qui exhortatur

in exhortando, qui tribuit in simplicitate, qui praeest in sollicitudine, qui miseretur in hilaritate... ». Haec doctrina proponitur in contextu comparationis cum corpore humano et diversis eiusdem membris: « Sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent: ita multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra » (12, 4-5). De omnibus fidelibus agitur: unusquisque « actum » proprium habet in Corpore Christi, i. e. officium peculiare habet, quod exercere debet ad bonum commune procurandum. Nullus ab hac obligatione excipitur. Varia munera etiam in hoc textu (sed minus clare quam in *1 Pt.*) sub duobus titulis ordinantur: munera loquendi et munera ministrandi.

3. *1 Cor.* 12, 4-31. Eadem doctrina evolvitur modo ampliori et accuratiori. In Ecclesia adsunt gratiae variae (vel: charismata varia), variae ministrationes, variae operationes (vv. 4-6). « Unicuique autem datur manifestatio Spiritus ad utilitatem » (v. 7). Harum variarum Spiritus manifestationum, quae singulis et omnibus christifidelibus tribuuntur, varia exempla proponuntur (vv. 8-11). Varietas donationum ex comparatione cum corporis humani membris et organis explicatur (vv. 12-27). In conclusione (vv. 28-30) reditur ad varietatem gratiarum, quibus varia Ecclesiae ministeria fundantur: a superioribus ministeriis Apostolorum, Prophetarum, Doctorum, usque ad minima: omnes ab eodem Spiritu procedunt et ad bonum eiusdem Corporis Christi ordinantur. Similia inveniuntur in *Eph.* 4, 7-11, et alibi.

Conclusio. Haec principum Apostolorum doctrina valde apta videtur ut munus laicorum proprium in vita et in opere apostolico Ecclesiae in suo ecclesiali et theologico contextu praesentetur. Omnia ministeria in Ecclesia exercenda a Spiritu Sancto procedunt et gratiam peculiarem (vel charisma) supponunt. Apostoli munus suum exercere non potuerunt antequam Spiritum Sanctum in die Pentecostes accepissent; episcopi, presbyteri, diaconi munus proprium habent ex gratia Spiritus Sancti, quam in ordinatione acceperunt; christifideles omnes Spiritum Sanctum receperunt in sacramentis Baptismi et Confirmationis, et ex gratia Spiritus Sancti unusquisque donum proprium habet, quod ad bonum omnium exercere debet.

43

BEAT.MUS P. D. PAULUS PETRUS MEOUCHI

Patriarcha Antiochenus Maronitarum

Il me semble que la note ci-jointe de Monsieur le Chanoine Joseph Cardijn pourrait être avantageusement insérée dans le schema qui traite de *l'Apostolat des laïcs.* Cette note, en effet, par le réalisme des situations qu'elle décrit, par l'importance du problème qu'elle propose et par la gravité des conséquences qu'elle fait entrevoir, peut apporter à la réfléxion des vénérables Pères conciliaires de nombreux sujets de considération. Par

ailleurs, les solutions que le Concile pourrait apporter à cette grave question de la jeunesse qui vit loin de la famille et du pays, seront les bienvenues pour tous ceux que préoccupe l'avenir chrétien de l'humanité.

Note de monsieur le chanoine Joseph Cardijn sur la jeunesse dans ce monde.

De iuventute in hoc mundo. « Le problème de la jeunesse dans le monde d'aujourd'hui se pose desormais d'une manière toute différente que dans les siècles passés, à cause de la vie extra-familiale des jeunes, des conditions dans lesquelles leur vie se passe, des problèmes qui y sont impliqués et des influences qu'ils y subissent.

L'Eglise a quelque chose à dire à la jeunesse: sur la grandeur et l'importance de sa mission apostolique et de sa responsabilité dans l'Eglise et dans le monde d'aujourd'hui; sur l'ouverture des jeunes aux autres, à tous les autres, et surtout aux plus démunis; par un esprit missionnaire dans tous les aspects de leur vie » (Jos. Cardijn).

Importance du problème. 1. Plus du tiers de la population du monde est âgée de moins de 20 ans.

2. Plus de 500 millions de jeunes sont au travail, loin de leur famille.

3. L'éducation et l'enseignement des jeunes se font de plus en plus en dehors de la famille: à l'école, à la rue, au travail, pendant les déplacements, les loisirs et les vacances.

4. La jeunesse abandonnée à elle-même est *absolument impuissante* devant l'influence de la technique et de la culture commercialisée (cinéma, télévision, dancings, bars). Cet abandon et cette impuissance s'expriment dans une jeunesse déficiente, criminelle au handicapée; dans les bandes de blousons noirs, Beatels, jeunesse yé-yé, etc.

Mission décisive et irremplaçable de la jeunesse. Ce sont pourtant ces jeunes qui doivent construire le monde de demain, sous *tous* ses aspects: familial, professionnel, social, culturel, religieux, national et international.

Solution du problème. 1. Il n'y en a qu'une: *un mouvement de la jeunesse* — par les jeunes entre eux, pour eux — un mouvement qui les tire de leur isolement et de leur impuissance; qui les *forme* à leur vie et à leur mission, par l'*action,* par *la responsabilité,* par des démarches qui les représentent auprès des autorités; qui organise les services nécessaires à cette formation: orientation de vie, préparation au mariage, service militaire, services de loisirs et de vacances, etc. (Ces services ne peuvent pas être séparés du mouvement de jeunesse lui-même, sous peine de perdre toute valeur éducative).

2. L'Eglise et les Autorités civiles, publiques et privées, doivent reconnaître, recommander et soutenir ce mouvement de la jeunesse.

En ce qui concerne l'Eglise, ne pourrait-elle reconnaître formellement l'Action Catholique de la jeunesse (JAC, JEC, JIC, JOC, etc.) et lui confier ce rôle?

44

Exc.mus P. D. FRANCISCUS MINERVA

Episcopus Lyciensis

Schema *de apostolatu laicorum* in genere placet etiam quia abest prolixitas uti in priori schemate et in nova redactione multa brevius dicuntur.

In hoc schemate optime affirmatur: « vocatio christiana natura sua vocatio quoque est ad apostolatum »; et proinde ius et officium est omnium fidelium apostolatus. Recte etiam dicitur: « hoc ius et officium ad apostolatum oritur ex ipsa christifidelium cum Christo Capite unione in charactere sacramentali Baptismatis et Confirmationis fundata et SS. Eucharistia nutrita. Membra enim eius participant variis modis et mensuris eius regale sacerdotium et divinam missionem ».

Videtur tamen necessarium in hoc schemate de laicorum munere vel functione distinguere in suo apostolatu; quod non dicitur.

Triplex mihi apparet laicorum positio vel functio in apostolatu, praesertim obiecti ratione, scil.: *a*) munus proprium sed non exclusivum in apostolatu generico, nempe baptismi et confirmationis virtute; *b*) munus vel positio delegata ad hierarchiae apostolatum participandum; *c*) munus vel functio propria et exclusiva in ordine temporali christiano afflatu perfundendo.

1. *Genericus apostolatus* sic dictus est Ecclesiae actio propria ad finem supernaturalem hominis ducenda. Est actio proinde totius Corporis mystici; unde omnia membra variis modis et mensuris in ipsius Corporis mystici aedificationem partem habere debeant.

Pius XI in encyclica *Firmissimam constantiam* bene affirmabat: « Ogni cristiano che comprende la sua dignità e sente la sua responsabilità di figlio della Chiesa e di membro del Corpo Mistico di Gesù Cristo (multi unum corpus in Christo, singuli autem alter alterius membra) non può non riconoscere che fra tutte le membra di questo Corpo deve esistere una comunicazione reciproca di vita, di solidarietà d'interessi. Di qui il dovere di ciascuno in ordine alla vita ed all'incremento di tutto l'organismo in aedificationem Corporis Christi; di qui ancora l'efficace contributo di ciascun membro alla glorificazione del Capo e del suo Corpo Mistico ».

2. *Apostolatui hierarchico participatio.* Evangelizatio et hominum sanctificatio (apostolatus quidem religiosus et spiritualis) stricte et directe hierarchiae pertinet secundum Christi mandatum: « Euntes docete... baptizate ». Sed apostolatui huic numquam defuit sollicita et efficax collaboratio laicorum, qui, in suo statu manentes et suo modo agentes, hierarchiam adiuvant. In munere hoc vero laici tamquam vocati vel admissi ad apostolatus hierarchici participationem sunt; proinde mandatum explicite hierarchiae necesse habent. Munus hoc laici non iure proprio sed a hierarchia delegati explent.

Pius XI in *Laetus sane nuntius* del 6-11-1929 asserendo actionem catholicam apostolatus hierarchici Ecclesiae participationem esse, affirmabat: « Coloro i quali militano nell'A. C., per una grazia speciale di Dio sono chiamati e scelti per quest'opera così somigliante a quella del sacerdote; poiché l'A. C. alla fine non è che l'apostolato dei fedeli che sotto la guida dei Vescovi, si mettono a servizio della Chiesa e l'aiutano a compiere integralmente il suo ministero pastorale... La schiera eletta dei cattolici così riuniti a disposizione della Gerarchia ecclesiastica, come riceve da questa il mandato, così ne accoglie il vigoroso impulso ».

Apostolatus hic proinde in nomine hierarchiae laici explent et in septis ab ipsa hierarchia circumscriptis.

3. *Apostolatus proprius et exclusivus.* Laicus est civis qui in mundo vivit et in mundo operat; sed semper manet christifidelis et Corporis mystici Christi membrum. Proinde in mundo Christi testis et fermentum esse debet, et in tota activitate sua supernaturaliter agere debet ita ut christiano afflatu in ordine temporali perfundat.

Missio haec, scil. mundi et ipsius temporalium structurarum christianizatio, proprium est laicorum et ipsis exclusive pertinet. Activitate temporali propria laici, Christum portantes, in mundo iustitiae et caritatis sugellum ponere debent, ut ipse mundus Christo submittant et per Christum Patri.

Ioannes XXIII in *Mater et Magistra* Encyclica sic loquitur: « La Chiesa oggi si trova di fronte al compito immane di portare un accento umano e cristiano alla civiltà moderna: accento che la stessa civiltà domanda e quasi invoca per i suoi sviluppi positivi e per la sua stessa esistenza... La Chiesa viene attuando questo compito soprattutto attraverso i suoi figli laici, che a tale scopo devono sentirsi impegnati a svolgere le proprie attività professionali come adempimento di un dovere, come prestazione di un servizio, in comunione interiore con Dio e con Cristo e a sua glorificazione ».

Ex hac laicorum distinctione vel divisione facile apparet varios relationis modos quoad hierarchiam admittere deberi; uti in n. 18 huius schematis bene dicitur.

45

Exc.mus P. D. THOMAS MORRIS
Archiepiscopus Cassiliensis

Exc.mus relator iam exposuit rationes ob quas aliquae quaestiones magni momenti in schemate *de apostolatu laicorum* tantummodo adumbrari potuerint. Ne dum breves esse studemus obscuri fiamus, vellem sublineare ea quae dicuntur de investigatione sociali scientifica in par. 7, pag. 9. Ibi dicitur (lin. 29): « Missionis suae apostolicae in his diversis ambitibus conscii, laici diligenter studeant homines et res aspicere, iudicare et agere lumine fidei ». Huius moniti fons proximus est illud Ioannis XXIII, felicis recordationis,

in Litteris Encyclicis *Mater et Magistra,* ubi legitur: « Iamvero doctrinae praecepta, quae sunt de rebus socialibus, plerumque per tres hos gradus ad effectum adducuntur: primum quae sit vera rerum condicio circumspicitur; deinde hic rerum status diligenti aestimatione cum praeceptis iisdem confertur; tum demum quid suscipi possit quidve suscipi debeat statuitur, ut normae quae traditae sunt, pro temporum locorumque habitu, usurpentur. Qui tres procedendi gradus tribus hisce verbis: aspicere, iudicare, agere, passim significantur » (*A.A.S.,* vol. 53, p. 456).

Sermo noster est igitur de primo gradu, de methodo res aspiciendi. Periculosum sane est ad actionem procedere absque praevio iudicio ad normam legis Dei, sed dum attendimus ad legem moralem et evangelicam recte explicandum, necesse est quoque ut pro iudicio nostro fundamentum habeamus per accuratam cognitionem rerum et situationum. Haec est ratio cur, in eodem numero schematis, linn. 31-36, fiat commendatio investigationis socialis scientificae; ibi dicitur: « Investigationem quoque scientificam ipsorum ambituum promoventes, studeant quomodo caritatem erga personas praebeant, immo etiam structuras sociales secundum Evangelii doctrinam transforment ».

Methodus empirica, quae hic commendatur, utilis est ad alios quoque fines pastorales consequendos praeter investigationem ambituum et transformationem structurarum socialium. Iam in discussione schematis *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia,* plures Patres rogaverunt ut in schemate mentio explicita fieret de sociologia pastorali. Usus methodi empiricae iam fovetur in Ecclesia: in hoc campo plurimi iam laborant, tum laici tum sacerdotes; instituta specialia condita sunt; crescit copia librorum et periodicarum; est etiam foederatio internationalis institutorum quae studio sociologiae religiosae incumbunt. Attamen necesse est ut pastores melius intelligant utilitatem huius methodi empiricae, ad quam forsitan indoles nostra doctrinalis parum nos inclinat. Tum ad actionem pastoralem Ecclesiae promovendam, tum ad apostolatum laicorum, necesse est ut crescat numerus eorum qui in his disciplinis — novis quidem — exercentur.

Plura sunt problemata quae nobis causae sollicitudinis sunt: e. g. emigratio et migratio populorum, exinanitio regionum ruralium, conglobatio in magnis urbibus (sic dicta « urbanizatio »), alterationes relate ad vitam domesticam et familialem, status adolescentium, vulgo « teenagers », quorum aliqui inquieti vel immo turbulentes sunt, difficultates illarum nationum quae in statu evolutionis politicae, oeconomicae et socialis versantur, etc. Ad talia problemata quod attinet, beatius est magis investigare et explorare quam deplorare tantum.

Ad signa temporum discernenda multum confert ille modus aspiciendi qui perficitur investigatione scientifica, adhibendo nempe scientias sociales — sociologiam, psychologiam socialem et anthropologiam —. Neque expectandum est ut hae scientiae statim responsum praebeant ad omnes quaestiones nostras; laboriosum opus est, et non sine incommodo, immo non sine

periculo aliquo. Methodus empirica est instrumentum, utile quidem licet imperfectum relate tum ad apostolatum laicorum tum ad pastoralem actionem Ecclesiae.

Sub alio quoque respectu considerari potest methodus empirica, relate nempe ad « dialogum » vel colloquium Ecclesiam inter et mundum. Nam dialogus non fit a solo, non est soliloquium neque monologium. Dialogus perficitur non solum loquendo sed etiam auscultando; necesse est ut una pars expectet responsum ab altera. Ad mentalitatem hominum nostrae aetatis penitius investigandam et ad processus sociales dignoscendos omnino necessarium esse videtur ut recurramus ad investigationem socialem scientificam. Sic vera et alta prudentia exhibetur, nam Ecclesiam oportet esse « in mundo praesentem et tamen peregrinam ».

Proponitur: Retinendo mentionem « investigationis scientificae » tamquam commendatio methodi empiricae, detur nova ordinatio materiae in pag. 9, linn. 31-36, ut clarius appareat investigationem scientificam referre ad illud « aspicere, iudicare, agere ».

46

Exc.mus P. D. ADOLFUS ALEXANDER NOSER

Episcopus tit. Hierpinianensis, vic. ap. Portus Alexii

De apostolatu in missionibus mentio fit, sed tantum brevissime et quasi transeunter. Sed de facto, hodie in missionibus sunt plures laici — viri et mulieres — qui ut auxiliares (Lay Mission-Helpers) missionariis sacerdotibus in multis adiuvant. Utique in pag. 9, lin. 19 mentio fit de iis « Qui in alienis nationibus laborant » sed videtur sermonem esse non de his auxiliaribus. Iterum pag. 17 linn. 9-20 habetur sermo de eis, sed magis in genere, etsi brevis mentio fit missionis in lin. 15 « in catholicis missionibus ».

Bonum esset si numerus istorum laicorum auxiliarium valde cresceret, sed sunt plures laici qui nequidem de possibilitate huius auxilii cogitant. Oportet eorum attentionem ad hanc vocationem dirigere — et simul eos qui iam in missionibus sunt confortare — inserendo specialem paragraphum in n. 8 de ista forma valde moderna apostolatus — de laicis auxiliaribus in missionibus exteris.

Si autem iudicatur hoc iam contentum esse in verbis in pag. 17 linn. 9-20, claritatis causa bonum esset dicere: lin. 9 « ... digni sunt laici *auxiliares,* sive... »; lin. 16: « ... hos laicos *auxiliares* grato... »; lin. 11 « ... peritia professionali *gratis* exhibent ».

Secus non constat utrum his agitur de iis qui vere auxiliares sunt — i. e. qui servitium gratis exhibent — an de iis qui stipendium pro servitio suo accipiunt.

Ad pag. 8, lin. 8: addantur verba « ... Ecclesia *addictus, tum intra fines nationis suae, tum in missionibus exteris* ».

Apta centra maxime requiruntur ad seligendos et formandos istos laicos auxiliares qui in missionibus exteris laborare intendunt.

47

Exc.mus P. D. GODEFRIDUS OKOYE
Episcopus Portus Harcurtensis

Without making an intervention in the Aula I wish to contribute my opinion about this Schema. I have great praise for it as it points out that the Lay Apostolate has always existed in the Church and pertains to the very nature of the Church itself, even though today its necessity is more clearly to be seen than ever before.

It is hard therefore to understand the exaggerated tone of some speakers in the Aula who give the impression that lay people have up to now been given no place at all in the Church. One speaker even found fault with the statement of St. Ignatius of Antioch quoted in the Schema: « Nihil sine episcopo ». St. Ignatius' teaching is in keeping with tradition and with the divine institution of the office of bishops and should be retained.

To those who think that the layman has had hitherto no say in the Church I say that such is not the case in Nigeria. In Nigeria every parish has a committee of laymen who keep the parish priest informed about parish affairs and help him to run the church. These committees freely express their opinions also to the bishop in many things connected with the running of the diocese, and their wishes are well respected both by the parish priest and the bishop.

1. I would like here to make two suggestions: I agree with those who point out that the Prooemium should show more theological connection between this schema and those of « De Ecclesia » and « De Ecclesia in mundo hodierno », where the laity are also treated.

2. Although the Schema mentions that holiness of life is a necessary condition for the fruitful apostolate of the layman, I find the references too sparse to attract the attention of the ordinary reader. I therefore suggest a paragraph or a sub-paragraph with the heading: "Conditions for a fruitful Apostolate" to be devoted to the treating of this very necessary point. "Without me you can do nothing", says Christ. Without union with Christ our apostolate will bear no fruit. It would be good therefore to add as a subsection (*a*) of the exhortatio finalis this heading: "Conditions for a fruitful apostolate" leaving what is there at present as (*b*). Under these conditions will be gathered together all those virtues mentioned here and there in the Schema as needed in the lay-apostolate: obedience to the ecclesiastical authority, humility, self-effacement, justice, charity, etc. Ex-

perience shows that what are excellent works in themselves often bear little fruit because of lack of those virtues, when pride, envy, fighting for posts of prominence, etc. are manifested in the members.

In this Exhortatio finalis mention should be made explicitly that those who lead holy lifes are strong witnesses to the Faith and are performing a great apostolate by good example. "Let your light shine before men that they may see your good works and glorify your Father who is in heaven". Such a apostolate is very valuable, even though such people may not take part in an organized apostolate. It is of course desireable that they should. A University professor, an unbeliever, once told me that from what he saw of the lifes and actions of many of our cristians he had no desire to become a Christian. He has nothing to learn from them as far as virtue goes, he says. How great is the need for and what great good can be done by this apostolate of good example! Hence there is need for this Sacred Synod to stress the need of the practice of virtues, holiness of life and good example in our laity as a necessary condition of fruitful apostolate.

48

EXC.MUS P. D. PETRUS PALAZZINI

Archiepiscopus tit. Caesariensis in Cappadocia

1. *Prooemium* et n. 1. Necessarium est ut in his numeris clare dicatur — etiam ad hoc ut totum schema clarius evadat — quaenam sit natura propria et finis specificus apostolatus laicorum. Schema quidem huic quaestioni innuit in pag. 1, lin. 16, sed per transennam tantum, neque ipsam ullo modo declarat. Adducitur e contra ratio secundaria — nempe cleri penuria — quae nequidem ratio vocari valet, nam profecto *missio ecclesialis* laicorum est *missio laicalis,* haud vero *clericalis.*

Hic defectus praecisionis circa *naturam et finem specificum* apostolatus laicorum — omnium laicorum — animadvertitur in genere per totum textum schematis. Videtur enim ac si missio specifica laici sit *collaborare cum missione apostolica hierarchiae,* quod sane verum non est. Missio specifica laici — omnium laicorum — est christianas facere omnes res temporales — sociales, culturales, artisticas, familiares, scientificas, etc. —, quod revera *directe, per se et immediate non est missio apostolatus hierarchiae,* etsi sit quidem *missio Ecclesiae.* Res est haec maximi momenti, quae clare et patenter elucere debet per integrum textum schematis. Neque sufficit brevissima paragraphus n. 11, linn. 32-35, nam quae ibidem dicuntur quasi dissolvuntur inter alias ideas expositas solummodo circa collaborationem directam laicorum in apostolatu hierarchico.

2. Nn. 9-12. Censeo hos numeros denuo redigendos esse, ob rationes praecisionis supra expositas. Plura dicuntur quae sunt quidem bona, at non necessaria, neque utilia ad rite specificandos fines apostolatus laicorum. Quae

dicuntur in multis paragraphis, immo et in integro textu nn. 10 et 12, includi possent in quolibet textu pro sacerdotibus vel religiosis, quin necessarium esset hoc in casu aliud facere praeter quam ponere *sacerdotes* vel *religiosi* ubi nunc legitur *laici.*

3. N. 14, pag. 24-26. Disertius affirmari debet libertas laicorum in erigendis associationibus, scil. in iisdem condendis atque ordinandis, propria constituendo statuta iuxta quae associationes illae regantur. Quapropter proponi potest textus emendatus ut sequitur: « Salva debita cum auctoritatibus ecclesiasticis relatione, libertas laicorum in hisce piis associationibus condendis atque, iuxta statuta libere ab ipsis admissa, ordinandis, itemque in adhaesione eis danda, agnoscatur ».

Ita affirmatur libertas laicorum tum ad condendas consociationes tum ad easdem libere ordinandas (seu organizandas). Neque dici debet « *praesertim* in adhaesione eis danda », sed « *itemque* in adhaesione eis danda », ne libertas in condendis hisce associationibus minuatur, per verbum « praesertim » quoad adhaesionem.

4. Nn. 15-16. Taxative statuitur sub n. 15 (pag. 14, linn. 11-14) ut Commissio Codici Iuris Canonici revisendo « ea quae de consociativis apostolatus laicorum formis in hoc decreto dicuntur, in ius condendum recipiat ». Sed revera, in exarandis tum n. 16 tum etiam perpluribus paragraphis schematis circa finem, naturam, regimen et ordinationem istarum associationum, prae oculis habitae sunt tantummodo normae hodie vigentes pro associationibus Actionis Catholicae, dum omnino silentio praetereuntur aliae bene meritae consociationes laicorum, tam *apostolicae* et diffusae quam Actio Catholica, cuiusmodi sunt Legio Mariae, Confraternitas Doctrinae Christianae, Congregationes Marianae, etc. (quibus forma, methodus apostolatus, regimen atque ordinatio peculiaria sunt). Huiusmodi associationes non desiderant includi sub nomine communi vel sub structura Actionis Catholicae, quod praeterea neque necessarium neque opportunum videtur, at schema de facto id statuit. Coordinatio apostolatus laicorum melius obtineri potest per alia media, semper salva manente libertate sese associandi.

Quam ob rem vel classificatio associationum in schemate fit solummodo ratione finium (quo in casu necessarium non est ut Actio Catholica explicite nominetur), vel fit classificatio nominalis, sed tunc iustum est ut etiam includantur reliquae associationes apostolicae laicorum.

5. N. 16, pag. 15. *a*) Ad linn. 3-5: ne impressio habeatur possibilis coactionis ex parte hierarchiae ut quis partem efformet Actionis Catholicae, alia redactio textus sub littera *d*) proponenda est, videlicet: « Laici, sive sponte sese offerentes, *sive ad actionem et directam cum apostolatu hierarchico cooperationem invitati,* agunt... ». *b*) Ad linn. 5-6: agitur de *mandato,* quo quaedam opera apostolatus arctius cum proprio munere Ecclesiae coniunguntur, sed quo tamen non tollitur libertas laicorum sua sponte agendi, quo scil. *non mutatur natura associationis.* Cum vero verbum *mandatum* contrariae interpretationi ansam praebere possit, imprimis ipsum verbum *mandatum*

litteris inclinatis scribatur oportet, et insuper addi deberet: « *iuxta infra dicenda* (n. 18) ».

6. N. 17, pag. 15, lin. 15. Quia non paucae habentur et haberi debent quae sunt interdioecesanae vel internationales, tolli debent verba « in dioecesi aut paroecia », ita ut textus sit: « ... eae vero quas hierarchia, secundum temporum necnon et locorum necessitates, laudaverit vel commendaverit *vel, cum ad bonum Ecclesiae urgentiores sint, instituendas decreverint,* a sacerdotibus... ».

7. N. 18, pag. 15. In hoc numero quaestio est de relatione ad hierarchiam, et distinctio fit inter *incepta apostolica,* seu quae apostolatum respiciunt, una ex parte, et *opera ordinis temporalis* alia ex parte. Quoad haec ultima hierarchiae tantummodo est invigilare in rectam fidem et bonos mores. Quoad priora, hierarchiae praeterea est principia stabilire, subsidia spiritualia afferre atque illa statuere quae *bonum commune supernaturale* requirit. Quapropter clarius enuntiari posset pars quam habet hierarchia, et quidem sequenti modo: « Cum agitur de inceptis laicorum quae apostolatum respiciunt, sacrae hierarchiae est eadem fovere, principia generalia quibus nituntur enuntiare, subsidia spiritualia eisdem afferre, in eadem invigilare ut fidei et morum integritas semper servetur, atque tandem pro rei opportunitate ea statuere quae rectus ordo boni communis supernaturalis requirit.

Cum autem agitur de operibus et institutionibus ordinis temporalis, eiusdem ecclesiasticae hierarchiae munus est vigilare ut puritas fidei ac morum servetur, in specie authentice interpretari et enucleare ordinis moralis principia... » (Notetur hanc potestatem, quam hierarchia exercet vi magisterii, non tantum attingere catholicos, sed omnes homines. Ideo tollenda sunt verba: « *pro catholicis* »).

8. N. 19, pag. 16, linn. 29 ss. usque ad pag. 17, lin. 5. Textus uti iacet relationem habere videtur tantum ad consociationes Actionis Catholicae *sensu stricto* sumptas. Latius itaque enuntiari debent quae in hoc numero habentur, ita ut textus vi polleat etiam quoad omnes associationes apostolatus laicorum.

Praeterea, sicut semper in Ecclesia admissum est, piarum consociationum consiliarii spirituales seu sacerdotes cappellani non debent ab episcopis nominari, sed libere eliguntur ab ipsis associationibus, *saltem privatorum,* inter sacerdotes ab episcopo approbatos. Sane episcopus (vel superior religiosus, pro associatione propriae religioni unita) potest interdicere ne talis sacerdos hoc munus accipiat, sed principium est semper quod ipsae associationes (saltem privatae, *quae scilicet libere a fidelibus sunt conditae*) sibi eligant cappellanum.

Tandem in hoc numero verba lin. 34, pag. 16 et linn. 1 et 2 pag. 17 ita sonant ac si sacerdotibus cappellanis demandaretur directio spiritualis illorum fidelium qui in associationibus congregantur. Iamvero munus cappellani est tantummodo activitatem consociationis fovere et bonum spirituale membrorum promovere quatenus in associatione partem habent. Quapropter

alia proponenda videtur redactio, nempe: « Sacerdotes, qui munere consiliarii spiritualis vel cappellani aliove munere funguntur, seligantur qui apostolatui laicorum iuvando idonei et apte formati sint. Qui vero huic ministerio vacant, cum semper vi missionis a hierarchia acceptae agant, hancque repraesentent in sua actione pastorali, aptas laicorum relationes cum ipsa foveant, et quam maxime cordi habeant ut fideles sint doctrinae et spiritui Ecclesiae; ut bonum spirituale et sensus apostolicus in consociationibus sibi commissis promoveatur sese impendant, semper curantes ut libertas fidelium in seligendo confessario directoreve spirituali integra servetur; omnium apostolicae operositati sapienti consilio suo adsint atque incepta foveant; ... » (Omni prudentia vitari debet ne cappellanus sibi arrogare possit ius exigendi aliquo modo ut membra suae associationis directionem spiritualem seu « educationem vitae spiritualis » ab ipso recipiant. Hoc vero — quod pro dolor iam contingit in aliquibus associationibus fidelium — esset pro laicis impositio alicuius obligationis quae nequidem religiosis imponitur, quia libertatem conscientiae laederet).

9. N. 19, pag. 17, linn. 16-17. In hoc numero dicitur: « curent (pastores) ne condicio iuridica eorum (laicorum) indefinita relinquatur ». Haec verba tolli debent, eo vel magis quod ambigua sunt. Ex eo enim quod laici partem habent in actione apostolatus nulla exsurgit nova condicio iuridica pro ipsis. Omnes laici tenentur suo modo partem habere in apostolatu, uti in textu affirmatur. Hanc autem partem habent uti laici fideles, sed ex eo minime quidem habetur nova condicio iuridica. Immo vero, ad efficacitatem eorum apostolatus roborandam, omnino non expedit ut ista condicio, clara et bene definita, qua fruuntur — sunt enim laici sensu pleno, coram Ecclesia et coram Statu —, ulla de causa mutationem vel limitationem patiatur.

49

Exc.mus P. D. ANDREAS PANGRAZIO
Archiepiscopus Goritiensis et Gradiscanus

Super schema proponuntur quaedam observationes particulares.

Prooemium. Pag. 5, lin. 4, expressio « postquam egit de laicis in constitutione *de Ecclesia* » substitui posset verbis, quibus innuitur id quod continetur in n. 33 schematis *de Ecclesia,* nempe verba: « postquam de laicis in Ecclesia deque eorum dignitate ac vita salutifera et apostolica iam egerit in constitutione *de Ecclesia* etc. ». *Ratio* est: melius et clarius indicatur argumentum.

Verba autem opportunius ponerentur post verba: « Sacrosanctum Concilium Vaticanum II ».

In eadem lin. 4 auferendum esset « hi » et in lin. 6 « dignitas et ».

Pag. 5, linn. 9-10. Expressio opportunius mutaretur in sensu affirmativo: « Nulla aetate defuit in Ecclesia apostolatus laicorum, nam ad ipsam

naturam Ecclesiae pertinet ». *Ratio*: conceptus clarior est, sed praesertim melius indicat rationes successivas urgentes quidem sed extrinsecas esse.

Quapropter a lin. 10 textus ita modificari deberet: « Nostra vero tempora omnino latiorem apostolatum expostulant, cum progressus scientificus et technicus etc. » usque ad lin. 14 « non solum dilataverint huiusmodi apostolatus laicorum campum sed etiam nova problemata excitaverint ».

Pag. 5, lin. 16. Verba « suapte natura necessarius » sunt inutilis repetitio.

Pag. 5, linn. 26-27 et pag. 6, linn. 1-2. Repetuntur conceptus qui postea exprimuntur in pag. 6, linn. 7-8-9. Haec ultima verba utiliter praeferenda viderentur, et prima relinquenda, eo magis quod verba « vocatio christiana etc. » invenitur etiam in n. 3, pag. 7, linn. 6-7.

Pag. 6, lin. 31. Verba « quod est signum » optima quidem sunt sed non necessaria, si referuntur praevalenter ad verba « pauperum sollicitudine », prout mihi videretur, quia de hoc agitur etiam in schemate « de Ecclesia in mundo » n. 16, pag. 17, linn. 14 ss., et n. 17, pag. 18, linn. 31 ss. Si vero expressio « quod est signum » ad omnia refertur, tunc sola expressio magni momenti est « Christum in fidelibus suis viventem manifestans », et melius poneretur in lin. 28 post verba « activitatem humanam pervadens », ante verba « elucescere debet ».

Pag. 7, lin. 17. Adiungenda essent verba « vero spiritu supernaturali animatus ». *Ratio*: evitanda est interpretatio nimis naturalistica.

Pag. 7, lin. 20 « utque » substituetur « suamque actionem etc. ».

Pag. 7, linn. 22-24. Verba « omnibus omnino impertienda est » melius ponerentur in fine lin. 24.

Pag. 7, lin. 29. Adiungenda clare verba « etiam a religiosis sive viris sive mulieribus, necnon in scholis etc. » ut evitentur, prout saepe accidit, erratae interpretationes.

Pag. 8, n. 4. Non videtur opportunus numerus separatus; posset adnecti numero sequenti.

Pag. 8, lin. 22. Post verba « ad matrimonium praeparent » adiungantur verba: « coniuges ipsos ad recte, pie ac sancte vivendum in matrimonio operam praestent, necnon etc. ». *Ratio*: ut indicetur particulare opus apostolatus pro vita coniugali spiritui christiano vere conformi, et clarius innuantur quaedam formae apostolatus familiaris.

Pag. 8, ad n. 6. Quaedam modificatio facienda videtur: anteponendus nempe esset conceptus generalis unionis in dioecesi, et deinde unio in paroecia. Textus ita modificandus: « Tum in dioecesibus, tum in paroeciis, laici operentur intime cum suis pastoribus coniuncti, et mundi gaudia et inquietudinem suasque quaestiones et problemata communitati Ecclesiae afferant. Adlaborent viribus unitis et obsequentes episcopo agant, cuius est totius dioeceseos, quae est Ecclesia localis, apostolatum moderari, iuxta illud S. Ignatii Antiocheni, « nihil sine episcopo ». Per apostolatum laico-

rum paroecia, vero spiritu missionali informata, vere se manifestat ut communitatem fidei, spei et caritatis etc. ».

Pag. 12, lin. 35. Auferenda videntur verba « ne opera quibus adiuvant quasi adminicula dominandi appareant ». *Ratio*: Periculum quidem reale est, sed in contextu verba male sonant; ita ut reliqua, et quidem valde pulchra, obscurentur.

Si autem expressio relinquenda esset, melius poneretur tamquam admonitio finalis, prout erat in textu praecedenti pag. 39, lin. 20. « Caveant igitur ipsi ne opera quibus adiuvant quasi adminicula dominandi appareant ».

Pag. 13, linn. 15-23. Opportunum videtur primo loco indicare quae « Finem generalem apostolicum ipsius Ecclesiae sibi proponunt »; quod melius coordinatur cum iis quae dicuntur in nn. 16 et 17.

Pag. 13, lin. 26. « Vitanda tamen est virium dispersio ». Verba sunt satis clara nec indigent specificatione. Ideoque omitti poterunt linn. 27 et 28.

Pag. 14, linn. 1-2. Haec verba non sunt in ordine logico. Videntur ponenda post verba pag. 13, lin. 26 « vitanda tamen est virium dispersio, et translatio sine discrimine formae organizativae ab una in aliam nationem ». Tali modo responderetur iis quae ab aliquo Patre dicta sunt in aula, et melius servatur ordo logicus etiam relate ad organizationes internationales.

Pag. 15, linn. 21-27. Verba videntur auferenda. Agitur enim magis de criterio generali, quod respicit modum operandi Ecclesiae in mundo, et quod opportunius complere posset quae dicta sunt in schemate « de Ecclesia in mundo » n. 14, pag. 15, linn. 25-41. Eo amplius quod criterium de quo agitur valet non solum pro operibus apostolatus sed pro tota vita Ecclesiae.

Pag. 17, linn. 27-30. Haec verba non sunt nec necessaria nec opportuna quia respiciunt problema quod iam resolutionem habet in schemate « de pastorali episcoporum munere » pag. 17, linn. 3-7 ubi agitur de « Consilio pastorali » « in quo clerici, religiosi et laici, specialiter delecti, partes habeant ». Ex alia parte exigentia coordinationis iam indicatur in linn. 33-34 sub verbis « cooperantibus convenienter clericis et religiosis et laicis ».

Pag. 18, n. 21. Quae in hoc numero dicuntur magis respiciunt Ecclesiam in mundo, et quidem pluries enumerantur in relativo schemate e. g. n. 18, pag. 19, linn. 17-19, et pag. 20, linn. 11-14.

50

EXC.MUS P. D. GEORGIUS PEARCE

Episcopus tit. Attalensis in Pamphilia, vic. ap. Insularum Samoa et Tokelau

Schema *de apostolatu laicorum*, ut prostat, placet. Attamen, videtur esse in quinta parte complendum. Etenim, in hac parte tractatur « de ordine servando » in apostolatu, et quidem de relationibus laicorum ad apostolatum deditorum, 1. cum ecclesiastica hierarchia, 2. cum pastoribus in genere,

3. inter se, et 4. cum cooperatoribus non catholicis. Unum videtur deesse, quod est potissimum, videlicet: tractatio de relationibus inter ipsos laicos *et illos homines ad quos missi sunt.* Quid enim prodesset perfectissima agminis apostolici compositio, si ita operaretur ut homines ab eo se averterent?

Unde necesse videtur eum agendi modum commendare qui hanc aversionem non provocet, sed potius homines ad Christum attrahat.

Mens quippe hominum nostri temporis abhorret ab iis omnibus unde libertas ac dignitas eorum vel minime minui videtur, ac etiam a sic dicto *paternalismo.* Experientia autem tum antiqua tum etiam recentiore patet apostolatum catholicum huius generis defectus nec semper nec facile devitare. Ad occurrendum illis defectibus, vere fraterno more, et ex pari, cum hominibus conversandum est.

Summus autem Pontifex Paulus VI, in Encyclica *Ecclesiam Suam,* necnon plures patres in suis conciliariis allocutionibus, ac etiam schemata nobis proposita, praesertim de Oecumenismo, commendant *dialogi* exercitium cum omnibus, reverentiamque erga personas et conscientias, quorum commendationum effectus in apostolatu laicorum summopere prodire debent.

Si tandem ad Sacram Scripturam attendimus, non desunt exempla et monita quibus ducamur, verbi gratia, modus quo Christus apud Zacchaeum se habuit (iuxta Evangelium S. Lucae, cap. 19), vel eius cum Samaritana colloquium (iuxta cap. 4 S. Ioannis); praeclarum etiam exemplum datur visitatione et commoratione B. Mariae Virginis apud Elizabeth; attendendum est tandem apostolum Paulum, sive Areopagitas alloquentem (in *Act. Ap.,* cap. 17), sive apud Galatas commorantem prout ad ipsos postea scribit (cap. 4).

Ut igitur supradicta ad effectum perveniant, propono novam paragraphum in fine parti V schematis addendam, qua audita, si mihi licet eam vobis legere, venerabiles Patres, melius intelligetis quid per fraternam habitudinem in apostolatu exercendo intendam:

1. Ecclesiae doctrinae pastoralique auctoritati firmiter adhaerentes, contraria tamen non contemptim nec acerbe impugnant. Dum fidei testimonium aperte reddunt, verum a falso, et bonum a malo dignoscere non timentes, semper tamen debitam aliorum conscientiae *reverentiam* praestent. Nec auctoritate nec ingenio nec superelatis certitudinibus alios gravent, sed, media pauperiora eligentes, divitias Christi fraterno more proponant.

2. Ad fraternam quamdam aequalitatem servandam, operam ab iis accipere curent, quibus operam daturi sunt. Sic *mutuo communicari* possunt tum auxilia practica, tum notitiae, tum amica officia, etc. Ipsum Christum quem aliis quodammodo praebent, in iisdem alio modo sciant invenire.

3. Fratres quos ab errore seu ignorantia seu egestate seu alia quavis servitute liberare intendunt, ad *propriam libertatem adipiscendam* inducant et iuvent, mutua fiducia cooperantes et communi gressu procedentes, nec ab humillimis incipere recusantes.

4. Necessitatibus quas alii sentiunt prius attendentes et subvenientes, inde viam sternant ad novas quaestiones et necessitates dein patefaciendas. Hominum *expectationibus et conatibus prius consentientes,* illos deinde in partem spei christianae vocabunt. Non igitur eodem modo cum omnibus agendum est, sed ex singularum communitatum sive personarum intima cognitione et consensione proprius deducatur procedendi modus.

Ad haec intelligenda et agenda saepe meditentur varias Evangelii et Apostoli paginas, sibique praesertim proponant imitandum Christum cum Zacchaeo conversantem necnon B. Mariam Virginem Elizabeth visitantem.

51

Exc.mus P. D. IOANNES EDUARDUS PETIT
Episcopus Menevensis

Membrum commissionis sum, sed *loquor nomine meo* et aliorum episcoporum. Duas emendationes proponimus.

1. Plane videtur formationem apostolicam (de qua, in pag. 7, n. 3, tractatur) cor et animam esse totius schematis. Ideo sectio haec maximi momenti est. Sine formatione nihil efficitur.

Proh dolor — per notabilem contractionem schematis, haec sectio nunc ad ossa et pellem reducitur — sed adhuc vivit.

Bene dicitur (pag. 7, lin. 31) sacerdotes prae oculis habere in catechesi et ministerio verbi, in moderamine animarum et administratione Sacramenti poenitentiae, necessitatem educationis laicorum ad apostolatum, sed timorem habemus, ne apostolatus laicorum, sive sub nomine Actionis Catholicae sive alterius tituli, se immisceat in re politica.

Ideo proponimus, ut in lin. 34, addantur haec vel similia verba « sed in horum officiorum exercitio stricte prohibentur partes politicas fovere ». *Ratio* huius emendationis per se patet.

2. Alteram emendationem proponimus, et est — ut, in pag. 16, lin. 8 —, ante verbum « recognoscuntur », addantur « variis modis », et deleantur duo paragraphi sequentes, nempe a verbis « Insuper ecclesiastica auctoritas » (lin. 9), usque ad verba « ecclesiasticae moderationi » (lin. 22).

Paragraphi istae tractant, ut videtis, de missione canonica et de mandato.

Sed nonne valde controvertitur utrum laici *in sensu vero* participant in apostolatu hierarchico?

Ad quid proficit terminologia uti, quae distinguere videtur inter incepta apostolica quasi maioris vel minoris gradus sint?

Nonne melius esset isto modo iuridico *non* loqui?

Nonne terminologia haec, viam pandit invidiae necnon disputationibus inter laicos ad incepta apostolica dedicatos?

Mihi omnino placet oratio prima huius disceptationis ab em.mo card. Rit-

ter pronunciata de hoc puncto et quidem de omni re. Punctum ictu tetigit. He hit the nail on the head.

Haec Sancta Synodus iam declaravit in schemate *de Ecclesia*: « Et si quidam ex voluntate Christi ut doctores, mysteriorum dispensatores et pa-stores super alios constituuntur, vera tamen inter omnes viget aequalitas, quoad dignitatem et actionem cunctis fidelibus communem ».

Totus conceptus huius schematis intelligitur et describitur ut servitium Christi et Ecclesiae. Verum est et laici et cleri participare in eodem apostolatu non semper eodem modo sed certo certius participant in illo, *suo proprio iure*.

In diebus nostris quod maxime conferre potest ad exitum apostolatus laicorum, modo humano loquendo, est flexibilitas in organizatione non rigiditas. Omnino cavendum est ne schema hoc, impressionem dominationis clericalis det non solum christifidelibus sed toto mundo.

Optime dictum fuit in relatione generali ad capitulum « de laicis » in schemate *de Ecclesia* nempe « Subcommissioni curae erat magis quam distinctionem, quae reapse inter hierarchicos et laicos existit, urgere *socium utrorumque laborem apostolicum* ex virtute communis sacerdotii, tam in ordine sanctificationis quam in ordine doctrinae et directionis ». Nonne possibile esset in hoc schemate istam phrasim includere?

52

Exc.mus P. D. IOSEPH PETRALIA
Episcopus Agrigentinus

Haud levi, fateor, afficior animi dolore quod schema *de apostolatu laicorum* pessimo dicendi genere exaratum est. Patet enim totam schematis summam prius vulgari eloquio in mente conceptam esse et posterius in pedestrem formam, quam falso latinam diceres, translatam.

Cura igitur, exc.me Frater, ut, ubi finis disputationibus sit aliquando impositus, schema istud, quoad rem perfectum, doctis et romanum sermonem bene callentibus tradatur, qui bonam nitidamque ei formam conferant, ob quam nec Cicero nec Hieronymus erubescat.

Vide quanam concinnitate constitutiones et decreta Concilii Tridentini necnon Vaticani I expolita sint! Cur Vaticanum II, quod ad posteros ut mirabilissimus et foecundissimus eventus et quasi nova Pentecostes transibit, foeda et pedestri forma se hominibus exhibebit?

Si Regina est Ecclesia, regalia, enixe precor, induat vestimenta!

Veniam humiliter rogo et multa fausta tibi, pro Christi gloria et Ecclesiae, iuxta ardentia Ss.mi Domini Pauli VI vota, sed et pro tui ipsius spirituali incremento, ex intimo corde ominor.

53

EXC.MUS P. D. ERNESTUS PRIMEAU
Episcopus Manchesteriensis

Page 5, line 12: « profanarum » to « *terrestrium* » or « temporalium »: « Progressus enim scientificus et technicus, hominum in dies augescens numerus, peramplum rerum *terrestrium* dominium, faciliora subsidia communicationis ac multiplices relationes inter homines, non solum in immensum dilatarunt campum apostolatus laicorum verum etiam problemata nova excitarunt quae eorum sollicitam curam exspectant ». *Reason*: « profanarum » has a number of misleading connotations. The things of earth are sacred; working on them, which includes human relations and communities, is humanly sacred and can be divinely sacred.

Line 21: « et Ecclesiae » to « eiusque mystici Corporis ». « Huius necessitatis signum simul et felix responsum est evidens illa operatio Spiritus Sancti, ubique hodie generosos laicos in servitium Christi *eiusque mystici Corporis* suscitantis ». *Reason*: to make clear that Christ and Church are one. The encyclical of Paul VI so stresses this that, I should say, he wishes us to think and speak this way. He quotes St. Paul: "You are all one person in Jesus Christ." *Gal.* 3, 28. And St. Augustine: "Let us rejoice and give thanks that we have become not only Christians but Christ." This dichotomy between Christ and Church is in other passages of the schema.

Line 25. *De laicorum vocatione apostolica.* Delete « Deum glorificando, animas salvando ». « Ecclesiae missio est opus Christi in terris continuare usque ad finem saeculorum, instaurando omnia in Christo ». *Reason*: « instaurando omnia in Christo » (*Eph.* 4, 10) includes both ideas. The phrase « animas salvando » is, I think, "jargon," because it has been overworked and is dull.

Page 6, line 9: Add after « obligatio » « privilegiumque »; change « quae » to « quod ». « Quo sensu omnia membra Ecclesiae apostolatum exercere debent; est enim innata necessitas vitae christianae et obligatio *privilegiumque quod* oritur ex praecepto caritatis ». *Reason*: "privilege" used in the sense of "opportunity" appeals much more to lay people than the word "obligation".

Line 23. Delete « manifestatur, et etiam ». *Reason*: Apostolic spirit is *rather nourished* than manifested by the elements mentioned.

Change « oratione, praesertim participatione Sacrae Liturgiae » to « participatione Sacrae Liturgiae; oratione ». *Reason*: The word « participatione » after « oratione » is misleading. Liturgy is not just a form of prayer. It is an action, the Action, « Actio ». Liturgy is the most important of all things we do. No ambiguity, therefore, should exist in the text (cf. *Constitution on the Sacred Liturgy*).

Delete « pro Ecclesiae aedificatione ac mundi salute ». *Reason*: This is totally unnecessary and has things in reverse order.

Change the rest of the sentence beginning « et humili... » to read as it is typed below. *Reason*: This is an impoverished statement of the ordinary elements of a Christian's spirituality. I have tried to make it affirmative and to link it with Christ. « Imprimis spiritus apostolicus alitur, participatione Sacrae Liturgiae; oratione, labore tamquam participatione creationis Dei ac redemptionis Christi; acceptatione, fide elucescente, aerumnarum vitae tamquam pro seipsis a Deo dispositarum; et, caritate perducente, poenitentiis sibi impositis et de die in diem ortis ex apostolatus ipso exercitio, quibus christiani cum Christo confixi sunt cruci (cf. *Gal.* 2, 19) ».

Page 8, line 22. Typographical error: « familis » should be « familiis ». « Peculiari modo apta est societas coniugalis et familiaris ad quaedam apostolica exercenda opera e quorum genere sunt, ut imprimis sponsos ad matrimonium praeparent, coniugibus et *familiis* in angustiis moralibus vel materialibus versantibus, vel iis qui familia eiusque bonis carent, auxilium ferant ».

Page 9, line 13. Delete « Dei ». « Tum laici tum clerus vocationem suam his temporibus adimpleant oculos et corda ad totum populum in toto orbe terrarum dispersum convertentes. Itaque omnes, quantum possunt, etiam ultra fines paroeciae vel dioeceseos vel nationis, de necessitatibus universalis Ecclesiae usque mundi curam habeant ». *Reason*: The next sentence refers to the whole world, not just to the Church of Catholics, and this (next) sentence begins with « Itaque ».

Line 22. Change « divina Providentia eos collocavit » to « Creator infinitae bonitatis eos collocat ». « Attamen laicorum missio ad omnes alios ambitus vitae extenditur in quibus Creator infinitae bonitatis eos collocat ». *Reason*: Providence seems impersonal to some. "The God of infinite goodness" makes it personal and sharper. This schema will be read avidly by laity as their charter.

Line 26. Change « ad Evangelium et ad veram vitam civilem perducit » to « ad veram vitam humanam, quae ad perfectionem personarum et communitatum ducit, atque, Deo disponente, ad Evangelium perducit ». « Apostolatus similis erga similem eodem tempore, homines ad veram vitam humanam quae ad perfectionem personarum et communitatum ducit, atque, Deo disponente, ad Evangelium perducit, et laici vitae testimonium per verbi testimonium complent quod Christi testes sunt ». *Reason*: The "truly human life" comes first. It is through this that we shall often lead people to the Gospel.

Line 30. Add after « lumine » « rationis et ». « Missionis suae apostolicae in his diversis ambitibus conscii, laici curae habeant homines et res aspicere, iudicare et agere lumine *rationis et* fidei ». *Reason*: Certainly we cannot omit light of reason here.

Line 32. Change « amorem divini Salvatoris demonstrant » to « Christus

per caritatem eorum caritatem suam demonstrat ». « Laici spirituale fermentum sunt eorum inter quos vivunt prout per sua facta et dicta Christus per caritatem eorum caritatem suam demonstrat (cf. *1 Pt.* 3, 15) et in civitate hominum iustitiam et caritatem exercent ». *Reason*: Tho make the reality of the Mystical Body clear—Christ loves the people whom the lay apostles love.

Line 33. Change « Investigationem quoque scientificam » to « Investigationem quoque ampliorem, immo scientificam ». *Reason*: "Scientific knowledge" is easily construed as being limited to "scientific as such" or "technical." But every lay apostle must widen the scope of his knowledge.

Line 36. Change « secundum Evangelii doctrinam transforment » to « secundum Christi doctrinam, nempe Evangelii doctrinam, huius Concilii decreta, ac Summorum Pontificum documenta, transforment ». *Reason*: To make clear such a phrase as « Evangelii doctrinam ». The layman does not see clearly that the doctrine of the Gospel involves the total doctrine of the Church; of the Council, therefore, and of the Popes' encyclicals and other pronouncements. « Investigationem quoque ampliorem, immo scientificam ipsorum ambituum promoventes, studeant quomodo caritatem erga personas praebeant, immo etiam structuras sociales secundum Christi doctrinam, nempe Evangelii doctrinam, huius Concilii decreta, ac Summorum Pontificum documenta transforment ».

Page 10, line 4. Add after « otii » « et culturae ». *Reason*: Leisure must involve efforts to promote culture. (I know this addition was rejected in the debate). Culture is emphasized an astonishing number of times by Pope John in *Mater et Magistra* and *Pacem in Terris*. The omission of culture grossly undervalues its importance.

Line 6. Change « commendare fidem quam profitentur » to « commendare Deum, Filium incarnatum eiusque Corpus mysticum, in quo Christi manus et pedes, oculi et aures sunt (cf. *1 Cor.* 12, 12 seq. ». *Reason*: "Profess their faith" is such a weak and worn expression. The language of St. Paul sets the lay apostles' actions in a graphic and powerful context. (The kind of elaboration in this change adds very little to the length of the schema. I know those who prepared the schema cut its original length). « Dum igitur in ambitu vel laboris, vel professionis, vel studii, vel incolatus, vel otii et culturae, coetus omnibus patentes participant, sese strenuos sollicitosque inter socios ostendentes, laici studeant vita sua et operositate commendare Deum, Filium incarnatum eiusque Corpus mysticum, in quo Christi manus et pedes, oculi et aures sunt (cf. *1 Cor.* 12, 12 seq.) ».

III *De finibus assequendis.*

N. 9, line 11. Change « quae ad finem evangelizationis hominumque sanctificationem immediate pertinent ab iis quae ad finem animationis christianae ordinis rerum temporalium immediate attinent » to « quae ad Evangelium praedicandum, et hominibus vitam divinam dandam eamque augendam immediate pertinent ab iis quae ad animationem vere humanam necnon

christianam ordinis rerum terrestrium immediate pertinent ». *Reason*: "Sanctification" is 20th century religious jargon in the ears of the laity; it is, after all, a technical word. The divine life as our destiny, to be won ever more perfectly, must be stressed, and it must, therefore, be stressed as the object of the apostolate. In the terms of "divine life" rather than in the word "sanctification," the apostolate comes alive.

The other change is made to eliminate the technicality « ad finem » and, more importantly, the order of things earthly or temporal is to be "animated" basically in a human sense and this human "animation" will help the Christian "animation." Man is born, before he is reborn (Karl Rahner), which means the human determines basically the action of the lay apostle.

Line 14. Change « laicus, qui est simul fidelis et civis » to « laicus qui est simul homo et homo fide transformatus ac Christo incorporatus ». *Reason*: « Civis » is misleading. Technically it could mean a man concerned with the "city of man"—"the temporal or earthly order," but it means "citizen" to most people and implies, therefore, just the area of politics. This makes it most unfortunate because it sounds as if the Church were *first interested in herself* and *secondly in politics*. « Homo » is the word which defines layman's status—his relations and his communities which spring from human nature. « Cum pressius obiecta apostolatus laicorum considerantur, distingui possunt quae ad Evangelium praedicandum, et hominibus vitam divinam dandam eamque augendam immediate pertinent ob iis quae ad animationem vere humanam necnon christianam ordinis rerum terrestrium immediate pertinent; idem autem laicus qui est simul homo et homo fide transformatus ac Christo incorporatus, in utroque ordine una conscientia christiana continuo duci debet ».

Line 18. Change final words « sive ecclesiasticam sive civilem » to « sive humanam sive divinam ». *Reason*: The difficulty as above about « civilis ». In the order of reality the "human," the "earthly or temporal," comes before "ecclesiastical or divine," and the transposition emphasizes the primacy of the divine, which is placed last—a position of emphasis. « Clariori luce ita ponuntur non solum diversorum apostolatus inceptorum species, sed etiam munera, propriae agendi rationes, immo et differentes habitudines ad societatem sive humanam sive divinam ».

Line 26. Delete « et in suo statu manentes ». *Reason*: This really sounds like the iron fist. Laymen would resent that they "must remain or keep to their state," "keep in their place." This is the same language that worsens race relations in the United States. « Apostolatui autem Ecclesiae, quo suam primariam explevit et explet missionem verbum Dei nuntiandi hominesque sanctificandi, numquam defuit sollicita et efficax collaboratio laicorum, qui, modo proprio agentes, filiali animo cum sacra Hierarchia coniuncti, " Dei adiutores " (*1 Cor.* 3, 9) in salute hominum procuranda re vera facti sunt ».

Line 31. Change « attingat » to « attingant ». *Reason*: Grammatical error or misspelling. Subject is « laici ». The word « sua » in « ipsa vita *sua* actioneque» indicates this. On the other hand, if the subject of the ut clause is « ipsa », meaning the Church, the ut clause is ambiguous because the ipsa could be the emphatic word added to « vita »—their "*very life,*" i. e., laymen. In this case Ecclesia ought be repressed— « ut Ecclesia vita sua ». I think if « vita actioneque » is written to refer to lay people, that is fine. « Nostris quidem temporibus laici Ecclesiam multimode adiuvant, ut ipsa vita sua actioneque supernaturali quamplures etiam qui longe sunt attingant; immo laici, sua experientia et studio auxilium praebent Ecclesiae ut in hodiernis sat perplexis vitae humanae condicionibus suam missionem efficacius explere valeat ».

Line 34. Omit comma after « spiritualem ». *Reason*: A mistake.

Line 35. Omit all after « respondeant ». *Reason*: This allusion to judgment is one of those traditionally severe notes which it is not good to stress in this context. The apostolate should not seem an axe hanging over the apostles at this stage where people have still to accept the idea and do something about it. It is like the traditional stern insistence on the obligation of Sunday Mass—it didn't help much; they drifted away anyway. The difficulty was in the lack of comprehension and participation. « Hanc maiorem possibilitatem apostolatum religiosum, spiritualem exercendi laici attente perpendant; sollicite ac generose Summorum Pontificum et episcoporum votis respondeant ».

Page 11, line 30. Change « cum supernaturali ordine, atque gratia Dei » to « cum divino ordine seu ordine gratiae ». *Reason*: This is clearer. "Supernatural" is a technical word—often hardly understood. "Supernatural order" and "grace" are the same. Therefore « seu » instead of « et ». « Ad christianam ordinis temporalis instaurationem exiguntur proinde veritas revelationis, ut securius et clarius valores humani percipiantur eorumque connexio cum divino ordine seu ordine gratiae, ut diu homo possit perseverare in integro ordine perficiendo ».

Line 34. Change « ad Christi gloriam instaurando » to « ad hominum beneficium et ad Christi gloriam promovendam ». *Reason*: Unless we join these two ideas, the lay apostolate gets into the realm of the "pure spiritual," against which Pius XI spoke. « Laici vero in temporali ordine, quem actio hierarchica qua talis directe non attingit, ad hominum beneficium et ad Christi gloriam promovendam peculiares partes habent; et ideo responsabilitate propria agant oportet ».

Page 12, line 7. Change « Suae sanctificationi consulere », to « magis conformes fieri imaginis Christi (cf. *Rom.* 8, 29) ». *Reason*: "Sanctification" is all Christ. Paul VI quotes in his first encyclical, "There is nothing within us except Christ." The matter of "sanctification" is graphic and gripping in terms of Christ. « Opera temporalia exercentes, secundum leges ipsis inditas et ad fines eorum proprios consequendos, lumine fidei et virtute

vitae supernaturalis ducantur, memores se ita non solum magis conformes fieri imaginis Christi (cf. *Rom.* 8, 29), sed etiam activitates efficaciores reddere ad finem suum assequendum ».

Line 13. Change « civicus » to « humanus et socialis in omni ambitu ». *Reason*: "Human" includes all. It is the basic word. It includes all human relations. "Social" extends it to all communities—national, international, economic—racial, too. « Amor christianus et efficacitas apostolatus postulant ut colantur etiam qualitates humanae quae a natura requiruntur, et a non credentibus maximi habentur, ut sunt probitas, sinceritas, fortitudo, prudentia, humanitas, rerum peritia ac sensus humanus et socialis in omni ambitu, sine quibus nec vita christiana, nec efficax testimonium caritatis consistere potest ».

Line 16. Change « animarum » to « hominum ». *Reason*: Man is body and soul. "Soul" for a person is jargon.

Line 17. Change « instaurationem » to « consummationem ». *Reason*: St. Paul says "to bring to a head". « Ab actione apostolica quae immediate in praedicationem Evangelii salutemque hominum intendit et illa quae ordinis temporalis in Christo consummationem prosequitur, distingui possunt, propter suam peculiaritatem, opera misericordiae et caritatis erga homines in quacumque necessitate versantes, illo spiritu adimplenda qui verbis Christi exprimitur: quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis (*Mt.* 25, 40) ».

Line 24-25. After « instaurationem » add « humanam et ».

Line 27. Change « proprium » to « inseparabile sibi ». *Reason*: « Proprium » may sound as if this task of perfecting human relations and communities belongs only to the Catholic Church, and nobody else. « Inseparabile sibi » corrects this. « Haec enim opera amorem erga Deum et hominem clarius manifestant, evangelici apostolatus propositum fovent, fidei semitam expediunt, miro modo amicitiae necessitudines et societatem vitae promovent, instaurationem humanam et christianam ordinis rerum temporalium fovent ac complent; quae opera Ecclesia, iuxta exemplum et mandatum Domini, semper munus inseparabile sibi reputavit ».

54

Exc.mus P. D. BENEDICTUS PRINTESIS
Archiepiscopus Atheniensis

Ad cap. I. Mihi liceat has duas animadversiones proponere:

1. In n. 1 huius nostri capitis breviter doctrina exponatur in qua apostolatus laicorum fundatur, ut iam in schemate *de Ecclesia* factum fuit et a Patribus approbatum est, ne aliter confusio oriri possit.

Nam in pag. 6, lin. 7 dicitur exercitium apostolatus necessitatem innatam vitae christianae esse et ex praecepto caritatis oriri, quod cum linn. 9-12 et cum *de Ecclesia,* cap. IV « de laicis », n. 33, linn. 19-20 minus convenit.

2. Inter nn. 1 et 2 alius ponatur, in quo de praeparatione supernaturalis vitae laicorum agatur.

Vita enim supernaturalis, qua Christum induimur et Christum in nobis vivimus fundamentum unicum pro vita apostolica tam pro clericis, quam pro laicis est.

Sine hac vita supernaturali activismum habere possumus non vero apostolatum vere christianum.

Iuridismus enim clericalis, qui activismum, saepe damnosum, laicorum moderare conatur et ex alia parte laicismus, quo laici ab omni auctoritate se substrahere volunt, ex absentia vitae supernaturalis proveniunt.

Christus clare dicit: « Sine me, nihil potestis facere »; unde schema nostrum fusius et clare necessitatem vitae supernaturalis ad habendum verum apostolatum exponat.

55

Exc.mus P. D. PASCHALIS QUAREMBA
Episcopus Gallipolitanus

In pag. 6, n. 1, lin. 1 legitur: « vocatio christiana *natura sua* quoque est ad apostolatum ».

Videtur quod vocatio christiana *natura sua* sit ad sanctitatem et consequenter ad apostolatum; humiliter propono ut eo loco dicatur: « vocatio christiana est etiam ad apostolatum ».

In pag. 14, in n. 15, agitur de associationibus fidelium in iure condito et condendo.

Quoniam in schemate nullum verbum de Institutis saecularibus fit, humiliter propono ut in iure condendo aliquid dicatur de hac nova forma apostolatus laicorum.

In pag. 14, n. 16, sermo fit de « Actione Catholica ».

Si denominatione ista apostolatus laicorum generice intenditur, forma servari potest; si vero tantum apostolatus forma, uti in Italia, intelligitur, denominatio auferri debet, quia discrimen ponit inter formam apostolatus Actionis Catholicae et aliarum Associationum laicarum.

In Concilio Oecumenico aut omnes formae apostolatus laicorum numerentur aut nulla; praeferentiae aboleri debent.

[*Subsignavit etiam*] Ioannes B. Pardini, ep. Aesinus.

56

Exc.mus P. D. MAURITIUS RIGAUD
Episcopus Apamiensis

Prooemium. Pag. 5, lin. 18. *Prop.*: « Non solum ob insufficientem numerum cleri, nec tantum ob autonomiam, vel etiam quamdam alienationem ab ordine religioso vel ethico, in diversis locis aut vitae ambitibus vigentem,

sed praesertim ob ingentem laborem apostolicum quem populus Dei, speciali modo laici, in mundo hodierno adimplendum vocantur, ut ad altiores fontes christianos reducant valores ethicos quibus iam vivunt homines nostri temporis ». *Ratio*: *a*) expressio « alienatio... ab omni ordine religioso vel ethico » nimis generaliter in usu est et ideo nimis infensa erga non-christianos; *b*) Sacerdotum penuria, dechristianizatio, morum depravatio, saecularizatio sunt praesertim causae negativae quae laicorum apostolatum urgentiorem hodie reddunt; ratione habita praecedentium observationum (linn. 11-16), decet positive ingentem laborem qui hodie laicos manet indicare.

Cap. I. Pag. 6, lin. 8. *Prop.*: Post verba « necessitas vitae christianae »: « cuius fons est caritas Dei diffusa in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis (cf. *Rom.* 5, 5) ». *Ratio*: iuxtapositio vitae christianae et praecepti caritatis quasi duas rationes praesentat quod in re unum est.

Pag. 6, lin. 14. *Prop.*: Delere « etiam ad res temporales ». *Ratio*: hic, inutile et fortasse ambiguum est.

Pag. 6, n. 2, lin. 23. *Prop.*: « Imprimis » delendum est. *Ratio*: cf. lin. 28.

Pag. 6, linn. 23-25. *Prop.*: « Spiritus apostolicus *alitur, et etiam manifestatur*... pro Ecclesiae aedificatione ac mundi salute et humili *oblatione infirmitatum,* laborum aerumnarumque vitae, necnon... ». *Ratio*: melius ac completius est: « oblatio » magis dicit quam « tolerantia ».

Pag. 6, lin. 28. *Prop.*: « Sed » delendum est. *Ratio*: Oppositio « Imprimis... sed » fortasse male intelligi potest, v. g. si quis existimat actionem apostolicam quasi secundariam et parvi momenti esse.

Pag. 6, lin. 30. *Prop.*: « ... testimonio vitae *in fide, spe et caritate omnino sibi cohaerentis, probitateque ac iustitia in omnibus,* et pauperum sollicitudine, quod est signum, etiam... ». *Ratio*: bonum est addere « iustitia »; valor relativi « quod » magis claram esse debet.

Pag. 6, lin. 35. *Prop.*: Post verba « vitam vere humanam et christianam », « *viam aperiant* ». *Ratio*: numquam vita christiana est « facilis ».

Pag. 6, linn. 36-37. *Prop.*: Loco « opportunas quaerit occasiones »: « *ad Christum etiam verbis annuntiandum compellit* ». *Ratio*: « Opportunas quaerit occasiones » male interpretari potest, quasi apostolatus esset « propaganda ».

Pag. 7, n. 3, linn. 8-9. *Prop.*: Delere « quoque ». *Ratio*: hoc verbum videtur supervacuum et praesentat formationem ad apostolatum ut aliquod additamentum.

Pag. 7, linn. 37-38. *Prop.*: Loco « ut promptus sit Christo Domino eiusque Ecclesiae ministrare », substituere: « ut promptus sit *tamquam vivens Ecclesiae membrum* Christo Domino ministrare ». *Ratio*: haec locutio magis consonat cum tota phrasi. Aliter, apostolus laicus videtur Ecclesiae extraneum esse, eamque servire quasi ab extra.

Pag. 7, lin. 38. *Prop.*: Addere: « Quia in illo unum corpus sumus, multum pro hac formatione interest ut christifideles, caritate fraternitatis invi-

cem diligentes, Domino servientes, alter alterius onera portantes, simul vitam et suam actionem lumine fidei inspiciant, maximam fidelitatem in apostolatu quaerant, et ex quaestionibus vita apostolica suscitatis in cognitione et amore Christi crescant ». *Ratio*: necesse est loqui de hoc formationis aspectu.

Pag. 7, linn. 22-24 et pag. 8, linn. 1-2. *Prop.*: Ponere linn. 1-2 pag. 8 in pag. 7, linn. 22 s., et vice-versa. *Ratio*: praesentatio litteraria huius numeri 3 sic magis logica fieret.

Cap. II, pag. 8, n. 4, lin. 3. *Prop.*: Sic incipere: « Pro apostolatu maximi momenti est concretae vitae personarum, coetuum humanaeque communitatis attendere. In tota vita sua, enim, omnis homo in via est ad Deum, et in vita quotidiana personarum et coetuum, homines sequuntur, appropinquant, quaerunt vel fugiunt Christum. Christifideles laici, fraterne eamdem vitam participantes, eis, in ipsis eventibus et vitae socialis ambitibus, manifestare debent sensum et adimpletionem existentiae in Christo. Inter adiuncta concreta... ». *Ratio*: momentum vitae quotidianae, in quantum est locus conversionis et testimonii apostolici, in schemate non satis ostenditur. Cf. interventio exc.mi D. Caillot (8-10-64).

Pag. 8, lin. 5. *Prop.*: Addere: « communitates, ambitus vitae *et ambitus sociales* ». *Ratio*: « Ambitus sociales » sunt realitas ab Actionis Catholicae experientia probata, et opportune est eam indicare.

Pag. 8, lin. 20. *Prop.*: Addere in initio: « Vita coniugalis et familiaris in vera gratia sacramentali matrimonii sita, est sicut schola praeclara amoris et servitii omnium societatum et coetuum humanorum ». *Ratio*: loquendo de familiae apostolatu, hic aspectus consideratione dignus est.

Pag. 8, lin. 25. *Prop.*: Loco « ad defensionem quoque iurium familiae », substituere: « *ad vitam familiae promovendam* ». *Ratio*: iam memoratae sunt difficultates nostrae aetatis (lin. 19); melius esset positivo modo exprimere id quod iurium familiae defensio negative exprimit.

Pag. 9, linn. 8 ss. *Prop.*: « Mundi hodierni socialisatio, migrationes, communicationis socialis media faciunt ut paroeciae magis magisque inter se dependeant. Laici qui Ecclesiae communitatum apostolatui laborant, tenentur, ut suo apostolico officio fungantur, ipsius paroeciae fines praetergredi » sequitur: « Necessarie requiruntur... ». *Ratio*: vitae professionalis rationes, quamvis verae sint, nec solae nec maximae videntur in apostolatu qui strictos paroeciarum fines praeterit.

Pag. 9, lin. 30. *Prop.*: Post « eos collocavit », addere: « ... Id praesertim nitantur, ut spiritu evangelico imbuantur normae, quibus dirigitur in vita practica modus cogitandi et agendi personarum, quae cum ipsis in talibus coetibus convivunt ». *Ratio*: cf. interventio exc.mi D. Donze de evangelizatione et modis cogitandi et agendi personarum coetuum.

Pag. 10, n. 8, linn. 1 ss. *Prop.*: Haec redactio: « Christifideles laici in societatis structuris praesentes et ad earum evolutionem pro hominibus laborantes, consociantur in hoc opere cum non-christianis. Christianorum est

promovere quaecumque sunt vera, quaecumque iusta, quaecumque sancta (cf. *Phil.* 4, 9). Dum igitur in ambitu vel laboris, vel professionalis, vel studii, vel incolatus, vel otii, vel collectivitatis localis, nationalis aut internationalis, coetus non confessionales participant, laici sese strenuos, sollicitos peritosque inter socios ostendant, respectum habentes tum fini peculiari horum coetuum, in quantum fini hominis conformis est, tum visioni hominum et mundi quam ex fide tenent. Sic agentes, directe collaborant aedificationi civitatis vere humanae, ac simul iuvant non-christianos incedere in via amoris fraterni, paupertatis et abnegationis ad illum qui caritas est, et, modo quo laborant in civitate terrestri, possunt aliquid manifestare mysterii fidei, caritatis et spei quo vivunt. Quaestionibus hoc testimonio suscitatis, laici fraterne conviventes et collaborantes cum aliis hominibus, saepe vocantur verbis reddere testimonium de spe quae in eis est ». *Ratio*: in cap. II, nn. 7 et 8 parvum locum occupant, quamvis vita in ambitibus propriis et in coetibus omnibus patentibus laicorum vitae maior pars sit: ideo quaerendum est aequilibrium praesentationis.

In societatibus hodiernis, praesentia christianorum et non-christianorum in coetibus omnibus patentibus persaepe ex ipsis vitae condicionibus provenit: hoc est notandum.

Peritia maximi momenti est in actione christianorum: ideo additum est « peritos ».

Momenti est indicare valorem apostolicam actionis christianorum cum non christianis (cf. interventio ab exc.mo D. Caillot facta).

Pag. 10, lin. 7. *Prop.*: « Valde optandum est ut fideles laici mutua formatione et consilio fruantur ad hunc apostolatum in huiusmodi coetibus et ambitibus exercendum et sic de Christo testimonium reddant ». *Ratio*: redactio linn. 7-9 in schemate peiorative intelligi potest: timendum est ne apostolatus ut occulte occupare conantes videantur.

Cap. III, pag. 10, lin. 23. *Prop.*: Loco: « Apostolatui Ecclesiae », substituere « *In apostolatu Ecclesiae* ». *Ratio*: melius est sic loqui ne laici ab Ecclesia distingui videantur.

Pag. 10, lin. 33. *Prop.*: Post verba: « efficacius explere valeat », addere: « praesertim in coetibus socialibus, quorum modum agendi et cogitandi, humane participant ». Delere verbum « humanae » lin. 32 supra. *Ratio*: cf. interventio ab exc.mo D. Donze facta.

Pag. 10, lin. 34. *Prop.* Delere verba: « religiosum, spiritualem ». *Ratio*: Apostolatus, de se, est religiosus ac spiritualis. Quia in capite distinctio inter finem evangelizationis et finem animationis ordinis temporalis fit, verbum « spiritualem » evocat distinctionem « spirituel-temporel » quae non est tam exacta.

Pag. 11, lin. 2. *Prop.*: Addere, ante « ex plenitudine vitae interioris loquantur », « *quod credunt vivant* ». *Ratio*: hoc dicere opportunum est.

Pag. 11, lin. 8. *Prop.*: Addere: « ... Filii sui *finaliter* consummandam ».

Pag. 11, linn. 9-10. *Prop.*: legere sic: « ad universum temporalem ordi-

nem perficiendum ». Reliqua linn. 10-11 deleantur. *Ratio*: plena consummatio in Christo est res eschatologica. In nunc temporis, ubi sub velamine fidei et per crucem ambulamus, tantum in spe gloriam Christi possidemus et creatura visibilis adhuc ingemiscit. Textus ut sonat sic intelligetur ac si voluntatem ex parte Ecclesiae exprimeret, civitatem terrenam dominandi. Citatio *1 Cor.* 3, 22-23, non est ad rem ut ex contextu eiusdem Epistulae constat.

Pag. 11, linn. 14-15. *Prop.*: Sic legere: « quam caritas perficiat, *fides illustret, spes dirigat,* exstruatur et ad Deum ordinetur », et delere verba « per Christum ». *Ratio*: gratia omnimoda naturam in suo ordine manentem confortat. Sic expressio « per Christum » inutilis evadit; insuper male intelligi posset.

Pag. 11, linn. 16-17. *Prop.*: Delere « praeter » et legere: « *in* officiis et muneribus quibus funguntur ». Delere « etiam ». *Ratio*: Haec dua verba separationem introducunt quae est inexacta.

Pag. 11, lin. 32. *Prop.*: Sic legere: « Ordinis temporalis instaurationi... » et delere vocem « christianae ». *Ratio*: eadem ac supra.

Pag. 11, lin. 34. *Prop.*: Legere sic: « ... attingit, *secundum Christi spiritum* instaurando ». *Ratio*: « ad Christi gloriam » sic intelligitur ac si exprimeret imperialismum clericalem Ecclesiae.

Pag. 12, lin. 8. *Prop.*: Addere post verba « non solum suae sanctificationi consulere »: « *et testimonium fidei reddere* ». *Ratio*: suae sanctificationi consulere » insufficiens est.

Pag. 12, lin. 9. *Prop.*: Addere: « Ita agentes, laici sunt signum Dei qui amore mundum pro hominibus creavit, qui amat et redimit homines in condicione humana et qui redditurus est ad omnia in se instauranda: libertate, spiritu servitii ac paupertate vivens testimonium amoris et spei reddunt ». *Ratio*: opportunum est paucis verbis indicare valorem signi fidei huius actionis in ordine temporali.

Pag. 12, lin. 10. *Prop.*: Delere « etiam ». *Ratio*: inutile et mirabile est hoc verbum.

Pag. 12, linn. 18-19. *Prop.*: Sic mutare textum: « Opera misericordiae et *mutui auxilii* in quacumque necessitate *humana,* illo spiritu adimplenda... ». *Ratio*: in hoc loco, « caritas » est quasi synonymus « misericordiae ». Idea mutui auxilii indicat illam aliam formam caritatis in necessitate quae est fraternum iuvamen in quo omnes activam partem habent.

Pag. 12, lin. 22. *Prop.*: Delere « clarius ». *Ratio*: servitium fratrum in structuris ordinis temporalis, si in caritate adimpletur, non est signum minus clare quam opera assistentiae.

Pag. 12, lin. 25. *Prop.*: Loco « fovent ac complent », dicere « fovent *vel* complent ». *Ratio*: exactior est formula.

Pag. 12, lin. 26. *Prop.*: « quae opera Ecclesia, *fideliter* Domini exemplum *sequens, quum de aliis inceptis gaudebat,* semper ut *suum officium*

reputavit ». *Ratio*: Expressio « munus proprium reputavit » suggerit opera caritativa esse monopolium Ecclesiae.

Pag. 12, lin. 32. *Prop.*: Ut opera *caritativa* germanam vim apostolicam accipiant, *christifideles qui eis participant...* ». *Ratio*: omnes qui haec opera faciunt debent colere sensum dignitatis personae, etc.: expressio « christifideles » magis aperta quam « laici » est; ex altera parte « opera caritativa » est melior: sunt alia opera caritatis quae non sunt assistentiae opera.

Pag. 12, lin. 35. *Prop.*: Post verbum « appareant », addere: « causas malorum, et non solum effectus, delere satagant ». *Ratio*: hoc est maximi momenti.

Pag. 13, lin. 3. *Prop.*: Addere: « Hoc spiritu imbuta, actio caritativa fit signum Dei qui caritas est, qui unumquemque cognoscit nomine proprio eumque diligit in adiunctis existentiae, et apud quem non est acceptio personarum ». *Ratio*: multa bene dicta sunt de amore erga Deum et homines (pag. 12, lin. 22) et de spiritu actionis caritativae. Haec verba ostendunt valorem signi Dei amoris quam habet actio caritativa.

Cap. IV, pag. 13, lin. 7. *Prop.*: « Consociatio enim, inquantum communioni Ecclesiae inservit, prae se fert signum unitatis Ecclesiae eiusque naturae consonat; verbo Domini conformis est: " Ubi sunt enim duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum " (*Mt.* 18, 20). Consociatio sua membra sustinet... ». *Ratio*: ex una parte, magis insistere debemus rationi profundiori consociationum et non quasi exclusive rationi efficacitatis; ex altera parte, non debemus valorem absolutam conferre mediis quae non sunt structurae permanentes a Domino institutae.

Pag. 13, lin. 14. *Prop.*: Addere: « Consociationes tamen sibi non sunt proprius finis, sed inservire debent ad missionem Ecclesiae in mundo adimplendam: earum valor apostolica a genuino earum testimonio collectivo pendet ». *Ratio*: opportunum est hoc indicare.

Pag. 14, n. 16, *a*) lin. 29. *Prop.* « ita ut *varias communitates* varios*que* ambitus vitae ». *Ratio*: aliter, fortasse, consociationes ut « Action catholique générale » huic definitioni A. C. non responderent.

Cap. V, pag. 18, lin. 15. *Prop.*: Delere « protegere ». *Ratio*: si promovetur hoc patrimonium, eodem passu protegitur. Relate ad christianos noncatholicos, notandum est quod multi horrent ideam unitatis cuius fundamentum defensio civilizationis occidentalis esset.

[*Adhaeserunt etiam*] Bannwarth (Soissons); Barthe (Fréjus-Toulon); de Bazelaire (Chambéry); Béjot (aux. Reims); Bontems (St. Jean de Maurienne); Caillot (Evreux); Donze (Tulle); Fougerat (Grenoble); Malbois (aux. Versaille); Maziers (aux. Lyon); Ménager (Meaux); Rastouil (Limoges).

57

Beat.mus P. D. MAXIMUS IV SAIGH

Patriarcha Antiochenus Melchitarum

Le groupe d'évêques qui, dès les premiers jours du Concile, s'est appliqué à l'étude du grave problème de « l'Eglise et les pauvres », tient à exprimer à Votre Sainteté sa joie profonde et sa filiale reconnaissance.

Il lui semble en effet que votre première encyclique, qui contient un appel pressant aux Pères du Concile, les invite plus spécialement à s'ouvrir à Votre Sainteté sur le sujet précis du renouvellement intérieur de l'Eglise par l'esprit de pauvreté.

Nous voulons répondre avec confiance à cette exhortation. Notre intention est de vous faire part d'ici quelques jours la volonté concrète de beaucoup d'évêques de s'engager courageusement sur la voie d'une simplicité plus évangélique dans leurs titres, leurs vêtements, leurs insignes et leur train de vie. Un grand nombre d'entre eux également est disposé à accorder toute sa valeur pratique, dans l'apostolat, à la primauté de l'évangélisation des masses pauvres et des classes ouvrières déchristianisées.

Nous sommes convaincus que l'Evangile est un amour qu'il faut mettre au cœur des hommes, en commençant par les plus pauvres.

Nous espérons ainsi répondre filialement à la première suggestion de votre lettre encyclique: « Comment donner à notre parole et à notre conduite l'empreinte de la pauvreté ».

Nous tiendrons fidèlement Votre Sainteté au courant de nos travaux et de nos efforts, car nous ressentons douloureusement avec Vous, Très Saint Père, la situation tragique de l'Eglise, trop souvent coupée des masses pauvres, gênée par des apparences de richesse encore trop sensibles et arrêtée dans son effort d'évangélisation des pauvres, les deux tiers de l'humanité, les préférés du Seigneur.

[*Subscripserunt etiam*] Charles-M. Himmer, év. Tournai; Georges Mercier, év. Laghouat, Sahara; Georges Hakim, év. Akka; Alfred Ancel, aux. Lyon; Jean Gouyot, év. Coutances et Avranches; Gérard-M. Coderre, év. S. Jean-de-Quebec; Ioseph, arch. Fortalexiensis, Brasilia.

[*Adhaeserunt*] André Fauvel, év. de Quimper, France; Georges Béjot, év. tit. de Cassandria (aux. de Reims), France; Carlo van Melckebeke, év. de Ningsia, Chine; Pierre-Marie Puech, év. de Carcassonne, France; Adrien Gand, év. tit. de Macriana Minore (coad. de Lille), France; Raphaël Gonzales Moralejo, év. tit. de Dardano (aux. de Valence), Espagne; Etienne Loosdregt, év. tit. de Amaura (vic. apost. de Vientiane), Laos; Julius Angerhausen, év. tit. d'Eminenziani (aux. de Essen), Allemagne; Antonio Fragoso, év. de Crateus, Brésil; Michel Darmancier, év. tit. de Auguro (vic. apost. des Iles Wallis et Futuna), Polynésie; Nivaldo Monte, év. tit. de Eluza (aux. de Aracuju), Brésil; Edilberto Dinkelborg, év. de Oeiras, Brésil; José Lamartine Soares, év. tit. de Fussala (aux. de Olinda et

Recife), Brésil; João da Mota e Albuquerque, év. de Vitoria, Brésil; Valdir Calheiros de Novais, év. tit. de Mulia (aux. de Rio), Brésil; David Picao, év. tit. de Tois (coad. de Santos), Brésil; José Dalvit, év. de Sao Mateus, Brésil; João da Mota e Albuquerque, év. de S. Luis do Maranhao, Brésil; Milton Pereira, év. tit. de Coronea (aux. de Belém do Para), Brésil; Walfrido Teixeira Vieira, év. tit. de Laranda (aux. de S. Salvador da Bahia), Brésil; Severino Mariano de Aguiar, év. de Pesqueira, Brésil; Adriano Hypolito, év. tit. de Diospoli di Tracia (aux. de Bahia), Brésil; José Costa Campos, év. de Valença, Brésil; Climerio Almeida de Andrade, év. de Vitoria da Conquista, Brésil; José Bezerra Coutinho, év. de Estância, Brésil; Epaminondas de Araujo, év. de Rui Barbosa, Brésil; José Brandao de Castro, év. de Propria, Brésil; Bernardo Bueno Miele, év. tit. de Bararo, aux. de Campinas, Brésil; Octavio Aguiar, év. de Palmeira dos Indios, Brésil; Manuel Pereira da Costa, év. de Campina Grande, Brésil; Jean-Baptiste Gahamanyi, év. de Butare, Ruanda; André Perraudin, év. de Kabgayi, Ruanda; Diego Parodi, év. tit. de Centenaria, prel. nul. de S. Antonio de Balsas, Brésil; José Tavora, archev. de Aracaju, Brésil; Manuel Tavares de Araujo, év. de Caico, Brésil; Augusto Carvalho, év. de Caruaru, Brésil; Eugénio de Araujo Sales, év. tit. de Tibica, adm. apost. de S. Salvador et Natal, Brésil; Grégorio Warmeling, év. de Joinville, Brésil; Gérard Huyghe, év. d'Arras, France; André Collini, év. tit. de Zefirio, coad. d'Ajaccio, France; Helder Camara Pessoa, archev. de Olinda et Recife, Brésil; Pierre Boillon, év. de Verdun, France; Paul Gouyon, archev. de Rennes, France; Géry Leuliet, év. d'Amiens, France; Henri Dupont, év. tit. de Doriléo, aux. de Lille, France; Néophytos Edelby, archev. tit. d'Edesse des Melkites, conseiller patriarcal (Syrie); Franc Franić, év. de Split et Makarska (Yougoslavie); Marcelo Mendiharat, év. de Salto, Uruguay; Youhanna Nouer, év. tit. de Fatano, aux. de Louxor, Egypte; Victor Keuppens, év. de Kamina, Congo (Léopoldville); Alain Leroy, év. de Kilwa, Congo (Léopoldville); Francisco Austregesilo Mesquita, év. de Afogados da Ingázeira, Brésil; Luigi Bettazzi, év. tit. de Tagaste, aux. de Bologna, Italia; José Santos Ascarza, év. de Valdivia, Chili; Vicente Zazpe, év. de Rafaela, Argentine; Juan Iriarte, év. de Reconquista, Argentine; Bernardino Pinera Carvallo, év. de Temuco, Chili; Fernando Romo Gutierrez, év. de Torreon, Mexique; Walmor Batù Wichrowski, év. tit. de Felbes, aux. de Santa Maria, Brésil; Rubio Repulles, év. de Salamanca, Espagne; card. Maurice Feltin, arch. de Paris, France; Oscar Sevrin, év. tit. de Mossina, Inde; Henrique Golland Trindade, arch. de Botucatu, Brésil; Germain-Marie Lalande, sup. gén. de la Congrég. de Sainte Croix.

58

Exc.mus P. D. LUDOVICUS SÁNCHEZ-MORENO LIRA

Episcopus tit. Nilopolitanus, aux. Chiclayensis

Pag. 5, linn. 16-19. Locutio « hic apostolatus suapte natura necessarius... » aliquo modo amplificari debet iam in ipso prooemio. Exprimendum est enim quaenam sit *ratio intrinseca* apostolatus laicorum. Sed ex actuali redactione videtur hunc apostolatum necessarium esse *ob rationes extrinsecas,* scilicet propter penuriam cleri vel defectum *actualem* spiritus christiani in societate civili. Attamen apostolatus laicorum eodem modo neces-

sarius esset etiamsi ubique terrarum unus ex decem fidelibus esset sacerdos; praeterea, societas civilis non est hodie minus christiana quam, e. g. tempore Imperii Romani. Finis essentialis ac primarius apostolatus laicorum est *consecratio mundi*. Vocatio autem et missio apostolica laicorum specificantur per hanc actionem in structuris temporalibus, actionem sane peractam in ipsomet sinu talium structurarum terrenarum. Hac de causa apostolatus laicorum est intrinsece necessarius, et hoc determinat naturam huius apostolatus eiusque rationem essendi. Et in hac missione, quae quidem est ecclesialis at non est ecclesiastica, laicus habet sua iura et officia, atque ab aliis substitui nequit, quia Deus vult ut ordo temporalis — qui est subiectum secundarium Redemptionis — non sit obiectum actionis directae et immediatae apostolatus hierarchici, sed laicatus christiani.

Pag. 5, linn. 26-27. Magnopere interest ut in hoc numero magis insistatur super virtualitatibus contentis in verbis « Quam missionem ipsa adimplet diversis quidem modis, per omnia sua membra ». Si diversi hi modi explanentur, melius patebit quomodo apostolatus laicorum — qui natura sua tendit specifice, directe et immediate ad consecrationem mundi — munere ecclesiali perfungitur, quod directe et immediate non est obiectum actionis hierarchicae. Ideo iam ab initio recensendae sunt notae quae esse debent fundamentum ac structura doctrinalis totius schematis. Aliter enim multi laici considerabunt se in hoc schemate decipi nec satis aestimari. Schema, prout iacet, redolet « clericalismum », uti plus semel dictum est in congregatione generali.

Pag. 6, linn. 14-16. Ambigua et confusa est locutio: « Hic apostolatus... iurisdictionis exigunt ». Missio Ecclesiae de qua in hac paragrapho agitur intelligi posset tamquam *missio Ecclesiae hierarchicae*, quod verum non est. *Missio ecclesialis laicorum* (quae quidem pars est missionis Ecclesiae) certe extenditur ad res temporales, quoniam laicis specifice competit informatio christiana immediata structurarum temporalium, dum hierarchiae — uti dicitur in pag. 15, lin. 21 ad 23 — solummodo correspondet orientatio istius apostolatus laicorum per principia ordinis moralis.

Nn. 2-8. Necessarium est ut melius describantur modi quibus perficitur apostolatus specificus laicorum. Permagni interest ut redactio huius textus conciliaris ostendat pleniorem et profundiorem cognitionem humanarum circumstantiarum — nempe socialium, psychologicarum, professionalium, familiarium, culturalium, etc. — in quibus invenitur mundus laicorum. Hoc in sensu textus schematis est nimis vagus et abstractus, et legenti quandoque videtur se prae manibus habere « manuale pietatis » pro iuvenibus alicuius Confraternitatis. Necessarium est quidem insistere in spiritu profunde christiano (scil. in vita interiori, in spiritu sacrificii, in humilitate, etc.: cf. pag. 6, linn. 23-32) super quo inniti debet universa actio apostolica laicorum. Sed hoc, quod ceteroquin ad omnes christianos sive clericos sive laicos pertinet, nullo modo sufficit. Necessarium est etiam accurate et in concreto explanare munus quod in apostolatu et in vita ascetica laicorum exercent reali-

tates humanae, quales sunt exercitium propriae professionis, responsabilitas in adimpletione obligationum civilium, amicitia et socialis conviventia cum ceteris hominibus, exigentiae iustitiae socialis, exemplum integritatis vitae et actionis, difficultates oeconomicae et familiares, aliaque sane multa id genus. Hoc in sensu, hi numeri debent esse magis concreti et *realistae,* magis *laicales,* praesertim vero hi in quibus agitur de apostolatu in familia, in proprio vitae ambitu et in societate civili.

Cap. III. Integrum hoc caput recognoscendum ac iterum redigendum censeo, ita ut clarius exponatur finis essentialis, immediatus est directus apostolatus laicorum.

Magnopere etiam expedit ut, in hoc textu reficiendo, prae oculis habeatur verbum *Ecclesia* in actuali redactione quandoque adhiberi ad designandam hierarchiam sacram; sed opportunum videtur ut hoc in casu addatur aliquod adiectivum, e. g. Ecclesia *hierarchica.* Sic patebit (ut in ipso schemate dicitur in pag. 5, linn. 23-27) actionem apostolicam Ecclesiae non expleri in actione hierarchiae, quia apostolatus proprius et specificus laicorum etiam est plene ecclesialis. Vid. e. g. locutionem: « immo laici, sua experientia et studio auxilium praebent Ecclesiae... » (pag. 10, linn. 31-32), qui textus clarior fieret si diceretur: « ... auxilium praebent Ecclesiae *hierarchicae* ». Et sic aliis in locis huius aliorumque capitum.

Cap. IV. Cum homo *natura sua* sit socialis, singulis hominibus competit *ius nativum* sese associandi ad fines communes consequendos. Hoc ius, quod in liberis nationibus societas civilis suis civibus agnoscit, etiam Ecclesia pro suis fidelibus semper recognovit. Hierarchiae est vigilare ut finis sit rectus: nempe, ut talis finis directe vel indirecte inveniatur intra ambitum missionis salvificae Ecclesiae. At vero, una cum hoc iure et officio hierarchiae stimulandi, coordinandi, vigilandi et dirigendi (prae oculis quidem habita natura cuiusque associationis) in schemate etiam manifeste patere debet *ius laicorum sese libere associandi ad fines apostolicos consequendos.* Attamen hoc in schemate non apparet. Circa hanc enim libertatem initiativae apostolicae laicorum in actuali redactione schematis fiunt solummodo aliquae mentiones, timidae quidem et diffidentia plenae; dum e contra textus fere unice agit de Associationibus ab ipsa hierarchia conditis, de iis scil. quarum finis primarius — nempe participatio immediata laicorum in apostolatu hierarchico — non est *natura sua* finis primarius apostolatus laicorum. Si ergo loquimur de maturitate laicatus, cur fines immediate et proprie apostolici, qui solummodo recognoscuntur pro Actione Catholica, denegandi sunt *omnibus* associationibus a laicis libere constitutis?

Praeterea haec norma restrictiva sine causa coarctat libertatem ipsorum episcoporum, quia etsi Actio Catholica laudanda quidem sit, nulla ratio apparet ob quam episcopi obligari debeant ad erigendas associationes Actionis Catholicae tamquam *unicas* associationes immediate et proprie apostolicas. Necessarium est quidem in omnibus dioecesibus adesse coordinationem apostolatus laicorum, at hoc fieri debet sine ulla specie monopolii ex parte

alicuius associationis. Etenim, nisi exclusivismum accurate vitemus, in apostolatu contingere poterit id quod iam accidit in vita politica nonnullarum nationum, ubi modo totalitario exsistit solummodo aliqua factio politica unica et exclusiva. Sed consequentiae ortae ex exsistentia alicuius *factionis officialis unicae et exclusivae* in vita apostolica laicatus longe graviores essent quam consequentiae provenientes e factione unica in vita politica alicuius nationis; inter alias quidem consequentias, contingeret quod haec factio unica apostolica fieret schola tyrannorum seu dictatorum politicorum. Efficacitas et unitas actionis nunquam vere obtinentur per coercitionem honestae libertatis et iustorum iurium sive personarum sive associationum, quod eodem iure valet pro vita civili et ecclesiastica.

His de causis etiam hoc caput profunde modificandum videtur, ne impediatur continuus progressus apostolatus laicorum. Ideo proclamandum est ius nativum associationis laicorum etiam ad fines apostolicos (omnino non sufficit brevissima affirmatio theoretica quae fit in pag. 13, linn. 24-26), idque etiam ut in tuto ponatur ipsa libertas episcoporum et vitetur ne sacra hierarchia immixta videatur in activitates characteris temporalis.

In reficiendo textu n. 17, prae oculis quoque habeatur opportunitas expungendi vel aptius redigendi verba « *in dioecesi aut in paroecia* », quia adsunt associationes fidelium interdioecesanae et internationales a Sancta Sede institutae seu erectae.

Pag. 16, lin. 29 usque ad pag. 17, lin. 5. Redactio adhibita « *Episcopi diligenter seligant...* » valde coarctat hodiernam libertatem quarumdam associationum fidelium, quae ius habent seligendi per se — inter sacerdotes ab episcopo approbatos — proprium cappellanum seu adsistentem in rebus spiritualibus.

Pag. 16, lin. 29. Redactio ita emendetur: « ... sacerdotes associationibus apostolatus laicorum *iuvandis* idoneos... ». Vel alia verba his similia adhibeantur. Expedit enim ut manifeste pateat huiusmodi normam attinere ad apostolatum ordinatum in associationibus, haud vero ad apostolatum laicorum in genere. Etenim apostolatus — uti dicitur in pag. 6, linn. 6-8 — est ius et officium omnium laicorum, et ideo ipsum fovere debent non solum aliqui sacerdotes selecti, sed omnes sacerdotes.

Pag. 17, linn. 1-2. Ita emendentur: « ... apostolico *associationum* sibi *commissarum* impendant... ».

Aut ita emendetur: « ... apostolico *associationis unicuique* commissae impendant... ».

Ratio: prae oculis habitis praecedentibus verbis (nempe « in educanda vita spirituali »), verbum *christifidelium* sumi potest ac si sese referat ad directionem spiritualem *personalem,* quod efficere posset ut singuli cappellani sibi arrogarent ius exigendi aliquo modo ut membra suae associationis directionem spiritualem a se recipiant. Hoc vero — quod, pro dolor, iam contingit in aliquibus associationibus fidelium — esset impositio pro laicis alicuius obligationis quae nequidem religiosis imponitur (cf. *C.I.C.,* can. 519;

520, § 2; 521; 522; 523) quia libertatem conscientiae laederet. Immo vero, ad abusus forte obvenientes praecavendos, valde expedire videtur ut in hoc capite (titulus n. 19 est: *Pastores et apostolatus laicorum*) explicite recenseatur officium cappellanorum prosequendi maxima reverentia libertatem conscientiae membrorum talium associationum, vi cuius seligere possunt sacerdotem quem maluerint, ut ab ipso directionem spiritualem recipiant.

Ideo, in pag. 17, lin. 2 haec aliave similia verba addi possunt: « ... impendant, salva semper libertate uniuscuiusque christifidelis in proprio confessario seu directore conscientiae seligendo; eorum... ».

Haec reverentia erga conscientiam personalem plene componitur cum officio cappellanorum fovendi vitam pietatis totius associationis, per magisterium, liturgiam, etc.

Pag. 17, linn. 16-17. Omnino delenda sunt verba « *curent ne eorum condicio iuridica indefinita relinquatur* ». Huiusmodi personae iam habent in Ecclesia condicionem iuridicam claram et bene definitam: sunt laici, simplices fideles. Neque ulla ratio est cur aliqua mutatio sit introducenda in tali condicione iuridica. Immo vero, ad efficacitatem apostolatus laicorum roborandam, nullo modo expedit ut ista condicio qua fruuntur — sunt enim laici sensu pleno — ulla de causa mutationem vel *limitationem* patiatur.

N. 15, pag. 14, linn. 11-15. Firmam exceptionem appono ad revisionem futurae legislationis canonicae circa formas associativas apostolatus laicorum, iuxta normas in hoc schemate contentas. Ex iis quae supra exposui manifeste apparet normas huius schematis esse absolute insufficientes neque ad rem aptas.

Nota 13, pag. 19. Vitandum est ne nomen genericum *apostolatus laicorum* limitative applicetur ad apostolatus qui exercentur *de mandato hierarchiae*. Hoc esset permixtio generis cum specie, et praeterea cum specie minus apta, quia apostolatus magis specificus laicorum, scil. *consecratio mundi* directe et immediate non sese refert ad hierarchiam. Ambiguitas terminologica laedere potest ipsam hierarchiam, cum ansam praebeat ad ipsi attribuendas activitates de quibus nullo modo debet neque potest responsabilitatem assumere.

A fortiori vitari debet — in omnibus nationibus et dioecesibus — ne terminus *apostolatus laicorum* restringatur ad *Actionem Catholicam sensu stricto sumptam,* vel cum ipsa identificetur. Tunc enim nomen *generis* confunderetur cum nomine unius associationis ex iis quae speciem constituunt.

Expedit ut haec omnia clare pateant in schemate, non solum propter allatas rationes pastorales et apostolicas, sed etiam ut habeatur minimum necessarium praecisionis terminologicae, quae faciliorem reddere valeat futuram revisionem legislationis in hac materia.

Nota 15, pag. 20. Si in schemate agatur explicite de Actione Catholica, quod tamen expedire nullo modo videtur, magis inculcanda est responsabilitas quam habent membra istius associationis sese stricte continendi intra fines spirituales suorum apostolatuum. Etsi suae activitates sunt « *propriae*

laicorum quas ipsi possunt sponte sua exercere », experientia tamen pro dolor ostendit haud raro sodales Actionis Catholicae abuti hoc iure agendi « *nomine auctoritatis ecclesiasticae* ». Responsabilitas quam hierarchia sibi assumit (non solum cum Actione Catholica, sed etiam cum ceteris associationibus *quas episcopus vocare potest* ad directam cooperationem cum seipso) eo tales laicos ducere debet, ut specialem quoque responsabilitatem sibi assumant. Hoc clare dici debet, praesertim quia relate ad Associationes quae « *libera electione constituuntur* » (pag. 16, linn. 1-6) prohibetur ne ipsae, sine consensu hierarchico « *nomen catholicum sibi vindicent* ».

59

Exc.mus P. D. ILDEFONSUS M. SANSIERRA

Episcopus tit. Oriensis, aux. S. Ioannis de Cuyo

Ad n. 5, in par. 8. Ut huius numeri textus aptior et efficacior evadat, sic recognoscendus videtur: « Vi ipsius matrimonii sacramenti uterque coniux munus et officium habet ut quoad alterum gratiae sit cooperator, necnon caritatis Christi et Ecclesiae testis; et parentes officium habent christiane educandi filios, eos adiuvandi in vocatione Dei circa ipsos dignoscenda ac genere vitae libere eligendo, et in eis spiritum apostolatus fovendi.

« Societatis familiaris apostolica actio, quae ab exordio Ecclesiae initium sumit, etc. ... Revera Regni Christi propagatio postulat ut ipsae familiae non solum apostolicae actionis Ecclesiae bona recipiant, sed etiam, ratione sua propria, eiusdem apostolatus adiutrices et redemptionis instrumenta fiant.

Et sane, peculiari modo apta est societas coniugalis et familiaris ad quaedam apostolica exercenda opera e quorum genere sunt, ut imprimis *aliis matrimonio iunctis et familiis Evangelium nuntient,* sponsos ad matrimonium praeparent, etc. ».

« Ad sustentationem spiritualem ac materialem etc. ... ».

60

Exc.mus P. D. ANTONIUS SANTIN

Archiepiscopus-episcopus Tergestinus et Iustinopolitanus

Nostrae animadversiones respiciunt praecipue n. 16, in quo de Actione Catholica agitur, quae secundum definitionem Pii XI, eiusdem fundatoris et legislatoris, cooperatio est laicorum in apostolatum hierarchicum.

Multae sunt formae apostolatus laicorum omnesque laudandae: individuales et associatae, magis minusve a hierarchia dependentes vel etiam prorsus sub responsabilitate membrorum sodalitii agentes; et varii sunt fines.

Actio Catholica vero una est, quae a Summis Pontificibus longe lateque definita, in n. 16 non exacte sed sufficienter descripta est. Quare — haec est nostra propositio — licitum sit unicuique nationi, i. e. conferentiae epi-

scopali nationali vel territoriali seligere consociationem quae, omnibus perpensis, indoli et condicionibus populi melius servit, quaeque una Actio Catholica eiusdem nationis sit. Haec optio non impedit quominus et reliquae consociationes vivant et operentur.

[*Subsignaverunt etiam*] Aegidius Bignamini, arch. Ancona; Ioseph Melas, ep. Nuoro; Franciscus Monaco, ep. Caltanissetta; Secundus Chiocca, ep. tit. Caesariensis in Bitynia; Philippus Aglialoro, ep. tit. Germenensis in Galatia; Iacobus Cannonero, ep. Astensis; Ioannes Proni, ep. Thermularum; Ioseph Bonacini, ep. Brittinoriensis.

61

EXC.MUS P. D. AURELIUS SORRENTINO

Episcopus Bovensis

Laude dignum est schema decreti *de apostolatu laicorum* propter concinnam expositionem, etsi adhuc aliquae repetitiones maneant, et expolitam formam, quae claram induit notam pastoralem.

Quaedam tamen non minoris momenti in schemate desiderantur; quaedam, quae implicite dicuntur, explicite vel clarius proponenda vel inserenda videntur.

Tria tantum adnotasse sufficiat.

1. Ad n. 6, in quo de apostolatu laicorum in paroecia fit sermo, ante verba: « adlaborent (laici) ut paroecia spiritu missionali informetur », vel alibi, si magis placuerit, haec vel similia addantur verba: « in catechetica institutione populi christiani libenti et grato animo operam praestent ».

Rationes: *a*) mirum videretur si ne verbum quidem de hac re in toto schemate diceretur et si, dum ad paroeciam spiritu missionali informandam laici advocantur, non excitarentur ad conscientias opere et verbo veritatis illuminandas atque ad salutem instruendas;

b) adsociatio laicorum in nuntio evangelico tradendo urget, praesertim nostris temporibus, cum error ut cancer serpit (*2 Tim.* 2, 17) et operarii in messe Domini perpauci sunt: « gentes ambulant in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati a vita Dei, per ignorantiam quae est in illis » (*Eph.* 4, 17-18);

c) laicos sciant oportet hunc apostolatum maximo honori ipsis esse et praecipuum officium, cum de missione prophetica Christi participent.

2. Ad n. 11, in quo de ordine temporali christiane instaurandi fit sermo, haec videntur adnotatu digna.

Numerus non satis indicat qua ratione laici agere debeant ut rerum temporalium ordinem pervadant et informent, ut ordo lege naturali extruatur et ad Deum per Christum ordinetur.

Melius esset, meo iudicio, si, sicuti factum est in numero sequenti, ubi de actione caritativa agitur, alius numerus insereretur, qui de actione sociali inscribi possit.

Rationes in nota in contrarium adductae non videntur validae, praesertim si ad momentum actionis socialis nostris temporibus attendatur. Hoc in casu, in n. 11 de fundamento theologico ordinem temporalem christiane instaurandi esset sermo, in n. 11 bis de actione sociali et in n. 12 de actione caritativa.

Sed quidquid sit de ista propositione, in n. 11 saltem memorentur oportet una cum virtutibus sic dictis socialibus iura et officia socialia, quibus utentes atque haec exercentes Christo laici testes erunt.

Alter alterius onera portantes (*Gal.* 6, 2), opere et veritate alterutrum diligentes (*1 Io.* 3, 18), laici seipsos praebere debent sectatores bonorum operum, iustitiam in primis prosequentes, solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis (*Eph.* 4, 2).

Inter tot iura et officia socialia unum saltem in mentem revocare fortasse inutile non erit: scil., *ius et officium actuose vitae sociali et rei publicae participandi* iuxta ea quae in Litteris Encyclicis *Pacem in terris* continentur: « Filios adhortamur, ut in partem rei publicae administrandae veniant, utque sociam navent operam ad totius humani generis et suae cuiusque civitatis commoda provehenda ».

Animadvertendum tamen est ad civilem cultum rectis normis christianisque principiis imbuendum satis non esse laicos caelesti fidei lumine tantum frui vel boni provehendi ardore permoveri; sed requiritur:

a) ut ipsius civilis cultus institutis laici intersint efficacique actione eadem intus attingant. Ex eo quod nostra aetas maxime doctrinis et technicorum inventis sit conspicua, nemo potest se publicis institutis insinuare nisi sit scientia ac doctrina peritus, ad technicorum artes idoneus, professionis suae exercendae expertus;

b) ut vitam suam ad evangelicas normas conforment atque christianae doctrinae institutione satis sint exculti;

c) ad sua munera apte sustinenda sint convenienter edocti atque principio dynamico permoti: scil., in rebus socialibus ad iustitiam accommodandis non possunt et non debent in habito acquiescere itinere, sed potius iudicare ea quae facta sunt numquam ad necessitatem satis esse atque ideo semper maiora et aptiora incepta suscipere, quae ad bonum commune magis magisque conferant.

Tandem opportunum existimo in schemate recognoscendas esse laicis, qui operantur in formis apostolatus ad finem animationis christianae ordinis temporalis immediate attinentibus, suam libertatem, suamque autonomiam et responsabilitatem, dummodo tamen principia iuris naturalis servent; doctrinae etiam de re sociali, quam Ecclesia tradit, obsequantur et auctoritatum ecclesiasticarum monitis pareant.

Etenim ordinem temporalem hierarchia qua talis directe non attingit.

3. Ex dictis necessitas consequitur doctrinam socialem Ecclesiae bene noscendi ut ad effectum deduci possit iis rationibus et modis quae varius temporum locorumque status aut ferat aut exigat.

Liceat ergo promovere votum ut tum in catholicis scholis cuiusvis ordinis, tum praesertim in sacris seminariis haec disciplina tradatur atque in indicem addatur religiosarum materiarum, quibus vel paroeciae vel consociationes laicorum apostolatui incitando suos erudiunt.

Conclusio. Prima vice in Concilio nostro agitur de apostolatu laicorum. Cum Paulo apostolo nunc laici repetere possunt: « Ostium mihi apertum est magnum » (*1 Cor.* 16, 9). Ad arduum quidem, sed excelsum sane munus laici vocantur. Veniant ergo laici et Matri Ecclesiae suam praestent operam ut adhuc et semper Christus Magister ac Salvator noster sit.

Nunc tempus, haec laicorum hora est.

62

EXC.MUS P. D. HYACINTHUS THIANDOUM
Archiepiscopus Dakarensis

Nomine multorum Africae episcoporum, et aliorum qui mecum consentiunt, de schemate illo, quod *de apostolatu laicorum* inscribitur, mentem meam aperire intendo.

Anno elapso, in congregatione generali, Patres concilii positivam laici definitionem rogaverunt, et, in cap. IV schematis *de Ecclesia,* notionem illam quae describit laicos ut fideles Christo incorporatos et missionem totius populi christiani in Ecclesia et in mundo, pro parte sua exercentes, officialiter approbaverunt.

Liceat mihi tres animadversiones de momento huius missionis benevolentiae vestrae proponere.

1. (n. 11, pag. 11). In n. 11, pag. 11 ubi agitur « de ordine temporali christiane instaurando », nemo est qui non perspiciat munus laicorum, quo ecclesia in vita hodierna praesens redditur et quo fermentum Evangelii in mundo imbuitur, absolute necessarium esse.

Christiana ordinis temporalis instauratio et mundi consecratio, quasi specifice ad laicum pertinent, et in missionibus ubi christifideles non sunt nisi exigua minoritas, officium illud laicorum, in apostolatu Ecclesiae, non tantum perutile sed indispensabile est. Illis in locis christiani, nisi vita evangelica et testimonio caritatis ab aliis non distinguuntur; immo, auxilium laicorum, ad animas attingendas et mentes christiane informandas, saepe ut unicum medium evangelisationis sese praebet.

In his nationibus, quae structuras originales ubique quaerunt et institutiones originales creant, quis non videt responsabilitatem laicorum nostrorum et actionis illorum profundam efficacitatem.

His bene perpensis, vocatio apostolica christianorum, quae pag. 5, linn. 27 ss. inscribitur, valde timidum videtur. Non sufficit dicere: « Corpus mysticum non sinit ullum membrum esse passivum », sed fortiter debemus affirmare et clamare actionem christifidelium saepissime vitalis necessitatis esse ad ordinem temporalem secundum evangelii principia instaurandam.

2. Ad n. 14, pag. 13 quod attinet, multiplicitas formarum apostolatus consociati, non sine ratione exoritur, sed pendet, praesertim in nostris regionibus, a varietate necessitatum. Non tamen ab una natione ad aliam, ab Europa ad Africam, sine discrimine transferri debent, sed, uti patet a verbis S. P. Ioannis XXIII, felicis recordationis, in sua Encyclica *Princeps Pastorum,* quae hac in paragrapho citari deberent, circumstantiis locorum et gentium mentalitati adaptari necesse est.

Si dispersio virium sedulo vitanda est, ad incrementum novarum ecclesiarum perficiendum oportet omnes formas apostolatus catholici, aliunde probatas adhibere. Quarum opportunitatem iudicare solius ordinarii loci est. Associationes utiles et methodos idoneas eligere ipsi soli competit, a quo tota activitas et organisatio evangelisationis pendent.

Attamen, temporibus nostris, velocitatis communicationum et populorum migrationis causa, nulla dioecesis sibi sufficere potest et, ad uniformitatem huius actionis fovendam, cooperatio interterritorialis, immo et internationalis, quam maxime requirenda est.

3. Ad n. 16, pag. 14, pauca verba addere vellem. In historia Conciliorum, nullum est qui tam lucide constitutionem hierarchicam Ecclesiae illustravit, et duo capita, maximi momenti, de episcopis et de laicis, ad gloriam Concilii Vaticani II remanebunt.

Sub influxu Summorum Pontificum, decursu temporum et praesertim a Papa Pio XI, illustris memoriae, Actio Catholica apparet sicut forma aptissima et efficacissima cooperationis episcopi cum laicis, in opere apostolatus. Responsabilitates personales et collectivas episcopi, constitutio nostra *de Ecclesia* tractat, sed, ex alia parte, in apostolatu nostro, Actio Catholica, medium privilegiatum nobis datur et, ad homines evangelisandos et sanctificandos, adiutorium, cui par non est, hierarchiae affert.

In ordine temporali, sociali vel syndicali exstruendo, laici qui in Actione Catholica sese devovent, persaepe in nostris regionibus, primum locum tenuerunt et tenent.

Insuper, coram penuria sacerdotum vocationumque, et numero ingenti non-christianorum, momentum huius apostolatus laicorum qui in Actione Catholica militant et urgentiam formae huius evangelisationis in terra africana et alibi, modo solemniori, quam in hoc schemate, proclamari deberent. Minuere non possumus laudes, quas, multis in modis, Summi Pontifices, de utilitate, de efficacitate et necessitate associationum illarum protulerunt.

Conclusio. Canonisatio proxima Martyrum Ugandensium, corda nostra immensi gaudio implet. Amoris Christi et Ecclesiae, usque ad effusionem sanguinis, testimonium dederunt illi laici nigri. Nunc autem pro omnibus laicis africanis, ii qui Actione Catholica et aliis associationibus adlaborant, et cum episcopis novarum ecclesiarum, ad opus evangelisationis cooperantur sunt virtutis et sanctitatis exempla. Nunc sanctos habemus nostros. Nunc possumus dicere et nos: « Sumus quoque Ecclesia ».

63

Exc.mus P. D. ADOLFUS SERVANDUS TORTOLO
Archiepiscopus Paranensis

Doctrina huius decreti placet. Modus exprimendi non placet. In genere, necessaria videtur redactio brevior et praestantior, ita ut hoc decretum *Magna Charta apostolatus moderni* vocari possit.

Sed concrete loqui intendo de n. 3 cap. I: De formatione apostolica.

Diversae illae ideae circa formationem quae — hinc et hinc — in textu apparent, oportet ut in unum coalescant ita ut *Codex*, vel *Corpus organicum* laicis offeratur.

Mundus hodiernus, et Ecclesia in hoc mundo, exigunt homines solidae personalitatis supernaturalis praeditos. Sed ista personalitas cristiana ut vera sit, et ut efficaciter in campo apostolico et in mundo hodierno praesens sit et videatur, efformari debet vi principiorum; quae principia semper et ubique sint valida.

Hanc brevem synthesim proponere audeo:

I - Vocatio apostolica oritur ex ipso facto christiano. Est ipsa vocatio christiana. Vocatus ad Christum ad eius vitae participationem vocatur. Sed tota vita Christi, in eius Corpore adhuc peregrinanti unice ad hoc tendit: ut Corpus crescat et ut membra perfectiora evadant.

II - Apostolatus, proinde, principaliter est actio ipsius Christi ope membrorum. Ex hoc oritur indispensabilis unio cum Christo; quae unio, praesupposita gratia, oratione et Eucharistia alitur.

III - Mediante hac unione, datur christiano vel infunditur, clara conscientia ecclesialis, seu conscientia inessionis suipsius in Corpore Christi mystico. Ex plena conscientia huius inessionis duo elementa oriuntur: activus sensus supernaturalis et activus sensus temporalis. I. e.: specifica et singularis vocatio supernaturalis in Corpore Christi mystico adimplenda est mediante suo munere vel missione temporali.

Promanat ex hoc principio necessaria unitas suipsius. I. e.: cohaerens et logica conscientia christiana in tota eius vita et in ambitu totius vitae.

IV - Hic activus sensus, tum supernaturalis tum temporalis, exigit in christiano cultum, progressum et maturationem omnium donorum, tum naturalium, tum supernaturalium. Omne donum individuo datum est pro seipso, pro tota Ecclesia et pro tota humanitate.

Propria dona non colere defraudatio est totius communitatis.

V - Conscientia relationis socialis. Seu essentialis habitudo christiani — qua homo et qua christianus — ad alios homines, iuxta illum ordinem qui *ordo proximorum* theologice vocatur. Hi sunt: familia, comites in labore vel in professione, concives, connationales.

Hic ordo est vere providentialis, quia nihil casu accidit. Proinde « ad

hos homines, ad hunc ambitum missus sum » certe ex lege Divinae Providentiae, vel Dei ordinatione, apostolus laicus dicere et potest et debet.

Contextus historicus uniuscuiusque est contextus providentialis. Ad bonum commune pertinet et ab ordine divino pendet.

VI - Ineludibilis quantum necessaria Crux. Triumphalis conceptus apostolatus revera esset insania si Crucis dynamis abest. Ea lex: de grano frumenti moriendo, est lex divina et in suo ordine absoluta. Foecunditas laborum apostolicorum, permanens testimonium Christi in vita cotidiana, et enthusiasmus numquam moriens, solummodo dantur mediante victrice Crucis vi.

Vis Resurrectionis, semper in actu in Capite et in Corpore, non evacuat realitatem militantis Ecclesiae semper agonicam.

64

Exc.mus P. D. LAURENTIUS TREVOR PICACHY
Episcopus Jamshedpurensis

Loquor nomine conferentiae episcoporum Indiae. In n. 5 agitur de familia. Bene dicitur in « Relatione » (pag. 27): « Familia non tantum ut campus sed etiam ut subiectum apostolatus consideratur ». A. v., apostolatus respicere debet non tantum singula membra ad invicem, sed omnes, quotquot sunt in familia, apostolatum ad extra coniunctim exercere possunt.

Hodie, proh dolor! multae familiae ob nostrae societatis rerum adiuncta et ob spiritum independentiae disruptioni obnoxiae sunt, vel saltem unio familiaris multo minus arcta evadit. Saepe uxor extra suam propriam domum laborare cogitur, propriam mercedem accipit, et a marito minus pendet. Filii etiam in tenera aetate independentes esse volunt, et quia inveniunt domum saepe vacuam et sine affectione, ad aliam se vertunt.

Inimici Christi bene norunt disruptionem familiarum optimam viam esse ad apostasiam ab Ecclesia.

Necesse ergo est ut apostolatus familiae qua talis foveatur. Laudandus est apostolatus qui fit per associationes separatim pro viris, pro mulieribus, pro iuvenibus, pueris, puellis, opificibus et aliis; sed *prima et naturalis associatio est familia.* Apostolatus familiaris qua talis debet habere prioritatem super alias formas. Apostolatus iste iam viget in non paucis nationibus; sed quo magis extenditur et consolidatur, eo maiores erunt fructus pro tota Ecclesia.

Sunt qui ad speciales formas Actionis Catholicae non attrahuntur. Non pauci iuvenes, qui totis viribus in campo apostolatus adlaboraverunt, post initum matrimonium ab omni activitate cessant, non tantum quia eis tempus deest, sed revera quia non proponitur forma apostolatus quae eorum statui congruit.

Discant ergo coniuges simul adlaborare ut viciniores vel eiusdem condicionis familiae meliorem et pleniorem vitam christianam agant et sine dubio

ipsorum vita sanctior evadet, ut experientia docet. Hoc supponit quod sacerdotes nostri singulas familias attingere et excolere conantur. Sicut quidam episcopus ex Belgio nitide dixit: « Apostolatus hodiernus eo modo exercendus qui " La Strada " vocatur ».

Concludo, postulando ut in n. 5 apostolatus familiaris enixius commendetur, eiusque momentum animarum pastoribus magis inculcetur.

In nostro Concilio pastorali gavisi sumus quia debitus locus sit Auditoribus, primo laicis viris, postea auditricibus et nuper parochis dilectis.

Essetne opportunum si in hac aula, praesertim quando tractatur schema *de matrimonio* si coniuges ipsi qua tales inviterentur! Quod si fiet, melius cognoscet mundus quanto in honore Concilium habeat familiam et sponsos, qui imaginem Christi cum Ecclesia referentes, se mutuo amant in Domino suumque amorem per apostolatum familiae in alios effundunt.

65

Exc.mus P. D. IOANNES VAN CAUWELAERT
Episcopus Inongoensis

Pag. 13, linn. 7-8 loco: « Consociatio enim prae se fert signum unitatis Ecclesiae... » dicatur aliquomodo sequens idea: « Talis consociatio bene inseratur in vita ipsius communitatis Ecclesiae (paroecia, dioecesis), ne introducat spiritum divisionis sed e contra sit expressio unitatis Ecclesiae ».

Ratio: Il ne semble pas tout à fait exact de dire d'une association comme telle qu'elle est « signum unitatis Ecclesiae ». Au contraire, comme l'experience le prouve dans nos régions, elle peut introduire des divisions entre les membres de la communauté ecclésiale, si son action est trop repliée sur ses membres et sur sa propre activité, sans lien avec la vie de la communauté. Il faut plutôt insister que de telles associations doivent bien s'insérer dans la vie de la communauté et la servir, et s'harmoniser entre elles.

Ces associations doivent être des instruments de la communauté pour y susciter le vrai esprit apostolique dans les divers domaines chez tous les membres de la communauté, et pas seulement limiter leur action à la formation de leurs propres membres et l'élaboration de leur propre programme. Leur rôle doit être celui d'animateurs de la communauté, et pour cela s'insérer dans la vie de la communauté.

66

Exc.mus P. D. LEONTIUS ALBERTUS VAN PETEGEM
Episcopus Gandavensis

Liceat mihi quasdam observationes ac emendationis suggestiones proponere relate ad formationem apostolicam laicorum, de qua agitur sub n. 3 ad pag. 7 schematis decreti *de apostolatu laicorum*.

Tractatur ibi in genere de obiecto educationis apostolicae, de illis quibus et a quibus danda est, de adiunctis in quibus praestanda est; sed non satis de exigentiis omnino caracteristicis huius educationis ut sit adaptata adiunctis in quibus nostris diebus apostolatus exercendus est.

1. Ratio omnino habenda est in educatione apostolica tradenda de *situatione pluralistica* in qua catholici hodie in fere omnibus orbis terrarum regionibus versantur. Situatio pluralistica in hoc consistit quod catholici ineluctabiliter versantur in communitate humana divisa et mixta, inter homines diversissimas ideologias, seu convictiones philosophicas ac religiosas habentes. Haec realitas implicat unumquemque christianum circumdari quatuor non credentibus. Tam momentosa est quod in educatione christiana non potest praeteriri.

2. Ex illa situatione sequitur educationem apostolicam exigere *largam aperturam mentis et cordis*. Catholici saepe — et aliquatenus iure merito — considerantur laborare angustia mentis et cordis, immo interdum aliquo infantilismo. Multi enim opinantur illos sensus esse christianismo connaturales et putant sese adhuc vivere in christianitate homogenea et clausa periodus historicae iam longe evolutae immo moventur desiderio illusorio conservandi hanc christianitatem praeteritam. Ille habitus verum contactum et fructuosum influxum in mundum hodiernum impedit. Hoc ut vitetur formatio apostolica catholicorum exigentiis communitatis pluralisticae adaptanda est.

3. Ut catholici idonei fiant ad apostolatum in mundo pluralistico et aperto praestandum oportet acquirant *maturitatem humanam et christianam*. Saepe saepius maturitas humana et christianismus considerantur ut incompossibiles, et haec aestimatio in detrimentum apostolatus operatur. Catholicus hodiernus tali modo educari debet ut sit pleno sensu adultus et, tamquam adultus, sit capax coaedificandi mundum ac consecrandi eum. Illa aedificatio et consecratio mundi exsequendae sunt in familiis, professionibus, in culturalibus, socialibus, politicis, et in omnibus vitae campis, per testimonium operositatis christianae, per communicationem nuntii salutis, per eiusdem applicationem quotidianam, ac per competentiam collaborationem cum omnibus hominibus bonae voluntatis. A catholico requiritur in ambitu pluralismi ideologiarum et valorum systematum habilitas ad acutam discretionem intelligentiae et apertam corresponsabilitatem. Hodie magis quam antea sentitur necessitas educationis conscientiae christianae individualis et collectivae ad quam diverso ac intensiore modo quam in praeterito adlaborandum est.

4. In lumine praecedentium exoptatur a catholico nostris diebus peculiaris *idoneitas ad dialogum salutis* de quo loquitur Summus Pontifex in Litteris encyclicis *Ecclesiam suam* et qui gratia cooperante gignit fidem. Dicit enim apostolus Paulus: « Quomodo credent ei quem non audierunt? Quomodo audient sine praedicante?... Ergo fides ex auditu » (*Rom.* 10, 14-17); et alibi: « Placuit Deo per stultitiam praedicationis salvos facere credentes » (*1 Cor.* 1, 21). Mundus eget salute per fidem in Christum et Ecclesiam, sed insufficienter audit ex ore laicorum — immo et saepe sacerdotum — illud

nuntium. Magna ratio huius est quod ipsi mysterium salutis deficienter cognoscunt et consequenter quod sunt impares ad loquendum verbum salutis quod denique tandem est prolongatio efficaciae ipsius Verbi Incarnati. Ad hanc imparitatem sublevandam non sufficiunt quaecumque centra efformationis apostolicae, sed requiruntur praeter educationem christianam generalem specialiter pro laicis exculta instituta superiora scientiarum religiosarum et apostolicarum.

5. Christiani debent educari ad praestandum apostolatum animatum *spiritu humilis servitii.* Abstineant a convictione se sub omni respectu esse optimos, suas institutiones in omnibus esse praestantiores, ac proinde se esse magistros universales. Sint Christi cooperatores ad modum B. Mariae Virginis, sese pauperes ancillas ac servos Domini aestimantes. Ne inspirentur desiderio conquerendi sed desiderio serviendi cum fide et convictione Dominum Iesum et Spiritum eius fructificationem suorum conaminum esse assecuraturos iuxta placita divinae Providentiae.

Resumo. Proponere audeo ut illae exigentiae educationis apostolicae modernae laicum amplius in schemate decreti inserantur: scil. ut educatio eorum magis dirigatur ad apostolatum in mundo pluralistico, ad apostolatum apertum, ad apostolatum maturum, ad apostolatum dialogi salutis, ad apostolatum humilis servitii christiani.

67

EXC.MUS P. D. PASCHALIS VENEZIA
Episcopus Arianensis

1. A multis notatum est deesse in hoc schemate claram et organicam expositionem doctrinalem de apostolatu laicorum. His adhaereo et humiliter censeo eam includendam esse in schemate *de Ecclesia,* in cap. V, perficiendo eius titulum sic: « De universali vocatione ad sanctitatem *et ad apostolatum* in Ecclesia ».

In illa expositione colligenda essent omnia principia theologica de natura, fundamento, efficacitate apostolatus non tantum laicorum sed omnium, cum omnis apostolatus a charactere sacramentali et a gratia Dei pendeat.

Hoc necessarium est cum, his ultimis temporibus, multa dicta et scripta sint de hoc argumento.

2. In schemate, etsi multa dicta sint, tamen aliqua non clare et aliqua non profunde, ut e. g. quae de Actione Catholica; aliqua non tanguntur, ut e. g. apostolatus consecratus Institutorum Saecularium et Piarum Unionum, quae sunt tamen gravis et magni momenti.

3. Alius apostolatus, de quo nihil in schemate, est apostolatus ad supernaturaliter fructuosos reddendos dolores et actuosos et utiles infirmos. Tantum aliqua verba sunt in n. 2, linn. 25-28, quae tamen generalia sunt et ad omnes dicta.

Non est apostolatus misericordiae ad solamen et auxilium infirmorum

qui tales sunt ad tempus, neque tantum apostolatus individualis, sed apostolatus organisatus ad spiritum apostolicum excitandum in infirmis, qui semper tales sunt.

Factum evidens est quod in mundo plurimi sunt infirmi vel a nativitate vel ab aliquo momento vitae suae, laici, religiosi, sacerdotes, qui aut in nosocomiis aut domi vivunt. Inhabiles ad laborandum sunt; eorum missio est pati. Huius apostolatus est eos organisare, instruere et spiritualiter adiuvare ut:

a) discant se non esse reiectos et quidem iniuste cum peccata non commiserint, « quia, ut ait S. Paulus, vobis donatum est pro Christo non solum ut in eum credatis, sed ut etiam pro illo patiamini » (*Phil.* 1, 29), et, ut ait S. Petrus, « Quae enim est gloria, si peccantes, et colaphizati suffertis? Sed si bene facientes patienter sustinetis: haec est gratia apud Deum. In hoc enim vocati estis quia et Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum ut sequamini vestigia eius, qui peccata non fecit, nec inventus est dolus in ore eius » (*1 Pt.* 2, 20-22);

b) credant Christum velle perficere redemptionem nostram, singulis applicando merita suae Passionis per passionem nostram, et imitentur S. Paulum, qui de se asserit: « ... adimpleo ea, quae desunt passionum Christi, in carne mea pro corpore eius, quod est Ecclesia » (*Col.* 1, 24);

c) intelligant ad hoc faciendum necesse esse vivere in Christo per suam gratiam et sua caritate amare Deum et S. Ecclesiam.

Etsi verum est in tota Ecclesia et in singulis christianis, particulariter tamen in iis perficiatur quod S. Leo Magnus asserit: « Passio enim Domini usque ad finem producitur mundi ».

Pius XII explicat ipse vim supernaturalem doloris, benedicit et approbat hunc apostolatum: « E che dire della vostra sofferenza? Gesù, venuto al mondo per redimere gli uomini, cioè per dar la vita, e darla in abbondanza (cf. *Io.* 10, 10), volle che ciò avvenisse per mezzo della sua Passione. Ma la sua Passione, e quindi la Redenzione, deve essere " completata " dalla nostra sofferenza (*Col.* 1, 24). Voi dunque non siete inutili, diletti figli e figlie. Col vostro dolore soprannaturale offerto voi potete conservare tante innocenze, richiamare sul retto cammino tanti traviati, illuminare tanti dubbiosi, ridare serenità a tanti angosciati. I sacerdoti si stupiranno talvolta di non rimanere nei travagli dei loro ardui ministeri con le mani vuote: in cielo vedranno a chi si doveva la imprevista efficacia delle loro parole... Non vogliamo concludere questa esortazione senza aver prima benedetto con tutto l'ardore dell'animo Nostro paterno quei volenterosi, che... hanno raccolto in pacifica schiera i sofferenti d'Italia » (Serm. ad 5000 inf. socios « Centro Volontari della Sofferenza », die 7 oct. 1957).

Item Ioannes XXIII in Serm. ad inf. socios eiusdem Centro Vol. Soff., die 19 martii 1959, qui hunc apostolatum canonice approbavit die 24 nov. 1960.

Semper fuit necessarius hic apostolatus, cum sit in oeconomia redemptio-

nis; hodie tamen est urgentior cum existentialismus ita dolorem efferet ut ad immoralitatem ducat tamquam ad liberationem et ad fugam ab eo et communismus infirmos consociet ad fines politicos, immoralitatem fovendo.

Cum enim hic apostolatus simul cum apostolatu orationis efficaces reddant omnes alios apostolatus, qui absque illis fere nihil efficiunt, enixe rogo ut unus numerus conficiatur, qui eos explicet et commendet, ita tamen ut videantur necessarii non solum ut apostolatus individuales sed organisati.

68

EXC.MUS P. D. BRUNO WECHNER

Episcopus tit. Cartennitanus

Infrascriptus ad schema, de quo supra, hisce imprimis confirmat et sua facit ea, quae in 97 congregatione generali, die 8 octobris habita, rev.mus D. ep. Petrus van Lierde exposuit, praesertim, quae *de Institutis saecularibus* dixerat.

In specie sequentem animadversionem propono. In n. 19 schematis, pag. 17, inde a lin. 9, ubi laici speciali honore et *commendatione* digni vocantur, aptus locus esse videtur, quo *breviter saltem quaedam dicantur de Institutis saecularibus,* quorum munus speciale iuxta Constitutionem *Provida mater* diei 2 februarii 1947 praeter observationem consiliorum evangelicorum est exercitium *apostolatus.*

Omnino convenit, ut in schemate de apostolatu laicorum potius quam in altero de Religiosis de Institutis *saecularibus* sermo fiat, quia membra talium Institutorum, uti experientia iam docet, quoad maximam partem sunt *laici.*

Altera ratio Instituta saecularia in schemate nominare in eo est, quod hucusque non eam aestimationem apud clerum invenerunt, quam revera merentur, cum membra eorum, ut ita dicam, ex officio ad exercitium apostolatus obligati et propterea etiam parati et pastoribus libenter praesto sint. Paucis igitur saltem verbis considerationi et auxilio tam episcoporum quam sacerdotum, imprimis e clero saeculari, commendantur.

Quae in schemate pag. 17, inde a lin. 16 et s. dicuntur, imprimis etiam de membris Institutorum saecularium valere debent, quia de facto saepe pro desiderata et necessaria institutione et formatione spirituali vix vel tantum difficulter adiutorium ex parte sacerdotum accipiunt.

Ad n. 20, pag. 18, in lin. 12 brevis mutatio proponitur. Dicatur potius: « ... clerici, religiosi et *praesertim* laici, viri et mulieres... » etc. ut in schemate.

69

EXC.MUS P. D. HELMODUS HERMANNUS WITTLER
Episcopus Osnabrugensis

Omnino laudandum est, schema *de apostolatu laicorum* initium sumi a sententia, apostolatum laicorum constitui participationem in missione Ecclesiae, non autem tantum in missione hierarchiae (cf. n. 1).

Insuper in n. 2 (pag. 6) optime et ordine omnino recto declaratur, quo modo in ambitu istius missionis Ecclesiae apostolatus laicorum propter naturam suam specificam sese gerere et manifestare debet: oratione et tolerantia crucis quotidianae, testimonio vitae christianae, apostolica operatione in variis societatis campis necnon ubi opportunum erit etiam immediate evangelisatione praesertim apud eos, qui longe a Christo et Ecclesia versantes nonnisi per apostolatum s. d. « milieu » (per laicos vicinos) attingi possunt.

In partibus III et IV schematis autem modo sat inconsequenti illae formae apostolatus laicorum praecipue et primo loco enumerantur, quae practice participationem in missione hierarchiae secumferunt: ita in n. 10 loquitur de cooperatione in evangelisatione; in n. 14 de associationibus cum fine evangelisationis; in n. 16 de specialibus notis « actionis catholicae » tamquam formae organisatae evangelisationis.

His in textibus meo humili iudicio duae tendentiae diversae sese demonstrant, quae iam in initio confectionis schematis aderant et ad bonam et perfectam synthesim adhuc non sunt deductae. Hac de causa facile putari potest — sicut etiam diversis in interventionibus oralibus patrum in aula dictum est — ut nempe schema sit nimis clericalis tum in suo visu generali tum in modo dicendi seu terminologia. Propono ergo sequentia:

1. Pars II usque ad IV schematis secundum normas generales de apostolatu laicorum in n. 2 enuntiatas denuo corrigi et emendari debet.

2. Practice hoc significat:

a) Schema ordinatim procedat initium sumens *a principio fundamentali,* quod nempe apostolatus laicorum omnibus in casibus necessarius habetur in ordine temporali christiane instaurando. Realisatur hoc apostolatum in matrimonio, familia, officio et circumstantiis vitae (milieu). Hoc utique in n. 10, pag. 11, linn. 32-35 aliquo modo apparet, sed non sufficienter explicatur et tractatur.

b) *Secundo loco* solummodo et *modo subsidiari* laicorum munus evangelisationis in schema est inserendum. Reordinari debent partes II, III et IV schematis. Duplicem ob causam talis recta ordinatio materiae videtur esse necessaria:

aa) Ita evitatur periculum ne laici nostri temporis munere evangelisationis nimis urgendo valde graventur.

bb) Insuper impressio evitatur ac si laicus, qui non habet possibilitatem participandi in formam organisatam apostolatus, ea de causa non

participaret activitatem apostolatus. E contra, per suam activitatem in variis societatis et mundi campis ille apostolus laicus sensu eminenti esse potest.

3. In laicorum labore circa mundum clare distingui debent:

a) *Communis* operatio et labor ad implendum et imbuendum ordinem temporalem spiritu christiano.

b) Conatum et certamen inveniendi *novas* et aptas *structuras* in mundo moderno. Hoc munus praesertim spectat ad laicos maioris influxus in vita scientifica et practica. Schema de istis hominibus specialis influxus simul et responsabilitatis solummodo loquitur per transennam.

c) Aspectus internationalis huius laicorum laboris circa mundum magis adhuc est sublineandus, et non tantum per transennam, sicut fit in n. 14, pag. 13, linn. 29-32.

4. In ambitu operis evangelisationis responsabilitas laicorum circa homines, qui longe ab Ecclesia versantur, in schemate magis sublineatur oportet. Verba in n. 2, pag. 7, linn. 1-4 non videntur esse sufficientia. Huius problematis aspectus scientifici, spirituales, sociales etc. non debent omitti.

Conclusio. Quod laici hoc in schemate ex parte Ecclesiae exspectant et revera eis competit solummodo verificatur, si hoc in schemate invenitur et exprimitur bona et vera synthesis diversorum aspectuum apostolatus laicorum. Hoc modo etiam via indicatur et aperietur optima ad schema 13 *de Ecclesia in mundo huius temporis*.

Tamquam *corollarium* petitionem addam, ut numeratio currens partium schematis in redactione finali iam incipiat cum prooemio et etiam « Exhortatio finalis » sub speciali numero ordinetur.

70

Exc.mus P. D. IOSEPH ZAFFONATO
Archiepiscopus Utinensis

1. Qualis methodus, quaeve media a presbyteris, imo et ab ipsis laicis adhibenda sunt ut numerice et intensive maior optata obtineatur laicorum collaboratio ad Ecclesiae apostolatum.

2. Nonne educatio ad caritatem necessarium et supremum sit medium ad illam participationem consequendam.

Ad primum triplex opus considerandum est: opus dioeceseos, opus sacerdotum, opus laicorum.

Ad opus dioeceseos quod attinet optandum videtur ut « Consilium Pastorale » de quo in schemate *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia*, aut Centrum de laicorum apostolatu, cum auxilio scientiae psychologicae et sociologiae nostris temporibus maxime excultae, studeat conditionibus particularibus et methodo aptae ut ubicumque obtineatur maxima apostolatus laici dilatatio. Variae enim sunt hic et illic sive causae, sive situationes; et

varia pro unoquoque loco remedia adhibenda. Huic autem Centro large admittantur laici, quia illos oportet examen laicalis apostolatus carentiae instruere eique mederi.

Ad Sacerdotes quod attinet, necessarium est ut in Seminariis et Institutis Religiosis non tantum Sanctuarii alumni edoceantur illam doctrinam pastoralem, in dies innovatam, qua sciant instantias et evolutiones psychologicas societatis in genere et laicorum catholicorum in specie, ut fructuosius possint sacerdotale munus exercere; sed ut efformetur in ipsis, clarior et acutior, magis atque magis aperta et fervida, conscientia de necessitate et pulchritudine laicorum apostolatus. Imbuatur ergo fiducia in laicis. Vocati a Domino, discant vocare in Domino, quia fecundius est agere per multos quam per semetipsos solos.

Sciant se futuros consiliarios et confortatores laicorum in difficultatibus et laboribus pro nomine Iesu. Adipiscantur artem extollendi supernaturaliter animas in raptum apostolicum, et urgendi illas ad ineffabile gaudium confessionis et aedificationis Christi in mundo.

Ut autem hoc effluvium pentecostale in sacerdotum corda descendat et ex illis in laicorum corda exspiret, nonne dignum est ut resumatur ab hoc Sacro Concilio propositio iam facta alicuius litterae conciliaris ad sacerdotes? Nonne nostrum est eorum corda et manus sublevare ut ipsi fervidius corda et manus sublevent? Quinimmo, ad iuniores sacerdotes speciatim paterna verba adloquamur. Nonne sunt ipsi exspectatio nostra? Quale erit huius Concilii flamma, si illorum ope non portetur ac, eorum zelo, per illam mundus non illuminetur et accendatur? Sit ergo nostra potior cura de meliori luce et de meliori sale.

Ad laicos vero quod attinet, plura dicenda essent, quaedam tamen praetermitti non possunt.

a) Tridentinum Concilium seminaria pro clericis instituit. Forsan tempora adsunt ut seminariis vel scholis pro apostolis laicis studeamus. Quidquid est, illud quod iam inceptum est perfectius adimpleatur: illi scil. aptius atque aptius educentur qui dirigentium vel activistarum in apostolatu catholico locum habent vel habituri sperantur.

b) Oportet subinde ut huic Sacro Concilio succedat aliqua universalis Crociata pro apostolatu laicali. Sciant laici se vocatos a Concilio in plenitudinem confessionis. Nos, Pontifices, pontis artifices inter caelum et terram; laici, qui pontis caput in mundi ripam figunt et tenent. Unum est quod agitur: pons salutis. Sed laicis stat pontem mundo ligare multiplicitate funium, hoc est multiplici activitate apostolica, sive directa Fraternitatum et Actionis Catholicae, sive indirecta vel praelii vel cuiuscumque consociationis, ut dicunt, sportivae, turisticae, sindacalistae, politicae et huiusmodi. Nec laicis desit in labore illa autonomia, quae non procedit ex mundana praesumptione, sed ex diversa mansione in una domo Patris; nec diversitas noceat unitati, cum clerici et laici hoc habeant commune ut in omnibus et per omnia glorificetur Dominus noster Iesus Christus. Huius Sacri Concilii qualis erit mira-

bilis fecunditas si hinc ventus exsurgat qui in tota Ecclesia apostolici laicatus ver florescere faciat!

c) Ut autem laicalis apostolatus functionalis, ut aiunt, vere sit, necessarium erit adaequati organisationi studere, ne vires nimia subdivisione scindantur et dissipentur, neve locum detur cenaculis aut circulis scissurarum fontibus, neve aliunde excessiva quaedam reductio ad unitatem licitum et necessarium deprimat libertatis fervorem. Cum autem haec varie pro variis locis configurentur, exspectandum est atque sperandum quod episcopales nationales conventus decernant atque invigilent. Tandem aliquando hoc unum in laicorum aures resonet.

Pontifex in aeternum Christus et Pontifices in tempore vocant eos in horam plenitudinis, ut adimpleant obligationem et gloriam regalis illius sacerdotii, quo omnis fidelis signatum est in Domino.

Ad secundum: educatio ad caritatem est medium necessarium et summum ad obtinendam plenariam apostolatus laici deditionem.

Adimplebunt utique laici huic mirabili vocationi, si eorum corda caritate urantur, si in caritate crescant, si omnia eorum in caritate fiant. Inanum est christophoros vocare qui caritatem non ferant.

Impossibile et vanum est brachia protendere ad oecumenicos amplexus, colloquium cum mundo instaurare, novam communitatem in Christo aedificare, si caritas prius non totam succendat catholicam Ecclesiam ad intus, clericos et laicos; a cellula parochiali ad dioeceses, ad gremium Matris Ecclesiae; si caritas humilis et sincera volumina nostra nostrosque sermones non dictet, opera quaeque nostra non suggerat et percurrat et operetur; si caritas non urgeat nos usque dum ponamus animas nostras pro Christo rege et pro fratribus nostris. Haec est radix, haec est anima totius apostolatus.

Opto igitur, venerabiles Patres, ut in schemate pressius et fusius enuntietur et illustretur spiritus caritatis ad effundendum, auctoritate et gravitate quibus hoc Universale Ecclesiae Concilium pollet, bonum nuntium caritatis, ut vinculum unitatis individuorum et populorum, aptissimum medium ad fidei certitudinem inducendam atque ad sanctitatem pertingendam et urgendam, radix omnium programmatum et conatuum ad famem ab universo orbe depellendam, ad fraternitatis sensus inducendos inter sociales classes et nationes, ad pacem ipsam tuendam.

Opto insuper ut ad fovendam necessariam organisationem caritatis erga proximum, quae explicitatur in operibus misericordiae, secundum dimensiones paroeciales, dioecesanas, nationales et internationales, instituentur illud quod communiter hodie Servitium Sociale vocatur tamquam nova et nostrorum temporum necessitatibus quam maxime apta professio, quae humanis scientiis psychologiae individualis et socialis necnon sociologiae his ultimis temporibus maxime excultis utitur ad suas inde methodus atque technicas deducendas et conditionibus particularibus aptandas, non tantum in materialibus rebus, sed et in socialibus, moralibus et spiritualibus necessitatibus,

humano quidem et christiano spiritu, at ad servitium et medium ipsius laicalis apostolatus.

Ideo votum meum est ut promoveatur atque constituatur, ubi possibile est, non solum Servitium Sociale in opificiis et in aliis humanis aggregatis et organisationibus at etiam Servitium Sociale paroeciale uti aptum instrumentum in praxi deducendi illam communitatis caritatem, qualis viva luce in Ecclesia priorum saeculorum effulsit, quando et ipsi diaconi ad servitium caritatis instituti sunt et praecise ad aptiorem organisationem adsistentiae pro pauperibus.

Et hoc forsan universus orbis hodie sibi ab Ecclesia expectat atque gratissimo animo suscipit: audire magisterium caritatis, videre exemplar caritatis, sentire cor Matris.

71

Exc.mus P. D. CAROLUS ZINATO
Episcopus Vicentinus

Animadversio generalis. Meo iudicio oportet ut schema *de apostolatu laicorum* attente emendetur ut digniorem formam attingat tum quoad elegantiam sermonis tum quoad ordinem et perspicuitatem conceptuum. Melius forsan esset si in unum funderetur cum cap. IV schematis constitutionis *de Ecclesia* ubi optime de laicis agitur. Si tamen hoc opportunum non censeatur, necessarium mihi visum est adnotationes quae sequuntur proponere ut etiam ob parvam operam meam textus actualis nobis propositus meliorem formam definitivam accipiat.

Ad prooemium. Opto ut prooemium octo tantum primis alineis constet. Alineae 9-22 quae sequuntur optime collocarentur in sequenti n. 1 simul cum aliis rationibus, quibus evincitur officium omnium fidelium apostolatum exercendi.

Ad n. 1. Quaedam principia in hoc n. 1 mihi videntur necessario praemittenda:

1) circa *missionem Ecclesiae,* sacramenti renovationis totius mundi. Quomodo enim loqui possumus de apostolatu laicorum quin praemittantur, licet summatim, principia essentialia de missione Ecclesiae?

2) circa *munus proprium laicorum in Ecclesia,* eadem optima ratione qua agitur in n. 31 cap. IV schematis constitutionis *de Ecclesia.*

3) circa *notionem apostolatus* eiusque sensum *analogicum.* Nam uno eodemque sensu terminus « apostolatus » adhiberi nequit ad significandum munus sanctificandi homines (quod quidem munus a clericis et a laicis diversa ratione exercetur) et munus « redimendi » — ut dicitur — res huius mundi ut aptiores fiant ad divitias accipiendas supernaturalis revelationis.

His praemissis, quae fundamentum minimum necessarium puto totius schematis, sequi potest expositio argumentorum quibus evincitur participatio omnium laicorum in missione Ecclesiae. Quae argumenta ordine logico

proponenda sunt: *a*) primum rationes a *theologia* exhaustae (quae nimis breviter exponuntur in linn. 23-28 pag. 5 et 1-2 pag. 6); *b*) postea, rationes ex *historia* Ecclesiae depromptae (cf. lin. 9, pag. 5, in prooemio); *c*) denique, rationes *ex necessitatibus hodiernis* Ecclesiae desumptae (cf. linn. 10-22 pag. 5, in prooemio). Inter has recensendas puto illas novas relationes inter Ecclesiam et Statum, quae post gallicam eversionem in plurimis nationibus viguerunt, vi cuius necessarium fuit ut laici propriam navarent operam in iuribus libertatis Ecclesiae defendendis.

Ad n. 2. In lin. 18 pag. 6, loco « cuiusvis aetatis » propono « pro sua aetate ». In hoc numero optimum locum haberent quaedam principia fundamentalia: de natura apostolatus, qui inefficax evadit nisi gratia Dei superveniat; de primatu mediorum supernaturalium; de criterio quo fecunditas apostolatus diiudicanda est, sepositis illis naturalibus criteriis quibus opera mere temporalia hominum ponderantur; de necessitate ut laici sese immittant in medias res huius temporis (oeconomicas, sociales etc.) et colloquia cum omnibus habeant iuxta methodum propositam a Paulo VI in Encyclica *Ecclesiam Suam.*

Ad n. 3. In hoc numero agitur de necessitate impertiendi educationem apostolicam omnibus fidelibus, ut completa formatio christiana habeatur. Sed a fortiori necessitas formationis apostolicae declaranda videtur ut exercitium apostolatus efficax evadat: fecunditas activitatis apostolicae enim quam maxime pendet, ex parte hominis ut patet, a formatione qua laici imbuuntur.

Quoad characteres huius formationis apostolicae hi mihi videntur recensendi: *a*) statui laicorum in saeculo viventium accommodetur; *b*) sit demum, ut dicitur, communitaria, ita ut laici praeparentur ad sese immittendos in omnes illas communitates quibus hodierna societas constat.

Praeterea in hoc eodem numero haec declaranda essent:

1. Laici ipsi, in seipsis efformandis, cooperare debent, sub ductu maturiorum laicorum et cum adsistentia spirituali sacerdotum;

2. educatio puellarum praecipue mulieribus necnon Religiosis feminis demandetur, cum adsistentia spirituali sacerdotum qui prudentia et maturitate fulgeant;

3. clerici omnes in scholis theologicis edocendi sunt per cursus methodicos theologiae apostolatus et pastoralis Actionis Catholicae, ut apti fiant ad laicorum consociationes adsistendas;

4. cursus eiusdem generis habeantur etiam pro Religiosis utriusque sexus, qui operam suam navare vocentur in educatione et adsistentia spirituali consociationum laicorum.

Ad n. 5. Textus huius numeri mihi videtur funditus emendandus ut quam maxime fulgeat summum momentum familiae in vita hominis, societatis et Ecclesiae. Summopere praeterea commendandi sunt omnes illi incoeptus quibus familia roboretur in sua vita christiana, ex qua oritur vera vis totius apostolatus.

Ad n. 7. In hoc numero fusius agendum est de necessitate ut laici in

proprio ambitu testes sint integrae vitae christianae, illas normas servantes quae in Encyclica *Mater et Magistra* exponuntur et de quibus breviter agitur in n. 11.

Ad n. 8. Fere negliguntur alii ambitus et campi immensi apostolatus (cinema, stampa, radio, televisione, sport, turismo, oeconomia, cultura, arte etc.) qui maxime hoc tempore dilatati sunt. Hic numerus mihi videtur nimis vagus et vere insufficiens.

Ad n. 10. Memorandae sunt illae distinctiones apostolatus laicorum quas Summus Pontifex Pius XII suas fecit et quae necessariae mihi videntur ut v. g. obligatio apostolatus pro laicis bene definiatur.

Saltem enuntianda est illa optima divisio Pii XII qui distinxit: a) *apostolatum sensu lato acceptum,* scil. apostolatum orationis et boni exempli, qui ab omnibus exercendus est; b) *apostolatum strictiori sensu acceptum,* scil. assumptionem munerum quae profluunt ex missione Ecclesiae et quae laicis ab hierarchia committuntur (v. g. Actio Catholica). Hic apostolatus non ab omnibus exercendus est sed ab iis tantum qui et idonei sint et ab hierarchia vocentur.

Praeterea peropportuna videretur declaratio circa apostolatum directum et indirectum.

1. *apostolatus directus* mihi videtur ille cuius obiectum integre missionem Ecclesiae tangit, scil. sanctificationem animarum;

2. *apostolatus indirectus* autem ille mihi videtur qui natura sua rem temporalem respicit sed indirecte vitam et finem Ecclesiae attingit ob relationem obiectivam eiusdem rei cum Ecclesia.

Ad n. 11. In lin. 12 loco « apostolatus » propono « opera » vel alium terminum eiusdem generis. Nam sensu quidem latissimo activitates laicorum circa res temporales apostolatus appellari possunt. Quod quidem fieri potest si in n. 1 huius schematis perspicue illustretur sensus analogicus termini « apostolatus ».

In lin. 22 agitur de vocatione laicorum circa mundum. Opportunum mihi videretur fundamentum huius vocationis declarari. Haec quidem vocatio in ipsa hominis creatione fundatur et in mandato Dei protoparentibus commisso mundum universum dominandi. Quilibet homo ergo vocatur ad implendum consilium Dei circa res huius mundi. Quae vocatio sancitur, roboratur et elevatur per supervenientem vocationem christianam.

Ad n. 13. Antequam de formis associativis agatur, mihi videretur necessarium loqui etiam de apostolatu *individuali et libero.* Vi mandati, enim, quod omnes christiani accipiunt per baptismum, cuilibet fideli competit — praeter officium — *ius* apostolatum exercendi, servatis semper normis iuris communis circa ortodoxiam doctrinae et disciplinam ecclesiasticam.

Praeterea declarandum est quod consociatio est tantum *medium* apostolatus, numquam autem finis, et activitas consociata ita peragenda est ut et caritas inter socios et dignitas personae humanae semper quam maxime integrae evadant.

Ad n. 16. Summi Pontifices, praesertim Pius XI et Pius XII, docuerunt quod nomen quidem Actionis Catholicae recens est sed substantia huius apostolatus inde ab exordio christianismi existit. Qua re principium illud hoc loco collocandum puto quod Paulus VI recentissime enuntiavit, nempe Actionem Catholicam esse partem ipsius Constitutionis Ecclesiae.

Quoad punctum *d*), lin. 3 pag. 15, propono ut ita legatur: « agunt sub moderamine *et cum explicito vel implicito mandato hierarchiae* » quia haec mihi videtur nota specifica Actionis Catholicae. Propterea propono ut supprimantur linn. 6 et 7 quae sequuntur.

Ad n. 18. In lin. 19 pag. 16, post verba « in cura animarum », propono ut haec alia verba apponantur: « *in administratione bonorum ecclesiasticorum* ».

Ad n. 19. In hoc numero opportunum collocari censeo illud *principium subsidiarietatis,* quod Pius XII etiam apostolatui laicorum consentaneum aestimavit. Vi huius principii laicis illa munera committenda sunt quibus tam optime quam clerici vel etiam meliori modo incumbere possunt, ita ut clerici potioribus viribus illa opera curent in quibus necessarii sunt nec a laicis substitui possunt.

Ad n. 21. Quoad cooperationem cum aliis christianis et cum non christianis, duae conditiones magni momenti, quas Pius XII optime posuit, mihi memorandae videntur. Haec enim cooperatio licita est dummodo: 1. necessaria sit ad bonum commune; 2. dictamina legis naturalis integra serventur.

CONGREGATIO GENERALIS CI

14 octobris 1964

CONGREGATIO GENERALIS CI

14 octobris 1964

Exc.mus P. D. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, *Ss. Concilii secretarius generalis*:

Congregationem generalem 101 moderabitur em.mus ac rev.mus D. card. Petrus Gregorius Agagianian.

In hac congregatione, venerabiles Patres, vobis distribuetur « Relatio super textum emendatum schematis propositionum *de institutione sacerdotali* ». Quod schema suo tempore disceptabitur et suffragationi subicietur. Etiam hic prae oculis habebitis textum priorem et textum emendatum iuxta animadversiones iam factas scripto a Patribus.

Uti ceterum prostat in schemate quod nunc discutitur, nempe schemate *de sacerdotibus* eadem ratio adhibita est, ut videbitis. Ceterum hoc schema propositionum suo tempore disceptabitur iuxta ordinationes eminentissimorum moderatorum.

Distribuetur etiam libellus continens nomina commissionum conciliarium. Sunt nomina quae habebantur usque ad diem 4 octobris. Quapropter, si quis postea electus est in aliquo munere, in illo libello non invenitur, uti patet.

Hodie prosequitur disceptatio circa schema *de sacerdotibus*. Crastina fiet suffragatio circa propositiones has et disceptatio fit hoc ordine: velitis, Patres, notas scribere ad commoditatem et memoriam.

Prima suffragatio complectitur prooemium et n. 1; secunda suffragatio, n. 2; tertia suffragatio, n. 3; quarta suffragatio, n. 4; quinta suffragatio, nn. 5-6; sexta suffragatio, nn. 7-8; septima suffragatio, nn. 9-10; octava et ultima suffragatio, nn. 11-12. Erunt igitur in summa octo suffragationes. Crastina fient quattuor et feria sexta fient ceterae quattuor.

Quoad has suffragationes, prout iam explicatum est, adhibetur triplex formula: *placet, non placet,* et *placet iuxta modum*. Et modi exhibendi sunt una cum schedula suffragationis. Si modi sunt plures circa eandem suffragationem, scribantur in diversis foliis ad commoditatem commissionis.

Eadem commissio de disciplina cleri et populi in eo est ut conficiat, subiciendum postea approbationi Patrum, « Nuntium ad Sacerdotes » qui est veluti complementum huius schematis quod nunc disceptatur.

Uti meministis, Patres venerabiles, elapso anno confectus est hic *Nuntius* et multae pervenerunt animadversiones; propositae quoque fuerunt emendationes. Iamvero commissio nostra nunc laborat praecise circa illum *Nuntium* et propositas emendationes ita ut *Nuntius* perficiatur quantum possibile est ita ut habeat approbationem Patrum.

Uti patet ille *Nuntius* disceptationi non proponitur, cum iam Patres modum habuerint suas animadversiones proponendi elapso anno. Ceterum, confecto studio, em.mi praesides et moderatores videbunt qua ratione sit procedendum.

Rogamus etiam Patres ut si circa aliquod schema quod iam discussum est, v. g. schema *de apostolatu laicorum,* habent animadversiones scripto tradendas vel quas pronuntiaverint in aula vel quas tantum scripto exaraverint, illas exhibeant citissime, non post multos hos dies... multos dies. Nam commissio adlaborare debet et necesse haberet prae oculis omnes animadversiones. Si quaedam animadversiones tarde perveniunt, de iis non potest habere rationem commissio competens. Hoc dictum sit non solum pro schemate *de apostolatu laicorum* sed etiam pro aliis schematibus quae mox discutientur.

Hodie ob completum numerum eorum qui loqui postulaverunt, ad terminum perducetur disceptatio eorum qui verbo uti petierunt circa schema *de sacerdotibus.* Post disceptationem relator huius schematis verba faciet quorum finis est ut aliquae difficultates iam motae solvantur vel aliqua puncta melius dilucidentur ita ut in proponendis modis crastina, si quis vult proponere modos, Patres omnes notitias et notiones habere possint de fine, de natura, de scopo huius schematis ita ut modi inutiles non proponantur. Hic est finis huius brevis relationis finalis, ut ita dicam.

Crastina vero dum fiet suffragatio, initium habebit disceptatio schematis *de Ecclesiis Orientalibus.* Post disceptationem huius schematis habebitur etiam pro hoc suffragatio; quae praevideri potest tamen tantum pro feria secunda proximae hebdomadae. Exacta disceptatione schematis *de Ecclesiis Orientalibus* incipiet schema *de Ecclesia in mundo huius temporis* cuius relationes iam in promptu sunt sed debent imprimi.

Praevideri potest quod initium huius disceptationis habebitur vel exeunte congregatione feriae sextae vel initio congregationis feriae secundae proximae. Distribuetur vobis, Patres, forsan feria sexta in initio congregationis, relatio vel relationes praescriptae circa illud schema. Et nunc satis, ni fallor, de notitiis et animadversionibus.

Lego nomina eorum qui verbo uti petierunt circa schema *de vita et ministerio sacerdotali.* Sunt em.mi DD. cardd. Iacobus De Barros Câmara, arch. S. Sebastiani Fluminis Januarii in Brasilia, Ernestus Ruf-

fini, arch. Panormitanus in Italia, Ferdinandus Quiroga, arch. Compostellanus in Hispania; exc.mi DD. Ioseph Bank, ep. elect. aux. Iaurinensis in Hungaria, Salvator Baldassarri, arch. Ravennatensis in Italia, Antonius Ferreira, arch. coad. Apparitiopolitanus in Brasilia, Ludovicus Sanchez-Moreno, ep. aux. Chiclayensis in Peruvia, Paulus Latusek, ep. aux. Wratislaviensis in Polonia, Fernandus Gomes, arch. Goianensis in Brasilia, Emmanuel Pereira, ep. aux. Conimbricensis in Lusitania, Casimirus Kowalski, ep. Culmensis in Polonia, Demetrius Mansilla, ep. Civitatensis in Hispania, Victor Garaygordobil, ep. prael. null. Fluminum in Aequatore, Edmundus Nowicki, ep. Gedanensis in Polonia, Aemilius Čekada, ep. Scopiensis in Jugoslavia, Marcellus Gonzales, ep. Asturicensis in Hispania, Leonidas Proaño, ep. Rivibambensis in Aequatore, Ernestus Corripio, ep. Tampicensis in Mexico, Laureanus Castan, ep. Seguntinus-Guadalajarensis in Hispania, Ioseph Köstner, ep. Gurcensis in Austria, Henricus Jenny, ep. aux. Cameracensis in Gallia, Gregorius Modrego, arch. Barcinonensis in Hispania, Ioannes Gugić, ep. aux. Ragusinus in Jugoslavia, Victor Sartre, arch. tit. Beroensis, Iacobus Flores, ep. Barbastrensis in Hispania.

1

EM.MUS P. D. IACOBUS CARD. DE BARROS CÂMARA
Archiepiscopus S. Sebastiani Fluminis Januarii

Venerabiles Patres,

1. Adhaereo illis omnibus quae heri, in aula conciliari, prolata sunt ab em.mo card. Meyer et ab exc.mo Théas, episcopo Lapurdensi. Habeo autem quinque breves observationes quas humiliter pando.

2. Censeo in prooemio faciendam esse distinctionem inter sacerdotium sacramentale et commune. Nonne prooemium est velut status quaestionis *alicuius theseos*[1] ut res bene intelligantur? Ideo pag. 7 lin. 11, post verba « esse discipulum » *addere potest*[2] « quamvis sacerdotio sacramentali auctum ». Vel aliquid simile.

3. In n. 3, pag. 9, quando de pietate sacerdotali sermo est, nihil dicitur de exercitiis spiritualibus quotannis serio peragendis, quod mirum est, utpote necessarium ad renovandum spiritum et apostolatus fervorem.

4. Quoad distributionem cleri, pag. 11, n. 8, ut rite fiat, debemus supponere laborem — in promovendas vocationes et circa seminarium —

ex parte [3] episcoporum in dioecesibus pauperioribus. Alioquin non videtur iustum, iuvare dioeceses quae de hac activitate minime curant, ut suis viribus seipsas provideant. Ubi autem, nonobstante conatu dioeceseos, desunt sacerdotes et seminaristae, vere dignum et iustum est eam adiuvare, et quidem generose.

5. Idem dicendum est de ultimo inciso n. 12, pag. 13: « Valde etiam commendatur ut dioeceses divitiores adiuvent pauperiores ». Utique. Sed quando administratores dioeceseos se movent et media impendunt ut res in dies meliores evadant. Alioquin, etiam inutilia fierent auxilia externa, quando ipsi administratores res oeconomicas gerere nesciunt vel non valent.

Hic [4] si episcopus talento administrativo careat, sicut et ego, Concilium *administrationis* [5] ex viris peritis seligat *et nominet.* [6]

6. De n. 11, pag. 13. Circa aequam remunerationem clericis providendam. Optime! Mihi perplacet. Sed videtur necessaria aliqua distinctio, quia non omnes sacerdotes in cura animarum adlaborant. Sunt professores in Universitatibus et Collegiis Status, sunt Cappellani Militares et alii qui menstruam remunerationem fixam recipiunt; et quidem independenter a ministerio sacerdotali stricte. Sunt etiam parochi religiosi cum suis vicariis cooperatoribus qui suum modum vivendi habent, diversum a sacerdotibus saecularibus in cura animarum laborantibus. Omnia haec difficulter solvuntur in praxi. Solutio est indubitanter in educatione cleri, circa paupertatem. Sed si unice parochi et vicarii cooperatores saeculares debent vitam pauperiorem amplecti, forsitan multi mutabunt officium paroeciale in alia melius remunerata. Et sic paroecias derelinquunt.

Conclusio. Antequam regulae statuantur pro unaquaque regione, conferentia episcoporum illarum regionum attente et caute procedant, ita ut sacrificia ne cadant tantummodo super aliquos, et fortasse *tristitiae* [7] super illos qui magis laborant in dioecesi. Solutionem universalem non inveni, sed variae methodi experiri possunt.

Demum tota haec quaestio magis videtur pertinere ad schema *de regimine dioeceseos.* [8] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] addatur. [3] deest. [4] De cetero. [5] administrativum. [6] deest. [7] deest. [8] *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia.*

2

EM.MUS P. D. ERNESTUS CARD. RUFFINI
Archiepiscopus Panormitanus

Venerabiles Patres,

Quae in praesenti schemate scripta inveniuntur sapientiam et prudentiam commissionis conciliaris, cui officium erat illud conficiendi, manifestant: idcirco gratiae eidem persolvendae sunt.

Mihi tamen liceat pauca animadvertere ut schema — etsi natura sua breve — numeris omnibus absolutum fiat.

I - Ante omnia paucis verbis celebranda essent, ad modum introductionis, ut hesterna die scite innuit em.mus Meyer, sacerdotii dignitas, sublimitas et finis. Sacerdotes enim a Deo singulariter vocati, ut Christi sacerdotium participarent, et ab episcopo — cui munus fuit, formidandum gravissimumque de eorum idoneitate iudicare — per sacram ordinationem divina potestate ornati, finem sanctissimum prosequuntur. Ministri enim Christi et dispensatores mysteriorum Dei, qui sunt, ea cum hominibus immensa communicant beneficia quae a Iesu Christo Redemptore parta sunt...[1]

Ad maximum sacerdotum decus, qui potestate fruuntur omnem humanum modum excedente — Corpus scil. et Sanguinem Iesu Christi consecrandi et condonandi peccata — sufficeret inserere in textum praeconium S. Ioannis Chrysostomi: « Sacerdotium enim in terra peragitur — inquit — sed caelestium ordinum classem obtinet... Non enim homo, non angelus, non archangelus, non alia quaepiam creata potestas, sed ipse Paracletus hoc officium ordinavit: qui manentibus in carne auctor fuit ut angelorum ministerium animo conciperent »...[2]

Quod propono eo vel magis — ut opinor — expostulatur quia schema, magna ex parte, admonitionibus constat: e. g. sub n. 1 pag. 7 et 8: « Sacerdos... memor sit se cum omnibus christifidelibus Domini esse discipulum... studeat igitur cum fidelibus laicis opera coniungere, honore eos praeveniat etc. »;

Sub n. 2 pag. 8: « Sacerdotes... prae ceteris fidelibus animo ab immodico amore rerum temporalium soluto eluceant... atque ab omni specie vanitatis tam in vestibus ferendis quam in titulis vel honoribus quaerendis fugiant etc. »;

Sub n. 3 pag. 9: « verbum Dei praedicantes, quod docuerint observent... Rectam intentionem peculiaremque spiritum asceticum in implendo pastorali munere colant etc. »;

Sub n. 4 pag. 10: « Auxilium humanum et spirituale libenter ferant erga confratres... ». Et ita porro.

Adhortationes istae utiles sunt; sed ne immoderatis censuris adversus clerum ansa praebeatur, quasi sanctissimae vocationi suae non pareat *et ne*[3] existimatio sacerdotis minuatur apud populum, nonne opportunum esset laudes *quoque*[4] gratesque referre maximas sacerdotibus quamplurimis qui magnis iacturis, in locis asperis summa cum paupertate et continua sua ipsorum abnegatione vitam heroicam vel fere heroicam degunt, ministeria sacra, cotidie Deo et animabus servientes, fideliter adimplent?

Id saltem pro certo habeant sacerdotes, et in primis parochi, Concilium Oecumenicum magni facere eorum virtutes et opera; ipsi vero prae mente constanter habeant caelestia praemia a Iesu Christo promissa discipulis quos divini muneris sui adiutores fieri voluit.

II - Deinde secundo, concinne ex sacerdotii eximia dignitate fluit necessitas peculiaris sanctitatis quae sacerdotes sublimi sua missione in dies digniores efficiat. Proinde in textu statim colligere et perficere iuvabit quae sub nn. 2 et 3 dispersa sunt. Sanctitas enim sacerdotalis sine dubio alenda et fovenda est oratione, praesertim piissima Missae celebratione, meditatione cotidiana, attenta divini Officii recitatione (quae in textu siletur), ferventi devotione erga B.mam Virginem, examinibus, quae dicuntur, conscientiae, frequenti confessione sacramentali et assiduitate patris spiritualis, ...[5] etc.

Item cum sanctitate, quam necesse est habeant sacerdotes, profecto sociari nequeunt superbia, avaritia, acidia, huius mundi cupiditates, cum e contra consocientur ...[6] castitas, oboedientia episcopo, solemniter promissa in sacra ordinatione, et zelus animarum.

III - Tertio loco significari deberent — quantum fieri potest — ordinatim munia sacerdotalia, saepe cum acerbis incommodis coniuncta, nimirum: praedicatio Evangelii, catecheseos secundum varios populi ordines explicatio, patientia in confessionibus sacramentalibus fidelium excipiendis, visitatio infirmorum, efficax praesentia in christianis consociationibus laicorum, tutela operariorum, subsidium multiplex pauperibus exhibendum. In his autem, et reliquis caritatis operibus, Christi ministri praeclaro vitae suae exemplo semper praeeant.

Hoc loco insuper grata esset *ut opinor*[7] multis sacerdotibus singularis mentio ministerii paroecialis, quod maximi est momenti etiam nostra aetate.

IV - Demum normae quae spectant ad sacerdotum incardinationem et excardinationem sub n. 8 ...[8] ad beneficia et ad bona ecclesiastica sub

n. 9 ...[9] ad aequam remunerationem clericorum sub n. 11 ...[10] et ad honesta iustaque stipendia iis solvenda qui sacerdotibus quoquo modo famulantur — de quibus heri optime locutus est exc.mus Ioseph Hiltl, ep. aux. Ratisbonensis —, positis hic summatim aliquot principiis, aptiorem locum invenient in Codice Iuris Canonici propediem retractando. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] (cf. Ep. apost. *Officiorum omnium*: *A.A.S.*, 14 (1922), p. 449. Quod testimonium iteratur a Paulo VI f. r. in Ep. apost. *Summi Dei verbum*: *A.A.S.*, 55 (1963), p. 984). [2] (De sacerdotio, 3, 4). [3] neve. [4] deest. [5] exercitiis spiritualibus. [6] praesertim. [7] deest. [8] pag. 11-12. [9] pag. 12. [10] pag. 13.

3

Em.mus P. D. FERNANDUS card. QUIROGA Y PALACIOS
Archiepiscopus Compostellanus

Venerabiles Patres,

Imprimis adhaereo libentissime his quae nunc dicta sunt ab em.mo card. Ruffini in laudem et honorem sacerdotum nostrorum. Et nunc dicam [1] quae in schemate *nostro* [2] continentur promissionem efficiunt magnam pro vita sacerdotum magis magisque in Ecclesia Deo tradita et servitio animarum. Quare non possum schema non laudare in universum.

Facile tamen apparet laborare defectu structurae internae nervosae et logicae « organizationis » propositionum. Facile etiam cernitur schema potius quam aspectus internos vitae sacerdotalis aspectus externos, ut conversatio cum fidelibus, massa bonorum communis, etc. quae omnia certe optima sunt, considerare.

Sed in clariore luce ponendi videntur huiusmodi aspectus interni et vita interior sacerdotum spiritusque quo debent illa externa peragi. Verum quidem est hos internos aspectus non omnino omitti, quin immo et expresse pulchra traduntur de tendentia ad sanctitatem quae valde placent. Sed nihil dicitur de officio *etiam* [3] valde praecipuo et *specifico* in ministerio sacerdotum, iuxta definitionem muneris sacerdotalis datam a S. Paulo, scil. « pro hominibus constituitur in iis quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis » ...[4]. Hoc autem munus reparandi pro peccatis propriis et plebis sibi commissae ...[5], ope sacrificiorum aliorumque bonorum operum, videtur negligi non debere, si vita sacerdotalis eiusque ministerium attenditur profunde et mens animadvertit ad sequentes rationes:

1. Propter *honorem Dei,* qui cordi esse debet sacerdoti, fideli et ministro.

2. Propter *bonum plebis,* ut Deus avertat indignationem ab illa. Idque maxime proponitur in S. Scriptura et Liturgia (v. g. Feria IV Cinerum: « Inter vestibulum et altare plorabunt sacerdotes... et dicent: Parce, Domine, parce populo tuo... »). Idipsum suadent exempla Sanctorum qui, ut S. Carolus Borromeo, B. Ioannes de Avila, S. Ioannes B. Vianney, in re pastorali maxime excelluerunt.

3. Denique propter *bonum ipsius sacerdotis,* quia spiritus reparationis valde exstimulare potest eius ascesim et vitam ferventiorem.

Ideo *propono ut*[6] in initio n. 3 ...[7], ante verba quae nunc leguntur, sequens paragraphus *vel aliquid simile*[8]: « Sacerdotum primarium est officium pro hominibus constitui in iis quae sunt ad Deum, ut offerant dona et sacrificia pro peccatis ...[9]. Ideo eis cordi sit, utpote ministris Domini fidelibus, laesum honorem divinum pro viribus reparare, tum oblatione sacrificiorum, quemadmodum pro populo ita etiam et pro semetipsis ...[10] ceterisque sacerdotibus, tum exercitio aliorum bonorum operum et proprio ministerio. Vere conscii sint peccata plebis sibi commissae, siquidem condolebunt iis qui ignorant et errant ...[11] zelum urgere debere sacerdotum intercedentium ad Dominum ut parcat populo suo ne det hereditatem suam in opprobrium ...[12]. Hic ardor, e divino Corde haustus, satisfaciendi pro peccatis, ut exemplum fert *sacerdotum*[13] qui in re pastorali eminuerunt, stimulus exstabit semper ad perfectiora sectanda ». Sequitur postea: « Sacerdotes peculiari ratione ad sanctitatem tendant oportet, etc. » ut in textu. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] de vita et ministerio sacerdotali. [3] deest. [4] (*Hebr.* 5, 1). [5] (*Hebr.* 5, 2-3). [6] fortasse addi possit. [7] (Quae in ministerio sacerdotali elucere debent). [8] deest. [9] (*Hebr.* 5, 1). [10] (cf. *Hebr.* 5, 3). [11] (cf. *Hebr.* 5, 2). [12] (cf. *Ioel* 2, 17). [13] sanctorum.

4

EXC.MUS P. D. IOSEPH BÁNK

Episcopus tit. elect. Materianensis, aux. Iaurinensis

Venerabiles Patres,

Interlocutio modesta mea et brevissima respicit tantum n. 9 schematis « de remuneratione aequa clericorum ». Quaedam autem liceat praemittere quae puto sunt alicuius momenti. In hoc sacro Concilio revera[1] spectaculum facti sumus mundo et angelis. Totus mundus ca-

tholicus a nobis aliquid extraordinarii, aliquid novi expectat, novas nempe leges hodiernis rerum circumstantiis accommodatas, in primis autem nova corda et nova opera.

Caveamus, Patres, ne fideles et sacerdotes nostri decipiantur. In hoc sacrosancto Concilio, quod aliquo modo examen conscientiae totius Ecclesiae quoque considerari potest, revera renovatione nobis opus est. Optima autem renovationis instrumenta sunt non verba sed ipsissima facta. Verba enim hodiernis temporibus fere omnem vim et potestatem amiserunt seu, *ut ita dicam,*[2] devaluata sunt.

Facta ab omnibus requiruntur, etiam in Ecclesia. Proh dolor, principia pulcherrima socialia et culturalia Encyclicarum Litterarum vel ab ipsis viris ecclesiasticis vix observantur. Sunt saepe saepius, *proh dolor,*[3] etiam pro nobis « vox clamantis in deserto ». Aliter res se haberet, *Fratres, Patres conciliares,*[4] si ipsi non-christiani videre possent, nos ipsi serio sumere et in effectum ducere principia a nobis verbis proclamata, v. g. quis nostrum recordatur *praescriptioni humanissimi*[5] Codicis Iuris Canonici: « debent assignare operariis honestam iustamque mercedem... neque plus eisdem imponere operis quam vires ferre queant, neque id genus quod cum aetate sexuque dissideat » ...[6].

Venerabiles Patres, quaerere quis posset quomodo ea quae superius dicta sunt referri valeant ad schema *de sacerdotibus.* Aliqui iocose dictitabant Primum Concilium Vaticanum fuisse Summi Pontificis eiusdem iura primatus definiendo; hoc alterum Concilium Vaticanum esse episcoporum, illorum iura pressius sub luce collegialitatis determinando, et Tertium Concilium erit concilium sacerdotum ...[7]. Quidquid sit de his, certum est schema optimum anno praeterito elaboratum « de cura animarum » nunc valde decrevisse ...[8] assumendo *modestum*[9] titulum *Schema propositionum de sacerdotibus.*

En propositiones concretae.[10] 1. Systema beneficiorum, quod iam antiquatum est *et ab aliis saepe saepius dictum est praevideatur,*[11] non tantum ideo quia illud beneficiarium quasi immobilem reddit qui ad normam quoque iuris, etsi sit inhabilis, vix loco moveri possit, cum maximo animarum damno. Praeterea aequitati et iustitiae quoque obstare videtur ut quis ex externa tantum rerum circumstantia etsi minus dignus longe maiore honorario fruatur *quam alii. Unus quidem esurit alius autem ebrius est.*[12]

2. *Bonum esset si*[13] in Ecclesia quoque *aliquo modo introduceretur quidam*[14] ordo gradualis servitii, iuxta quem singuli *sacerdotes*[15] secundum tempus *servitii vel*[16] ordinationis, datis temporibus, v. g. quolibet triennio, *promoverentur.*[17]

3. Iura stolae *quippe*[18] modernis auribus *aliquo modo offensive vi-*

deantur[19] quae haud aliquam speciem *saltem negotiationis*[20] sapiant item *revisioni subiciantur*[21] ita ut ex tributis *forte*[22] a fidelibus quotannis solvendis omnes functiones: baptismus, matrimonium, sepultura, eiusdem classis *omnibus peragerentur.*[23]

4. Si iura stolae *alicubi*[24] qualibet ex causa aboleri nequeant, ita eiusdem disciplina mutetur ut indoles eiusdem realis quasi transformetur. At quaeritur cur et quomodo? Laeti videmus in hoc christianitatis maximo templo ex speciali gratia Summi Pontificis feliciter regnantis praeter bismille episcopos ...[25] etiam quosdam parochorum ...[26] repraesentantes ...[27] adesse. Sed *desunt, utique esse debent, cappellani, sacerdotes iuvenes. Nunc liceat mihi nomine quodammodo cooperatorum vicariorum absentium nonnulla modeste proponere.*[28]

a) *Cum iuxta Scripturam Sacram dignus sit operarius mercede sua et cum sine labore merces vix concipiatur,*[29] vicarii cooperatores functiones parochis reservatas perficientes, stolam vel eiusdem partem legitimam semper percipiant ...[30].

c) In Codice reformando plenius praescribatur relatio inter parochum et cooperatorem ita ut ne cappellanus *merum quoddam*[31] instrumentum eiusdem videatur. In qualibet paroecia ordo laboris ab episcopo approbandus praescribendus esset in quo obligationes unius alteriusque concinne determinarentur. Sunt enim *nonnullae*[32] parochiae ubi cappellani ...[33] ipsi soli ...[34] onus diei et quinimmo ...[35] noctis supportare coguntur ...[36].

Tertio et ultimo, venerabiles Patres,[37] sit *una*[38] revera vita familiaris in parochia, sit cor unum et anima una, vita revera christiana et exemplaris. Sed imprimis ...[39] iustitia floreat ex qua exoritur pax *domestica.*[40] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Nolim abuti patientia vestra. Brevissimus ero etsi obscurus esse nolim. Certum est. [2] deest. [3] deest. [4] deest. [5] venerandae praescriptioni. [6] (can. 1524). Nonnunquam nosmetipsos supra vel praeter mundum collocari videmur, aliis leges et onera imponere, nos autem ab ipsis dispensatos censemus. [7] Id quoque asseritur episcopi sua optata assequentes parum eorum curae esse de ceteris sacerdotibus. [8] et quasi ad nihilum redactum esse. [9] modestissimum. [10] In concreto nunc tantum ad nn. 8 et 9 de aequa remuneratione clericis providenda, pauca dicenda censemus. [11] auferatur. [12] deest. [13] deest. [14] introducatur. [15] deest. [16] deest. [17] promoveantur ratione salarii. [18] quippe quae. [19] sint offensiva. [20] negotiationis et simoniae. [21] auferantur. [22] deest. [23] peragantur. [24] sicubi. [25] quolibet mane uno ore Mea Culpa recitantes. [26] ordinis. [27] saltem quibusdam diebus. [28] ubi est cooperatorum vicariorum permagna ordo? Utique impossibile foret vel et repraesentantes eorumdem

hic vocare. Ideo iisdem liceat mihi nonnulla optata amplissimo Patrum conventui proponere. [29] Cum ex modernae sociologiae principiis merces eidem danda est qui laborem perficiat, et sine labore merces vix concipitur. [30] Summus Pontifex feliciter regnans in suo sermone die 8 iul. 1964 novam sociologiam conscribendam esse dixit (*L'Osserv. Rom.*, 8 iul.). *b*) Secundum can. 476 § 1 « iusta remuneratio » eidem assignanda est. Sed quid sit iusta remuneratio? Quid accipient iuvenes eiusdem aetatis et culturae v. g. in officiis Status, tanquam medici vel alii fungentes? Sacerdotes iuvenes magis autonomae sunt, iniustitiam non solum agnoscentes, sed etiam aperte denuntiantes. Res ordinata salariorum iuvenum sacerdotum etiam vocationem promoveret. Verum est non solo pane vivit homo; sed praeter panem caelestem eodem quoque opus est. [31] simplex. [32] deest. [33] nihil omnino facere possunt, alibi vero. [34] totum. [35] etiam. [36] *d*) In relatione annua quae de vita pastorali singularum paroeciarum episcopo mittenda est, non solum parochus teneatur de suo cappellano informationes episcopo mittere, sed etiam cappellanus interrogandus est ab episcopo de suo principali. [37] *e*). [38] denique. [39] ibi. [40] deest.

5

Exc.mus P. D. SALVATOR BALDASSARRI
Archiepiscopus Ravennatensis

Venerabiles Patres,

Laeto animo nuntium accepi nostrum schema, prius de sacerdotibus, nunc de vita et ministerio sacerdotali, esse non solum suffragandum, uti scriptum erat in notula patribus transmissa, sed etiam discutiendum, quamvis forma brevissima.

Pariter laeto animo nuntium accepi parochos quosdam in Concilium admissos esse. Quae dixi repraesentant quamdam comprehensionem *nostram maximi* [1] problematis de sacerdotio, sed non totam *comprehensionem.* [2]

Nos aliquantulum et *spero* [3] fructuose immorati sumus in tractatione de episcopis et de laicis, sed sacerdotes nostri attendunt a nobis quaedam proportionata, et non immerito. Si iustum est completare Vaticanum I circa episcopatum et si iustum est agere de activa praesentia laicorum in Ecclesia, est-ne iustum cooperatores Ordinis nostri quasi secundarie tractare?

Quapropter ne iustae expectationi nostrorum sacerdotum deficiamus, peterem:

1. Nostrum schema vel ab eo consectaria *in Codice Iuris Canonici novi* [4] perficiantur secundum quaedam principia quae infra exponam.

2. ...[5] Optima fuit heri locutio auditoris laici, sed optima esset et locutio parochi praesentis in Concilio, quam locutionem enixe peto.

Circa principia reformationis nostri schematis *de quo supra dixi, haec*[6] synthetice referam:

1. Desideratur magis claritas; *plura sunt exempla, quaedam tantum tangam*[7]: nos agimus de sacerdotibus qui in schemate *nostro*[8] vocantur et sacerdotes (passim) et presbyteri (passim) et clerici *saltem una vice.*[9] Sacerdos in antiquitate fuit terminus quasi reservatus episcopo. Quando nos invenimus documentum praesertim liturgicum ubi episcopus vocatur sacerdos critice ordinarie concludimus pro *maxima*[10] antiquitate. Hodie sacerdos est titulus *fere*[11] communis pro presbyteris. Non peto *tantum*[12] ut vice sacerdotum dicatur *semper,*[13] presbyterorum sed ut semper univoce adhibeatur *in schemate*[14] idem terminus. Quandam delucidationem peterem etiam in n. 2 pag. 9 lin. 10 ubi dicitur: « Sacerdotalis obedientia natura sua differt ab illa quae religiosis vel laicis convenit eo quod fundatur in ipsa participatione missionis episcopalis »; en petitio mea: et si religiosus sit sacerdos quomodo res inter se componuntur?

2. Nos in schemate *de Ecclesia* quibusdam veris et optimis *et scripturisticis*[15] verbis usi sumus erga presbyteros; in nostro schemate vitam et ministerium declaramus i. e. petimus sacrificia, sed de iuribus *sacerdotum*[16] quando erit sermo? Cooperatores ordinis nostri, adiutorium semper episcopo dederunt, *in historia,*[17] in gubernatione Ecclesiae variis modis sed semper sine detrimento authenticae potestatis episcopalis. Etiam nunc in codice iuris canonici habentur *quaedam*[18] exempla, e. g. ubi de Capitulis Ecclesiae Cathedralis, de Parochis consultoribus, de consilio administrationis. Hodie delineanda est nova et pastoralis forma huius facti inserenda *secundum principia in schemata et secundum consectaria*[19] in novo codice iuris canonici.

Optimum est requirere vitam sanctam *et iustam*[20] sed iustum est etiam iura recognoscere si quando sunt.

3. Quaestio oeconomica presbyterorum est valde diversa in variis nationibus et mutat mutantibus temporibus *sicut res oeconomici*[21]; potest etiam et faciliter esse causam dissentionis; quapropter Concilium tangat tantum essentialiter quaestionem et dicat e. g. episcopus pro suo posse faciat ut unusquisque de suo clero habeat sufficientiam *dignitosam*[22] ad vitam, relinquendo *omnia*[23] particularia *et diversa,*[24] conferentiis episcopalibus.

Venerabiles Patres, quae dixi veniunt ex verbis *quae audivi a multis presbyteris*[25] et ex epistulis *multis*[26] quas a sacerdotibus accepi. Faciat Deus ut Concilium quod de episcopis et de laicis tam profunde tractavit non minore gradu tractet et de cooperatoribus ordinis nostri.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] deest. [4] deest.

[5] Promisimus alio tempore nostris sacerdotibus epistolam conciliarem, et adhuc haec epistola est exspectatio. Nonne occasio bona nunc evenit dum agimus de sacerdotibus? 3. [6] en. [7] deest. [8] deest. [9] deest. [10] deest. [11] deest. [12] deest. [13] deest. [14] deest. [15] deest. [16] veris et propriis sacerdotibus. [17] deest. [18] clara. [19] forsitan non tantum in schemate, sed potius in consectariis. [20] deest. [21] deest. [22] deest. [23] deest. [24] deest. [25] deest. [26] deest.

6

EXC.MUS P. D. ANTONIUS FERREIRA DE MACEDO

Archiepiscopus tit. Gangrensis, coad. Apparitiopolitanus

Venerabiles Patres, carissimi Parochi et alii Sacerdotes,

Hoc schema[1] *de vita et ministerio sacerdotali* procul dubio, maximi momenti est pro vita Ecclesiae; qua ratione, dignum videtur quod specialem locum habeat in ordine eorum omnium quae circa ministerium Ecclesiae in hac Synodo pertractantur.

Episcopi, tanquam successores apostolorum, munus a Christo acceperunt docendi, sanctificandi, regendi, *etc. tamen,*[2] in hoc munere fungendo, praesertim quoad munus docendi et sanctificandi, sunt impares sine cooperatione presbyteri. Ei debetur, ergo et ratione dignitatis et ratione officii, magnus honor et gloria.

Presbyter est etenim immediate et principaliter, cooperator episcopi in praedicando Evangelio, in sacrificio Deo offerendo et in populo christiano sanctificando.

Dioeceses dividuntur necessarie in communitates paroeciales ubi praesentia presbyteri ut parochus nunquam deesse potest. Est vere miles primae frontis illius aciei bene ordinatae Ecclesiae et, post episcopum, minister principalis Regni Dei...[3]

Ex his omnibus patet quod in schemate emendato *de vita et ministerio sacerdotali,* bene visum sit sacerdoti magnum pondus in ministerio Ecclesiae tribuendum esse.

Nihilominus, habeo quasdam observationes faciendas scil.:

1. In n. 2, mentio fit de virtutibus a sacerdotibus exercendis. Sed mihi videtur hoc esse simplex quasi mathematica numeratio, sine ullo argumento supernaturali. Melius esset dicere quod sacerdos merito vocatur alter Christus; debet, ergo, sese in imaginem vivam Christi immutari per imitationem eius virtutum. Virtutes quae in Evangelio tanquam essentiales et fundamentales dantur, aliquo modo, ut dicam, virtutes genuinae et cardinales in vita Christi: sunt caritas — humilitas et amor crucis...[4]

a) *Caritas nempe erga Deum et proximum.* Sine caritate, dixit S. Paulus in 1 Epist. ad Cor. ...[5] apostolus est « velut aes sonans aut cymbalum tinniens ». Ministerium quod fundamentum non habet in caritate non est verum ministerium Christi, qui dixit: « Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem ...[6]. In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem » ...[7]. Haec est ratio et vis, immo, anima, *medulla*[8] totius apostolatus.

Haec caritas praeprimis commendatur inter ipsos sacerdotes et *potissimum*[9] commendatur inter sacerdotes et suum episcopum. Ex alia parte reminiscatur episcopus illorum verborum sacrae liturgiae, in ordinatione presbyteri: « Iam non dicam vos servos sed amicos »; quae verba semper viva manere debent et « in concreto », in praxi, demonstrari ut facilior reddat oboedientia et reverentia sacerdotis erga suum *episcopum*[10];

b) *humilitas.*[11] Dominus enim dixit: « Discite a me quia mitis sum et humilis corde » ...[12]. Et exemplum praebuit, dicente apostolo Paulo: « Semetipsum exinanivit ...[13]. Humiliavit semetipsum factus oboediens ...[14] ». Ergo humilitas est virtus fundamentalis pro *ministerio sacerdotali.*[15]

c) Alia virtus *quae*[16] genuino ministro Evangelii est *amor Crucis seu abnegatio sui ipsius.* Hic ponderentur illa verba Christi: « Si ...[17] ».

Moderator: Exc.me Domine, ea quae dicis sunt pulcherrima, sed habes adhuc plura dicenda et quidem magis particulari modo? Unde faveas properare ad alia puncta!

Orator: In n. 9 ...[18], ubi dicitur: « et ab omni specie mercaturae sedulo abstineant », videtur *introducenda esse quaedam mitigatio* in verbis canonis 142 et in rigore illius decreti S. C. Concilii, diei 22 martii a. 1950, quoad excommunicationem, quia in aliquibus regionibus sacerdotes ad suam sustentationem providendam ...[19] ad quandam mercaturam recurrere debent; at hoc certe permittente et vigilante proprio *episcopo.*[20]

3. Denique tertio, quae in nn. 7 et 8 dicuntur, maximi momenti sunt nostris temporibus. Revera datur in hodierna Ecclesia terribilis illa inaequalitas in distributione sacerdotum. Videtur quod ubique terrarum datur, proh dolor, insufficientia sacerdotum. Sed hic non loquitur de insufficientia sed de illa inaequalitate in distributione sacerdotum. Concedendum est quod sacerdotes non sunt cogendi ut suas dioeceses derelinquant, sed valde laudanda sunt ea instituta quae condita sunt ad sacerdotes formandos et deinde eos ad alias regiones mittendos. Haec instituta valde a Sacra Synodo laudanda et commendanda sunt. Haec

est illa vera caritas fraterna in collegio episcoporum; hic est potissimum ille spiritus collegialitatis in Ecclesia Dei pro *populo*[21] Dei. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Schema emendatum. [2] Attamen. [3] Episcopus in sua dioecesi est pastor ovium; sed solummodo gregem suum cognoscit et ab eo cognoscitur per suum presbyterum et nihil episcopus facere potest nisi ope ministerii sacerdotalis, i. e. nisi ope sacerdotis, qui communitati paroeciali vel aliis communitatibus, nomine et auctoritate episcopi, praeest. [4] seu abnegatio suiipsius. [5] (13, 2). [6] sicut dilexi vos... [7] (*Io.* 13, 34-35). [8] deest. [9] valde. [10] Ordinarium. [11] Deinde necessaria est virtus humilitatis. [12] (*Mt.* 11, 29). [13] formam servi accipiens... [14] usque ad mortem (*Phil.* 2, 6-8). [15] sacerdote. [16] pro. [17] quis vult post me venire, abneget semetipsum et tollat crucem suam et sequatur me » (*Mt.* 16, 24). « Verbum enim crucis pereuntibus quidem stultitia est; iis autem qui salvi fiunt, i. e. nobis, Dei virtus est (*1 Cor.* 1, 18). Ergo amor crucis inseparabilis est ab amore erga Dominum. In his tribus virtutibus complectitur totus ordo omnium virtutum quae a sacerdotibus in ministerio exercendae sunt. [18] pag. 12, lin. 34. [19] (et ex lege naturali ius ad vitam habet). [20] Ordinario. Sed haec materia pertinet potius ad commissionem de recognoscendo Codice Iuris Canonici. [21] bono populi.

7

EXC.MUS P. D. LUDOVICUS SÁNCHEZ-MORENO LIRA

Episcopus tit. Nilopolitanus, aux. Chiclayensis

Venerabiles Patres,

Hoc schema propositionum de vita et ministerio sacerdotali mihi valde placet. Vere laudandum existimo laborem meritissimum peractum ut in compendium redigantur tot normae quae tam valore pastorali pollent.[1]

Sanctissimus Dominus Noster Paulus VI, f. r., paucis diebus ante initium huius tertiae sessionis in omnium mentem revocavit quomodo Concilium in suo labore duo prae oculis continuo habere curet, nempe *signa temporum,* de quibus ipse Christus loquitur, prout legimus in Evangelio S. Matthaei, 16, 6, et *signa Dei,* quae ostendunt praesentiam continuam et operativam Dei in historia humana et in vita Ecclesiae.

Nunc vero, si in concreto consideramus vitam et ministerium sacerdotale, mihi videtur inter signa temporis recensendam esse exsistentiam peculiarium adiunctorum tum socialium tum ideologicorum, quae plus vel minus voluntarie tendunt ad exstruendum verum murum separatio-

nis inter Ecclesiam et civitatem hominum; et, magis in concreto, tendunt ad separationem inter ministerium sacerdotale quod tuetur perennitatem atque efficacitatem missionis salvificae Ecclesiae, et humanas communitates, ad quarum servitium et salutem consecrantur sacerdotes ...[2].

Vehementer gaudeo quod in hoc schemate propositionum — non obstante eius brevitate — hoc problema cum serenitate consideratur et aptissimae solutiones praebentur, praesertim vero in propositionibus 1, 5 et 8. Feliciter prae oculis habita sunt, una simul cum *signis temporum,* etiam *signa Dei,* quae invitant ad necessariam renovationem ministerii sacerdotalis sub triplici adspectu: 1. Maior appropinquatio sacerdotis ad homines; 2. plenior cognitio necessitatum pastoralium nostri temporis; 3. maior mobilitas et specializatio in structuris et in formis organizativis.

Liceat mihi quaedam dicere de hac triplici necessitate:

Prima necessitas: *maior appropinquatio sacerdotis ad homines.*

Sacerdos nostri temporis speciali ratione considerare debet magnitudinem et dignitatem potestatum, quae sibi conferuntur per sacramentum Ordinis, tendere semper ad servitium communitatis christianae. Ad quam communitatem sacerdos profunde appropinquare debet, quam *communitatem* [3] ipse sacerdos debet quaerere et adunare, in qua communitate et pro qua communitate vitam suam agere debet. Necessarium igitur est ut sacerdos praeprimis intelligat et aestimet problemata et valores huius communitatis humanae, ut ea rectius et facilius possit ad ordinem supernaturalem evehere. Numquam sane, sed praesertim nostris diebus, sacerdos considerare potest solummodo se esse ex hominibus assumptum ...[4]; quia e contra praecipua eius cogitatio esse debet se esse pro ipsis hominibus constitutum ...[5]. Sacerdos ergo se limitare nequit ad celebrationem Sanctissimae Eucharistiae in quiete, et quandoque, proh dolor!, in solitudine templi; sed egredi debet ad vias hominum, ut eos coadunet et fidem excitet in populo Dei, in cuius nomine Sacrificium offeret. Sacerdos fieri debet, sicut Iesus in via ad Emmaus, ambulator prope eos qui sentiunt vacillare suam spem supernaturalem. Idque facere debet cum patientia et humili perseverantia, cum humanitate et benignitate Christi Domini, quam repraesentat et cuius ministerium exercet. Sacerdos effici debet valde humanus, si vult homines ducere ad supernaturalia. Et in laicis populi Dei honorare debet magnitudinem vocationis christianae quam receperunt, idque tamquam medium optimum ut ipsos laicos doceat amare et intelligere exigentias apostolicas huiusmodi magnae vocationis, et eos impellat, in communi labore

libenter cooperando, ad aedificationem Corporis Christi Mystici, quem laborem omnes perficere debent iuxta dona et munera quae unicuique data sint. *Omnia quidem haec optime in compendio rediguntur in prima propositione schematis.*[6]

Secunda necessitas: plenior cognitio necessitatum pastoralium populi Dei.

Non sufficit tamen haec appropinquatio sacerdotis ad populum sive ad communitatem pro qua ipse consecratus est; necessarium est praeterea ut sacerdos — qui est vox Christi — adhibere sciat in omnibus adiunctis verba quibus animae indigent in illo momento: scil. magisterium pastorale quod adiuvat ad christiane solvenda omnia problemata, quod lucem supernaturalem praebet unicuique situationi tum personali tum sociali. Sed ministerium verbi tale esse non poterit sine continua et actuali formatione, sine « aggiornamento », ut aiunt, pastorali sacerdotis. Urgentiori adhuc ratione quam medicus, sacerdos, qui est medicus animarum, obligationem habet vi proprii status incumbendi in studia, ad bene cognoscenda signa seu symptomata, ex quibus diagnosim formulare poterit ut remedia specifice necessaria adhibeat prout singuli casus postulent. Sed hoc, nempe praxis pastoralis viva et moderna, obtineri poterit per cursus pastorales et reliqua incepta quae hoc in schemate proponuntur ...[7].

Tertia necessitas: maior mobilitas et specializatio in structuris organizativis.

Simul autem cum his duobus adspectibus, qui respective characterem habent theologicum-asceticum et formativum, tertius adspectus complecti debet talem necessariam renovationem ministerii sacerdotalis: adspectus nempe organizativus. Exigi nequit ut omnes sacerdotes specifica praeparatione praediti sint ad exercendas omnes et singulas species laboris pastoralis. Neque exspectari potest ut omnes dioeceses ...[8] sibi sufficiant ad solvenda omnia problemata pastoralia quae in unaquaque earum contingant. Neque ignorari potest defectus proportionis sane magnus exsistens in distributione cleri per mundum universum, et exsistentia coetuum socialium — praesertim in ambitu hominum intellectualium et opificum — qui problemata pastoralia admodum peculiaria praebent, ad quae solvenda requiritur creatio « corporum mobilium » sacerdotum qui specifica praeparatione praediti sint. *Et si (hoc)*[9] transformationes sociales et culturales in mundo nostri temporis postulant ut organizatio apostolatus — et, in concreto, organizatio ministerii ...[10] sacerdotalis — fiat iuxta criterium maioris mobilitatis, ut sacerdotes omnia loca adire possint et criterium maioris specializationis, ut necessitatibus omnium hominum consulere possint ...[11].

Quapropter hoc schema propositionum ...[12] mihi omnino placet et *censeo integrum textum remanere debere ut et nunc iacet.*[13] Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] Multa quidem dici possent circa haec omnia sub adspectu speculativo et theoretico, sed nobis nunc sufficit considerare realitatem pastoralem, scil. innumera esse obstacula quae in societate nostri temporis sacerdos superare debet ut per suum ministerium verbum et gratiam Dei in animas infundere queat. [3] deest. [4] (cf. *Hebr.* 5, 1). [5] (*ibid.*). [6] deest. [7] quaeque omnia optandum est ut quantocius ad praxim deducantur, iuxta modum qui magis opportunus appareat in unaquaque natione et dioecesi. [8] — immo, neque provinciae ecclesiasticae aut nationes —. [9] Magnae. [10] pastoralis. [11] Organizatio territorialis apostolatus saecularis in Ecclesia est traditionalis, fundamentalis et necessaria. Sed etiam necessarium est providere novis adiunctis socialibus et problematibus pastoralibus nostri temporis, per quaedam incoepta peculiari functionalitate seu « dynamismo » praedita. [12] *de vita et ministerio sacerdotali.* [13] valde laudandum ipsum censeo.

8

EXC.MUS P. D. PAULUS LATUSEK
Episcopus tit. Aninetensis, aux. Gnesnensis

Rev.mi Patres conciliares et amantissimi in sacerdotio Christi Fratres,

Schematis textus nobis propositus mihi placet magis quam prior *de sacerdotibus*. Est ille sat bene correctus, in pluribus locis mutatus, pleniorque propter animadversiones, quas a Patribus Concilii propositas Commissio in novum inseruit textum. Sed textus ille, ut maximum adiutorium pro vita, condicionibusque hodiernis fieri possit, paulisper mutandus est, complendus accommodandusque. Ideo animadversiones quoad nn. 2 et 3.

In vita spirituali sacerdotis Ecclesiae Christi, ut notum est, elementa essentialia atque constitutiva adsunt, quae omnibus sacerdotibus cuiuslibet temporis sunt communia. Sacerdos eo magis erit sacerdos quam magis ea in vitam suam introducet. Horum elementorum catalogus in fontibus revelationis, decretis conciliaribus, nec non in magisterio Ecclesiae invenitur. Attamen, et alia elementa spiritualitatis sacerdotis adsunt, quae a tempore locoque, ubi sacerdoti oportet vivere ministerioque fungi, dependent. Quae elementa evolutioni atque mutationi subiciunt. Unumquodque tempus suas exigentias quoad sacerdotem habet. In nostro schemate recte finis huius schematis ad memoriam est revocatus, nempe: « quasdam breves propositiones normativas redigere, quae com-

plectantur aliquos adspectus fundamentales in vita spirituali, ascetica, intellectuali, pastorali et materiali sacerdotum » ...[1]. Si agitur de iis quae vitam spiritualem asceticamque spectant, schema nostrum magis ista elementa essentialia et constitutiva demonstrat, quam exigentias pastorales Ecclesiae, quas tempora nostra a sacerdotibus postulant. E. c. liceat mihi nonnulla demonstrare elementa, quae in textu nostro desunt et quae pro sacerdotibus indicia esse debeant.

1. Non de directivis pro cura pastorali hic agitur, sed potius de animo personalitateque, quam sacerdos in mundo hodierno debet praebere. Agere enim, uti dicitur, sequitur esse. De formatione illius « esse » in sacerdotis personalitate agitur.

a) Sacerdos nostri temporis spiritum apostolicum, dynamicum ac missionarium debet monstrare in contrapositione ad typum staticum, qui ea quae fuerunt et sunt solummodo conservare vult. Bonum Pastorem imitando sacerdos resentire debet responsabilitatem pro illis, qui iam ecclesiam non intrant, qui eam deseruerunt, pro fratribus ab Ecclesia disiunctis atque pro omnibus non-fidelibus, ut obviam eos exire sciat ac pro Christo eos lucrifaciat.

b) Sacerdos tempore hodierno indolem et mentem apertam habere debet, quam opus oecumenicum Ecclesiae nec non praesentia Ecclesiae in mundo huius temporis expostulant.

c) « Sentire cum Ecclesia » animum praebere debet, nempe cum Ecclesia se renovante, accommodante et, ut dicitur, « aggiornata ».

d) Propositum voluntatemque collaborationis cum laicis in cura pastorali ad Corpus Christi aedificandum habere debet. Constat, suscitationem apostolatus laicorum nec non formationem eorum in paroecia ab idonea sacerdotis persona dependere. Sacerdos temporis apostolatus laicorum et Actionis Catholicae in mente aperta esse debet, non invidus in suo officio sed collaborans atque se dividens labore et responsabilitate cum aliis.

2. In schemate nostro pauca sunt indicia necessaria pro sacerdote, qui consecrare mundum debet, sed eo modo, ut solus in actuali progressione technica et materiali non demergatur, sed illaesus evadat. Ne naturalismo et sic dictae « laicisationi » subiciat, sed sicuti forma gregis ex anima per suam spiritualitatem factus sit.

3. In schemate non est, proh dolor, elaboratus praecise conceptus spiritualitatis sacerdotis dioecesani, neque elementa quae illam formant sunt demonstrata. Non agitur hic de sacerdotibus dioecesanis contra religiosos, qui etiam fructuose operam dant pastoralem, sed de maiori sacerdotum dioecesanorum « valorisatione » agitur, ut conscientiam sui status, asceseos propriae atque mediorum ad sese sanctificationem ha-

beant. Dioecesani sacerdotes enim hucusque neglecti esse videntur. Autumant, ascesim monachorum illis sufficere, quod accidit, quia patres spirituales in seminariis atque moderatores exercitiorum spiritualium pro sacerdotibus haud raro sunt religiosi, qui propriam tradunt eis ascesim. Attamen in aliis condicionibus sacerdotes dioecesani laborare debent. Pro religiosis meliores sunt condiciones, nempe: vota, regula, vita communis, quae iis dant adiutorium. Spiritualitas sacerdotis dioecesani primus pro eo fons et medium sanctificationis fieri debet.

4. Valde mihi placuit in textu anteriori expressio: « Sacerdotis sanctitas proprii muneris adimpletione alitur atque augetur » ...[2], quae, proh dolor, in textu emendato deest. Quae expressio enim rationem pulcherrimam propositumque sanctitatis sacerdotis praebet. Cum de pietate agitur sacerdotes dioecesani in tres categorias dividi videntur: alii in pastorali labore in toto demerguntur, suam vitam spiritualem negligendo, alii nimis multum tempus vitae spirituali dedicant, diligentiam pastoralem negligendo, alii denique in corde suo sentiunt discordiam, ab occupationibus pastoralibus fugiendo, ut extra curam pastoralem semetipsos sanctificent. De tali exemplo sacerdotis agitur, quod et actionis pastoralis synthesis esset, et contemplationis.

Illud erit cum sacerdos in suo ministerio fungendo primordium *fons sunt*[3] et medium suae sanctificationis viderit.

5. Schema nostrum non tangit neque tangere conatur problema differentiarum, quae inter sacerdotes seniores et iuniores inter parochos et eorum cooperatores accidunt, neque remedia ad unanimitatem monstrant. Quod problema vix in unaquaque dioecesi existit post ultimum praesertim bellum. Seniores prudentiam in Ecclesiam important, iuniores laboris zelum. Oportet ut in caritate Dei et Christi unum sint.

Haec sunt animadversiones ad nn. 2 et 3 huius schematis, ut exigentiis Ecclesiae melius correspondere possit. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] (pag. 5). [2] (pag. 9). [3] fontem.

9

Exc.mus P. D. FERNANDUS GOMES DOS SANTOS
Archiepiscopus Goianiensis

Venerabiles Patres et Fratres,

Loquar nomine 112 episcoporum Brasiliae et aliarum nationum.[1]

Deceptionem permagnam nobis et plerisque ex vobis schema hoc *de vita et ministerio sacerdotali* attulisse, etiam post textum emenda-

tum, non est cur non fateamur. Sacerdotibus autem dilectissimis, qui nobiscum in vinea Domini laborant, quasi iniuriam textum propositionum esse putamus. Si enim tanta, tam pulchra et tam sublimia, cum de episcopis tum de laicis, Concilium Vaticanum II dicere valuit, cur de sacerdotibus tam pauca et imperfecta dicuntur? Rectam intentionem redactorum schematis nullomodo ignoramus, immo et laudamus. Exitum tantum deploramus.

Etenim, praemissa stabilita in pag. 17 relationis circa prooemium B, de texto elaborando pro utroque clero valitudo, ad hoc duxit ut nec *de clero saeculari nec regulari* [2] vera ratio haberetur.

Praeterea, modus paternalisticus loquendi nullatenus componitur cum modo theologico et vere pastorali aliorum schematum, et, non raro, sacerdotibus v. g. ubi de paupertate agitur, de vita communi, deque omni specie vanitatis vitanda, tam in vestibus ferendis quam in titulis vel honoribus quaerendis, suadetur quod ne pro nobis quidem ipsis statuere ausi sumus.

Aliud omnino est quod sacerdotes nostri carissimi a nobis expectant, venerabiles Patres, textum scil. in quo intimius penetretur ipsius sacerdotii theologia, et inde deducatur vera imago sacerdotalis vitae Christo sacerdoti conformata, et *vera imago* [3] ministerii sacerdotalis secundum speciem Ecclesiae in sua plenitudine nunc restauratam et secundum exigentias legitimas hominum *quae* [4] etiam dum in tenebris ambulant et viam et veritatem et vitam quaerunt illius Aeterni Sacerdotis qui in sacerdotibus nostris dilectissimis perseverat.

Quare, venerabiles Patres, proponimus, et vos em.mos moderatores enixe rogamus, ut re maturius perpensa, actualis textus nondum suffragationi subiiciatur, sed novus et condignus textus redigatur, in proxima IV sessione conciliari discutiendus et suffragandus.

Alias observationes particulares secretariatui generali scripto trademus libenter, sed, venerabiles Patres, ne trahamur periculo festinationis, quod perfectioni opponitur: sacerdotium nimis magnum et sacrum est ut de eo festinanter loquamur.

Sacerdotibus nostris, in partes Domini nobiscum vocatis, huius saltem testimonii amoris et venerationis debitores sumus. Gratias. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] cleri saecularis nec regularis. [3] deest. [4] qui.

[*Adhaeserunt etiam*] Exc.mi PP. DD. Francisco Austregésilo de Ataydo, José Lamartine Soares, José Alberto de Castro Pinto, Vicente de Paulo Araujo Matos, Antonio Batista Fragoso, José Costa Campos, Walmor Battu Wichrowski, Milton Corrêa Pereira, Manoel Lisboa de Oliveira, David Picão, João José da

Motta e Albuquerque, José Newton de Almeida Batista Pereira, Bernardo José Bueno Mielli, Romeu Alberti, Manoel Pereira da Costa, José Medeiros Leite, Joaquim de Lange, Augusto de Carvalho, Adelmo Cavalcante Machado, José Maria Pires, Oscar de Oliveira, Antonio Barbosa, Pedro Paulo Koop, João Resende Costa, Adriano Hipólito F. M., Belchior da Silva Neto, José Bezerra Coutinho, Manoel Tavares de Araujo, Edmundo Luiz Kunz, Claudio Colling, Frei Alexandre Cesario Minalli, Geraldo Ferreira Reis, João Gazza, José Terceiro de Souza, José Nicomedes Grossi, Edilberto Dinkelborg, Severino Mariano de Aguiar, Afonso Niehues, Vicente Marchetti Zioni, Nivaldo Monte, Waldyr Calheiros de Novais, Altivo Pacheco Ribeiro, José Eugenio Correa, José Pedro de Araujo Costa, Aniger Francisco Maria Melillo, Raimundo Castro e Silva, Otávio de Aguiar, José de Almeida Batista Pereira, Geraldo Maria Moraes Penido, José D'Angelo Neto, Othon Motta, Hugo Bressane de Araujo, Avelar Brandão Vilela, João de Souza Lima, José Gonçalves da Costa, Alberto Gaudêncio Ramos, Antonio Campelo de Aragão, Zacarias Rolim de Moura, Walfrido Teixeira Vieira, Candido Padin O.S.B., Wilson Laus Schmidt, Gregorio Warmeling, Pedro Felipak, Ruy Serra, José de Aquino Pereira, José Melhado Campos, José Adelino Dantas, Helder Pessoa Camara, Antonio de Castro Mayer, Acácio Rodrigues Alves, José Thurler, Adolfo Luiz Bossi, Amadeo Gonzalez Ferreiros, Gabriel Paulino Bueno Couto, Epaminondas José de Araujo, Delfim Ribeiro Guedes, Paulo Hipólito de Souza Libório, Luiz Victor Sartori, José Medeiros Delgado, José Mauro Ramalho Alarcon Santiago, Aristides Pirovano, Salomão Ferraz, Andreas Makarakiza, Michel Ntuyajaga, Louis Bigirumwani, Andre Perraudin, José Vicente Távora, Clemente Isnard, João Batista Motta e Albuquerque, Jorge Marcos de Oliveira, Eugenio de Araújo Sales; José Varani; Antonio Lima dos Santos, João Hoffmann; Gaetano Michetti, aux. Fermi; Stanislau van Melis; Luis Yañez R. T., ob. Los Angeles; Aloisius Lorscheider, ep. Angelopolitanus; Roberto Cáceres, ep. Melensis; Mario Cornejo R., ep. tit. Sanavensis; Ernesto Costa, ep. Inhambane; Quirinus A. Schmitz, ep. Teófilo Otoni; Benedeto Coscia, ep. Jatai; Alberto Etges, ep. S. Crucis in Brasilia; Miguel D'Aversa, ep. tit. Macri; Ioannes H. I. Tielbeek, ep. tit. Tipasa in Numidia; Tiago Ryan, ep. tit. Margensis; Henrique Golland Trindade; Cesario Minali.

Emendationes additae:

In congregatione generali 101, verbum fecimus pro totali retractatione schematis « De vita et ministerio Sacerdotali », nomine 112 Patrum, quorum relationem ad calcem huius interventionis, iterum transcribimus. Quod autem tunc promisimus, emendationes nostras scripto tradere quibus diffusius sensum nostrum aperiemus, officium libenter adimplemus.

1. Mens nostra, imprimis est, schema istud, non forma propositionum, sed constitutionis vel decreti exarare omnino oportere, quod et quaestionis momentum et sacerdotum expectatio necnon cum laicorum apostolatu similitudo exigunt, et quin necesse sit speciale aliud « Nuntium » parare.

2. Cum autem « De religiosis » distinctum schema elaboratum sit, in hoc schemate aperte declaretur agendum esse de sacerdotibus in vinea Domini laborantibus, ratione habita tantum eorum sacerdotii, et nulla consideratione facta diversarum earum humanarum conditionum, nempe utrum sacerdotes saeculares an religiosi sint necne. Quae propria religiosorum sunt, ad schema « De religiosis »

mittantur; hic tantum de sacerdotibus ut talibus agatur et de eorum ministerio, quod eius conditionis ipsa ratio est.

Oblivisci, enim, non potest sacerdotium non esse, ut tale, viam perfectionis acquirendae. Est, natura sua, « servitium », est « missio », est « constitutio » quae, quibusdam hominibus, gratuito Dei dono, praebetur, in aliorum servitium, nam sacerdos « ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur, in iis quae sunt ad Deum ».

Dum ergo status religiosus est libera aliquorum hominum electio qua Dei gloriam quaerunt propria sanctificatione mediante, praecipue per strictae observationis viam consiliorum evangelicorum, sacerdotium electio est a Deo facta: « ab hominibus assumptus », siquidem nemo sumit sibi honorem nisi qui vocatur a Deo tamquam Aaron, pro hominum servitio; « pro hominibus constituitur », siquidem omnibus omnia facti sumus, ad Dei gloriam: « in iis quae sunt ad Deum », siquidem « ad hoc venit Filius » et ad hoc sacerdotes mittuntur, « sicut Filium misit Pater ».

Sacerdotibus, igitur, qui et religiosi sunt, quaedam possunt, ex eo quod religiosi sunt, commendari in schemate « De religiosis », ut, in specialibus circumstantiis laborantibus, viam perfectionis, quam elegerunt, ne obliviscantur, immo intellegant novo titulo ac ratione, per fidelem votorum adimpletionem, ad perfectionem tendere. Non ideo tamen tenendum est ut « typum » perfecti sacerdotis illud quod religiosi sibi elegerunt, quasi tantus sanctior sit sacerdos, quantum magis ad hoc « typum » accedat.

Certo certius, sacerdotes saeculares debent perfectionem quaerere, non tamen secus, quamvis a fortiori, ac omnes alii christifideles. Haec sacerdotalis perfectio in ipsa vita sacerdotali qua tali ponenda est, nempe, in fideli responsione electioni divinae ad sese pro hominum servitio devovendo, et non, ut ita dicamus, « parallela » via, seu ipsae vitae sacerdotali addita.

Quod ut fiat, intimius penetranda est ipsius sacerdotii theologia, nempe divinae electionis et missionis ut origo, totalis caritatis fraternitatisque suiipsius oblationis ut medium, et Dei gloriae in mundo ut finis.

Ea quae Dei sunt quaerentes et non sua sacerdotes, ut tales, parati esse debent et pro fratribus anathema fieri in Christo Iesu. Non enim ex hominibus assumuntur ut ab hominibus separentur, sed ut pro hominibus constituantur, ad imaginem Filii Dei, Aeterni Sacerdotis secundum ordinem Melchisedech, in omnibus, praeter peccatum, hominibus similes effecti, cum eis, immo et cum peccatoribus, conversantes et manducantes. Quod et nervose S. P. Paulus VI feliciter regnans nobis advertit: « Quoniam hominum coetui nulla salus afferri extrinsecus potest, opus est utique, ut primum, non secus atque Verbum Dei, quod seipsum fecit hominem, eorum vitae formas induamus, quibus Christi nuntium delaturi sumus; opus est deinde ut, nullo nobis dato praecipuo iure, nulloque interiecto perplexi sermonis discrimine, in communem aliorum morem, dum tamen sit humanus et honestus, abeamus: in morem praesertim minimorum, si modo illud consequi volumus, ut alteri nos et audiant et intellegant; opus est deinde ut, antequam loquamur, multum operae hominis voci, quin potius animo audiendo demus, utque postea hominem non tantum intellegamus et observemus, verum etiam quantum fieri possit, eius voluntati obsequamur; opus est deinde, ut ea re quod hominum pastores, patres et magistri esse cupimus, idcirco eorum fratres agamus » (Encycl. Litt. *Ecclesiam Suam,* ed. Vaticana, pp. 42-43).

Quae quidem, dum sincero animo fiant, scil., si sacerdotes caritate Christi urgente sese totaliter in hominum servitium impendant, nullus est qui dubitet eximios tandem aliquando magistros, non tantum verbo sed exemplo opere et veritate omnium christianarum virtutum, sicque ministerium sacerdotale et alios et ipsos sacerdotes sanctificans erit, ut oportet.

3. Ex hac quoque sacerdotali theologia desumantur munera sacerdotalia quaenam propria sint, non autem ex humana ordinatione alia ceteris praestantia extollendo. Nam parochi vel non parochi, aliaque similia, sacerdotes participes sunt triplici munere Christi, sacerdotali nempe, prophetico et pastorali; quod integrum munus ab omnibus et ubique exercendum est, quaecumque sint peculiariter eis in christiana communitate ordinanda commissa.

Praecipue autem, ex hac sacerdotii theologia, in lucem ponatur sacerdotii unitas, et inde deducatur, ut eius naturae conformis, necessitas vitae communitariae ferendae, quae « vitae communi », sensu canonico intellecto, aequiparanda non est nec convenit, sed illo spiritu fraternitatis, et communi consilio et mutua adiutrice opera et communibus pastoralibus conatibus, sacerdotum inter se et sacerdotum cum episcopo, qui et ipse sacerdos est, quamvis altioris gradus, fulcitur.

4. In hoc vero mutuo, quamvis ordinato, conatu in Dei voluntatem quaerendam, et in conscientia corresponsabilitatis pastoralis, illa stat promissio oboedientiae quam episcopis praestant sacerdotes, sacrae ordinationis die, non autem in quadam caeca ac servili conformatione aliquorum voluntatum unius episcopi voluntati, sicut ipso Ordinationis ritu demonstratur, cum neo-presbyteros deosculans episcopus eos iam non servos sed amicos vocat, eo quod inter ipsos iam omnia communia sunt.

5. Castitatem vero quod attinet, fusius eiusdem declarentur fundamenta theologica, quod in sui ipsius totalis et voluntariae deditionis situm est, dignitas quoque extollatur ac valor pastoralis et mysticus. Paternitatem spiritualem sacerdotum, erga filios in Christo spiritualiter genitos, inter et naturalem paternitatem relatio instituatur, ut demonstretur immolatione quam faciunt sacerdotes legitimi usus sacramenti matrimonii, potius quam inficere, ad hoc tendere ut efficacius et sublimius, in plano totali, cooperentur creationi, quae non modo naturalis sed ipsa supernaturales vita, hominibus cooperantibus, perfecte comprehenduntur.

Sed aperte declaretur etiam sacerdotium inter et matrimonium non dari ex rei natura radicalem oppositionem, quod et evidenter apparet ex more Orientalium aliquorum etiam nostris diebus.

Nec obliviscatur spei christianae verbum facere illis qui, quovis tempore et quavis de causa, pristinam generosam oblationem lugent. Ne ipsi tractentur quasi si melius esse si nati non fuissent ita ut nonnisi desperationis via eis relinquatur. Pastorali ac materno animo, Ecclesia sacerdotes suos debiles et claudos, caecos ac duces caecorum alloquatur et ad spem erigat. Nullum enim est peccatum et nulla infirmitas quae, gratia et misericordia divina, remitti vel sanari nequeant.

6. Ex hac quoque theologia sacerdotii, et non ad religiosorum imaginem, deducatur spiritus ille paupertatis, cuius quidem, non tantum a sacerdotibus, sed a tota Ecclesia, exemplum dari oportet. Christus enim, sacerdotum prototypus et pauper fuit, ita ut nec ubi caput reclinaret habere et, divitiis spretis, uni Deo adorare et ipso soli servire exemplo suo oportere demonstravit ac evangelizare

pauperibus, non ut aliqua individualis praeferentia suipsius sed ut ad essentiam missionis a Patre receptae ut signum praebuit.

Ecclesiastica autem decreta quae, statutis temporibus ut sacerdotes a divitiis quaerendis, et honoribus immoderato animo averterent, statuta sunt, non simpliciter sacerdotibus nostrorum temporum applicentur, quasi Concilium confiteretur maior vel saltem sacerdotum magna pars scandalum esse hominibus, dum e contra, paupertas et indigentia plurimorum sacerdotum ad hoc pervenit ut potius, diebus nostris, motivum sit quo multi vocationem sacerdotalem sequi renuant.

7. Quaedam quoque pastorales normae omittendae non sunt, sed nobis placeret si ita redigantur ut quae sacerdotibus secundi gradus commendamus et nos ipsos facere et docere paratos esse dicamus.

[*Adhaeserunt etiam*] Exc.mi PP. DD. Francisco Austregésilo de Atayde, José Lamartine Soares, José Alberto de Castro Pinto, Vicente de Paulo Araujo Matos, Antonio Batista Fragoso, José Costa Campos, Walmor Battu Wichrowski, Milton Corrêa Pereira, Manoel Lisboa de Oliveira, David Picão, João José da Motta e Albuquerque, José Newton de Almeida Batista Pereira, Bernardo José Bueno Mielli, Romeu Alberti, Manoel Pereira da Costa, José Medeiros Leite, Joaquim de Lange, Augusto de Calvalho, Adelmo Cavalcante Machado, José Maria Pires, Oscar de Oliveira, Antonio Barbosa, Pedro Paulo Koop, João Rezende Costa, Adriano Hipólito O.F.M., Belchior da Silva Neto, José Bezerra Coutinho, Manoel Tavares de Araujo, Edmundo Luiz Kunz, Claudio Colling, Frei Alexandre Cesario Minalli, Gerardo Ferreira Reis, João Gazza, José Terceiro de Souza, José Nicomedes Grossi, Edilberto Dinkelborg, Severino Mariano de Aguiar, Afonso Niheus, Vicente Marchetti Zioni, Nivaldo Monte, Waldyr Calheiros de Novais, Altivo Pacheco Ribeiro, José Eugenio Corrêa, José Pedro de Araujo Costa, Aniger Francisco Maria Melillo, Raimundo Castro e Silva, Otávio de Aguiar, José de Almeida Batista Pereira, Geraldo Maria Moraes Penido, José D'Angelo Neto, Othon Motta, Hugo Bressane de Araujo, Avelar Brandão Vilela, João de Souza Lima, José Gonçalves da Costa, Alberto Gaudêncio Ramos, Antonio Campelo de Aragão, Zacarias Rolim de Moura, Walfrido Teixeira Vieira, Candido Padim O.S.B., Wilson Laus Schmidt, Gregorio Warmeling, Pedro Felipak, Ruy Serra, José de Aquino Pereira, José Melhado Campos, José Adelino Dantas, Helder Pessoa Camara, Antonio de Castro Mayer, Acácio Rodrigues Alves, José Thurler, Adolfo Luiz Bossi, Amadeo Gonzalez Ferreiros, Gabriel Paulino Bueno Couto, Epaminondas José de Araujo, Delfim Ribeiro Guedes, Paulo Hipólito de Souza Libório, Luiz Victor Sartori, José Medeiros Delgado, José Mauro Ramalho Alarcon Santiago, Aristides Pirovano, Salomão Ferraz, Andreas Makarakiza, Michel Ntuyajaga, Louis Bigirumwani, André Perraudin, José Vicente Távora, Clemente Isnard, João Batista Motta Albuquerque, Jorge Marcos de Oliveira, Francisco Austregésilo Atayde, Henrique Golland Trindade, João Hoffmann, Antonio Caetano Lima dos Santos, José Varani, Eugenio de Araujo Sales, Geraldo Michelleto Pellanda, Stanislau van Melis, Roberto Melensin, Luis Yanez ob. de los Angeles, Alvarus ep. Stugelopolitanus, Mario Cornejo, Tomás Telelarel, Antonio Maria Alves da Siqueira, Ernesto de Paula, Alberto Etges, Miguel D'Aversa, João H. J. Tielbeek ep. tit. Tipasa in Numidia, Tiago Ryan O.F.M., Armando Cirio, Jaime Schuck.

10

EXC.MUS P. D. EMMANUEL DE IESU PEREIRA
Episcopus tit. Praenetiensis, aux. Conimbricensis

Venerabiles Patres, dilectissimi Parochi, ceterique Sacerdotes,

I. Ad n. 9 schematis emendati *de vita et ministerio sacerdotali* haec observare velim:

Traditionalis est in Ecclesia, docta a theologis et canonistis, haec bonorum *clericorum* [1] divisio, scil.:

a) *patrimonialia,* quae clericus, tanquam privata persona, quocumque titulo profano, v. g., ex haereditate, legato, donatione, etc., possidet;

b) *quasi-patrimonialia,* seu quasi-ecclesiastica vel casualia, quae clerico adveniunt, occasione sacrarum functionum, ut sunt missarum vel concionum stipendia etc. A. v., quae clericus habet ex titulo spirituali, sed non ex beneficio ecclesiastico;

c) *parcimonialia,* quae clericus parcius vivendo retinet e redditibus beneficii, quae rationabiliter in sustentationem suam impendere potuisset;

d) *beneficialia seu ecclesiastica,* quae e redditibus beneficii ecclesiastici clerico dantur.

Omnes docent de omnibus his bonis, exceptis quae stricte ecclesiastica seu beneficialia sunt, clericum liberrime, sicut quivis alius civis christianus, disponere posse. Si qui peculiares limites ipsi apponuntur, id unice oritur ex obligatione scandali vitandi vel modestiae clericalis, iuxta sacros canones, servandae. Nulla lex ecclesiastica hactenus lata est *ut mihi videtur* [2] quae directe hunc liberum usum bonorum patrimonialium, quasi-patrimonialium et parcimonialium impediat clericis non-religiosis, qui spiritu paupertatis ornari debent, sed voto paupertatis non detinentur.

De bonis stricte ecclesiasticis canon 1473 ita statuit: « Etsi beneficiarius alia bona non beneficialia habeat, libere uti frui potest fructibus beneficialibus qui ad eius honestam sustentationem sint necessarii; obligatione autem tenentur impendendi superfluos pro pauperibus aut piis causis ».

Honesta sustentatio autem aestimanda est, inspectis locis, tempore, dignitate, etc. clerici. Nomine *honestae sustentationis* venit quidquid moraliter necessarium est ad victum, vestitum, honestas recreationes et etiam convivia moderata ipsorum clericorum. Clerici sub gravi tenentur

in pauperes aliave opera pia erogare, quae sibi e bonis ecclesiasticis, detracta honesta sustentatione, supersint. Haec obligatio multis sacris canonibus edicitur et a nemine in controversiam vocatur.

Hi sunt limites clarae et traditionalis doctrinae de bonis clericorum. Praeterea etiam traditionale est hoc *consilium* quod frequenter apud quasdam Constitutiones synodales invenitur, nempe: Per se decet ut clerici piis operibus destinent quidquid ipsis superest emolumentorum quae ex sacris functionibus vel earum occasione obtinuerint.

Schema emendatum *de vita et ministerio sacerdotali* ab hac doctrina traditionali videtur averti, quod erit anxietati et scrupolo clericis nonnullis huius temporis, generatim in non parvis difficultatibus economicis versantibus — quod inopportunitatem huius novae dispositionis ostendit.

In textu legitur « Meminerint Ecclesiae ministri... bona quaelibet — tum ecclesiastica proprie dicta, tum quae occasione exercitii cuiusdam ecclesiastici officii clerici sibi comparant — secundum rei naturam atque iuxta antiquitus inductam et ab Ecclesia firmatam consuetudinem, destinari ad cultum divinum ordinandum, ad honestam cleri sustentationem procurandam, necnon ad opera sacri apostolatus vel caritatis praesertim erga egenos exercenda ».

Hoc, ut apparet, non in omnibus cohaeret cum doctrina traditionali et praesertim quia ex consilio, ut hactenus, transit ad hoc arctissimum praeceptum, *videatur n. 9, pag. 12, lin. 29* [3]: « Itaque nemini unquam licet officium ecclesiasticum quaestui habere redditusque ab eo provenientes in propriae rei familiaris amplificationem impendere », quod si respicit bona *quae occasione exercitii cuiusdam ecclesiastici officii clerici sibi comparant,* i. e., ut videtur, de bonis quasi-patrimonialibus, minus *conveniens* [4] videtur dictum et, mea humili sententia, commissioni corrigendum vel tollendum vel saltem enucleandum, ne videatur doctrinam traditionalem hactenus professam abripere.

Haec, venerabiles Patres, mihi videntur digna quae a nobis mutare perpendantur, ideoque ea iudicio omnium... ea iudicio digna sunt quae a nobis mature perpendentibus... iudicio omnium humiliter subiicio, ne obliviscamur proverbium « summum ius, summa iniuria ». [5]

II. Tandem ad n. 7 — de sacerdotum sollicitudine omnium ecclesiarum — ad similitudinem cum episcopis, quibus in Motu proprio *Pastorale munus* benigne concessum est a Summo Pontifice Paulo VI feliciter regnante, ut « confessiones fidelium, etiam religiosarum, ubique terrarum audiendi, nisi loci Ordinarius expresse renuerit », hoc humiliter propono pro sacerdotibus tum regularibus cum saecularibus a suis Ordinariis ad confessiones audiendas approbatis ut ipsis liceat confessiones

fidelium audiendi (et de religiosis mulieribus in casibus in iure provisis) in tota sua natione, nisi loci Ordinarius expresse renuerit.

Bonum spirituale fidelium aliquando et frequentia hodierna sacerdotum itinerantium hoc suadent ...[6].

Moderator: Exc.me Domine, tempus exactum est.

Orator: Dixi.

In textu scripto tradito: [1] ecclesiasticorum. [2] deest. [3] deest. [4] recte. [5] deest. [6] Sacerdotes tantum illis facultatibus quas a suo Ordinario acceperant, fruerentur. Hoc esset etiam aliqua sollicitudo sacerdotum pro animabus totius suae nationis, pastoraliter utile pro fidelibus atque sacerdotibus iucundissimum et adiunctis hodiernis valde accommodatum. Hoc a iure canonico v. g. constaret.

11

Exc.mus P. D. CASIMIRUS IOSEPH KOWALSKI
Episcopus Culmensis

Venerabiles Patres, carissimi Fratres Sacerdotes,

Schema emendatum in tantum placet in quantum claram expositionem principiorum *practicorum*[1] de vita et ministerio sacerdotali exhibet ...[2]. Insuper *speciali laude digna*[3] est mentio de instauratione vitae communis sacerdotum in n. 4 ...[4]. Circa *quam instaurationem*[5] duas observationes humiliter propono:

1. Sicuti secundum verbum *Domini,*[6] pauperes semper habebimus nobiscum ita etiam semper in Ecclesia aderunt sacerdotes solitarii quibus vita communis physice vel moraliter impossibilis evadit. Experientia constat hos sacerdotes non raro multas difficultates experiri in vita sua spirituali et apostolica propter solitudinem in qua vivunt soli cum solis paroecialibus conversationem habentes. *Sed insuper ipsa dignitas, vita, missio, et officium sacerdotis gravissimam rationem praebet ut sacerdos fiat obiectum speciale, specificum, et — propter utilitatem Ecclesiae — principale curae animarum.*[7]

Ideo summi momenti est in his circumstantiis ut confratres sub auctoritate *Summi Pontificis et*[8] Ordinarii veram et completam curam animarum talium sacerdotum ex caritate suscipiant et strenue magno cum zelo exerceant. Munus confessarii ordinarii et extraordinarii confratrum maximae indigentiae respondet et bene confectum unum ex criteriis authenticae et perfectae vitae spiritualis sacerdotum *existit.*[9] Idem dicendum est de munere patris spiritualis sacerdotum de quo *mu-*

nere heri carissimus Kuharic locutus est de quo heri in hac aula audivimus.[10]

Ideo valde adprobanda est introductio per S. Synodum huius muneris in tota Ecclesia. Experientia pastoralis quindecim annorum nos edocuit, hoc munus patris spiritualis sacerdotum *praecipue et practico modo* [11] maximo cum fructu exerceri in *communitate decanatus sive vicariatus foranei* [12] ubi nempe tempore recollectionis menstruae pater spiritualis conferentiam asceticam suis confratribus facit et confessiones excipit. Ideo haec cura animarum sacerdotum per confratres explenda ut officium pastorale nobilissimum et utilissimum sacerdotis certo certius digna est speciali mentione in n. 4, quia indispensabilis *evadit* [13] ad sanctitatem sacerdotalem assequendam.

2. *Secunda observatio*: Experientia plus quam centum annorum probat vitam spiritualem et apostolicam sacerdotum multum adiuvari per associationes sacerdotales a Sede Apostolica approbatas, uti e. g. Unio Apostolica Sacerdotum Saecularium, Unio Cleri pro Missionibus et Associatio Adoratorum SS. Sacramenti. Exemplum vitae S. Pii Papae X, *quia in vita sodalis activus et propagator Unionis Apostolicae existebat et in patria nunc eiusdem Unionis est caelestis patronus,*[14] probat quantam utilitatem Ecclesia et sacerdotes ex associationibus huius generis haurire possunt. *His temporibus Unio Apostolica maximum meritum habet elaborandi hanc spiritualitatem sacerdotum sacerdotibus saecularibus propriam, de qua ante pauca momenta Dominus Latusek locutus est.*[15] Insuper experientia pastoralis curae animarum *sacerdotum* [16] per viginti ultimos annos in patria nostra collecta probat, quod temporibus difficillimis pro vita spirituali et apostolica sacerdotum *et pro tota Ecclesia* [17] praxis regulae harum associationum una cum fidelitate erga cotidiana officia sacerdotalia animas sacerdotum egregie sanctificat, robore confirmat et fidelissimos et obsequentissimos erga *Sanctam Sedem, Ecclesiam, et episcopum reddant.*[18]

Quapropter humiliter peto ut Sacrosanctum Concilium in huius schematis n. 4 ...[19] principium legitimitatis et utilitatis associationum sacerdotalium a Sancta Sede confirmatarum benigne recipiat et explicite adprobet. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] In specie laudandum est in n. 3 (pag. 9, linn. 36 ss.) subsidia ad vitam interiorem fovendam explicita mentione enumerari. [3] laude dignum. [4] (pag. 10, lin. 23). [5] quae. [6] Iesu. [7] deest. [8] deest. [9] constituit. [10] heri sermo in hac aula erat. [11] practice. [12] decanatu. [13] deest. [14] membri et propagatoris Unionis Apostolicae in via et Patroni eiusdem Unionis in patria. [15] deest. [16] sacerdo-

talium. [17] deest. [18] episcopum, Ecclesiam et Sanctam Sedem reddit. [19] pag. 10, lin. 24.

Animadversio addita: ad n. 8, pag. 17, lin. 8. Ante mentionem de associationibus piis inserendum esse censeo aliquod verbum de cura animarum confratrum: « Curam animarum confratrum in communitate paroeciae, decanatus vel dioecesis maxime cordi habeant, praecipue munus patris spiritualis sacerdotum in decanatu vel dioecesi exercendo ». *Ratio*: In multis dioecesibus munus patris spiritualis confratrum in communitate paroeciae, decanatus vel dioecesis degentium iam institutum est et optimos fructus facit. Insuper unusquisque sacerdos confratrem suum uti speciale obiectum curae animarum in casu necessitatis vel opportunitatis consideret oportet. Sic enim periculum solitudinis efficaciter evitari potest. Ideo mentio de speciali cura animarum confratrum suorum per sacerdotes facienda ad mentem et instructionem episcopi nullo modo in schemate omitti potest.

12

Exc.mus P. D. DEMETRIUS MANSILLA REOYO
Episcopus Civitatensis

Venerabiles Patres,

Schema dignum quidem est laude, quia clare et distincte enunciat principia fundamentalia ministerium sacerdotale attingentia. Praeoccupata tamen commissio, ex brevitate schemati imposita, nimis expositionem contraxit, ideoque schema nimis praecisum apparet, non satis explicitum in aliquibus locis, et sine iusto pondere erga complexum. Itaque liceat quasdam animadversiones facere, non censurae causa, sed ut iustam perfectionem et circumscriptionem adquirat.

1. Hoc cogitandum et prae oculis habendum, Concilium Vaticanum II esse, in primis, renovationis concilium, ut toties nunciavit felicis recordationis Papa Ioannes XXIII et postea renunciavit Summus Pontifex Paulus VI ...[1].

Primus, in Encyclica *Ad Petri cathedram,* die 29 iunii 1959 ...[2].

Et idem finis *renovationis* [3] a Paulo VI memoratur in allocutione habita die 29 septembris 1963, quando inchoata fuit altera Concilii Oecumenici Vaticani II sessio ...[4].

Sed haec spiritualis renovatio ita ab Ecclesia quaesita et semper a Concilio confirmata, utpote conditionis expresse pastoralis, non alia eveniet via quam per sacerdotes, et eorum cura et labore pastorali. Hac de causa quodammodo dici potest, ex omnibus schematibus Concilii, aliquem ex primis locis, ne dicam absolute primum, huic schemati *de sacerdotibus,* tribui debere. Optandum igitur esset, ut hoc capitale mo-

mentum quodam modo in prooemio emineret, quamvis breviter dumtaxat et formula quadam praecisa.

2. Idea centralis in n. 2 proposita (*Sacerdotum cum laicis conversatio*), licet optima et excellens sit, significare nitidius oporteret virtutes supernaturales et naturales, gravius primas *ponderando,*[5] quibus semper sacerdos dioecesanus primas partes tribuere debet in sua missione pastorali. Prae oculis enim apparet hodiernum periculum praeferendi virtutes naturales ex aperta proclivitate ad exaggeratum humanismum. *Ex alia parte,*[6] quaenam sit vis obligatoria harum virtutum non indicatur, et tamen desideratur, nec indicantur formae concretae, quibus in praxi haec virtutes reducantur. Etiam hoc significandum est, quod in hac dedicatione et consecratione ministerio aliorum, locum eminentem habere debet virtus humilitatis, cuius nec nomen quidem in schemate, saltem clare, legitur, et tamen de illa exemplum eloquens dedit et illi magnum locum tribuit Iesus Christus, « qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse aequalem Deo » ...[7].

3. Cum in n. 3 medii praecipui sanctificationis enumerantur, nimis vage, non absolute, quodam etiam timore hoc fit, in eo quod ad obligationem attinet. Deest, v. g. summatim indicare *exercitia annualia, secessum mensualem,* saltem ut commendatio et desiderium cursus *asceticus-pastoralis* saltem per sex menses protractus post quinque annos vel, si magis placet, post decem annos experientiae in re pastorali.

Verum est mentem commissionis non fuisse haec media sanctificationis praetermittere, cum in adnotationibus dicat: « Commissio tamen opportunum duxit haec omnia particularia remittere ad Directoria post Concilium redigenda vel ad commissionem Codicis Iuris Canonici recognoscendum ». Hoc tamen satis non est. Coram sacerdotibus, et ut exemplo sit ipsis fidelibus, maioris semper erit et auctoritatis et efficacitatis, quod haec pietatis formae in normis conciliaribus, quae ad clerum attingunt, inscribantur, quamvis breviter et presse.

Cum in hoc schemate agatur de quaestione maximi momenti pro renovatione spirituali Ecclesiae, primo proposito huius Concilii, non timeamus proponere fusius et exigere a nostris sacerdotibus illas normas et vitae rationes, congruentiores sanctitati eorum status et necessitatibus et exigentiis nostrorum dierum.

Haec erit, sine dubio, via brevior, ut Ecclesia illam perfectam speciem consequatur, quam Iesus Christus voluit dare, « *ut sit sancta et immaculata* ».[8]

Si Patres Concilii Tridentini de laboribus suis laetabantur et gaudentes sese amplectabantur, cum probatum et confirmatum viderunt decretum de institutione Seminariorum, nihil laetius atque iucundius Pa-

tribus Concilii Vaticani II, quam suis sacerdotibus relinquere monumentum indeficientis memoriae et fontem perennem sacerdotalis sanctitatis.

Conclusio: ...[9]

1. Capitale momentum huius schematis in prooemio clare appareat propter summam gravitatem argumenti in re pastorali.

2. Valor intrinsecus schematis respondere debet spei totius cleri et ipsorum fidelium; ideo virtutes supernaturales et eorum vis obligatoria accurate significentur, et etiam humilitas, ut virtus fundamentalis, numeretur.

3. Inter media sanctificationis exercitia annualia, secessus menstruus, cursus asceticus pastoralis, saltem per sex menses, et post aliquod tempus experientiae in vita pastorali, expresse indicari debent. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] quem Deus sospitet. [2] (*A.A.S.*, 51 [1959], p. 511): Ioannes XXIII ita suam mentem aperiebat: « Quae quidem suavissima spes iam nos duxit vehementerque excitavit ad propositum illud publice annuntiandum, Oecumenicum scil. cogendi Concilium ad quod sacrorum antistites de gravibus religionis rebus tractaturi, ex universo terrarum orbe convenient, ea praesertim de causa, ut ad catholicae fidei incrementum et ad rectam christiani populi morum renovationem deveniatur, utque ecclesiastica disciplina ad nostrorum temporum necessitates aptius accommodetur ». [3] deest. [4] his verbis: « ... praecipuos huius Concilii fines ad quatuor redigimus capita, quae sunt, notio vel, si magis id placet, conscientia Ecclesiae, eius renovatio, unitatis redintegratio, inter christianos universos et Ecclesiae collocutio cum nostrae aetatis hominibus » (*A.A.S.*, 55 [1963], pp. 847 et 850-852). [5] indicando. [6] deest. [7] sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens in similitudinem hominum factus et habitu inventus ut homo » (*Phil.* 6, 7). [8] « ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam aut aliquid huiusmodi, sed ut sit sancta et immaculata » (*Eph.* 5, 17). [9] Unde ad modum conclusionis.

13

Exc.mus P. D. VICTOR GARAYGORDOBIL BERRIZBEITIA

Episcopus tit. Pudentianensis, prael. null. Fluminum

Venerabiles Patres et carissimi Sacerdotes,

Aliqua de relationibus sacerdotum ad episcopum, de quibus fere nihil in schemate et perpauca in dissertationibus.[1]

In nova configuratione ecclesiali, episcopi constituuntur quasi centrum totius renovationis pastoralis in Ecclesia. Ad hunc finem facilius

obtinendum ...[2], quaeritur maior disponibilitas sacerdotum in manibus episcopi. Immo, cum episcopi habeant quodammodo responsabilitatem universalis Ecclesiae, statuitur possibilitas destinandi aliquos ex suis sacerdotibus ...[3] extra propriam dioecesim in quamcumque terrarum orbis partem.

Haec nova episcopi et Ecclesiae dioecesanae configuratio, *praesertim quod ad sacerdotes attinet,*[4] quamvis ex una parte omni laude digna sit, consideranda est etiam sub alio aspectu aliquo modo diverso, sed aeque Ecclesiae essentiali; sub aspectu, nempe, Ecclesiae quatenus est etiam institutio humana, simul ac divina, quae proinde habet quasdam leges ex ipsa natura humana derivatas et quae, hac de causa, praetermitti nequeunt, nec ob rationem supernaturalitatis Ecclesiae.

Nunc vero, in omni institutione humana augmentum potestatis seu auctoritatis socialis caute est accipiendum. Harmonia enim dynamica necessaria est ad bonam vitam socialem gerendam, quae quidem supponit aequilibrium omnium virium in societate concurrentium. Dantur enim quaedam tensiones quae legitimae, immo et necessariae sunt. Et quae pariter variae sunt secundum varias temporum necessitates ac modalitates. Sed semper in quoddam aequilibrium venire debent.

In nostro casu, in Ecclesia nempe dioecesana, hoc aequilibrium, seu intelligentia harmonica, in primis et quam maxime, inter episcopum et sacerdotes quaerendum ac statuendum est; quod certe non *facile*[5] apparet: *in schemate*[6] e contra, difficilius evadere posset ex eo quod, ex una parte, augeantur et consolidentur iura episcopi et, ex alia, nihil fere dicatur de iuribus sacerdotum.

Certe, in schemate de Ecclesia statuitur, quoad rem, aliquid maximi momenti; nempe, quod « presbyteri, vi sacramenti Ordinis, sint ad divinum cultum consecrati et ad divinum ministerium ordinati ». Sed cum in sua potestate ab episcopo omnino pendeant, optandum esset dicere etiam aliqua de iuribus *sacerdotum*[7] tam singulatim quam collective sumptorum, ad illam harmonicam unionem inter episcopum et sacerdotes facilius obtinendam.

Inter iura personalia *quod attinet,*[8] praeter illud quod *spectat*[9] ad congruam sustentationem ...[10] in quantum fieri posset, manifestanda esset sacerdotibus illa ratio suprema agendi episcopi, i. e., « bonum animarum », ne nimis ratio oboedientiae urgeatur. Nam nostris maxime temporibus, iam diu firma manere non potest apud sacerdotes auctoritas episcopi sola ratione auctoritatis, quamvis eius origo divina exaltetur et specialis Spiritus Sancti assistentia multoties invocetur; quod quidem non necessario et *veluti*[11] a priori supponit in sacerdotibus defectuosam oboedientiam. Et si agatur de dispositionibus, quae, quamvis poenales

non sint, poenale quid sapiunt, maxime audiendi essent sacerdotes et attente perpendendae rationes ab ipsis allatae.

Demum, statuendum esset aliquod medium quo sacerdotes tuti ac securi se sentiant, praesertim relate ad illam quasi omnimodam disponibilitatem in manibus episcopi, contra possibiles et — parcatis mihi, quaeso, Patres, hanc meam audaciam — contra possibiles episcopi arbitrarietates. Nam episcopi non sumus confirmati in gratia, nec infallibiles in nostris decisionibus, nec immunes ab omni sequela peccati originalis.[12]

Quoad presbyterium autem collective sumptum iam in antiquissima traditione apparet episcopo intime coniunctum *in regimine Ecclesiae,*[13] ut constat ex ipsis adnotationibus schematis de Ecclesia, *quas omitto.*[14]

Etiam illa celeberrima sententia S. Ignatii Antiocheni, qua tantum utimur, aliquando et abutimur, episcopi, nempe, « nihil sine episcopo », egregie loquitur de munere presbyterii in Ecclesia. Nam, ni fallor, sententia completa S. Ignatii Antiocheni ita sonat: « Nihil sine episcopo et eius presbyterio ».

Aliunde, haec doctrina de munere presbyterii in Ecclesia maxime consona est naturae Ecclesiae, nam *episcopi egent* [15] concursu presbyterii et quidem concursu plene personali et non tantum mechanico. Presbyteri debent enim esse vere collaboratores episcopi et non tantum executores. Concursus mere mechanicus non esset normali cursui institutionis humanae consonus.

Bonum commune exigit quidem in Ecclesia oboedientiam *subditorum,*[16] sed etiam activam eorum participationem. Et haec participatio activa presbyterii in Ecclesia dioecesana debet dari non in tantum quantum episcopus ea benigne velit uti, sed in quantum bonum dioecesis ea eget et presbyterium eam praestare possit ac debeat.

Tandem, presbyterium *sensu supra dicto* [17] videtur omnino necessarium *ad omnem improvisationem in actione pastorali vitandam et* [18] ad quamdam continuitatem in rebus magni momenti in Ecclesia dioecesana obtinendam, nam episcopus posset quovis momento vel a vita decedere vel ad aliam *sedem* [19] destinari, sed presbyterium manet.

His prae oculis habitis, ad modum conclusionis, haec proponere audeo. Ut in *Codice reformando* [20] haec *duo* [21] statuantur:

1. In unaquaque dioecesi statuatur — ad modum presbyterii — coetus *seu consilium* [22] presbyterorum, qui vere vitam dioecesanam cognoscant et ita veri episcopi consultores esse possint. Hic coetus *seu presbyterium* [23] efformari posset a sacerdotibus *qui* [24] Operum dioecesanorum curam ac responsabilitatem *gerunt* [25] et ab aliquibus aliis ab ipsis sacerdotibus directe designatis.

2 et ultimo. In rebus *maioris*[26] momenti, episcopus teneatur audire presbyterium, statuendo in unoquoque casu sive de consilio sive de consensu, eodem modo ac cum agitur de Capitulo, quod quidem, nostris temporibus, *non respondet*[27] necessitatibus et finibus supra dictis. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] sub duplici aspectu potestates seu facultates episcoporum augentur; statuitur nempe quaedam decentralizatio relate ad S. Sedem et. [3] ad activitates apostolicas. [4] deest. [5] clare. [6] deest. [7] presbyterorum. [8] sacerdotum. [9] attinet. [10] maximi momenti esset statuere aliquod medium quo legitime uti possent, tempore opportune, contra possibiles arbitrarietates episcopi. Nam episcopi non sumus confirmati in gratia. Nec infallibiles in nostris decisionibus. Nec immunes ab omni sequela peccati originalis. [11] deest. [12] deest. [13] deest. [14] Audiamus aliqua: « Presbyteros habeatis ut senatum Dei et concilium apostolorum ». « Presbyteri honorentur tanquam apostoli et consiliarii episcopi et corona Ecclesiae; sunt enim consilium et curia Ecclesiae ». « Cum episcopo presbyteri sacerdotali honore coniuncti ». [15] episcopus eget. [16] sacerdotum. [17] in hoc sensu. [18] deest. [19] dioecesim. [20] restructuratione C.I.C. [21] deest. [22] deest. [23] deest. [24] deest. [25] gerentium. [26] magni. [27] iam non satisfit.

14

Exc.mus P. D. EDMUNDUS NOWICKI
Episcopus Gedanensis

Venerabiles Fratres,

Omisso introitu, statim ad meritum propero.[1] Ad pag. 7, n. 1, ad lin. 21: ...[2] *fraterna ratio*[3] conversationis sacerdotum cum fidelibus utique *quam maxime*[4] commendandam *est.*[5] Re sane vera a laicatu valde desideratur. Nihilominus tamen laici, ab Ecclesia abalienatis vel immo atheis haud exceptis, in ratione se gerendi sacerdotis semper atque omnibus in circumstantiis praeprimis alterum Christum videre cupiunt.

Ut igitur verba illa schematis *in lin. 21*[6] ab omnibus sacerdotibus recte intelligantur, addantur verba: « In conversatione igitur cum fidelibus, nunquam obliviosus, se ipsis semper atque omnibus in circumstantiis Christum Dominum repraesentare, sit libenter » etc., iuxta schema.

III. Ad par. 9, n. 3, lin. 38, post verbum « oratio » addantur verba: « frequens, altera saltem quavis hebdomada, confessio apud stabilem de regula confessarium ». Ratio haec est: si in schemate cotidiana oratio *mentalis,*[7] recte quidem, specialiter signatur, eo magis in-

culcanda videtur maioris adhuc momenti frequens confessio ac quidem, apud confessarium stabilem, quae quidem praxis haud satis observatur magno cum causae Dei damno.

IV. Ad pag. 10, n. 4 et pag. 10 n. 5. Textus hi conferantur et coordinentur cum iis, quae habentur in schemate *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia* ...[8]. Rationes autem hae sunt:

a) imprimis, ne bis idem dicatur, sicuti nunc *habetur.*[9] *Unum saltem*[10] exemplum afferam: In schemate *de pastorali episcoporum munere* ...[11] legitur: « omnes sacerdotes dioecesani *uniti* inter se sint ». In praesenti vero schemate ...[12] idem statuitur iisdem fere verbis: « Singuli presbyteri confratribus suis *uniantur*... ».

b) *Altera ratio coordinationis istorum textuum est*[13] ut anomalia quaedam vitentur. *Exempla in scriptis tradam.*[14]

V. In genere ad rem notandum videtur sequens:

Cum speciale habeamus schema *de vita et ministerio sacerdotali,* aptius ac utilius in hoc praecise schemate colligantur praecepta ac monita vitam et ministerium cleri respicientia, quae dispersa inveniuntur sive in schemate *de pastorali episcoporum munere* sive in schemate *de Ecclesia.*

Idque eo magis, cum in schemate, cuius titulus *de pastorali episcoporum munere,* propositiones non episcopos sed directe et immediate *et unice*[15] sacerdotes respicientes, haud congruant cum praedicto titulo schematis.

Altera ex parte, ea, quae de episcoporum officiis habentur in schemate *de vita et ministerio sacerdotum* ...[16] aptius et utilius transferantur in textum schematis *de pastorali episcoporum munere.*

VI. Pag. 8 post n. 2. Addatur specialis numerus, in quo sacerdotibus clare ac perspicue exponatur, quonam modo sese gerere debeant in politicis nec non in ordine ad associationes laicales. Ratio est, cum causae illae sacerdotibus semper fere, nostris autem temporibus, in maiori saltem parte mundi, speciali quadam vi difficultates, periculosas quidem, provocent. Quapropter sacerdotes claris normis hac in re quam maxime indigent easque postulant.

Valde quoque utilia essent propositiones quaedam de ratione se gerendi sacerdotum in ordine ad proprias familias, ne scil. sese a familiis, consanguineis et affinibus abuti sinant. Exemplum lucidissimum hac in causa praestitit piae memoriae S. Pontifex Ioannes XXIII.

VII. Ad pag. 12, n. 10, lin. 37; loco « relicto » ponatur verbum « suppresso ». Ratio est, cum verbum « relinquere » haud synonymam habeat significationem. Re sane vero inter venerabiles Patres iam discu-

titur utrum verbum « relicto » in lin. 37 intelligendum sit eo sensu, quod systema sic dictum beneficiale ulterius conservandum sit an supprimendum.

Circa vero rem ipsam concors omnino sum, cum iis, quae iam *heri*[17] alius exc.mus Pater animadvertit, scil., institutum beneficii supprimendum esse, cum circumstantiis nostrorum temporum omnino haud adaequatum sit ac in maxima parte mundi realiter iam non vigeat. Quae tandem suppressio maxime consonabit cum iis, quae in nn. 11 et 12 proponuntur.

VIII. Pag. 13, lin. 4; loco « collata » ponatur verbum « constituta ». Ratio est, cum verbum « constituta » respondeat notioni canonicae ...[18], dum *verbum heic adhibitum*[19] « stabilis collatio » in ordine ad officia ecclesiastica univoco sensu iuridico carent.

IX. Pag. 13, n. 11, post lin. 23; addantur verba, *humili voto meo,*[20] quibus episcopo, audito Capitulo vel immo de consensu Capituli ...[21], potestas fiat, summam statuendi reddituum officii, ultra quam sacerdos non facit suam ...[22]. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] I. Imprimis notandum videtur, allocutionem (nuntium) S. Concilii Vaticani II ad sacerdotes totius mundi, ipsos confortantem, quam maxime exoptandam esse atque a clero universo magnopere exspectari. II. [2] Haud congruere, quod propositiones incipiant a themate de sacerdotum cum laicis conversatione, em.mus card. Meyer heri iam aperuit, hodie em.mus Ruffini confirmavit. In merito autem, quod ad textum in lin. 21, dicendum videtur. [3] fraternam rationem. [4] deest. [5] esse. [6] deest. [7] deest. [8] pag. 17, n. 26, linn. 17-21 ac pag. 17, n. 28. [9] fit. [10] Ut. [11] (pag. 17, n. 26, lin. 17). [12] (pag. 10, n. 4, linn. 13-14). [13] deest. [14] Exemplum sequens afferam: Vita communis, si in memoriam revocanda sit, praeprimis clero dioecesano inculcanda est. Nihilominus, ubi — in schemate *de pastorali episcoporum munere* — (pag. 17, n. 26), de sacerdotum dioecesanorum inter se confraternitate tractatur, ne verbum quidem fit de vita communi fovenda. Inculcatur autem vita communis in praesenti schemate, quod tractare dicitur de clero quoque non dioecesano, scil. religioso. [15] deest. [16] (e. g. pag. 10, linn. 10-13). [17] antea. [18] (can. 145). [19] verba heic adhibita. [20] deest. [21] seu consultorum. [22] maxime ad ea officia, quae hucusque beneficialia erant. Ratio est, cum secus propositio n. 11 theoretica remaneat. Insuper, collatis ac coordinatis cum iis de quibus in schemate *de pastorali episcoporum munere,* pag. 17, n. 26, linn. 17-21, addantur verba quibus sacerdotes moneantur, ne propria bona ex redditibus officii ecclesiastici orta, thesaurizent, ac ut, si quae nihilominus remanserint, absque mora valido testamento causis destinent piis. Ratio est, cum haec Ecclesiae immo Evangelii mens nimis negligatur, magno quidem saepe cum scandalo.

15

EXC.MUS P. D. AEMILIUS ČEKADA

Episcopus Scopiensis

Venerabiles Fratres,

Commissio de « disciplina cleri et populi christiani », cui officium incubuit iuxta animadversiones Patrum, anno elapso in aula conciliari prolatas, recognoscere primigenum textum schematis *de clericis,* suum nobis hodie laborem offert redactum et restrictum in 12 punctis novi schematis, quod *de vita et ministerio sacerdotali* inscribitur. Novus textus, quamvis nimis brevis pro materia tam grandis momenti, mihi placet, cum in eo continentur omnia, quae idonea sunt exprimere sublimitatem sacerdotii Christi eiusque gravissimum finem una cum mediis, quae ad hunc finem nos conducere valent. Attamen, quia in textu solum adumbrata sunt quaedam elementa, quae maiori praecisione indigent, liceat mihi sequentia animadvertere:

Ad nn. 1-3. Quod dictum est de sanctitate sacerdotis, quae est fundamentum et condicio vitae sacerdotalis iuxta exemplar Christi, quaeque ab omnibus sacerdotibus prosequenda et assequenda est, optime est dictum. Sed cur schema inter media ad hanc sanctitatem obtinendam ne uno verbo mentionem facit exercitiorum spiritualium, quae semper et schola et palaestra sanctitatis sacerdotalis ab Ecclesia considerata sunt? Non mihi opportunum videtur in hoc sollemni documento silentio praeterire istud medium per excellentiam aptum ad vitam sacerdotalem iuxta normam Evangelii componendam.

Sane, haec media strenue ac diligenter adhibenda erunt, quia sanctitati sacerdotali constanti vestigio hodie insidiatur spiritus malus, qui laicismum vel modernismum redivivum sat aperte redolet. Hic autem spiritus, proh dolor, in dies crescit et sensim sine sensu penetrat etiam aciem eorum, qui sancto Dei servitio mancipati sunt. Quid e. g. dicamus de istis sacerdotibus, qui in materia sexti praecepti iuxta sua placita, usque modo in doctrina Ecclesiae inaudita, reformare conantur principia theologiae moralis? Quid cogitemus de pastoribus animarum, qui fideles suos in confessionali instruere audent peccata voluntariae pollutionis non esse vera peccata sed tantum relaxationem naturae, vitali substantia oneratae? Nonne est ratio, ut sollicitudine occupemur circa hos sacerdotes, qui tali via homines Deo approximari somniantur?

Vel quid dicamus de istis sacerdotibus, ceterum — ut dicunt — piissimis, qui in sanctuarium conati sunt inducere puellas et iuvenes saltantes seu choros ducentes? Estne haec innovatio divino afflatu exorta?

Quid porro dicam de aliis, qui confessionem auricularem vel saltem eius integritatem in dubium vocant, seu de nonnullis, qui una cum quibusdam cultis laicis omnia ecclesiastica praecepta aboleri proponunt?

Nonne haec phaenomena, quamvis hic et nunc per modum exceptionis nobis occurrant, tamen sunt caracteristica signa temporis? « Cum autem videritis abominationem desolationis, stantem in loco sancto, qui legit, intellegat... » ...[1].

Non vellem, ut dicunt, generalizare. Tamen quaero: numquid talia ante triginta annos solum in mentem sacerdotis vel culti laici venire poterant?

Nonne haec facta, etiamsi singula, ad cautionem nos invitant? « fratres, sobrii estote et vigilate, quia adversarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit, quaerens quem devoret... » ...[2].

Concedatur mihi in contextu huius aliqua dicere etiam de vestimentis vel de vestitu sacerdotis. Certissime, vestimenta sacerdotis directam relationem non habent ad eius vitae sanctitatem. Tamen, cur in aliquibus terris vel regionibus sacerdotes libentissime vestitu laico utuntur? Cur omnem occasionem — opportune, importune — quaerunt, ut pellem suam deponant seque personis laicis plene conforment? Num vestimenta clericorum nihil dicere habent nostris fratribus in mundo, nostris filiis spiritualibus? Numquid pro nobis nullum tutamen nullumque praesidium significant?

Haec, quae increpanda putavi, et his similia in Ecclesia Christi et suaviter et fortiter reprimi debent, nisi velimus, ut processus laicisationis vitae christianae magis atque magis progrediatur et in hodierno mundo praeparet vias non reformationis, quam exspectamus, sed apostasiae, quam timemus? Principiis obsta!

Ad nn. 7-12. Paupertas evangelica in schemate omnino apte inculcatur et optime definitur. Non inconditionate ut effectiva paupertas, rigida et morosa, sed magis ut honesta sustentatio sacerdotis, qui ad vitam suo statu dignam et decoram ius habet. Huiusmodi paupertas ab omnibus sacerdotibus, non tantum eis, qui voto paupertatis obstricti sunt, observari potest et debet. Qui realem vel effectivam paupertatem in hac materia inculcare vellent, ne obliviscantur, talem paupertatem non raro in avaritiam verti. Sunt enim sacerdotes, qui non parce vivunt sed proximos suos in necessitate positos large iuvant ex eis, quae sibi supersunt. Sunt ex alia parte sacerdotes, qui realem paupertatem pro se strictissime observant, sed eodem tempore pecuniam thesaurizant non quidem ut patrimonium pauperum, quos torvis oculis aspicere solent, sed ut immeritam haereditatem eorum, maxime propinquorum, qui

nullam partem in suis laboribus apostolicis habuerunt. « Stulte, hac nocte animam tuam repetunt a te: quae autem parasti, cuius erunt? » ...[3].

Nemo dubitat, hos posteros minus Christo pauperi se conformasse quam primos.

Cetera, quae schema de aequa remuneratione clericis providenda, de eorum pensione necnon de massa communi bonorum in singulis dioecesibus constituenda enuntiat, optima sunt: iustitiam sapiunt, spiritum paupertatis fovent, caritati fraternae favent, ideoque omni consideratione digna sunt. Idem dicendum est de nova definitione beneficii ecclesiastici, quod ut tale, ut ens quoddam autonomum, si schemati fidendum sit, non existet. Abhinc ordo erit inversus: officio enim princeps locus tribuetur, non autem beneficio. Beneficium in futuro serviet officio iuxta notum axioma iuridicum: Accessorium sequitur principale.

Attamen omnium novarum rerum, quae per hoc schema inducendae sunt in vitam Ecclesiae, maxima laude digna est nova, amplior et generosior, conceptio incardinationis vel, rectius dictum, distributio cleri non tam iuxta criterium strictae proprietatis dioecesanae, quam iuxta necessitates obiectivas Ecclesiae universalis. Si multi unum corpus simus ...[4], numquid est aequum et iustum alios fame perire, alios autem nimia abundantia saturari?

Iam vobis, fratres carissimi, stans ad finem mei sermonis vale dico. Utinam nos omnes, qui a Christo dicti sumus lux mundi et civitas super montem posita, in dies magis splendescamus usque ad illuminationem scientiae claritatis Dei, in facie Christi Iesu ...[5]. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] (*Mt.* 24, 15). [2] (*1 Pt.* 5, 8-9). [3] (*Lc.* 12, 20). [4] (*1 Cor.* 12, 12). [5] (*2 Cor.* 4, 6).

16

Exc.mus P. D. MARCELLUS GONZALES MARTIN

Episcopus Asturicensis

Venerabiles Patres,

...[1] Vellem tantum aliquid innuere quod, si acceptum fuerit, *forsitan fructuosius redderet nostrum schema de sacerdotibus.*[2]

Et *in primis,* consideratio generalis sit ista. Sicut Concilium Tridentinum erexit Seminaria ad formationem clericorum, quorum momentum et utilitas pro Ecclesia nunquam satis perpendentur, ita Concilium nostrum intendere deberet non tantum normas proferre et desideria

elicere, sed Institutiones erigere ad post-Seminarium pertinentes in quantum fieri possit. Institutiones — dixerim — quae de vita sacerdotali curent modo stabili, fixo, ordinato. Variae rationes adduci possunt quae ostendunt hoc esse necessarium:

1. Quia advenit, ut dicimus, et utinam cito adveniat!, epoca laicatus. Sed quo frequentior et fortior sit actuatio laicorum in Ecclesia, eo intensior et vividior debet esse capacitatio, semper actualis, clericorum. Quid, licet omnes tanti aestimemus actionem laicatus, quid laici possunt facere sine sacerdotibus?

2. Ex ipsa conditione psychologica hominis hodierni et etiam clericorum nostrorum. Quin obliviscamur unquam sanctas leges disciplinares, certum est quod potius attendere debemus ad gignendas et renovandas intimas convinctiones in animo eorum qui sese Dei servitio dederunt.

Dolendum est quod lamentabiles defectiones quae aliquando acciderunt, potuerint vitari, si opportuniores extitissent institutiones in vita organizata clericorum ad eas praecavendas.

3. Quia, si sinceri sumus, nescio quomodo animus noster tranquillus esse possit cum petimus a sacerdotibus vitam adeo sanctam per longam seriem annorum, in conditionibus adeo difficilibus, non eis offerentes institutiones aptas ad vires spiritus et mentis reficiendas.

Ideo, in schemate nostro, licet non sit possibile descendere ad nimis concreta, forsan conveniens sit loqui pressiore et magis impellenti modo ut porta maneat aperta et animus noster urgeatur ad promovendas institutiones in favorem vitae sacerdotalis. En sequentia quae reverenter propono:

A) In n. 2 petitur a sacerdotibus ut vivant iuxta Evangelium Christi, in paupertate, caritate, *castitate,*[3] oboedientia. Ad hoc facilius reddendum peto ut dicatur: « Curent episcopi ut associationes ...[4] promoveantur sub unica auctoritate ipsius episcopi, ad fovendam vitam perfectionis inter sacerdotes dioecesanos iuxta consilia evangelica, similia eis iam existentibus in aliquibus dioecesibus ».

B) Ad nn. 5 et 6. Agitur in his numeris de capacitatione in studio et praxi pastorali continuo perficienda et renovanda. Melius esset *forsan*[5] si diceretur « Curent conferentiae episcopales vel episcopi alicuius territorii, uniti inter se, de instituendis convictoriis sacerdotalibus, at non immediate postquam ordines sacri suscepti fuerint, sed post aliquos annos exercitii ministerii ».

Puto convictoria hodie existentia *quae sunt quasi continuatio vitae seminarii paucos fructos afferre.*[6]

Est post aliquos annos, sex, octo, decem, plus minusve, cum sacerdotes, experientiam iam habentes et crises diversas passi, egent quamplurimum criteria sua, mentem, voluntatem, iterum coram Christo et conscientia sua recogitare, in ordine ad maiorem habilitationem in munere suo pastorali exercendo. Desideratur aliquid *simile... simile dico, non aequale*[7] simile *anno tertiae probationis* qui in quibusdam Institutis Religiosis viget, licet duratio non protrahatur per annum ...[8].

C) Ad n. 8. *De distributione cleri.* Necessaria sunt quae dicuntur. Sed non sufficiens est dicere « Seminaria internationalia instituantur, etc. ... ». A quibusnam debent institui? Dicatur melius: « Conferentiae nationales episcoporum conveniant inter se ad hoc faciendum et modo realistico procedant ». Hoc dico quia sunt nationes, *hodie adhuc... adhuc...*[9] e. g. in Hispania, in quibus singulis annis plus quam *mille alumni et forsan*[10] duo millia alumnorum nequeunt ingredi in seminaria *vel quia non sunt necessarii in dioecesibus in quibus dantur, vel*[11] ob defectum loci, vel ob defectum auxilii oeconomici. Cur hoc, cum in aliis nationibus media abundantiora dantur quorum ope hoc vitari posset?

4. Denique. Deest in schemate, aliqua referentia positiva, clara et concreta ad quamdam quaestionem maximi momenti pro sacerdotibus, nimirum, eam de praevisione sociali ad subveniendum infirmitatibus, penuriae oeconomicae, senectuti, etc. De hoc locuti fuerunt iam Pius XII et Ioannes XXIII. Dicatur etiam: « Curent conferentiae episcopales de opportuna organizatione nationali et internationali praevisionis socialis in favorem sacerdotum ».

Haec omnia, aliaque similia, si dicerentur in nostro schemate modo magis urgente, ne periculum subeant manendi tamquam pura desideria, multum iuvarent ad vitam sacerdotalem fovendam. *Et, ne obliviscamur hoc, Patres venerabiles, fructus nostri Concilii ex maxima parte pendet ex sacerdotibus.*[12] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Schema de sacerdotibus, licet breve, multa continet quae, si in praxim deducantur, magnos fructus afferent Ecclesiae. Praeterea, quae hic dicuntur arctam unionem habent cum eis quae in schemate *de Ecclesia* et in illo *de episcoporum munere* asserta manent respectu sacerdotum. Ideo complexive sumpta haec omnia offerunt tractationem valde completam de sacerdotio et de sacerdotibus. [2] ditaret magis schema, ni fallor, illudque fructuosius redderet. [3] deest. [4] vel instituta. [5] deest. [6] paucos fructus afferre, et ratio praecipua est quod considerantur quasi continuatio vitae seminarii. [7] deest. [8] Simul cum hac institutione valde utilia essent alia quae proponuntur; secus, non proportionata erunt necessitatibus exsistentibus. [9] deest. [10] deest. [11] deest. [12] deest.

17

EXC.MUS P. D. LEONIDAS PROAÑO VILLALBA
Episcopus Rivibambensis

Venerabiles Patres, dilectissimi Sacerdotes,

Iterum dolendum est quod Concilium nostrum Vaticanum II modo ampliori non egit circa presbyterium, in aliquo constitutionis *de Ecclesia* speciali capite, sicuti de episcopis, de religiosis, de laicis rite actum est.

Hac ratione, doctrina theologica de presbyteris disseminata apparet in multis documentis et presbyterium videtur quasi in dimidia umbra derelictum. Et nunc adhuc, in schemate de quo agimus, indiscriminatim et inordinate normae exponuntur circa vitam et ministerium sacerdotum.

Eadem ratione, quamvis peroptimas normas contineat, attamen schema neque lucem neque vitam habet quae eum informare debent.

In hoc sensu, liceat mihi aliquas generales animadversiones exponere circa huius schematis structuram.

1. Non solum acceptabile, sed etiam laudabile atque necessarium est proponere normas et exigentias « communes omnibus qui charactere sacerdotali ornantur ». Sed ut sensum, et unitatem, et vitalitatem acquirant in practica, primo loco exponendum est in quo consistat vita spiritualis sacerdotum. Nonne agitur in schema *de vita et ministerio sacerdotali?...* De qua vita?... de vita materiali?... de vita sociali?... de vita culturali?... Etiam. Sed imprimis, de vita spirituali, de qua oriri debet vita ministerialis et ad quam ordinanda est vita materialis et socialis et culturalis.

Ergo, primum vitam insufflare, postea normas agendi conficere, debemus. Et schema in hoc sensu *restructuretur.*[1]

2. Sed non omnes sacerdotes eumdem genus vitae gerunt. Et inter eos, sacerdotes cum cura animarum attentionem specialissimam egent et spectant circa principia et normas vivendi et agendi; quia non ducunt, sed nec possunt ducere nec debent, vitam monasticam vel quasi monasticam. In mundo sunt, etsi non sint de mundo, et ad servitium animarum, die ac nocte, semper parati esse debent. Sacerdotes cum cura animarum et nosmetipsi episcopi vitam interiorem fortiter, perseveranter, studiose colere debemus, sine qua activitas, etsi nominetur apostolica, vacua est et in vacuum evadit. Sed problema maximi momenti est et difficillimum invenire modum ita vivendi et agendi quod neque vita noceatur spiritualis neque activitas vere apostolica. Maximum aequilibrium est necessarium. Quid faciendum ad eum acquirendum? Ubi quid

dicitur in schemate de specifica sacerdotum cum cura animarum spiritualitate?

Quaerenda ergo, et invenienda sunt fundamenta et signa specifica horum sacerdotum spiritualitatis et ea in hoc schemate apponenda.

Optandum est etiam saltem unum verbum dicere de coetibus sacerdotalibus, hispanice « equipos », ut medium aptissimum ad fovendam et sustentandam vitam spiritualem et alios fructus magni momenti conquirendos.

3. Sub talium fundamentorum luce, normae de quibus agitur magis lucidae erunt, bene capientur et, ut dicunt, veram viventiam habebunt, tam relate ad Ecclesiam universalem, quam ad dioecesim propriam et eius episcopum, etiam ad seipsos sacerdotes et ad fraternitatem inter se, et ad usum bonorum temporalium, et ad fideles omnes, speciatim laicos, et ad mundum hodiernum.

Non esset opportunum a Summo Pontifice humiliter postulare quod tituli mere honorifici deinceps amplius ne concedantur, ut haec causa invidiarum et divisionum inter sacerdotes tollatur?

4. Tam magni momenti sacerdotes functionem exercent in aedificatione Corporis Christi, quod, sine eorum concursu generoso, intelligenti et supernaturali, magna pars huius Concilii doctrinae non eveniet ad applicationem practicam. Dicitur theologorum esse Concilii principia enucleare; episcoporum eadem principia discutere et, cum Summo Pontifice, approbare, et postea, ad realitatem concretam applicare. Sed episcopi, sine concursu sacerdotum, quid faciemus?... In practica, sacerdotes erunt vere operarii qui Concilium facient ...[2].

Denique, ut concludam, permittatis mihi, venerabiles Patres, notum vobis facere gaudium magnum.

In n. 6 schematis, institutio commendatur: « cursuum pastoralium vel centrorum ad pervestigandum de re catechetica, homiletica, liturgica, sociologica, etc. ». Notum vobis facio, Patres, CELAM, i. e., Consilium Episcopale Americae Latinae, decem servitia constituisse, inter quae Instituta catechetica et, ultimo, Institutum Pastoralem « itinerantem » dictum, ad servitium omnium nationum Americae Latinae excogitatum, omnium sacerdotum, Religiosarum et laicorum aggiornamentum intendentem, circa scientiam et artem pastoralem secundum doctrinam et spiritum novum Concilii huius.

Institutus Pastoralis primas experientias, magno cum fructu, praesertim in natione Aequatoriana, ubi cursum pastoralem completum dedit, ad finem duxit. Et compromissum iam habet identicos cursus ad finem ducere in Peruvia, in Columbia, in Mexico, in America Centrali, in Bolivia.

Haec vobis dico, ut nobiscum gaudentibus etiam et vos gaudeatis. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] structuretur. [2] Quare ergo in schemate nihil dicitur circa sacerdotum missionem in applicanda Concilii doctrina? 5. Anno praeterito, cum plausu omnium Patrum, locutum est de nuntio sacerdotibus mittendo, ad stimulandum eos et eorum laborem saepe obscurum, semper sacrificatum, quantoties diversis et multis periculis obnoxium. Adhuc tempus et occasionem propitiam habemus.

18

Exc.mus P. D. ERNESTUS CORRIPIO AHUMADA
Episcopus Tampicensis

Venerabiles Patres et Fratres,

...[1] De tribus postremis propositionibus agam, quae sub nn. 10, 11 ac 12, quae intime inter se coniunguntur.

Signa temporis hodierni necnon necessitas novorum inceptorum in vita pastorali exigit modificationem in actuali legislatione relate ad beneficia et officia in Ecclesia. Systema enim subordinans officium beneficio causa saepe est plurimarum difficultatum inter illos sacerdotes qui participant in iuribus, quae concedit beneficium, in ordine oeconomico, sacerdoti eo fruente. Ex quibus habentur consectaria funesta in ordine caritatis, et nonnumquam vel in spirituali, cum imminuant unionem et concordiam quae existere debent inter providos cooperatores ordinis episcopalis ...[2].

Nemini latet esse regiones in orbe, ut plurimae dioeceses Americae Latinae et aliorum locorum, praesertim ubi Gubernium civile non subvenit Ecclesiae ministros, in quibus magna disproportio adest inter beneficia paroecialia, improportiones quae creant claras diversitates classium inter ipsos sacerdotes, quae quidem, proh dolor, non constituuntur in ordine virtutis aut scientiae sed in ordine reddituum oeconomicorum qui e beneficiis proveniunt. Invenimus nempe parochos qui difficulter obtinent e beneficio quae necessaria sunt ad honestam sustentationem dum alii copiosis bonis temporalibus fruuntur.

Certe quidem solutio huius problematis est in vita sacerdotali spiritu vere supernaturali peracta, sed saepe vita tali spiritu non imbuitur a sacerdotibus qui sentiuntur muniti iuribus quae ipsis dant beneficia.

Praeterea prae oculis habendum nobis est quod ad virtutem colen-

dam necessarium est minimum tranquillitatis atque saltem sese sentire liberum ab anxietatibus oeconomicis in rebus necessariis ad vitam.

Cum solutio huius problematis attinet ad episcopum, opus est ut iste habeat aliquod medium sufficiens et efficax ad sacerdotum necessitates subveniendas atque ad urgendos illos sacerdotes, qui emolumenta maiora necessariis accipiunt, ut cooperentur in bonum dioeceseos. Hoc medium, meo humili iudicio, est efformatio massae communis bonorum. Utinam explicite manifestetur quod unum ex praecipuis elementis in tali massa efformanda sint redditus paroeciarum divitum. Si hoc explicite in legislatione Ecclesiae sit, Ordinarius loci habebit medium optimum ad subveniendas necessitates sacerdotum.

Praeterea cum Ecclesiae ministros sint homines, subiectos infirmitati, accidentibus et aetati, necesse est ut habeat illas formas protectionis, adsistentiae et securitatis in favorem sacerdotum quae in omnibus institutis civilibus existunt pro eorum membris.

Ecclesia in suo magisterio loquitur circa protectionem hominum in diversis speciebus laborum praesertim vitae securis sive personalibus sive familiaribus; et ordinarie in ipsa, inter suos ministros, nihil fit ad hoc obtinendum.

Ast ut episcopi possimus quid facere in hac re tam momentosa in favorem nostrorum sacerdotum, necesse est ut frui possimus hac massa communi bonorum. Quam ob rem proponere audeo ut cum commissio specialis laboret in revisione Codicis Iuris Canonici, clare determinetur et efformatio massae communis in unaquaque dioecesi et inter eius elementa ut praecipuum enumeret bona paroecialia excedentia summae pecuniae quam episcopus dioecesanus assignet sacerdoti cui commissa sit paroecia. Concludo:

1. Unum e praecipuis intentis Concilii Vaticani II est fovere unitatem Ecclesiae Christi, hinc in primis curanda est haec unitas in sinu ipsius Ecclesiae, ita ut semper magis roboretur et caritas augeatur in ministris Ecclesiae seu in sacerdotibus; ad quod obtinendum non parum confert abolere disparitates in re oeconomica inter ipsos sacerdotes, quae suum originem repetunt ab actuali systemate beneficiorum ecclesiasticorum.

2. Ecclesia, praeco iustitiae et caritatis socialis, maximi in corde habere debet ut omnes sacerdotes frui possint iis bonis adsistentiae ac praevidentiae socialis quibus nostris temporibus instituta civilia suos laboratores muniuntur.

3. Recte in propositione 12 indicatur medium aptissimum, quod massa communis bonorum ...[3] est, ut episcopus posset subvenire solu-

tioni problematis inaequalitatis oeconomicae sacerdotum ac praebere iisdem media adsistentiae et praevidentiae socialis.

3. Optandum est ut massa communis constituatur praecipue ex ingressibus paroeciarum atque ut episcopus determinet in favorem parochorum aliquam pecuniae summam adaequatam dignitati ac gravitati uniuscuiusque paroeciae. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Schema *de vita et ministerio sacerdotali* continet. in brevitate ad quam ex explicita indicatione commissionis « de Concilii laboribus coordinandis » reductum fuit, ea quae in schemate *de sacerdotibus* aderant, et in suis 12 propositionibus nobis offert normas ditissimas ut obtineatur in sacerdotibus renovatio ita desiderata a Concilio Vaticano II. [2] scil. inter sacerdotes. [3] dioecesis.

19

Exc.mus P. D. LAUREANUS CASTAN LACOMA

Episcopus Seguntinus-Guadalajarensis

Venerabiles Patres, dilectissimi Sacerdotes,

In hoc Concilio quod, ut saepe dictum est, *finis pastoralis potissimum quaeritur*,[1] magni momenti est schema hoc, de sacerdotum vita et ministerio. Ideo, quaecumque in illo dicuntur ad cleri sanctitatem zelumque excitandum atque fovendum valde mihi placent.

Moderator: Patres conciliares, enixe rogantur ut stent in suis locis.

Orator: Attamen ego vellem — candide fateor — plura hac de re dici! Ideo, ut hoc documentum quantum fieri possit perficiatur, unam praecipue animadversionem, at non parvi, ut credo, momenti commissioni proponere audeo.

In decursu huius schematis diversa proponuntur sacerdotibus media ad sanctitatem acquirendam et apostolicum ardorem fovendum: meditatio, devotio erga B. Mariam Virginem, etc. Sed media haec pauca et fere omnia « individualia » sunt — parcite verbo — si ea quae in n. 4 dicuntur excipiamus ...[2].

Haec sunt optima, sine dubio, at certo insufficientia; quare oportet ut in hac re commendentur sacerdotibus media socialia, scil. consociationes *et institutiones*[3] sacerdotales: *consociationes*[4] pro intensiore vita spirituali fovenda, ...[5] pro apostolatu ac missionibus stimulandis, ...[6] pro ecclesiasticis scientiis colendis, ...[7] pro eorum sociali securitate curanda, intra ambitum vitae dioecesanae. Similiter institutiones ...[8] dioecesanae

tum pro sacerdotibus iunioribus, tum pro praxi recessus spiritualis menstrui ac exercitiorum spiritualium singulis annis, tum pro renovatione in re pastorali, tum pro sacerdotibus senioribus, aegrotis, *aut lapsis.*[9]

Rationes propter quas hae sacerdotales consociationes et institutiones promoveri debent sunt potissimum sequentes:

a) Sacerdotes dioecesani constituunt presbyterium, quod sine dubio character habet communitarium. Ideo spiritus communitarius fovendus est in clero, tam relate ad propriam sanctitatem adipiscendam quam relate ad incepta apostolica. Iam vero, hic communitarius spiritus maxime fovebitur ope harum consociationum et institutionum sacerdotalium.

b) Teste Ioanne XXIII, in dies invalescit in mundo hodierno sic dicta « socialisatio », seu relationum socialium incrementum. Vi huius socialisationis, homo individuus minus de die in diem valet ante societatem erga vires aliorum hominum consociatas, maxime si utuntur, uti nunc passim fit, mediis potentissimis communicationis socialis. Contra animae et Ecclesiae hostes, qui non raro his potentissimis mediis utuntur, non plene sufficiunt media individualia, sed magnae utilitatis sunt media socialia de quibus est sermo.

c) Tandem, sacerdotes saepissime propter exigentias sui ministerii paroecialis aut missionarii, in maxime ardua solitudine, et materiali et spirituali, vivere coguntur, quae solitudo non spernendum periculum pro sua vita spirituali ac apostolica constituit. Iam vero, sacerdotibus in hac solitudine constitutis, media ac remedia individualia insufficientia evadunt, unde fit ut mediis etiam socialibus iuvandi sint.

Iam igitur, in nostro schemate fere nihil dicitur de his mediis communitariis, quod etiam contigit in Codice Iuris Canonici.

In hac aula conciliari nonnulli Patres venerabiles conquesti sunt de quibusdam abusibus clericalismi. Circa nostram ...[10] quaestionem potius dicendum esset dari quaedam species « laicalismi ». Etenim, in canonibus ubi de clericis sermo fit, nec unum verbum invenitur de consociationibus sacerdotalibus ...[11]. E contra, quando de laicis est sermo, plures consociationum formae explicite recognoscuntur, ita ut pro consociationibus sacerdotalibus ad canones de laicis recurrendum sit.

Nemo est autem qui non videat conditionem, necessitates, circumstantiae vitales pro sacerdotibus omnino diversas esse ab iis in quibus laici versantur. Aliunde, teste experientia, in multis nationibus exurgunt diversi motus sacerdotales qui, Spiritu Sancto impellente, ut videtur, Christi ministros excitant ut, viribus coniunctis, altiores sanctitatis metas sibi assignent et ardua apostolica incepta aggrediantur. Iam vero, pro his motibus sacerdotalibus nulla in Codice adest canonica via, nullus

in nostro schemate est stimulus. Num hi sacerdotes bonae et optimae voluntatis a nobis episcopis in Concilio coadunatis relinquendi sunt sine consilio et sine via? Nonne si silentium hierarchiae in hac re protrahitur timeri potest ut haec optima initia prava deviatione pervertantur? Nobis episcopis officium adest probandi spiritus, si ex Deo sint, *nostrorum sacerdotum at etiam spiritus non extinguendi,*[12] et curandi ut sacerdotes nostri in propria dioecesi inveniant omnia media quae pro ipsorum bono spirituali, culturali ac materiali necessaria sunt.

Ideo, ut his necessitatibus et difficultatibus et conditionibus, tam diversis ab iis in quibus laici versantur subveniatur speciales canones et institutiones condendae sunt ...[13]. *Unde, adhaerendo iis quae iam a duobus episcopis perspecte dicta sunt, cum omni humilitate petere*[14] audeo ut in fine n. 4, haec aut similia verba addantur: « Hanc autem vitam communem episcopi sacerdotibus iunioribus, si opportunum videatur, per aliquot annos praecipere valeant. Curent etiam bono culturali at spirituali sacerdotum consulere per peculiares conventus ac spirituales secessus pluries in anno celebratos sub moderamine sacerdotum apostolicorum, ita ut saltem his occasionibus sacerdotes qui sponte velint beneficiis directionis spiritualis ac doctrinalis frui possint. Non negligant episcopi quotannis sacerdotes coadunare pro praxi exercitiorum spiritualium et pro renovatione in re pastorali. Foveant simul et invigilent episcopi consociationes sacerdotales, sive pro spirituali vita, etiam usque ad perfectionis statum fovenda, sive pro apostolatu ac scientia stimulandis, sive pro ipsorum sociali securitate curanda, integra tamen manente in hac re sacerdotum *plenissima*[15] libertate. Commissio autem iuri canonico recognoscendo peculiares condat canones in quibus de hac re fundamentales normae stabiliantur, et bono communi dioecesis ac episcoporum iuri satis fiat ». Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] finem pastoralem potissimum habet. [2] In hoc loco, postquam de caritate ac cooperatione in spiritu fraternitatis sermo factus est, sacerdotibus vita communis commendatur. [3] deest. [4] sive. [5] sive. [6] sive. [7] sive. [8] quaedam. [9] deest. [10] vero. [11] Unicum corpus sacerdotale a Codice modo explicito acceptatum est Capitulum cathedrale aut Collegium Canonicorum. De aliis consociationibus pro sacerdotibus siletur. [12] deest. [13] In principio n. 4 huius schematis statuitur: « Episcopis bonum corporale et spirituale cooperatorum suorum pro viribus cordis sit ». Principium hoc est optimum, certo certius, sed nimis indeterminatum. Omnes autem nos audivimus quod ex indeterminato nihil sequitur. Unde opportunum videtur hic pressius determinare consociationes institutiones quae bonum cum materiale tum spirituale sacerdotum valde fovere possunt. [14] Ideo cum omni humilitate proponere. [15] plena.

Secretarius generalis: Cum numerus loquentium nondum exhaustus sit, suffragatio praedicta pro crastina, iussu moderatorum, differtur in diem ab ipsis moderatoribus definiendam.

Moderator: Congregatio generalis proxima habebitur crastina die, hora nona.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: Reponatur Sacrosanctum Evangelium.

CONGREGATIO GENERALIS CII
15 octobris 1964

CONGREGATIO GENERALIS CII

15 octobris 1964

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, arch. tit. Samosatensis, *Ss. Concilii secretarius generalis*:

Em.mus ac rev.mus D. card. Petrus Gregorius Agagianian moderatur hodiernam centesimam secundam congregationem generalem.

Et nunc audiatis, Patres ornatissimi atque patientissimi! Iam ab initio huius Concilii, et praesertim ab initio huius tertiae periodi, multae perveniunt ad nostram secretariam petitiones pro adsistendo sacrae celebrationi Missae. Et nostra secretaria, per exc.mum et patientissimum D. subsecretarium, petitionibus fere omnibus, immo omnibus, satisfecit, etiam secundum instantias Patrum. Nam bonum videbatur ut fideles adessent huic spectaculo magnifico celebrationis sacrae. Sed quid factum est, et quid fiet? Quod forsan Basilica Vaticana non erit amplius capax continendi omnes qui petunt adsistere sacro. Verbi gratia, pro crastina habentur iam quingentae petitiones. Si ita progredimur, erunt numerosiores fideles quam Patres!

Aliquid simile, sed mensura minore, factum est pro permissionibus ut adsistatur congregationi generali. Etiam in hoc campo habemus plures petitiones adeo ut peculiaris officialis fere hunc unicum laborem faciat conficiendi tesseras, et secretarius generalis multum insumere debeat temporis in subsignandis petitionibus. Etiam circa hoc, hoc criterium secuti sumus: quod bonum esset ut sacerdotes aliqui insignes, commendati a suo episcopo, et etiam aliqui laici, item commendati a suo episcopo, adessent congregationibus generalibus praeter Auditores et Auditrices. Sed etiam hic crescunt desideria. Verum quidem est, Patres venerabiles, quod spectaculum facti sumus mundo, angelis et hominibus, et fere nullum latet secretum. Attamen spectat ad secretariam generalem limitare has adsistentias, ut ita dicam. Et ratio patet.

Quapropter, et haec est conclusio totius fabulae, rogamus vos vehementer, Patres patientissimi, ut illas petitiones ex gravi causa faciatis — non gravi, sed iusta causa faciatis. Et praesertim stetis praescriptionibus subsecretarii, qui dies designabit in quibus possit permissio dari. Hac ratione numerus uniuscuiusque diei est limitatus et ex ordine omnia fient, et praesertim nos incipere poterimus congregationes generales

maturiore tempore, quin exspectemus exitum — exspectemus patientissime exitum — illorum qui permissionem acceperunt.

Mihi parcatis, Patres patientissimi, sed ego scio Concilium esse opus patientiae, et in nostra patientia possidebimus animas nostras. Gratias!

En igitur nomina eorum, qui loqui postulaverunt circa schema *de vita et ministerio sacerdotali* adhuc: em.mus D. card. Bernardus Alfrink, arch. Ultraiectensis in Hollandia; exc.mi DD. Ioseph Köstner, ep. Gurcensis in Austria; Henricus Jenny, ep. aux. Cameracensis in Gallia; Gregorius Modrego, arch. Barcinonensis in Hispania; Ioannes Gugić, ep. aux. Ragusinus in Jugoslavia; Victor Sartre, arch. tit. Beroensis; Iacobus Flores, ep. Barbastrensis in Hispania; Adam Kozlowiecki, arch. Lusakensis in Rhodesia Septemtrionali; Ioannes Guyot, ep. Constantiensis in Gallia; Samuel Gaumain, ep. Munduensis in Tchad; Raphaël Calabría, arch. Beneventanus in Italia; Helladius Vicuña, ep. Chillanensis in Chilia; Henricus Angelelli, ep. aux. Cordobensis in Argentina.

Notitiae, venerabiles Patres, circa canonizationem, quae peragetur dominica proxima, dabuntur crastina. Gratias.

1

EM.MUS P. D. BERNARDUS CARD. ALFRINK
Archiepiscopus Ultraiectensis

Venerabiles Patres,

Quamvis textus emendatus huius schematis, dicti *de vita et ministerio sacerdotali,* laudabilem progressum secumferat relate ad priorem textum « de sacerdotibus », non videtur tamen plene nec sufficienter correspondere exspectationibus quas sacerdotes hodierni iure et merito de Concilio in mente et in corde habent, quia imago sacerdotis et imago sacerdotii in mundo huius temporis vix depingitur nec clarescit.

Ex una parte varia themata proponuntur — speciatim in nn. 8-12 — quae de facto non tam sacerdotes tangunt quam episcopos, ita ut melius suum locum habere possunt in decreto *de pastorali episcoporum munere,* uti v. g. quae de cleri distributione, de beneficiis, de aequa cleri remuneratione et de massa communi in singulis dioecesibus constituenda dicuntur.

Et ex altera parte — et hoc videtur gravius — diversae quaestiones quae tempore hodierno multos sacerdotes premunt, immo incertitudinem

et anxietatem suscitant, in nostro schemate aut non tractantur aut — si tractantur — superficietenus tantum explanantur.

1. Inter quas quaestiones prima videtur, quomodo in conditionibus hodiernis Ecclesiae et mundi cura animarum exstruenda sit. Renovata et dilatata cognitio Ecclesiae sui ipsius, renovata cognitio missionis Ecclesiae in mundo moderno, nova visio quoad significationem mundi relate ad regnum Dei, necnon demum nova mentis attitudo oecumenica et missionaria, haec omnia — inquam — evocant multa problemata pastoralia relate ad curam animarum, speciatim paroecialem. Insuper apostolatus, quem Concilium laicis adscripsit tam in Ecclesia quam in mundo, secumfert necessitatem alicuius reflectionis novae quoad munus et officium sacerdotale.

Quam ob causam videtur necessarium ut in nostro schemate (v. g. in novo numero inter Prooemium et n. 1) detur descriptio munerum pastoralium sacerdotis hodierni, in qua ratio habeatur variorum respectuum missionis Ecclesiae, quales hi discussi sunt vel adhuc discutientur in hoc Concilio, quod libenter vocamus pastorale.

2. Deinde, licet in n. 4 aliqualiter sermo sit de « cooperatione » inter sacerdotes, haec cooperatio videtur nimis obiter et leviter tractata. Nonne fortius et gravius ibi necessitas sic dictae « planificationis » pastoralis esset exprimenda, ita ut in determinatis regionibus concerta voce consilium commune capiatur et exerceatur relate ad problemata pastoralia communia, in quod consilium commune etiam laici in variis suis provinciis periti, qui curae pastorali maximae utilitatis esse possunt, advocandi essent. Per quod commune consilium pastorale etiam munus et significatio decanatus seu vicariatus forensis relate ad curam animarum novum requirere posset momentum. Sic forsan obsoletae structurae curae pastoralis derelinquentur et spatium invenitur methodis et experimentis pastoralibus novis.

3. Demum, sensus caelibatus sacerdotalis ampliore modo explanandus videtur quam nunc de facto fit in n. 2. Crisim quae in hac materia exorta est in variis conditionibus, Concilium nostrum praeterire nequit. Etiam si Concilium nostrum omnia problemata solvere nequeat, tamen appareat quod Patres Concilii haec problemata vident et cognoscunt. Nexus inter caelibatum et munus sacerdotale amplius biblice explanari deberet et Sacra Traditione illuminari, habita ratione difficultatum huius temporis et modi cogitandi hominum in mundo hodierno. Et forsan Ecclesia in hoc schemate quaedam addere posset, quae sacerdotibus nostris, qui caelibatum in onus experiuntur, consolare et fortificare posset.

Permultis Patribus persuasum est, ut schema hoc prout stat in ho-

diernis temporis adiunctis vix publici iuris fieri possit, quin spes et exspectationes sacerdotum nostrorum graviter et amare frustrentur.

Ideoque sperant ut commissio quae hoc schema praeparavit, ex suggestis et emendationibus in hac aula prolatis et ex modificationibus quae ad suffragationem adiungentur, textum exarare valeat qui omnibus nostris fratribus sacerdotibus consolatio esse possit, solamen, confirmatio et novae spei fundamentum. Dixi.

Animadversiones additae:

Pag. 7, *Prooemium*: post lin. 9 addatur: « praesertim, quia multae condiciones, uti sunt: renovata et dilatata conscientia Ecclesiae suiipsius, renovata cognitio missionis Ecclesiae in mundo moderno, nova visio relate ad significationem mundi per respectum ad Regnum Dei, necnon nova attitudo mentis oecumenica et missionaria, evocant multa problemata relate ad curam animarum, speciatim paroecialem. Quibus omnibus evenit, quod ministerium sacerdotale coarctari nequit ad ministerium verbi et sacramenti ». *Ratio*: oportet addantur novae dimensiones in quibus hodie ministerium sacerdotale intravit. Secus hae « propositiones » tantum aliqua communiter nota et iam practizata declarant et schema fit mere « moralisticum », dum de facto agitur de nova condicione pastorali totius vitae sacerdotalis. Insuper iuvat, ut in hoc ipso Prooemio descriptio daretur munerum pastoralium sacerdotum.

N. 2, pag. 9, lin. 3. Post verba « in Christo acquirant » addatur: « Licet S. Scriptura, illuminante traditione, nullum nexum necessarium seu cogens inter caelibatum et sacerdotium demonstrat, indicat tamen intrinsecam aliquam aptitudinem et inclinationem sacerdotii, qua muneris ecclesiastici, ad sacrum caelibatum, ita ut Ecclesia hunc caelibatum, libere acceptatum, in condicionem generalem vitae sacerdotalis urgere possit. Quodsi propter determinatas circumstantias matrimonio coniuncti ad presbyteratum admittantur, in hoc Ecclesia ducitur rationibus praesertim pastoralibus, salvo manente lege sacri caelibatus ». *Ratio*: Concilio non licet silere exceptiones quas de facto Ecclesia fecit. Insuper non sufficit dicere quod Ecclesia « etiam iubet » (pag. 9, lin. 38) sacrum caelibatum, sed oportet honeste indicetur quod iure divino tantum « nexus inclinationis » seu « nexus idealis » adest inter sacerdotium et caelibatum, quo ratio reddi potest tam legi ecclesiasticae iubenti caelibatum quam exceptionibus et dispensationibus a tali lege.

N. 4, pag. 10, lin. 24: addatur: « Haec quidem confraternitas praesertim etiam in ipso apostolatu sacerdotali manifestetur oportet, v. g. in " planificatione communi ", duce episcoporum, activitatis pastoralis, in qua quidem sacerdotum cum laicis conversatio (de qua n. 1) locum suum habere potest convocatione laicorum in sua provincia peritorum ad commune consilium " planificationis " pastoralis. Hoc faciendo forsan obsoletae structurae curae pastoralis derelinquentur, spatiumque daretur experimentis pastoralibus novis ». *Ratio*: 1) Confraternitas, de qua agit n. 4, fere unice videtur in linea ascetica et morali, et non in ipso ministerio sacerdotali. Cooperatio ministerialis, iam necessaria ipsi activitati pastorali, non raro plus adiuvat confraternitatem sacerdotalem quam confraternitas

ascetico-moralis de qua n. 4; 2) insuper quaeri potest, utrum sub hoc n. 4 nihil dicendum sit de confraternitate cum sacerdotibus, qui munus suum sacerdotale una aliave ratione dereliquerunt.

Nomine episcoporum Neerlandiae.

2

Exc.mus P. D. IOSEPH KÖSTNER
Episcopus Gurcensis

Venerabiles Patres dilectissimi in sacerdotio Fratres,

Antequam ad speciale punctum meae interventionis veniam, liceat mihi primo pauca quaedam dicere ad difficultates ultimis diebus prolatas, schema de sacerdotibus nempe nimis breve esse relate ad illud de laicis.

Sine dubio rationes pro perficiendo et amplificando schemate bonae et bene ponderandae ...[1] sunt, sed etiam notanda videntur sequentia:

Praeterquam, quod optima de nostris sacerdotibus inserta iam sunt in tractatum *de Ecclesia,* et quod specialis nuntius ad eos praeparatur, immo de institutione sacerdotali proprium schema proponetur, obliviscendum non est, de laicis prima vice in aliquo Concilio Oecumenico tractari — et proinde necessario fusius — dum e contra de dignitate et muneribus sacerdotum in decursu saeculorum iterum atque iterum actum est. Non dubito, quin carissimi nostri sacerdotes hoc bene intelligant.

Secundo. Propositum emendationis meae respicit in schemate ...[2] n. 3, pag. 9, linn. 34 ss.

In textu emendato legitur: « Neque negligant sacerdotes, etiam quando labor apostolicus urgeat, traditionalia subsidia ad vitam interiorem fovendam, uti sunt cotidiana mentalis oratio aliaque huiusmodi pietatis opera, quae quidem spiritu liturgico informentur oportet, quaeque longo saeculorum decursu obsoleta minime dici *valeant,*[3] sed potius ad efficacitatem sacri ministerii *multum conferre possunt* ». In priore schematis textu legebatur: « ad efficacitatem sacri ministerii *necessario requiruntur* ».

Meo humili iudicio nec textus emendatus nec textus prior videntur adaequate exprimere, quod dicere volunt.

Agitur de oratione mentali et « alia huiusmodi pietatis opera, quae — sic in priore textu — ad efficacitatem sacri ministerii *necessario* requiruntur ». Si verbum « necessario » etiam ad « alia huiusmodi pietatis opera » refertur, nimium assereretur, si autem ad vocem « oratio

mentalis », videtur mihi habere suum bonum sensum, nam nescio, quomodo sacrum ministerium efficax esse possit, si oratio mentalis *negligatur.*[4] Quod oratio mentalis requiritur ad fovendam vitam interiorem, sine qua ministerium sacerdotale radice sua privetur, est doctrina aliqua fundamentalis asceseos sacerdotalis.

Certe conceptus: « oratio mentalis » hic lato sensu sumi *debeat,*[5] non pro aliquo speciali methodo meditationis.

Propterea proponere mihi liceat, ut aut

a) illa sententia in lin. 41 *quae sonat*[6] « sed potius ad efficacitatem sacri ministerii multum conferre possunt » tollatur *e textu,*[7] aut ut

b) loco huius propositionis nova incipiat, quae v. g. sic sonare posset: « Sacrum ministerium sine vita interiore, quae maxime alitur oratione mentali, inefficax redderetur ». Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] adductae. [2] de vita et ministerio sacerdotali. [3] valent. [4] negligitur. [5] debet. [6] deest. [7] deest.

3

EXC.MUS P. D. HENRICUS JENNY
Episcopus tit. Lycaonensis, aux. Cameracensis

Venerabiles Patres, carissimi Parochi,

quos amanter salutamus, praesertim nos multi in hac aula, qui per annos parochi fuimus vel saltem vicarii cooperatores![1]

Quamvis ...[2] schema solum intendat, normas exponere vitae et muneris sacerdotalis, attamen necessarium videtur, « mysterium » ipsius integri sacerdotii ...[3] clare in mentem revocare, ita ut sacerdotibus nostris, et nobismetipsis, evidenter appareat tum dignitas, tum unitas ipsorum immensi laboris, necnon eius efficacitas, in nostris temporibus ...[4]

Sacerdotii mysterium tum Christi mysterio, tum populi servitio, intime coniungitur. In eodem motu caritatis et laboris, sacerdotes et Dei regnum et fratrum salutem procurare intendunt, sicut Christus oboediens Patri pro omnibus mortuus est.

Tam ergo de mysterio Ecclesiae, quam de sacerdotibus, loqui intendimus. Fuit auctor clarissimus ...[5], rev.dus Pater Grea, qui de ...[6] nostro Concilio *quodammodo*[7] prophetavit, quando librum scripsit ...[8]: « De Ecclesia et eius Constitutione ».

Liceat mihi, venerabiles Patres, *principia*[9] revocanda, *non abstracta sed realia,*[10] hic contrahere et schematis meliorem ordinis rationem pro-

ponere ut nexus appareat tum inter sacerdotes et Christum, tum inter ipsos et genus humanum.

...[11] Sicut Pater caelestis Filium misit in mundum, et Verbo suo tanquam consilio usus est ad salvandas gentes, ita et Christus, qui est imago Patris, apostolos elegit, quos in collegium constituit, prout cooperatores redemptionis ...[12].

Sed cuivis particulari Ecclesiae communicatur, quin frangatur, mysterium Ecclesiae universalis. Itaque episcopus, seu apostolus, imago Christi, consilio suo utitur, i. e. presbyterio seu sacerdotum collegio, qui, ab episcopo missi, una cum ipso, plebem Dei aedificant.

Itaque sacerdotes, inter mundanas varietates, ipsius Christi personam agunt. Ubi sacerdos, ibi Christus.

...[13] Quid fuit autem munus Christi Domini? Ille *est qui* [14] Verbum Patris, Patrem enarravit ...[15], oboediens *usque ad mortem.*[16] Propter quod et Deus exaltavit illum, qui a terra exaltatus, omnia traxit ad seipsum, Ecclesiam ex omni gente constituens ...[17].

Verbum Evangelii, mysterium Eucharistiae, populus Ecclesiae: haec sunt tria momenta, intime connexa, vel triplex aspectus eiusdem missionis Christi ...[18] sacerdotis.

...[19] Quod tunc Christus effecit, id nunc per episcopos agitur. In sua particulari Ecclesia episcopus verbum annuntiat ipsius Christi, qui adhuc loquitur ...[20]. Mortem Domini atque Resurrectionem ...[21] celebrat, non solum super altare, sed in *cordibus,*[22] ita ut baptizati Eucharistiae communicantes, cum Christo crucifigantur et glorificentur; *Dei* [23] denique plebs sancta in Domino coadunata, in Ecclesiam aedificatur ...[24].

...[25] Episcopus autem operam illam sine consilio suo, seu presbyterio sacerdotum, adimplere non valet. Si sacerdotes sine episcopo nihil facere possunt, quid faciet episcopus sine presbyterio? Quid, si solus est, « tanquam solitarius in tecto »? Plenitudo sacerdotii in episcopo non vere intelligeretur, si sacerdotes non essent qui de plenitudine participarent episcopi. Nullomodo dissocientur sacerdotes ab episcopis: et sic in hoc Concilio *Vaticano* [26] de sacerdotibus agitur quotiescumque de episcopis tractatur. *Et deinde* [27] fraternitas inter sacerdotes non solum ad laborem quemdam per accidens simul agendum exsistat oportet, sed quia ab uno fonte venit ...[28] et ad unum finem requiritur ...[29].

...[30] Quae cum ita sint, ex ipsa sacerdotii natura (vel potius gratia), et ex officio sacerdotali, consequenter devenitur ad dignitatem sacerdotum extollendam et ipsorum sanctitatem exponendam.

De Verbo Dei, primo. Sacerdotis est, nomine episcopi, verbum Christi *et* [31] testimonium resurrectionis praedicare, ita ut omnes cognoscant Deum vivum et verum et quem misit Iesum Christum. Proinde

debet sacerdos Scripturam, speciatim Evangelium, cognoscere, et primus auditor esse lectionis quam profert in liturgia verbi; per fidem et per orationem laudis voci Dei respondere, non solum in piis exercitiis privatis — *utilibus et necessariis* [32] —, sed iam primum in ipsa liturgia, cui praeesse debet. Miror in schemate fere nihil dictum esse de illa publica oratione quae in Missa, in Officio divino, a sacerdotibus offerenda est Deo nostro. « Nos vero orationi et ministerio verbi instantes erimus ».

Secundo: *De mysterio Eucharistiae paschalis. Cum Evangelio venit passio Christi. Verbum praedicando,*[33] Christus Hierosolymam ascendit; ita sacerdos ad altare tanquam ad sacrificium adire intendit, Eucharistiam celebrans, morti Domini et ipse sese conformans, aliosque conformes fieri edocens. Et sic per ...[34] mysterium paschale vivum et efficax, *per vitam evangelicam,*[35] per caritatem semper urgentem, ille quem Christus sanctificat, alios sanctificandos ad Christum adducit.

Tertio: *De populo Dei adunando.* ...[36] Sacerdotes, una cum episcopo, omnium communionem operantur et pacem, ita ut utraque unum fiant, et aedificetur Ecclesia, *scil.*[37] « de unitate Patris, Filii et Spiritus Sancti plebs adunata sacerdoti ». Indissolubiliter populo coniunctus, sacerdos populo inserviens non solum ut « homo Dei » sed vere et reapse ut « homo Ecclesiae » exsistit, frater universalis pro omnibus pastor quotidie moriens *et ad gloriam ducens.*[38]

Concludo [39]: 1. In amplissimo labore apostolico huius temporis, reiiciendus est quivis pessimismus, etiam si tempora sunt ...[40] difficillima, quia Iesus ...[41] semper praesens in sacerdotibus suis, et per sacerdotes ad beatitudinem, iam in terris inchoatam, vocat omnes homines.

2. Schema hoc non approbandum, *uti est,*[42] mihi videtur, nec reiiciendum sed fortasse differendum, non autem in Kalendas graecas sed in hac sessione reficiendum, ita ut tantis sacerdotum desideriis respondeat et in quantum possibile *sit* [43] una cum schemate *de Ecclesia* fructus sit optimus huius sessionis.

Sicut erat Christus Dominus, ita fiat et episcopus; et ita fiant, una cum episcopo, omnes in universo orbe sacerdotes. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] propositionum. [3] christiani breviter et. [4] in quibus sane plures tentationi obnoxii sunt omnem spem abiiciendi. [5] fundator canonicorum regularium Immaculatae Conceptionis in Gallia. [6] hoc argumento scripsit et in quodam sensu de. [7] deest. [8] cui titulus est. [9] principium. [10] deest. [11] *Episcopus imago Patris et imago Filii.* [12] et dispensatores mysterii, quibuscum aedificatur Ecclesia. [13] *Christi Domini munus praecipuum.* [14] qui est Filius Dei. [15] Evan-

gelium regni praedicavit. [16] factus usque ad mortem, quam in Cruce sustulit. [17] quae est suiipsius et plenitudo et corpus. [18] Salvatoris et. [19] *Episcopi munus.* [20] et easdem beatitudines pauperibus proclamat. [21] episcopus. [22] corde fidelium. [23] deest. [24] quae per Christum ad Patrem transit. [25] *Presbyterium episcopi.* [26] deest. [27] deest. [28] scil. a Christi sacerdotio. [29] i. e. ad populi salutem et gloriam. [30] *De sanctitate sacerdotali ex officio promanante.* [31] nuntiare. [32] deest. [33] Post Evangelium et per Evangelium venit Passio et Crucifixio. Dum verbum praedicabat. [34] Liturgiam Sacrosanctae Missae, per. [35] deest. [36] Denique, post Resurrectionem et Spiritus missionem, Iesus Christus, Ecclesiae caput, plebem universam Deo Patri coniungit. [37] deest. [38] sicut agnus Dei, cum Christo, pro peccato mundi. [39] Concludendo dicerem. [40] hodie. [41] Christus. [42] deest. [43] deest.

4

Exc.mus P. D. GREGORIUS MODREGO Y CASÁUS

Archiepiscopus Barcinonensis

Venerabiles Patres conciliares, dilectissimi Sacerdotes, Observatores, Auditores, Auditrices,

Schema de vita et ministerio sacerdotali placet propter suam optimam doctrinam. Sed quaedam sunt supplenda, de quibus iam plura audivimus in hac aula, et hodie ab em.mo Alfrink, cui adhaereo. Ego tria puncta habeo exponenda [1]:

Primum: de ordine melius disponendi quattuor priores numeros schematis.

Secundum: relate ad nn. 5 et 6: de scientia sacerdotum ulterius provehenda.

Tertio: relate ad n. 2: de fundamentis spiritualitatis sacerdotalis latius et profundius exponendis.

Relinquam, ob vestri gratiam, duo priora capita, et venio statim ad fundamenta spiritualitatis sacerdotalis amplius et profundius exponenda, de qua praesertim in n. 2 et partim n. 3. [2]

Propositio secunda, ut videtur, recolere intendit principia fundamentalia spiritualitatis sacerdotalis ad normam Evangelii.

Supposita hac intentione, liceat haec notare:

a) Spiritualitas secundum Evangelium latius patet quam tria « classica » consilia seu virtutes paupertatis, castitatis et oboedientiae. Considerationes huius « Propositionis » fortasse nimis schematice circumscribuntur ad haec tria puncta. (Etiam de aliis, non minus principalibus, aliquid esset addendum).

b) Praeprimis, magis, ut ita dicam, « in recto » explanari posset

invitatio ad « sequendum Christum ». Thema hoc per transennam supponitur. Sed ista dispositio animi — *sequendi* scil. *Christum* — in Evangeliis saepius proponitur ut norma fundamentalis atque universalis vitae disciplui seu apostoli. Extra Evangelia, iam in S. Paulo et deinceps in constanti traditione ascetica, imago « sequendi » vertitur in ideam « imitandi ». Apostolus consideratur, *ut ita dicam, velut* [3] « imitator professionalis » Domini, ut evadat ipse pro populo Dei vivens imago Christi et norma imitationis eius. Sic Paulus (v. g. in *1 Cor.* 4, 16, et alibi): « Imitatores mei estote, sicut et ego Christi ». Inde factum est ut sacerdos, propter suam consecrationem sed etiam propter suam vocationem ad sanctitatem ...[4], consideratus et honoratus sit ...[5] velut « alter Christus » ...[6].

Mea igitur modesta opinione, « christocentrismus » hic spiritualitatis sacerdotalis secundum Evangelium expressius et amplius deberet extolli in initio propositionis 2.

c) Spiritus paupertatis recte derivatur ab exemplo Christi. Sed fortasse magis placeret si describeretur etiam ut consequentia positiva « spiritus filiationis », qui « spiritus filiationis » est effectus immediatus sequelae seu imitationis Christi. « Filius Dei » quaerit solius Patris Regnum et Iustitiam eius (*Mt.* 6, 33). Propter summam excellentiam huius « idealis », seu in lumine « valorum aeternorum » ...[7], connaturaliter respicit cetera bona omnia ut subordinata, et ab omnibus fit liber corde seu spiritu. Unde evangelica paupertas spiritus sponte fluit a zelo pro regno Dei — et hic zelus magis explicite posset collaudari in loco praecellenti huius propositionis, velut expressio caritatis filialis et apostolicae, atque inde principium maximum spiritualitatis sacerdotalis. Paupertate, quae est libertas a servitute cordis, sacerdos testimonium perhibet de « primatu valorum spiritualium » coram oculis illorum qui, in mundo hodierno, « materialismo » mancipatos se exhibet. Exercitio paupertatis, ad exemplum et ob exemplum Magistri, fit, sicut ipse, verus frater multitudinis « pauperum populi Dei » ...[8].

d) Non immoror in consideratione doctrinae de castitate quae traditur in propositione 2.

(Fortasse, loco « voverunt », *quod legitur lin. 39, pag. 8,*[9] expressius dicatur: « *libere* voverunt »).

Extolli posset etiam castitas, ad mentem Novi Testamenti, ut vivens testimonium in terra vitae eschatologicae. Fortasse castitas, *formaliter qua sacerdotalis,* inniti posset theologice in « adsimilatione » ad Christum quatenus ipse est « Sponsus Ecclesiae ».

(Supremus gradus huius « adsimilationis » verificatur in episcopatu; et ideo, perfecta castitas episcopalis, quae in caelibatu exercetur ...[10],

verum fundamentum habet in ordine theologico Novi Testamenti. Sed talis adsimilatio derivatur etiam ad presbyteratum).

Unde, consecratio sacerdotalis quae fit « in Christo » Sponso Ecclesiae ad absolutum amorem et servitium Ecclesiae *conducit.*[11]

e) In lineis quae de oboedientia agunt, opportune recoleretur iterum exemplum Christi, adeo celebratum in libris Novi Testamenti. Insuper, thema « oboedientiae » vix non postulat mentionem de « Voluntate Dei », seu « Patris », quae essentialiter intrat in conceptum oboedientiae formaliter qua *christianae.* Ex altera parte, « Voluntas Dei » semper refertur positive, in Novo Testamento, ad opus redemptionis et salutis mundi. Unde thema « oboedientiae » et zelus animarum seu spiritus pastoralis, in theologia ascetica et biblica, intime inter se connectuntur et fere communicantur.

Ceterum, consideratio oboedientiae quae fit in fine huius propositionis, laborat quodam notabili defectu, quod iam notaverunt aliqui Patres in hac aula — quo pervaditur magna pars schematis — scil., defectu « praecisionis » in usu vocis « sacerdos ». Iuxta prooemium ...[12] ad mentem Relationis (pag. 17), vox « sacerdotes » afficit et « episcopos » et « presbyteros ». Sed fere semper, in textu propositionum, voce « sacerdotes » intelleguntur soli et praecisive « presbyteri ». Et quidem, certo certius in his lineis, « oboedientia sacerdotalis » ...[13] significat exclusive « oboedientiam presbyteralem ». Unde derivatur extranea quaedam consequentia marginalis; scil., quod, saltem in perspectiva huius Propositionis in qua fundamenta vitae sacerdotalis secundum Evangelium traduntur, exercitium virtutis oboedientiae non pertineret ad episcopos... Sincere igitur dicerem laudem oboedientiae fulciendam esse in principiis universalioribus, quae: 1. afficerent omnes sacerdotes, singulos in suo respectivo ordine; 2. relate ad presbyteros, comprehenderet totam eorum vitam; nam presbyteri fere omnes, et iuniores et seniores, non raro virtutem verae oboedientiae exercere debent etiam erga personas, quae non sunt praecise ipsi episcopi; 3. talia principia oboedientiae sacerdotalis facile quoque et sine quaesitis distinctionibus applicaretur vitae eorum sacerdotum qui sunt etiam religiosi, et vere in « vita sacerdotali ad Evangelii formam » sanctificantur.

f) Inter alia, quae convenienter inseri ...[14]

Moderator: Exc.me Pater, exhaustum est tempus tuum.

Orator: Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] Quae proponuntur in schemate *de vita et ministerio sacerdotali* obiective bona, immo optima sunt.

Multa tamen melius redigi possunt, immo nonnulla (mea opinione) debent.

Cum hae « correctiones » saepe particularia, ac etiam minima, respiciant, abstineo ab earundem relatione orali, scriptam trado secretariatui.

Independenter, igitur, ab istis observationibus, nunc breviter tres tantum ideas proponam. [2] I. *De ordine melius disponendo.* Mea quidem sententia, quam modeste propono, *ordo numerorum* (ex 1 ad 4) esset — non solum magis « logicus » — sed etiam magis « psychologicus » seu paedagogicus, si ita procederet: post *prooemium*:

1. Dicatur *de vocatione sacerdotis ad sanctitatem* (nunc aliquid dicitur in primis lineis n. 3). Idea, quamvis alibi in Documentis Concilii etiam evolvatur, aliquantulum uberius deberet etiam hic proponi, ut fundamentum ceterorum).

2. Proponatur *norma sanctitatis* (nunc fit in n. 2, de quo aliqua dicam in tertia parte huius voti).

3. Exponatur quo modo sanctitas sacerdotalis, ad normam Evangelii:

a) exerceatur, roboretur et nutriatur, augeatur — praesertim exercitio ipsius sacri ministerii (de hoc sermo fit in linn. 23-34 n. 3);

b) indigeat, nihilominus, etiam « subsidiis » seu « mediis », quae ad sic dictam « asceticam sacerdotalem » pertinent (nunc, in linn. 34-41 n. 3, in pag. 9, et in linn. 1-4 pag. 10);

c) adeo ut « status connaturalis » spiritus sacerdotalis sit « unio cum Deo » — etiam usque ad supremos gradus talis unionis (nunc aliquid innuitur in n. 3, linn. 4-5 pag. 10);

d) et sacerdos sanctus sit velut irradiatio gloriae Christi in Ecclesia pro mundo (aliquid innuitur in n. 3, linn. 5-7 pag. 10. Nonnulla pulcherrima desumi possent ex epistula secunda S. Pauli ad Corinthios, ex iis scil. quae scribit a cap. 3 vers. 12 ad cap. 4 vers. 6).

4. Fiat tunc apologia et laus fraternitatis sacerdotalis (quod nunc ponitur in n. 4).

5. Imo, verae et sanctae fraternitatis sacerdotalis cum omnibus christifidelibus, utpote regalis sacerdotii participantibus (nunc fit in n. 1).

A n. 5 usque ad finem, procedant uti exstant.

II. *De scientia sacerdotum efficacius provehenda.* In *propositione quinta* recte dicitur studium pertinere ad essentialia officia status sacerdotalis; et in *sexta* sapienti consilio quaedam subsidia commendantur ad fovendam scientiam et artem pastoralem sacerdotum.

Quae affirmantur et statuuntur, vera sunt, et maxime opportuna.

Cuperem tamen ut in n. 5 adhuc instantius exprimeretur sacrum (et collectivum) officium provehendi altiorem (ut aiunt) « culturam » inter sacerdotes, utpote qui, personam Christi speciali ministerio gerentes coram omnibus hominibus, ab ipsis iure merito mundus hodiernus exspectat et exigit ut sapienter, competenter, paedagogice sciant distribuere thesauros veritatis quos Dominus Ecclesiae tradidit.

Cognitio Dei et Christi, honor et efficacia salvatrix Ecclesiae praesentis in mundo, maxime quidem pendent a sanctitate sacerdotum; sed, simul cum sanctitate, maxime pendent etiam ab eorum singulari et collectiva altiori « cultura ».

Sine altiori « cultura » seu scientia sacerdotali in determinata regione, vix dabitur ibi normalis instructio christiana in populo Dei.

Ministerium verbi, per quod altior scientia sacerdotalis in societatem derivatur, semper (sed maxime nostris temporibus) etiam *scripto* exercendum est et exercetur.

(Spiritus Sanctus ipse supremum exemplum dedit, verba sacra tradens Ecclesiae et mundo, per prophetas et apostolos, etiam in Libris scriptis...).

Optandum est ut in singulis regionibus *sacerdotes scriptores,* sufficienti numero habeantur, competenter formentur, ipsis omne genus subsidiorum ad munus exercendum conferatur.

Saepe enim ministri sacri adeo occupantur et fere obruuntur quotidiana instantia laboris pastoralis concreti, ut vix inveniri possit qui gaudeat sufficienti tempore, pace, vigore mentis ad apostolatum verbi scripti digne colendum.

Et nihilominus, ut altior detur cultura seu scientia sacerdotalis, opus esset ut non pauci confratres scriptis suis ceteros confratres adiuvarent ad eos formandos et informandos de rebus scientiarum sacrarum iugiter et indesinenter virescentium.

Quare optandum esset ut, saltem in principalioribus dioecesibus aut regionibus, aliqui veluti coetus constituerentur sacerdotum quibus officium « scriptoris » verum sit officium ecclesiasticum, quantum fieri possit cum libertate a ceteris officiis pastoralibus, utpote quod ipsum consideretur ab omnibus ut verum et proprium officium pastorale, sub oboedientia, ductu et favore sacrae hierarchiae.

Hi « coetus scriptorum ecclesiasticorum » fraterne collaborare possent invicem, in diversis dioecesibus aut regionibus constituti, adeo ut, sub ductu episcoporum, ampliora consilia in apostolatu culturae religiosae promoveri possent organice et efficaciter, pro locorum et temporum condicionibus et necessitatibus.

Haec omnia, absque dubio, in nn. 5 et 6 schematis includenda non sunt. Sed aliquid fortasse, paucis verbis, innui possent; scil., de altiori scientia sacerdotum ardentius provehendi et de ministerio verbi scripti inter ipsos fovendi. De ceteris, aliqua ratio posset haberi in Directoriis post Concilium conficiendis. [3] adeo (liceat sic dicere). [4] apostolico-evangelicam. [5] a fidelibus. [6] (cf. v. g. Pius XI, *Ad catholici sacerdotii*: Denz. 3755 [2275]). [7] (cf. *Mt.* 6, 19-20). [8] (Per transennam dico: allusio ad textum epistulae ad *Phil.* 4, 12, innecessaria videtur, cum de cetero etiam a fidelitate ipsius textus recedat. Consilium de fugienda nescio qua vanitate sacerdotali, ut iam dictum est in aula, omnino inopportunum est in hoc documento). [9] (in lin. 39). [10] etsi non sit de iure divino, tamen. [11] , connaturaliter excludit quamlibet aliam personalem consecrationem. De castitate agendo, consideratis circumstantiis peculiaribus societatis hodiernae, fortasse non esset absonum commendare sacerdotibus omnibus ut abtineant a qualibet ratione loquendi, conversandi et animum relaxandi, quae, umbrum suspicionis ingerens, minus fulgens posset reddere testimonium « spiritualitatis », quod ad oculos mundi praebet perfecta castitas sacerdotalis quando in sinceritate et puritate tam theologica quam ascetica servatur. [12] (pag. 7 lin. 8). [13] (v. g. linn. 10-11, pag. 9). [14] possent huic Propositioni fundamentali de spiritualitate ad normam Evangelii, unum necessarium videtur; nempe thema « sacrificii », seu doctrina « de cruce ferenda ». Difficile cogitatur authentica vita sacerdotalis quae sacrificiis et crucibus non sit circumsignata.

Aliud caput esset « humilitas » aedificata super solida fundamenta theologica.

Illa scil. dispositio animi, quae de Christo Iesu praedicatur illis verbis: « Mitis et humilis corde ».

Quod connaturaliter allusionem saltem induceret ad summam illam perfectionis christianae (et quam maxime « apostolicae », et ideo « sacerdotalis ») quam referunt Beatitudines. Nam, propterea quod spiritu Beatitudinum replentur, fiunt apostoli, prae ceteris christifidelibus, ad mentem Evangelii, « sal terrae » et « lux mundi ».

Animadversiones additae:

Ad prooemium: *a*) Ad linn. 6-7: Ex modo adducendi has « referentias » videtur, primo intuitu, Concilium tacere de vocatione *episcoporum* ad sanctitatem. Fortasse omittendae essent linn. 6-7; aut integer contextus diverso modo redigendus.

b) Ad lin. 8: « ... *ministerium sacerdotum* ». Iuxta « Relationem de singulis Propositionibus » (pag. 17), voce « sacerdotum » comprehenduntur et episcopi et presbyteri. Sed, de facto, in textu « Propositionum », « sacerdotes » saepe intelleguntur *presbyteri*, stricto sensu. Imo, qui legit, sponte fere in omnibus numeris de « presbyteris » — non de episcopis — cogitabit. (Nn. 9, 11, 12 — et, sub aliqua ratione, etiam 8 et 10 — omnes *clericos* respiciunt).

c) Ad lin. 9: « ... *decernit* ». Fortasse verbum non bene congruit cum voce « *normas* » (lin. 7). Normae potius « proponuntur ». « Decernere » suggerit « decreta »; sed, de facto, vix aliquid « decernitur » (sensu stricto) in sequentibus Propositionibus.

d) *Idea generalis*: Methodologice, videtur deesse in hoc prooemio aliqua « ratio finalis » sequentium Propositionum. V. g. (vel alio modo): « Sacrosancta Synodus... considerans quam multum conferat ad incrementum vitae christianae in mundo et salutem animarum eximior sanctitas eorum, qui, superna vocatione et gratia, constituti sunt in Ecclesia " ministri Christi et dispensatores mysteriorum Dei " (cf. *1 Cor.* 4, 1), haec de vita et ministerio sacerdotali recolenda aut statuenda proponit ».

Ad n. 1: *a*) Ad lin. 11, pag. 7: « *Novi Testamenti sacerdos...* ». Expressio haec, ad mentem epistulae ad Hebraeos (et, in genere, theologiae christianae) sponte applicatur ad solum Christum. Fortasse aptius diceretur: « Novi Testamenti sacerdotes » aut melius: « Christi sacerdotes »).

b) Ad linn. 11-20, pag. 7: (Constructio syntactica est parum perspicua. Speciatim notatur aliqua facilis confusio, pro lectore, in collocatione « genitivorum »).

c) Ad lin. 17, pag. 7: « *Eius Regni* ». Iuxta *1 Thess.* 2, 12 esset « Dei » (scil. Patris); iuxta *Col.* 1, 13 esset « Christi » (scil. « Filii dilecti Patris »). Etsi obiective (fere) idem significetur, accuratius esset unum tantum ex duobus textibus citare.

d) Ad lin. 12, pag. 8: « ... *appareat* ». In textu cui alluditur (*Tit.* 3, 4) agitur de illa « apparitione » seu « epiphania » Redemptoris, quae semel in Christo facta est. Opportunius adhiberetur de sacerdote aliud verbum, v. g.: « resplendeat ». Immo, nisi videatur nimis emphaticum, posset addi, ad sublineandam ideam de qua agitur: « Salvatoris nostri (cf. *Tit.* 3, 4), qui « propter nos homines et propter nostram salutem... homo factus est ». Quapropter sacerdos, Christi servus ac populi Dei, ad Domini imitationem ad amussim eas virtutes colat et

qualitates sibi acquirat, quibus omnis perfectus homo ornetur oportet, quales sunt cordis bonitas... etc. ». NB. In linn. 16-17, allusio ad « aestimationem humanam » omittenda videtur, ne vel minime innuatur « deviatio » de qua in *Mt.* 6, 1 ss. Additur: « qualitates », nam ea quae enumerantur (speciatim in textu S. Pauli) non omnia sunt praecise « virtutes » (sensu technico christiano). Dicitur sacerdos « servus Christi » ut, saltem semel, adhibeatur titulus quo adeo delectabatur S. Paulus (cum allusione ad thema « Servi Iahveh »).

Ad n. 2: Intentio huius numeri in eo videtur esse ut tradat aliquam syntheticam « summam spiritualitatis sacerdotalis ».

Si ita est, modeste opinor nimis restringi ad tria classica « consilia evangelica », quod fere innuit aliquam veluti « structuram » canonicam.

Fortasse « spiritualitas evangelica », quae sacerdoti in summo gradu proponitur, essentialiter latius patet quam tres illae concretae virtutes.

Ideo liceat aliqua saltem modeste suggerere.

a) Iuxta Evangelia, ratio fundamentalis « spiritualitatis discipularis » consideratur « *sequi Iesum* ». Et « discipuli » (generatim = « apostoli ») et « populus » (seu « turbae », in vers. Latinis) Christum sequuntur. Sed « discipuli » prae populo, eo quod debeant « sequi » semper, absolute, cum omnimoda « traditione-sui », — ut ita dicamus, « professionaliter ». In themate « sequi Christum » (quod saepissime recurrit) comprehenditur tota « ascetica » discipuli — et inde, sacerdotis.

Iam inde a S. Paulo, et dein in tota traditione ascetica Ecclesiae, thema quattuor Evangeliorum « sequi Christum » vertitur in ideam fere aequivalentem « *imitationis* Christi ». Adeo ut « imitator professionalis » seu apostolus sit pro populo fere imago Christi, norma imitationis eius (saepe in Paulo, v. g. *1 Cor.* 4, 16).

Quae cum ita sint, thema « sequi Christum », seu « ipsum imitari » deberet poni in recto (non fere in obliquo, sicut in lin. 27, pag. 8), adeo ut haec idea regat totam paragraphum.

Adeo ut vere appareat « spiritualitas sacerdotalis christocentrica », qua sacerdos totum se tradit *ad* Personam Christi, totus vivit *in* Christo Iesu.

NB. Expressio « sequi (Iesum) » est adeo, ut ita dicam, « technica » in Evangeliis, ut oporteat eam non mutare, v. g. in phrasim « premere vestigia Christi ». Vocabularium biblicum praestat latinitati. Si semel S. Petrus adhibet expressionem « vestigia » (Christi), minime omittit verbum « sequi » (unicus textus — praeter Evangelium et, semel, Apocal. — reapse *1 Pt.* 2, 21 sic intelligendus videtur: « ... ut sequamini [scil. Christum] [in] vestigiis eius »).

b) Fructus immediatus essentialis huius « sequelae » seu « imitationis » Christi est *sensus filiationis,* totam vitam et mentem pervadens, quo (omnis christianus, sed *maxime*) sacerdos, « in Christo », solius *Patris* regnum (cum iustitia), gloriam, voluntatem quaerit (cf. *Mt.* 6, 33 in relatione ad 6, 9-10). *Et ideo* cetera (= « haec omnia » in *Mt.* 6, 33) ut subordinata respicit (immo, si opus est: despicit), ita ut corde (seu « spiritu ») ab omnibus *liber* sit — scil., vere « pauper » ad mentem Evangelii. Paupertatem amans in lumine « valorum aeternorum » (cf. *Mt.* 6, 19-20), ipsam libenter amplectitur *ad exemplum* et *ob exemplum* Christi — quo magis fiat, cum ipso, frater « pauperum populi Dei », et testimonium praebeat « spiritualitatis » ad oculos illorum, qui nimis vel omnino indulgent sic dicto « materialismo » in nostro mundo.

Haec omnia in textu Propositionis aliquo modo innuuntur, sed apertius, fortasse, dici possent etsi aliqua verba essent addenda. Allusio ad *Phil.* 4, 12 (linn. 32-33, pag. 8) minus opportuna videtur; ceterum, etiam textus debet immutari. Sufficeret sublineare ideam « libertatis spiritus » veri filii Dei.

Quae dicuntur de « vanitate » formaliter non pertinent ad « paupertatem » sed ad « humilitatem » (linn. 33-36). De qua *humilitate* reapse aliquid dici debet in hac ipsa paragrapho, sed in elevatione principiorum, non in minutis et nimis concretis exemplis (quibus videtur dici sacerdotes in genere laborare his vitiis, quod, ni fallor, non est obiectivum...). Verum motivum humilitatis, unicum, est imitatio caritatis redemptricis Christi (cf. *Phil.* 2, 5 ss.).

c) In lineis quae de castitate agunt (pag. 8, linn. 36-43, et pag. 9, linn. 1-3) possent haec minima animadverti: linn. 36 s.: fortasse magis « paedagogice »: religiose ament et sancte custodiant; lin. 39: fortasse opportune adderetur: « *libere* voverunt »; linn. 2-3 pag. 9: idea « paternitatis in Christo » fulciri posset etiam, ut statim intellegatur, aliquo textu biblico (in nota; v. g. *1 Cor.* 4, 15).

Castitas perfecta posset exhiberi etiam ut « testimonium anticipatum in terris vitae eschatologicae ».

Sub adspectu ascetico, fortasse non esset absonum commendare sacerdotibus ut abstineant a qualibet ratione loquendi, conversandi, animum relaxandi quae ceteris possint ingerere umbram suspicionis de minus sincera custodia castitatis.

d) In doctrina de oboedientia (linn. 3-17, pag. 9), opportune recoleretur exemplum Christi, adeo inculcatum in Novo Testamento. Quae oboedientia, etsi specialissime debeatur episcopis (ex parte presbyterorum) propter rationes quae evolvuntur, tamen latius patet, cum respiciat quoslibet qui legitime auctoritatem supra sacerdotem in determinato ordine rerum et adiunctorum habent.

Ceterum, aliquid innui posset de quamplurimis « sacerdotibus » in Ecclesia, qui oboedientiam exercent sub regula religiosa, cum nihilominus sacerdotes sint et, ut ita dicam, « sacerdotaliter » oboediunt. Ostendatur quomodo etiam sua oboedientia ad « ordinem episcopalem » — speciatim in suo Capite — respiciat.

Agendo de « oboedientia », optima esset in hoc contextu saltem allusio aliqua ad centrale « thema » Voluntatis Dei (seu « Patris ») — quae « Voluntas », in Novo Testamento, semper refertur ad salutem mundi. Adeo ut « oboedientia » et « zelus animarum » seu « pastoralis », in theologica ascetica, intime inter se connectantur.

e) Inter alia quae forte desiderantur in hac paragrapho, unum necessarium videtur, scil. idea « sacrificii » seu « doctrina de cruce ferenda ». Vix cogitari potest « vita ad normam Evangelii » quae non explicite de hoc capite spiritualitatis christianae sit sollicita.

Ad n. 3: Doctrina optima; sed fortasse ordo lucidior desideraretur. Ideae et consilia eadem redigenda essent in meliorem unitatem organicam.

Nonnulla particularia: *a*) Pag. 9, linn. 23-28: Agitur, ut videtur, de « tribus muneribus » sacerdotalibus, quae respondent triplici muneri messianico Christi: docere, sanctificare, regere. Si haec est intentio, fortasse deest perspicuitas. Nam « pascere » comprehendit tria munera (etiam « docere » et « sanctificare » pertinent ad « officium pastorale »). Ideo, aliqua ratione oporteret exprimi idea « regendi » spiritualiter populum (nomine, utique, et auctoritate episcoporum et Christi). « Sanctificare » (in ordine « mysterico ») latius patet quam celebratio

mortis Domini; et ideo aliquid dicendum esset de Sacramentorum administratione, et praesertim de Sacramento Paenitentiae (quod, de facto, adeo occupat tempus et vires sacerdotum). « Praedicare verbum Dei » potest considerari ut expressio synonyma « docendi » — sed, generatim, in vocabulario Novi Testamenti, officium « docendi » etiam latius patet, in praxi, quam officium « praedicandi » seu proclamandi verbum.

b) Cum, igitur, in contextu, « logica » haec sit: sacerdos sanctificatur ipso officio pastorali, forsitan opportuna esset allusio ad textum: « Diligis... pasce! » (*Io*. 21, 15-17). Scil. « Caritas » (= summa sanctitatis) ab « apostolo » exercetur officio pastorali (plus minusve = « si diligis, pasce... »).

c) Pag. 9, linn. 39-40: « spiritu liturgico informentur oportet ». Cavendum esset ne hac phrasi leviter reiciantur « pietatis opera », quae constantissime ab Ecclesia commendata sunt et commendantur, ut v. g. Rosarium Mariale. Nimis vaga est expressio « spiritus liturgicus » et ansam praebet applicationibus subiectivis.

d) Pag. 9, lin. 36: Fortasse non videtur apta vox « subsidia ». Oratio mentalis, verbigratia, in quantum est « oratio » vera iam est « vita interior », non eius subsidium. Potius diceretur « exercitium », aut verbum synonymum.

e) Pag. 10, linn. 1-2: « multum conferre possunt » videtur minimalismum, in extremo opposito ad maximalismum textus prioris. Potius dicatur: « conferunt ».

5

Exc.mus P. D. IOANNES GUGIĆ

Episcopus tit. Bonustensis, aux. Ragusinus

Patres venerabiles,

Gravis sane momenti rem in aula hac referens Patrum venerabilium attentionem vehementer cupio atque humillime exoro:

De re agitur, quae cum animarum salute Ecclesiaeque a Domino concredito munere summopere nectitur et iuxta meam humilem mentem a Concilio hoc, ut saltem ad tempus decernatur quid, expostulat.

In regionibus, et sunt nunc permultae quidem, ubi humana adminicula in re ecclesiastica augenda cleroque sustinendo hominum temporumque iniuria defecere prorsus, reperiuntur clerici, et non pauci, qui, si proprium munus ab episcopo creditum negligere cupiunt, conscientiam fallunt vel malam informant autumantes beneficia deesse iam ideoque neque obligari munus suum rite obeundi: beneficium desiit, desiit officium.

Cumque in vastissimis orbis christiani partibus non modo quaedam, sed et omnia desierint beneficia, haud est dubium, quin hac cogitandi vel supponendi ratione omnia qualiacumque ecclesiastica munera, quae beneficiis nitantur, exitium subeundi pergant. Est verum, non modo in

terris, ubi persecutio invaluerat, sed et in multis, ubi de Ecclesiae vexationibus non agebatur, sed libertas vigebat vigetve, beneficiis locus non est, vel quia sic maiorum more comparatum est vel quia res sese habuere sic saeculis decurrentibus.

Attamen observandum, et quidem rectissime quidem proh dolor!, penes quosdam beneficiorum inopia vel etiam absoluta deficientia conscientias pravas sophistico indui velamine, ut munus excelsum prorsus dimittatur. Et si hac mente magna cleri pars in regione aliqua ageretur, mirum non esset non modo animarum salutem detrimenti quid capere posse, sed et ipsam Ecclesiam in interitum ruere.

Codex aliquatenus, dico aliquatenus tantum, malum hoc praevidens profecto in can. 128 inculcat: « Quoties et quamdiu id, iudicio proprii Ordinarii, exigat Ecclesiae necessitas, ac nisi legitimum impedimentum excuset, suscipiendum est clericis ac fideliter implendum munus quod ipsis fuerit ab episcopo commissum ». Ratio est ergo praecipua ecclesiastici muneris exercendi Ecclesiae commissio episcopo mediante vel episcopi ipsius commissio, quae in conscientia obligat, immo et, si de gravioribus agitur officiis, graviter. Secus superflua evaderet omnis et tota activitas pastoralis Ecclesiae, immo et ipsa ratio essendi. Christus Dominus non fixerat modum, qui clericale munus cum beneficio necessario necteretur, Providentiae Divinae curam vitae necessitatum remittens, dum spiritus est qui vivificat ...[1].

Ne quibusdam, qui in clericale munus sacrificii spiritum parum adferunt, sed vitae externis curam adhibent primariam, ansa praebeatur, ut sub specie temporis aeternum dimittant, audeo huic venerando consessui, quod sequitur, proponere:

Videtur mihi in canone memorato deesse aliquid, saltem si serio considerentur difficultates, quibus clericorum vita atque actio in permultis orbis partibus premitur infima imponens, superna obfuscans. Ne temporum pressura et nostra incuria adtenuetur ministerium nostrum, propono modeste, ut in can. 128 ad verba iam prolata tantum hoc addatur: « ... *licet beneficio non nectatur* ». Agnosco quidem fore ut Codex recognitioni subiiciatur, sed, dum illa revidendi moles ad prosperum perducatur exitum, non parum intercedat temporis oportet. *Hinc puto perutile ac necessarium, ut iam nunc excelsa Concilii Oecumenici auctoritas, primaria Romani Pontificis potestate innixa, rem decernere velit.* Ceterum censeo omnia nobis adhibenda media, ne ecclesiasticum munus detrimenti quid capiat.

Sed adiungendum mihi videtur. In praxi, res facilius absolvetur, si in regionibus, ubi iniuria vi inopia premitur, rei christianae clerique sustentationi caritas vere christiana sacrificio imbuta occurrerit. Quod sane

mihi pergratum obvenit mentionem hic texere gratitudinemque promere magnae profecto caritati, quae ex orbis partibus adveniens Ecclesiae sanctae martyrem solatur fovetque cursum. Nemo sane benefactorum laedi potest, si summam Sedis Apostolicae curam illamque catholicorum Austriae, Germaniae, Belgii, Hollandiae aliarumque in orbe regionum grato omnium sensu commemorem. Et si addam Foederatorum Americae Septemtrionalis Statuum hierarchici coetus fideliumque excelsum, quo fulgent caritatis exemplum, spero fore ut ab omnibus unanimi sensu hoc vere mirabile phaenomenon gratissime adprobetur. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] (*Io.* 6, 64).

6

Exc.mus P. D. VICTOR SARTRE

Archiepiscopus tit. Beroensis

Venerabiles Patres, carissimi Observatores et Auditores,

Nomine plurium episcoporum loquor. Propositiones de vita et ministerio sacerdotali, quae nostro iudicio subiiciuntur, etsi praecipua elementa praebent, non plane inter se et cum doctrina Concilii de Ecclesia connectuntur, sicut optime dixit em.mus card. Meyer, et *alii Patres*.[1] Lucem non sat profundam afferunt relate ad obligationes vitae et ministerii sacerdotalis. Nullibi enim, ni fallor, ostenditur connexio vitalis sacerdotii cum Christo in missione sua, cum tota Ecclesia in mysterio suo, nec cum mundo in exspectatione sua. Ipsa vita spiritualis ad solam pietatem reduci videtur ...[2]. Presbyteratus ut forma fraternitatis sacerdotum inter se et cum episcopo nec etiam nominatur. Insuper silet textus noster de Spiritu Sancto per quem sacerdotes Christo sacramentaliter consecrantur et ministerialiter configurantur.

Forsan[3] haec elementa essentialia omitti possunt in schemate aliquibus propositionibus infeliciter reducto, non autem in vita et ministerio sacerdotali quin sacerdotes ipsi gravi defectu laborent. Idcirco ego quoque instanter peto ut propositiones penitus recognoscantur et etiam ut novum et quidem substantiale schema de novo componatur. Liceat ergo mihi novam rationem procedendi breviter in quinque punctis delineare.

1. Initium sumere debemus a missione totius Ecclesiae. Haec Ecclesia ad quam sacerdotium essentialiter pertinet, definitur ab apostolicitate. Atqui apostolica est Ecclesia non tantum quia super « fundamen-

tum apostolorum » exstruitur, sed etiam quia mittitur in mundum « ut credat mundus », dicit Dominus ipse, « quia tu me misisti ». Nec minus autem quam tota Ecclesia sacerdos ipse ad mundum mittitur ut credat mundus et ita salvetur.

2. Haec missio apostolica ex Patre per Christum usque ad Ecclesiam in Spiritu Sancto promanat. Unde patet quod missio in Ecclesia non ab hominibus provenit sed Ecclesiae desursum concreditur ut homines mortem et resurrectionem salutiferam Christi participent. Hoc opus salutiferum ex sola virtute Christi adimpletur. Quae virtus Christi Capitis efficaciter significatur per hierarchiam. In hierarchia enim ministerialiter eminet omnipotentia Christi. Ideoque missio Ecclesiae hierarchica est quia a Christo Capite *procedit.*[4] In hac missione hierarchiae sacerdotes proprium locum habent ut cooperatores episcoporum.

3. Quae cooperatio est essentialiter sacramentalis. Laicus enim ipse cooperator Evangelii exstat. Sed illa cooperatio laicorum, etsi in baptismo et confirmatione fundata, non est in sensu proprio sacramentalis, sed potius spiritualis. E contra pro sacerdotibus. Certo certius spiritualis debet esse cooperatio illorum cum episcopis, sed illa cooperatio vere sacramentalis est et in ordine finis et in ordine originis. In ordine finis, quia sacerdos nullum alium finem habet quam implantationem Eucharisticam Ecclesiae localis in mundo, in praedicatione Evangelii et in sanctificationem hominum. In ordine originis: ungitur enim sacerdos per ordinationem, illa unctione qua Christus ipse eminenter a Spiritu Patris unctus est. Ideoque nullo modo, quantumvis secundi ordinis sit, diminutum sacerdotium sacerdos recipit. Ergo ope sacramenti Ordinis sacerdotes nostri sacerdotio Christi sacramentaliter honorantur.

4. Haec initiatio sacramentalis missioni Christi non restringi potest in solo campo seu liturgico seu, ut aiunt, culturali aut rituali. Cum enim Ecclesia seu Corpus Christi numquam et nullibi ad plenitudinem suam iam pervenit, semper et ubique urget studium irrequiescibile *limites*[5] Ecclesiae extendendi et nova membra Christo acquirendi. Itaque munus sacerdotale non refertur ad solos domesticos fidei, sed etiam ad omnes externos qui non iam credunt aut nondum crediderunt. Ideoque zelus sacerdotalis semper missionalis evadit.

5 *et ultimo*: Quia missio sacerdotalis originem habet in missione ipsius Christi, numquam seiungi debet a vita spirituali. Agitur enim in vita et ministerio sacerdotali de incremento Corporis Christi. Quomodo crescit Corpus nisi influxu Capitis? Quomodo potest imitari quod tractatur nisi Christus ametur? Idcirco nulla vita spiritualis sacerdotum sine arcta coniunctione cum Christo crescente per Spiritum in mundo. Oportet ergo non solum pro Christo sacerdotes operari sed operari per Chri-

stum. Haec autem vita spiritualis sacerdotum quattuor notis accuratius describi potest: 1. debet esse Christo Domino *subiugata*; 2. Eucharistia, ministerio et Scripturis Sacris *nutrita*; 3. sola virtute Christi et Spiritus eius *fecundata*; 4. denique fraterno presbyteratu et paterno episcopatu *suffulta*.

Talia aut similia proponi debent omnibus sacerdotibus mundi, in nostro futuro schemate « de sacerdotibus », quod opportune conflari possit cum schemate « de institutione sacerdotali ». Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] exc.mus D. Gomez. [2] Nunquam alluditur fides. [3] Certo. [4] provenit. [5] limes.

Moderator: Enixe rogantur venerabiles Patres conciliares, ut velint manere suis in locis, quia post interventionem exc.mi D. ep. Barbastrensis in Hispania, momentosa communicatio dabitur nomine coetus moderatorum.

7

Exc.mus P. D. IACOBUS FLORES MARTIN
Episcopus Barbastrensis

Venerabiles Patres,

Magni quidem faciendum est hoc schema, quippe quod habeatur fundamentum perfectae renovationis, quae in mundo debet operari. Nisi enim a sacerdotio incipiat ipsius vitae renovatio, nihil in Ecclesia fiet. Sacerdos enim ut ipse Christus est fons et scaturigo omnis salvationis, omnis gratiae, omnis vitae, omnis doctrinae. Est enim sicut ipse Christus: Via, et Veritas et Vita.

Plura quae de illo dicuntur aptissima sunt in hoc schemate. Et tamen vellem omnino extollere: Vita interior excellat in ipso; unio perfecta cum Christo ut appareat esse ipsum Christum mystice incarnatum, cum suo erga Deum intimo sensu expiationis et glorificationis, erga homines sensu salvationis, zelo animarum succensus.

Habeatur speciatim recitatio Officii divini devota et fervens, qua una cum Summo et Aeterno Sacerdote Christo Iesu cursum diei et noctis Deo consecret. Vita Eucharistica in Missa per precationem diu productam, ante Iesum in Sacrario conditum, nutriatur et vivat. Devotionem filialem erga B. Virginem alere et fovere non cesset, cum sit tantae efficacitatis pastoralis, ad homines ad Iesum trahendos.

Pro renovatione sua spirituali, omnino exigenda sunt annua spiritualia exercitia, et menstruus recessus.

Cum de oeconomia agamus, melior dispositio mihi videtur facienda: loquendo prius de paupertate sacerdotali, deinde de modo vivendi in paupertate, tum de providentia quae nunc magis apta est ad cleri necessitates obveniendas, excluso systemate beneficiali, postea de obligationibus quibus satisfaciendum erit forte pro parentibus, pro servitio personali, pro aliquibus muneribus in Ecclesia, denique de abusibus quae aliquando dantur et de curanda iniusta inaequalitate, quae quidem inter sacerdotes ferri non posse videtur.

Remedium optimum videtur exclusio beneficiorum et instauratio vel melius perfectio statuti officii in Ecclesia. Ad hoc autem sufficit ut cum can. 145 definiatur officium ecclesiasticum: quodlibet munus quod in spiritualem finem exercetur, ab auctoritate ecclesiastica legitime constitutum.

Meminerint ergo sacerdotes pro paupertate, quippe quorum Dominus sit « pars et hereditas » cor suum a divitiis terrenisque rebus alienum gerere debere, quia Deo se plene consecrarunt et laeti servire promiserunt. Ipse enim dixit: Quando misi vos sine sacculo, et pera et calceamentis, numquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt: nihil. Hoc etiam episcopus suis dilectissimis sacerdotibus possit dicere: Quando misi vos, quando infirmi fuistis, quando parentes vestri indiguerunt, quando studia vestra fecistis, aliquid defuit?

Paupertatem igitur ament, habentes autem alimenta et quibus tegamur, his contenti simus, aiebat apostolus. Hunc amorem simplicis ac moderatae vitae ratio demonstret, habitatio non sumptuosa declaret, ac denique generosa erga egenos largitas confirmet, potus cibique parcitas ostendat, et ex parte sua cum apostolo dicat: « libentissime impendar et superimpendar pro animabus vestris ».

Optime dicitur in n. 9: sciant omnes « bona quaelibet — tum ecclesiastica proprie dicta, tum quae occasione exercitii cuiusdam ecclesiastici officii clerici sibi comparant — secundum rei naturam atque iuxta antiquitus inductam et ab Ecclesia firmatam consuetudinem, destinari ad cultum divinum ordinandum, ad honestam cleri sustentationem procurandam, etc. ».

Cavendum omnino ne in muneribus ecclesiasticis intolerabilis disparitas appareat: quaedam munera sunt pinguia, quaedam macra; aliae paroeciae divites, aliae miserae; alterae sine emolumentis, alterae talibus donationibus ditatae, ut scandalum proprie producant; aliae in mediis urbibus cum omnibus commodis et divitiis, aliae in suburbiis, cum omnibus difficultatibus et sine pecunia sufficienti. Et non semper datur

communicatio caritatis inter omnes. Aliquando qui amplius laborare debent et maiores difficultates experiuntur minus recipiunt.

Certe difficultas est in distribuenda aequo labore et perceptione. Difficultates in specialibus adiunctis pro certis rebus quae requirunt maiorem aptitudinem ad libros scribendos, ad artem exercendam, e. g. picturae, exceptiones erunt. Cum tamen omnes simul aequali modo sacerdotes simus, omnes pro tota Ecclesia debemus laborare, omnes saltem in fine deberent, meo quidem iudicio, omnia Ecclesiae donare, vel saltem magna ex parte. Fiunt donationes a laicis, cur non a sacerdotibus? Multum iuvaret his in rebus si consociationes saltem dioecesanae et nationales, immo et internationales fierent pro bonis ecclesiasticis. Habemus tot et tanta incepta facienda in scholis, in cinematographia, in televisione, tot in rebus! Vi dioecesana, vi nationali, vi internationali caremus omnino. Hoc tamen necessarium est habere, si vitalitatem nostram volumus influxum in mundo exercere.

Venerabile collegium episcoporum, venerabile presbyterium, dilectissimi Auditores, simus omnes tali modo Spiritu Dei acti ut igne incensi renovemus faciem terrae. Dixi.

Textus scripto traditus:

Post plures redactiones et observationes a Patribus magno cum amore erga sacerdotes factas, nunc compendium praesentatur quasi perfectum doctrinae de sacerdotio et de eorum vita et ministerio. Ita responderi videtur actualitati et momento quod in Ecclesia habet sacerdotium. Ideo miror quam maxime, immo quasi obstupesco accusatione aliquorum de clericalismo in rebus Ecclesiae, etiam in actione catholica. Quid, volumusne habere actionem catholicam anticlericalem?

Certe in toto Concilio eminet clare centrum aliquod esse pro tota doctrina et pro tota vita christiana et apostolatu et actione Ecclesiae in mundo: sacerdotium. Summum atque aeternum sacerdotium Iesu Christi, in sacra Liturgia speciatim, sacerdotium plenum episcoporum, sacerdotium ministeriale presbyterorum, sacerdotium participatum christianorum baptizatorum et confirmatorum. Et in unoquoque eorum plenitudinem aliquam quae implere atque pervadere potest totam vitam uniuscuiusque: in regendo, in docendo, in sanctificando, Iesum Christum ubique circumferendo ita ut vere simus et agamus tamquam Iesus Christus, qui omnia per nos Deo Patri consecrat et sanctificat. De sacerdotio agimus in Liturgia, de sacerdotio in tractatu de Ecclesia, de sacerdotio in cap. III, et in cap. IV, de cura pastorali; fortasse hoc modo non videatur nostra adaequata et perfecta tractatio.

Magni faciendum est hoc schema, quippe quod habetur fundamentum perfectae renovationis, quae in mundo debet operari. Ideo maximas laudes meretur hoc quasi compendium propositionum, quae magnifice exhibent sacerdotii imaginem ad Christi exemplar. Non enim sumus solummodo alter Christus, una potestatum communicatione, sed etiam imitatione factorum qua expressam imaginem

Iesu in se praeferunt. Sacerdos ideo esse debet ut Christus: fons et scaturigo omnis salvationis, omnis gratiae, omnis vitae, omnis doctrinae, est, sicut Magister noster: Via, et Veritas, et Vita. Neque timendus est talis triumphalismus, quia sine cunctatione dicendum est quod simul ac talis splendidus sacerdos est, vere refulgens sicut sol et albus sicut nix in mundo est etiam et victima, quae sese amore Dei et animarum se immolat totaliter « et passus et sepultus est ».

A sacerdotio ergo debet incipere tota Ecclesiae sancta, efficax, profunda renovatio, sine qua nihil omnino fiet, propterea enim dictus est: sal terrae, lumen mundi.

Optime igitur describitur in numero primo ordo, quo pervenimus ad hanc tractationem, de natura sacerdotii, de fine sacerdotali, quod sit pro hominibus, et pro illis impendere se debere, de forma evangelica vivendi, de sacro caelibatu, apostolico sensu imbuto, informato, quaesito et acceptato, de natura obedientiae sacerdotalis, de sanctitate in ministerio ipso nutrita et adaucta, de vita eucharistica, mariana, de unione sacerdotum et de mutuo adiutorio oblato inter omnes, de studio ab omnibus faciendo, de praeparatione et collatione pastorali, speciatim de iunioribus sacerdotibus iuvandis et curandis, de sollicitudine omnium sacerdotum pro tota Ecclesia, seu de sensu missionario, de caritate in distributione sacerdotum, et vocationum promotione.

Aliqua tamen addere vellem, tamquam parvas correctiones, quae utiliter, ut mihi videtur, dici possent:

1. In prooemio potius urgeretur necessitas sacerdotii in Ecclesia, ut proiectio et continuatio Iesu Christi. Deinde agerem de natura sacerdotii quod pro hominibus constituitur, ut quasi sequela logica appareat eorum conversatio necessaria cum laicis, in his quae sunt ad Deum.

2. Ideo vita cum laicis, sed minime saecularizata, sed libera semper mundanis sollicitationibus.

3. Appareat melius ipsum esse Christum in Ecclesia, vita interiore ita repletus, plenitudine Christi ita motus, ut sit cum illo cor unum et anima una, ut appareat esse ipsum Christum mystice incarnatum, cum tota sua transcendentia, erga Deum sensu divino expiationis et glorificationis, erga homines sensu salvationis perfecto, ita ut in penetrabilibus suis, in visceribus imis se sentiat et redoleat Iesum, ut totam dioecesim et Ecclesiam fide implere possit, ut dicebatur de Sancto Parocho Arsiensi. N. 3 deberet dici lin. 28: Vitam interiorem, rectam intentionem... dein lin. 38 post orationem: devota Officii sacri recitatio, qua una cum Summo et Aeterno Sacerdote Christo Iesu cursum diei et noctis per laudem Dei consecret, aliaque... positive dicendo: quae a longo saeculorum decursu efficientia demonstrata sunt et ad fructuosum ministerium sacrum multum conferre possunt.

Pag. 10, lin. 2: Magni tandem faciant cultum Sanctissimae Eucharistiae, sive in Missa, sive in Sacrario conditae, ita ut interior eorum vita constanter Eucharistia nutriatur et vivat, et in quantum possibile sit precatione diu producta ante adorabile Sacramentum Altaris talem vim adquirant sacerdotes, qualem scimus habere, quaeque nulla alia ratione haberi, nullo alio modo substitui potest. Devotionem erga Beatissimam Virginem Mariam filialem et intimam habeant et promoveant, quia securi salutis non sumus, ut aiebat Sanctus Ioannes Berchmans, nisi habeamus veram et filialem devotionem, cum clarissime appareat pastoralis

efficacia huius devotionis, qua moventur homines ad Iesum vehementius, monstrando se esse Matrem nostram, Matrem sacerdotii, immo, Matrem Ecclesiae.

Dein nn. 9-12 de re oeconomica est sermo, de qua melius taceretur, nisi quotidiana et necessaria esset.

Mihi tamen videtur ita melius disponi posse: loquendo prius de paupertate sacerdotali, deinde de modo vivendi in paupertate, tum de providentia quae nunc magis apta est ad cleri necessitates obveniendas, excluso systemate beneficiali, postea de obligationibus quibus satisfaciendum est pro parentibus, pro servitio personali, pro aliquibus muneribus in Ecclesia, denique de abusibus quae aliquando dantur et de curanda iniusta inaequalitate, quae quidem inter sacerdotes ferri non potest.

Remedium optimum videtur exclusio beneficiorum et instauratio vel melius perfectio statuti officii in Ecclesia. Ad hoc autem sufficit ut cum canone 145 definiatur officium ecclesiasticum: quodlibet munus quod in spiritualem finem exercetur, ab auctoritate ecclesiastica legitime constitutum.

Meminerint sacerdotes, quippe quorum Dominus sit « pars et hereditas » cor suum a divitiis terrenisque rebus alienum gerere debere, quia Deo se plene consecrarunt et laeti servire promiserunt. Ipse enim dixit: Quando misi vos sine sacculo, et pera et calceamentis, numquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt: nihil (*Lc.* 22, 35). Hoc etiam episcopus suis dilectissimis sacerdotibus possit dicere: Quando misi vos, quando infirmi fuistis, quando parentes vestri, studia vestra, aliquid defuit?

Paupertatem igitur ament, habentes autem alimenta et quibus tegamur, his contenti simus, aiebat apostolus (*1 Tim.* 6, 8). Hunc amorem simplicis ac moderatae vitae ratio demonstret, habitatio non sumptuosa declaret, ac denique generosa erga egenos largitas confirmet, potus cibique paucitas, etiam in thermopolio ostendat.

Sciant insuper bona quaelibet...

Quaestio remanet de securitate sociali pro clericis (ad quod necessarium est ut stipendium reddat sufficiens) pro infirmitate, pro senectute, pro invaliditate, etc. eodem modo pro iis qui inserviunt, tam personaliter, quam in aliquo servitio Ecclesiae. Leges sociales in nostris populis prolatas ad apicem observemus.

Cavendum omnino ne in muneribus ecclesiasticis intolerabilis disparitas ap pareat: quaedam munera sunt pinguia, quaedam macra; aliae paroeciae divites, aliae miserae; alterae sine emolumentis, alterae talibus donationibus ditatae, ut scandalum proprie producant: aliae in mediis urbibus cum omnibus commodis et divitiis, aliae in suburbiis, cum omnibus difficultatibus et sine pecunia sufficienti; aliae cum omnibus communicationibus, aliae per montes et colles, sine viis. Ex alia parte urget Domini praeceptum, exite ad exitus viarum, per plateas, per vicos civitatis...

Optime videtur criterium in n. 11 positum: ratione habita locorum temporumque condicionum summa pecuniae ab unoquoque accipienda fundamentaliter eadem sit pro omnibus in iisdem adiunctis versantibus...

Casus esse potest ut labor aliquorum sit permagnus, maioris curae, maioris aptitudinis, ad libros scribendos, ad artem exercendam, e. g. picturae, etc., cum tamen omnes simul aequali modo sacerdotes, exceptis his quae ad rectam artem addiscendam vel exercendam, pari modo emolumenta debent recipere, alii enim

laborem maiorem, maiore retributione dignum in existimatione hominum habere vellent; sed tamen omnes pro tota Ecclesia debemus laborare, omnes saltem in fine deberent omnia Ecclesiae donare... vel saltem magna ex parte... Ita fiunt donationes a laicis, cur non a sacerdotibus? Quid enim habes quod non accepisti? Ergo si quando, si aliquis, talis erit sacerdos.

Multum iuvaret his in rebus si consociationes saltem nationales fierent pro bonis ecclesiasticis, pro operibus apostolicis, pro inceptis in omnibus rebus, in cinematographia, in televisione, tot in rebus... Vi internationali caremus quia nostri laici, nostri divites, pericula non subeunt oeconomica pro operibus internationalibus. Hoc tamen necessarium est, si vitalitatem nostram volumus influxum in mundo habere. Secus erimus semper receptores, non productores et quae nolumus recipiemus.

Venerabile collegium episcoporum, cum Papa et sub Papa, venerabile presbyterium, amantissimi auditores, humanissimi observatores, omnes in unum collecti, spiritu sacerdotali imbuti, res tali modo agamus et ordinemus, ut divino illo igni incensi renovemus faciem terrae.

Moderator: Venerabiles Patres, moderatores opportunum ducunt quaerere a vobis utrum placeat finem iam imponere disceptationi circa schema *de vita et ministerio sacerdotali.*

Patres, quibus placet ut finis imponatur velint surgere et manere stantes. Quibus vero non placet velint manere sedentes in suis locis.

[*Multi Patres surgunt sed etiam multi sedentes manent — quod em.mi moderatores Lercaro et Agagianian, submissa voce, dubitantes observant*].

Secretarius generalis: Assignatores loci, quid vobis videtur? Bene est.

Nunc nomine septuaginta Patrum, loquetur em.mus card. Ioseph Lefèbvre, arch. Bituricensis in Gallia. Deinde exc.mus D. Franciscus Marty, arch. Remensis, verba conclusiva faciet. Et postea incipiet disceptatio circa aliud schema *de Ecclesiis orientalibus,* in quo habebitur Introductio per em.mum ac rev.mum D. card. Hamletum Ioannem Cicognani, praesidem commissionis, et deinde relatio per exc.mum D. Gabrielem Bukatko.

Et verba facere petierunt circa hoc schema em.mus ac rev.mus Franciscus König, arch. Vindobonensis in Austria; b.mi DD. Stephanus Sidarouss, patr. Alexandrinus Coptorum in Aegypto; Maximus IV, patr. Antiochenus et Totius Orientis Alexandriae et Hierosolymae Melchitarum; Ignatius Petrus Batanian, patr. Ciliciae Armenorum; exc.mi DD. Ioseph Slipyj, arch. maior Leopolitanus Ucrainorum in Polonia; Isaac Ghattas, arch.-ep. Thebanus in Aegypto; Carolus de Provenchères, arch. Aquensis in Gallia; Elias Zoghby, arch. vic. patr. Melchitarum in Aegy-

pto; Michaël Doumith, ep. Sarbensis in Libano; Basilius Cristea, ep. visitator deleg. Romenorum in Diaspora; Ioseph Stangl, ep. Herbipolensis in Germania.

Et quoad hoc schema moderabitur em.mus ac rev.mus D. card. Iacobus Lercaro, arch. Bononiensis.

8

EM.MUS P. D. IOSEPH CARD. LEFÈBVRE
Archiepiscopus Bituricensis

Venerabiles Patres,

Schema propositionum *de vita et ministerio sacerdotali* continet, in sua brevitate, elementa substantialia et optima. Laudandi sunt redactores qui perfecerunt ut contineantur tam multa in tam paucis paginis.

Attamen, haec ipsa brevitas in re tanti momenti dolenda est, et textus plura additamenta requirit *in hac sessione,*[1] ut sine totali recognitione accipiendus sit.

Sic videtur elementum essentiale deficere in nostro schemate, scil. ipsam splendorem et efficacitatem, qua nihil est maius, huius ministerii sacerdotalis.

Non obliviscor schema constitutionis *de Ecclesia* iam tractavisse, sub respectu theologico, de natura episcopatus et presbyteratus. Sed, sub hoc eodem respectu theologico, non commoratum est in singulari foecunditate ministerii sacerdotalis. Ni fallor, maximi momenti esset tractare de hoc puncto in praesenti schemate, *fortasse per introductionem novae paragraphi inter primam et secundam, quae secunda ita melius introduceretur.*[2]

Etenim in nostris hodiernis diebus, in quibus multum interest sacerdotium universale baptizatorum sicut et actio apostolica laicorum, multi sacerdotes turbantur. Tam assuescunt aestimare suam propriam actionem sacerdotalem inquantum attinet ad actionem laicorum ut nondum videant sat clare characterem proprium et insignem efficacitatem suae propriae actionis. Ibi invenitur, sane, una ex rationibus quare anxietatem habent et iudicant actionem laicorum maiorem esse quam suam. Pro hac ratione etiam, habent minus fervidam aestimationem sui sacerdotii et inde minus curant de vocationibus sacerdotalibus excitandis, inveniendis et sustinendis.

Quare exopto paragraphum novam introduci in nostro schemate ad fortius sublineandas magnitudinem et insignem efficacitatem actionis sacerdotalis.

Si actio laicorum speciatim ordinatur ad *consecrationem mundi,* actio sacerdotum prius et praecipue ordinatur ad *consecrationem ipsius hominis* et ad suam adimpletionem divinam et humanam.

Atqui, nihil est in terra maioris pretii quam persona humana in sua plena dignitate. Ab hoc valore pendent omnes alii valores naturales. Ad hunc valorem omnes alii valores ordinari debent.

Contra ac quidam putant, structurae mundi, quale sit momentum earum pro vita et habitu hominis, ipsum hominem non determinant. E contra, ipse homo structuras determinat. Ex qualitate hominis pendent tum qualitas structurarum tum qualitas fructuum illarum.

Nihil ergo maioris momenti est quam statuere hominem in sua propria dignitate regis mundi et filii Dei.

Hoc est praecise officium proprium sacerdotis. Sacerdotio Christi indutus, est, in ipso, mediator inter Deum et homines. Conatur, vi potestatum supernaturalium quae detinet, introducere in hominem regnum Dei et iustitiam eius: « Regnum Dei intra vos est ». Vi huius consecrationis hominum fit, insuper, possibilis consecratio mundi in ordine, in iustitia et in caritate.

Sacerdos semetipsum dat omnibus hominibus ad offerendum eos Iesu Christo, ut salvet eos et, mediantibus illis, salvet mundum, suam veritatem eos edoceat, sua vita eos vivere faciat et in suam viam eos ducat.

Cum suo episcopo, cuius est necessarius cooperator, docet sacerdos, sanctificat et regit.

Docet et explanat homini, in lumine divino fidei, profundiorem sensum vitae, sensum etiam adversitatum et praesertim sensum finis aeterni. Illis qui intendunt mutare mundum et illum meliorem reddere, praebet thesaurum doctrinae socialis Ecclesiae quae istum conatum lucebit. Sacerdos est « lumen mundi ».

Est etiam sanctificator. Offert sacrificium eucharisticum ut homines de vita Iesu Christi vivant et adunentur in sua caritate, ad laudem Patris. Sacerdos est qui, baptismo et aliis sacramentis, vitam divinam hominibus affert, eos infinite supra seipsos elevat, eis amorem Dei revelat, eos a peccato tyrannico evellit, tandem, eis praebet potentia media ad superandum instinctus, appetitus ac passiones, sic eos adiuvat ad acquirendam illam praeclaram nobilitatem et altissimum dominatum, scil. dominatum in seipsos.

Sacerdos tandem est dux hominum. Suis exemplis et consiliis, eam a corruptione servat. Homines ducit in angustiis et adiuvat in actione. Eos docet medium superandi egoismum naturae insitum, seseque devovendi aliis, sese disiungendi a bonis caducis pro divitiis vitae aeternae ...[3].

Ad recte aestimandam actionem sacerdotis, oportet illam aspicere in suo vero lumine quod est lumen fidei. Aestimatio quoad valorem et efficacitatem actionis sacerdotalis ex solis effectibus visibilibus gravis error esset. Actio sacerdotis, *quae*[4] est praesertim actio Christi per seipsum, necessario ornatur charactere mysterii. Praeter effectus visibiles huius actionis, sunt alii maioris momenti et pretii, magis profundi, qui evadunt a nostra experientia, sed a viva fide divinati et quodammodo percepti.

Dum homines maxime patiuntur seductionem mundi materialis et magno pretio aestimant actionem et efficacitatem ab ipsa actione ortam, mihi videtur maximi momenti paragraphum novam introduci in schemate ubi agitur de vita et ministerio sacerdotali, ut in alto ponantur, lumine theologiae, magnitudo actionis sacerdotalis et mira eius efficacitas.

Concludo.[5] Sic, ut speramus, nostri sacerdotes et carissimi cooperatores, rationem et adiumentum recipient ita ut maneant in elatione intima et gaudio de suo sacerdotio.

Sic etiam possint, protegente Virgine Maria et gratia Dei adiuvante, semper melius intelligere se, dum summo dono suorum ipsorum Iesu Christo efficiunt ut sint illius intimi amici, dum adiuvant illum ad opus salutis implendum et continue vivant sub eius unico amore, « meliorem partem elegisse ». Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] ut eo fiant capaces prodesse fratribus et cum illis aedificare mundum magis iustum, fraternum et felicem. Sic est sal terrae. [4] qui. [5] deest.

[*Subscripserunt etiam*] François Marty, arch. Reims; H. Mazerat, év. Angers; Ch. de Provenchères, arch. Aix; Jean Julien Weber, arch.-év. Strasbourg; A. Atton, év. Langres; C. Dupuy, arch. Albi; Louis Rastouil, év. Limoges; M. Dubois; J. B. Llosa, év. Ajaccio; R. Piérard, év. Châlons; Jean Villepelet, év. Nantes; Marius Maziers, aux. Lyon; Jean Hermil, aux. Autun; Gér. Bannwarth, év. Soissons; G. Leuliet, év. Amiens; André Pioger, év. Sées; J. Le Cordier, aux. Paris; A. Cadoux, praef. ap. Kaolack; J. Evrard; René Stourm, arch. Sens; Henri Varin de la Brunelière, év. Fort-de-France; René Graffin, arch. tit. Mistiae; E. Socquet, arch. tit. Selimbria; B. Collin, év. Digne; René Boudon, év. Mende; André Collini, coad. Ajaccio; Fr. Kervéadou, év. St. Brieuc; Paul Vignancour, év. Valence; Jean de Cambourg, aux. Bourges; A. Fougerat, év. Grenoble; Pierre de la Chanonie, év. Clermont; Roger Michon, év. Chartres; Stephane Desmazières, aux. Bordeaux; Henri Vion, év. Poitiers; Henri Pinault; P. M. Théas, év. Tarbes et Lourdes; A. Pailler, arch. coad. Rouen; René Fourrey, év. Belley; M. Riopel, aux. Rennes; L. de Courrèges, év. Montauban; Paul Gouyon, arch. Rennes; Stanislaus Courbe, aux. Paris; Georges Jacquot, év. Gap; André Bontems, év. Maurienne; Alfred Couderc, év. Viviers; Auguste Jauffrés, év. tit. Arsennaria; J. Bellec, év. Perpignan; André Fauvel, év. de Quimper et Léon; V. Favé,

aux. Quimper; Emile Blanchet, rect. Inst. Cath. Paris; Jacques Martain, év. tit. Neapol. in Palaestina; Jean Dozolme, év. du Puy; André Jacquemin, év. Bayeux et Lisieux; André Rousset, aux. Versailles; Henri Dupont, aux. Lille; Paul card. Richaud; A. Malbois, aux. Versailles; Ioseph Goupy, év. Blois; Gilles Barthe, év. Fréjus-Toulon; H. Donze, év. Tulle; A. Cazaux, év. Luçon; Henri Audrain, arch. Auch; Adrien Gand, coad. Lille; Henri Jenny, aux. Cambrai; Jacques Patria, aux. Beauvais; Bernardin Hoffmann; André Bréheret, év. Cahors; Charles Gachet, év. Castries; R. Kérautret, coad. Angoulème; Lucien Lebrun, év. Autun; Cl. Flusin, év. St. Claude; Paul Chevalier, év. du Mans; François Bougon, év. Moulins; Roger Johan, év. Agen.

Moderator: Nunc autem rogo exc.mum D. Franciscum Marty, arch. Remensem, relationem conclusivam de disceptatione huius schematis legere.

Exc.mus P. D. FRANCISCUS MARTY
Archiepiscopus Remensis

Relatio conclusiva
de disceptatione schematis propositionum
de vita et ministerio sacerdotali

Venerabiles Patres,

Gratias vobis ex toto corde agere volo, nomine commissionis « de disciplina cleri », ob emendationes et additiones quas proposuistis in schema propositionum *de vita et ministerio sacerdotali.* Certiores vos reddere cupio haec omnia accurate a commissione perpendenda esse. Tales animadversiones, una simul cum modis qui in suffragando schemate ad nos transmittantur, efficaciter nostram commissionem adiuvabunt ad complendum et perficiendum textum definitivum propositionum.

Relate tamen ad extensionem et finem huius schematis, manifestare desidero quod — iuxta systematicam qua res in Concilio pertractandae sunt — hae propositiones complecti non debebant omnes quaestiones de sacerdotibus, pro quo mutatus est titulus. De sacerdotibus enim agitur, pro diversitate materiae, in aliis quoque schematibus: nempe, sub adspectu doctrinali, in schemate *de Ecclesia,* ubi iam sermo fit de presbyterio et de aliis quaestionibus respicientibus theologiam presbyteratus; sub adspectu autem formationis, in schemate propositionum *de institutione sacerdotali*; demum, de aliquibus officiis sacerdotalibus in concreto, exempli gratia de parochis, in schemate *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia.* Quapropter statutum fuit ut in his nostris

propositionibus solummodo ageretur de quibusdam adspectibus qui maius momentum habere videntur in vita et ministerio sacerdotum.

Attamen, quamvis expediebat ut de sacerdotibus diversis in schematibus ageretur, commissio nostra ad unanimitatem expressit idem desiderium quod nunc aliqui Patres Concilii expresserunt: desiderium videlicet ut Concilium dirigat ad sacerdotes, « providos cooperatores nostri Ordinis », extensionem propositionum, si nobis missio datur, etiam aliud solemne documentum, ample et exclusive ipsos respiciens. Vividum autem hoc desiderium nostrae commissionis benigne exceptum est, prout heri vobis nunciavit exc.mus secretarius generalis Concilii. Sive quoad extensionem schematis, sive quoad..., munus ergo nobis concreditum est perficiendi et complendi hunc Nuntium solemnem — characterem theologicum pastoralem habentem —, ad universos Ecclesiae sacerdotes, qui, sive schema sive Nuntius, perdurante secunda Sessione Concilii apparari coepit.

Criteria fundamentalia iuxta quae elaboramus in redigendo hoc novo documento Concilii, tempore opportuno vestro iudicio submittendo, haec sunt:

Primum quidem: testimonium exhibere de enixo amore et constanti sollicitudine atque gratitudine quae nos omnes arctissime coniungit cum presbyteris nostris.

Secundum: prae oculis habere omnes determinationes atque dispositiones quae circa sacerdotes statuuntur in diversis schematibus Concilii, necnon ea omnia quae a Patribus in aula Conciliari exposita sunt dum de huiusmodi schematibus disceptatio fiebat.

Tertium: diligentissime etiam considerare propositiones factas perdurante disceptatione nostri schematis *de vita et ministerio sacerdotali,* praesertim circa presbyterium ac unitatem inter episcopos et presbyteros; circa praestantiam et necessitatem sacerdotii ac relationes inter presbyteros et populum Dei in cuius servitium consecrantur, — et etiam relationem cum mundo hodierno.

Demum, cum haec nostra commissio bene intelligat se esse instrumentum Concilii, et hoc quidem pro honore et gaudio habeat, tria a vobis postulare audemus:

Primum: *Quoad propositiones de vita et ministerio sacerdotali*: In suffragatione schematis, si aliqua propositio vobis minus placuerit, nobis clare significare velitis modum iuxta quem desideretis ut talis propositio emendetur vel compleatur, et etiam schema extendatur, nam votum mere negativum minus efficaciter nos adiuvare poterit ut vestris desideriis obsequamur, quod quidem valde exoptamus.

Secundum: Ne quaeratis in illis duodecim propositionibus omnia illa quae pro sacerdotibus uniuscuiusque dioeceseos vel nationis necessaria vobis videntur. Ut saepe iam dictum est, Concilium agit pro tota Ecclesia, et unusquisque episcopus conari debet ut superet limites propriae dioeceseos, vel etiam propriae nationis et mentalitatis, ut de necessitatibus totius Ecclesiae cogitet. Concilium potest tantummodo quaedam principia, vel, ut aiunt, quasdam *orientationes* dare, non quidem iuridicas, sed vere pastorales, dare, quae deinde, sive a Codice Iuris Canonici, sive a conferentiis episcopalibus ad praxim reduci debebunt.

Tertium: *Quoad Nuntium solemnem ad universos Ecclesiae sacerdotes, cuius redactioni nunc operam damus*: Quamquam attente inspeximus omnes animadversiones quas in scriptis exhibuistis circa hunc Nuntium, exeunte secunda sessione Concilii, nunc vos rogamus ut, si quid addendum existimetis, id humanissime ad nos transmittatis, ut in hoc documento contineri possint omnia quae communicare cupimus cum dilectissimis nostris presbyteris, qui ubique terrarum alacri animo nobiscum cooperantur, et nobiscum etiam pondus diei et aestus sustinere debent.

Commissio « de disciplina cleri » cum diligentia et humilitate ad servitium Concilii manet. Gratias.

Moderator: Gratias agimus exc.mo relatori necnon et cunctae commissioni « de disciplina cleri » pro suo arduo labore tanto cum amore confecto.

Suffragatio autem supra hoc schema *de vita et ministerio sacerdotali,* uti iam heri nuntiatum est, fiet die vel diebus qui vobis, venerabiles Fratres, tempore opportuno significabuntur.

Et nunc gressus fit ad disceptationem circa schema decreti *de Ecclesiis orientalibus*. Rogo igitur em.mum D. card. Ioannem Hamletum Cicognani, praesidem commissionis, ut legere nobis velit introductionem ad ipsius schematis disceptationem.

DISCEPTATIO [5]

1 – Schema Decreti
DE ECCLESIIS ORIENTALIBUS *

1. [*Prooemium*]. Orientalium Ecclesiarum instituta, ritus, traditiones ecclesiasticas atque vitae christianae disciplinam Ecclesia catholica semper magni facere consuevit. In eis, enim, utpote veneranda antiquitate praeclaris, elucet ea quae a Patribus est et ab Apostolis traditio,[1] quaeque partem constituit divinitus traditi atque indivisi universae Ecclesiae patrimonii. Ecclesiarum igitur Orientalium, quae huius traditionis testes sunt vivi, sollicitudinem gerens, haec Sancta et Oecumenica Synodus id spectans ut eaedem floreant et novo robore apostolico concreditum sibi munus absolvant, praeter ea, quae ad universam spectant Ecclesiam, capita quaedam statuere decrevit, ceteris ad providentiam Synodorum orientalium nec non Sedis Apostolicae remissis.

De Ecclesiis particularibus

2. Sancta et catholica Ecclesia, quae est Corpus Christi Mysticum, constat ex fidelibus, qui eadem fide, iisdem sacramentis et eodem regimine in Spiritu Sancto organice uniuntur, quique in varios coetus hierarchia iunctos coalescentes, particulares Ecclesias constituunt. Earum autem varietas in Ecclesia nedum eiusdem noceat unitati, eam potius declarat; Ecclesiae enim catholicae hoc propositum est, ut salvae et integrae maneant legitimae uniuscuiusque particularis Ecclesiae traditiones, aedemque pariter vult suam vitae rationem aptare variis temporum locorumque necessitatibus.[2]

---

* In initio fasciculi legitur: « Ss.mus Dominus Noster Paulus Pp. VI, in Audientia hac die infrascripto impertita, statuere dignatus est ut hoc schema, de quo in Concilio Oecumenico Vaticano Secundo deliberabitur, ad eiusdem Concilii Patres transmitteretur.

Ex Aedibus Vaticanis, die XXVII mensis Aprilis, anno MCMLXIV.

Hamletus Ioannes card. Cicognani
a publicis Ecclesiae negotiis

Verba, initio singulorum numerorum litteris inclinatis inter uncos [ ] posita, in redactione definitiva tollentur ».

[5] 3. Huiusmodi particulares Ecclesiae, licet ritibus, ut aiunt, nempe liturgia, ecclesiastica disciplina et patrimonio spirituali partim inter se differant, aequali tamen modo concreduntur pastorali gubernio Romani Pontificis, qui Beato Petro in primatu super universam Ecclesiam divinitus succedit. Eaedem proinde pari pollent dignitate ita ut nulla earum ceteris praestet ratione ritus, atque iisdem fruuntur iuribus et tenentur obligationibus, etiam quod attinet ad propagandam fidem catholicam ubique terrarum sub moderamine Romani Pontificis.

4. Provideatur igitur ubique terrarum tuitioni atque incremento omnium Ecclesiarum particularium, ac propterea constituantur paroe-
[6] ciae atque propria cuiusque hierarchia, ubi id postulat bonum spirituale fidelium; Hierarchae vero variarum Ecclesiarum particularium in eodem territorio iurisdictionem obtinentes, curent, collatis consiliis in periodicis conferentiis, unitatem actionis fovere, et, viribus unitis, communia adiuvare opera, ad bonum religionis expeditius promovendum et cleri disciplinam efficacius tuendam.[3] Omnes denique et singuli fideles, necnon baptizati acatholici ad Ecclesiam catholicam convenientes, proprium ubique terrarum retineant ritum, salvo iure, in casibus particularibus, recurrendi ad Sedem Apostolicam, eumque colant et pro viribus observent.[4]

De spirituali Ecclesiarum Orientalium patrimonio servando

5. Historia, traditiones et plurima ecclesiastica instituta praeclare testantur quantopere de universa Ecclesia Orientales Ecclesiae meritae sint.[5] Quapropter Sancta Synodus patrimonium hoc ecclesiasticum et spirituale non solum aestimatione debita et iusta laude prosequitur, sed etiam tamquam patrimonium universae Christi Ecclesiae firmiter considerat. Quamobrem sollemniter declarat, Ecclesias Orientales iure pollere et officio teneri se secundum proprias disciplinas peculiares regendi, utpote quae veneranda antiquitate commendentur, moribus suorum fidelium magis sint congruae atque ad bonum animarum consulendum aptiores videantur.

6. Sciant ac pro certo habeant omnes Orientales, se suos legitimos ritus liturgicos suamque disciplinam semper servare posse et debere, ac nonnisi ratione proprii et convenientis progressus mutationes inducendas esse. Haec omnia, igitur, maxima fidelitate ab ipsis Orientalibus observanda sunt; qui quidem harum rerum cognitionem in dies maiorem usumque perfectiorem acquirere debent, et si ab iis ob temporum vel personarum adiuncta indebite defecerint, ad avitas traditiones redire

satagant. Illi vero qui ratione sive muneris, sive apostolici ministerii frequens cum Orientalibus Ecclesiis aut cum earum fidelibus habeant commercium, in cognitione rituum, disciplinae, doctrinae, historiae atque indolis Orientalium accurate, pro gravitate officii quod gerunt, versati sint.[6] Religionibus vero et associationibus latini ritus, quae in regionibus orientalibus vel inter fideles orientales operam praestant, enixe commendatur, ut, ad maiorem apostolatus efficaciam, domos aut etiam provincias orientalis ritus, quantum fieri potest, constituant.[7] [6]

De Patriarchis Orientalibus [7]

7. Ab antiquissimis temporibus in Ecclesiis Orientalibus viget institutio patriarchalis, iam a primis Synodis Oecumenicis agnita.[8] Nomine vero Patriarchae orientalis venit episcopus, cui canones tribuunt iurisdictionem in omnes episcopos, haud exceptis metropolitis, clerum et populum territorii vel ritus, ad normam iuris et salvo primatu Romani Pontificis exercendam.[9]

8. Patriarchae Ecclesiarum Orientalium, licet alii aliis tempore posteriores sint, omnes tamen aequales sunt ratione dignitatis patriarchalis, salva inter eos praecedentia honoris legitime statuta.[10]

9. Secundum antiquissimam Ecclesiae traditionem, singulari honore prosequendi sunt Ecclesiarum Orientalium patriarchae, quippe qui suo quisque patriarchatui tamquam pater et caput praesint. Ideo statuit haec Sancta Synodus, ut eorum iura atque privilegia salva maneant, iuxta antiquas traditiones et synodorum oecumenicarum decreta.[11]

10. Quae de Patriarchis sunt dicta, pertinent etiam ad Archiepiscopos maiores, qui universae cuidam Ecclesiae particulari seu ritui praesunt.[12]

11. Cum institutum patriarchale in Ecclesiis Orientalibus sit forma regiminis traditionalis, Sancta et Oecumenica Synodus exoptat, ut, si opus sit, novi erigantur patriarchatus, quorum constitutio Synodo Oecumenicae vel Romano Pontifici reservatur.[13]

De disciplina Sacramentorum

12. Veterem disciplinam de sacramentis apud Orientales Ecclesias vigentem, itemque praxim quae ad eorum celebrationem et ministrationem spectant, Sancta Oecumenica Synodus confirmat et laudat, et, si casus ferat, exoptat ut eadem instauretur.

[7] 13. [*De Ministro S. Chrismatis*]. Disciplina de ministro S. Chrismatis inde ab antiquissimis temporibus apud Orientales vigens plene instauretur. Idcirco presbyteri hoc sacramentum conferre valent, adhibito Chrismate a patriarcha vel ab episcopo benedicto.[14]

14. Presbyteri omnes orientales hoc sacramentum, sive una cum [8] Baptismo sive separatim, valide conferre possunt omnibus fidelibus cuiusvis ritus, latino haud excluso, servatis ad liceitatem praescriptis iuris tum communis tum particularis.[15] Presbyteri quoque latini ritus, secundum facultates quibus gaudent circa administrationem huius sacramenti, valent illud etiam fidelibus Ecclesiarum Orientalium ministrare, servatis quoad liceitatem praescriptis iuris sive communis sive particularis.[16]

15. [*De Ss.ma Eucharistia*]. Iuxta praescripta aut consuetudinem proprii ritus, fideles obligatione tenentur diebus Dominicis et festis Divinae Liturgiae aut celebrationi Divinarum Laudum interesse.[17] Quo facilius hanc obligationem adimplere valeant, eisdem conceditur hoc praeceptum implere inde a vesperis vigiliae usque ad finem diei Dominicae vel festi.[18] Enixe commendatur fidelibus, ut his diebus, imo frequentius ac vel etiam quotidie, Sacram Eucharistiam suscipiant.[19]

16. [*De Ministro S. Poenitentiae*]. Ob quotidianam permixtionem fidelium diversarum Ecclesiarum particularium in eadem regione vel territorio orientali, facultas presbyterorum cuiuscumque ritus excipiendi confessiones, a propriis hierarchis rite et sine ulla restrictione concessa, ad totum territorium extenditur concedentis necnon ad loca et fideles cuiuscumque ritus in eodem territorio, nisi hierarcha loci, quoad loca sui ritus, expresse renuerit.[20]

17. [*De Diaconatu et Ordinibus inferioribus*]. Ut antiqua sacramenti Ordinis disciplina in Ecclesiis Orientalibus iterum vigeat, exoptat haec Sancta Synodus, ut institutum diaconatus permanentis, ubi in desuetudinem venerit, instauretur.[21] Quoad subdiaconatum vero et Ordines inferiores eorumque iura et obligationes, provideat Auctoritas legislativa uniuscuiusque Ecclesiae particularis.[22]

18. [*De Matrimoniis mixtis*]. Ad praecavenda matrimonia invalida, cum catholici orientales cum acatholicis orientalibus baptizatis matrimonium ineunt, et ad consulendum nuptiarum firmitati et sanctitati nec non domesticae paci, omnibus hierarchis orientalibus locorum, exceptis Syncellis sine speciali mandato, facultas conceditur dispensandi proprios subditos a forma canonica in matrimoniis mixtis contrahendis, si illa gravi de causa observari non possit, dummodo saltem pars catholica suetas cautelas sincere praestare parata sit.[23]

De cultu divino [9]

19. [*De temporibus sacris*]. Praeter dies festos omnibus Ecclesiis Orientalibus communes, alios dies festos constituere, transferre aut supprimere unius est Synodi Oecumenicae vel Sedis Apostolicae. Dies vero festos pro singulis Ecclesiis particularibus constituere, transferre aut supprimere, praeter Apostolicam Sedem, competit Synodis patriarchalibus aut archiepiscopalibus, debita tamen ratione habita totius regionis, ceterarumque Ecclesiarum particularium.[24]

20. Donec perveniatur ad optatam inter omnes christianos conventionem de unico die, quo festivitas Paschatis ab omnibus celebretur, interim ad unitatem inter christianos in eadem regione vel natione degentes fovendam, Patriarchis vel Supremis in loco Auctoritatibus committitur, ut, unanimi consensu et collatis consiliis cum iis quorum interest, de festo Paschatis eadem die Dominica celebrando conveniant.[25]

21. Singuli fideles extra regionem vel territorium proprii ritus versantes, quoad legem de temporibus sacris, ad disciplinam in loco ubi degunt vigentem se plene conformare possunt. In familiis mixti ritus hanc legem servare licet iuxta unum eundemque ritum.[26]

22. [*De Officio Divino*]. Clerici et religiosi orientales celebrent iuxta propriae disciplinae praescripta et traditiones Laudes Divinas, quae inde ab antiqua aetate magno in honore fuerunt apud omnes Ecclesias Orientales.[27] Fideles quoque, exempla maiorum secuti, in Divinas Laudes pro viribus et devote incumbant.

23. [*De usu linguarum vernacularum*]. Ad Patriarcham cum Synodo vel ad Supremam cuiusque Ecclesiae Auctoritatem cum Consilio hierarcharum, ius pertinet moderandi usum linguarum in sacris actionibus liturgicis nec non probandi versiones textuum in linguam vernaculam.[28]

De conversatione ecclesiastica cum fratribus separatis

24. [*De unitatis ecclesiasticae studio*]. Ad Ecclesias Orientales, communionem cum Sede Apostolica Romana habentes, peculiare pertinet munus omnium christianorum unitatem, orientalium praesertim, fovendi, precibus imprimis, vitae exemplis, religiosa erga antiquas traditiones orientales fidelitate, mutua et meliore cognitione, mutuo auxilio ac fraterna rerum animorumque aestimatione.[29]

25. Ab Orientalibus separatis, in unitatem catholicam convenienti- [10]
bus, ne plus exigatur quam quod simplex fidei catholicae professio exi-

[10] git. Et cum apud eos sacerdotium validum servatum sit, clericis orientalibus, in unitatem catholicam convenientibus, facultas est proprium Ordinem exercendi, iuxta normas a competenti Auctoritate statutas.[30]

26. [*De « communicatione in sacris »*]. Doctrina catholica tenet « communicationem in sacris cum fratribus separatis », quae unitatem Ecclesiae offendit aut formalem errori adhaesionem vel periculum perversionis in fide, scandali et indifferentismi includit, lege divina prohiberi.[31] Praxis tamen pastoralis demonstrat, ad fratres orientales quod spectat, varia considerari posse et debere singularum personarum adiuncta, in quibus nec unitas Ecclesiae laeditur, nec pericula vitanda adsunt, sed extrema necessitas salutis et bonum spirituale animarum urgent. Ideo Ecclesia catholica, pro temporum, locorum et personarum adiunctis, mitiorem saepe adhibuit et adhibet rationem agendi, salutis media et testimonium caritatis inter christianos omnibus praebens, per participationem in sacramentis aliisque in functionibus et rebus sacris. His attentis, Sancta Synodus, « ne impedimento propter sententiae severitatem simus iis qui salvantur »[32] et ad magis magisque fovendam unionem inter christianos, sequentem agendi rationem statuit.

27. Positis memoratis principiis, Orientalibus, qui bona fide separati inveniuntur ab Ecclesia catholica, si sponte petant et rite sint dispositi, sacramenta Poenitentiae, Eucharistiae et Unctionis Infirmorum conferri possunt; imo, etiam catholicis eadem sacramenta licet petere ab iis ministris acatholicis, in quorum confessione habentur valida sacramenta, quotiescumque id necessitas aut vera spiritualis utilitas suadeat, et accessus ad sacerdotem catholicum physice vel moraliter impossibilis evadat.[33]

28. Item, positis iisdem principiis, communicatio in sacris functionibus, rebus et locis inter catholicos et fratres separatos orientales iusta de causa permittitur.[34]

29. Haec mitior communicationis in sacris cum fratribus separatis orientalibus ratio vigilantiae et moderamini hierarcharum locorum committitur, ut, collatis inter se consiliis, opportunis efficacibusque praeceptis et normis christianorum moderentur conversationem.

[11] NOTAE

[1] LEO XIII, Litt. Ap. *Orientalium dignitas,* 30 nov. 1894, in *Leonis XIII Acta,* vol. XIV, pp. 201-202.

[2] S. LEO IX, Litt. *In terra pax,* an. 1053: « Ut enim »; INNOCENTIUS III, Synodus Lateranensis IV, an. 1215, cap. IV: « Licet Graecos »; Litt. *Inter qua-*

tuor, 2 aug. 1206: « Postulasti postmodum »; INNOCENTIUS IV, Ep. *Cum de cetero,* 27 aug. 1247; Ep. *Sub catholicae,* 6 mart. 1254, prooem.; NICOLAUS III, Instructio *Istud est memoriale,* 9 oct. 1278; LEO X, Litt. Ap. *Accepimus nuper,* 18 maii 1521; PAULUS III, Litt. Ap. *Dudum,* 23 dec. 1534; PIUS IV, Const. *Romanus Pontifex,* 16 febr. 1564, § 5; CLEMENS VIII, Const. *Magnus Dominus,* 23 dec. 1595, § 10; PAULUS V, Const. *Solet circumspecta,* 10 dec. 1615, § 3; BENEDICTUS XIV, Ep. Enc. *Demandatam,* 24 dec. 1743, § 3; Ep. Enc. *Allatae sunt,* 26 iun. 1755, §§ 3, 6-19, 32; PIUS VI, Litt. Enc. *Catholicae communionis,* 24 maii 1787; PIUS IX, Litt. *In suprema,* 6 ian. 1848, § 3; Litt. Ap. *Ecclesiam Christi,* 26 nov. 1853; Const. *Romani Pontificis,* 6 ian. 1862; LEO XIII, Litt. Ap. *Praeclara,* 20 iun. 1894, n. 7; Litt. Ap. *Orientalium dignitas,* 30 nov. 1894, prooem.; etc. [11]

[3] PIUS XII, Motu proprio *Cleri sanctitati,* 2 iun. 1957, can. 4.

[4] PIUS XII, Motu proprio *Cleri sanctitati,* 2 iun. 1957, can. 8: « sine licentia Sedis Apostolicae », sequendo praxim saeculorum praecedentium; item quoad baptizatos acatholicos in can. 11 habetur: « ritum quem maluerint amplecti possunt »; in textu proposito disponitur modo positivo observantia ritus pro omnibus et ubique terrarum.

[5] Cf. LEO XIII, Litt. Ap. *Orientalium dignitas,* 30 nov. 1894; Ep. Ap. *Praeclara gratulationis,* 20 iun. 1894, et documenta in nota 2 allata.

[6] Cf. BENEDICTUS XV, Motu proprio *Orientis catholici,* 15 oct. 1917; PIUS XI, Litt. Enc. *Rerum orientalium,* 8 sept. 1928, etc.

[7] Praxis Ecclesiae catholicae temporibus Pii XI, Pii XII, Ioannis XXIII motum hunc abunde demonstrat.

[8] Cf. Synodum Nicaenam I, can. 6; Constantinopolitanam I, can. 2 et 3; Chalcedonensem, can. 28; can. 9; Constantinopolitanam IV, can. 17; can. 21; Lateranensem IV, can. 5; can. 30; Florentinam, Decr. pro Graecis; etc.

[9] Cf. Synodum Nicaenam I, can. 6; Constantinopolitanam I, can. 3; Constantinopolitanam IV, can. 17; PIUS XII, Motu proprio *Cleri sanctitati,* can. 216, § 2, 1°.

[10] In Synodis Oecumenicis: Nicaena I, can. 6; Constantinopolitana I, can. 3; Constantinopolitana IV, can. 21; Lateranensi IV, can. 5; Florentina, decr. pro Graecis, 6 iul. 1439, § 9. Cf. PIUS XII, Motu proprio *Cleri sanctitati,* 2 iun. 1957, can. 219, etc.

[11] Cf. supra, nota 8.

[12] Cf. Synodum Ephesinam, can. 8; CLEMENS VII, *Decet Romanum Pontificem,* 23 febr. 1596; PIUS VII, Litt. Ap. *In universalis Ecclesiae,* 22 febr. 1807; PIUS XII, Motu proprio *Cleri sanctitati,* 2 iun. 1957, can. 324-327; Syn. Carthaginen., an. 419, can. 17.

[13] Syn. Carthaginen., an. 419, can. 17 et 57; Chalcedonensis, an. 451, can. 21; S. INNOCENTIUS I, Litt. *Et onus et honor,* a. c. 415: « Nam quid sciscitaris »; S. NICOLAUS I, Litt. *Ad consulta vestra,* 13 nov. 866: « A quo autem »; INNOCENTIUS III, Litt. *Rex regum,* 25 febr. 1204; LEO XII, Const. Ap. *Petrus Apostolorum Princeps,* 15 aug. 1824; LEO XIII, Litt. Ap. *Christi Domini,* an. 1895; PIUS XII, Motu proprio *Cleri sanctitati,* 2 iun. 1957, can. 159. [12]

[14] Cf. INNOCENTIUS III, Ep. *Ad episcopum Primatem Bulgarorum,* 27 febr. 1203; INNOCENTIUS IV, Ep. *Sub catholicae,* 6 mart. 1254, § 3, n. 4; Syn. Lugdunensis II, an. 1274 (professio fidei Michaelis Palaeologi Gregorio X oblata); EUGE-

[12] NIUS IV, in Syn. Florentina, Const. *Exsultate Deo,* 22 nov. 1439, § 11; CLEMENS VIII, Instr. *Sanctissimus,* 31 aug. 1595; BENEDICTUS XIV, Const. *Etsi pastoralis,* 26 maii 1742, § II, n. 1, § III, n. 1, etc.; Synodus Laodicena, an. 347/381, can. 48; Syn. Sisen. Armenorum, an. 1342; Synodus Libanen. Maronitarum, an. 1736, P. II, Cap. III, n. 2, et aliae Synodi particulares.

[15] Cf. S. C. S. OFFICII, Instr. (ad Ep. Scepusien.), an. 1783; S. C. DE PROP. FIDE (pro Coptis), 15 mart. 1790, n. XIII; Decr. 6 oct. 1863, C, a; S. C. PRO ECCL. ORIENT., 1 maii 1948; S. C. S. OFFICII, resp. 22 apr. 1896 cum litt. 19 maii 1896.

[16] C.I.C., can. 782, § 4; S. C. PRO ECCL. ORIENT., Decretum « *de Sacramento Confirmationis administrando etiam fidelibus orientalium a presbyteris latini ritus, qui hoc indulto gaudeant pro fidelibus sui ritus* », 1 maii 1948.

[17] Cf. Syn. Laodicen., an. 347/381, can. 29; S. NICEPHORUS CP., cap. 14; Syn. Duinen. Armenorum, an. 719, can. 31; S. THEODORUS STUDITA, sermo 21; S. NICOLAUS I, Litt. *Ad consulta vestra,* 13 nov. 866: « In quorum Apostolorum »; « Nos cupitis »; « Quod interrogatis »; « Praeterea consulitis »; « Si die Dominico »; et Synodi particulares.

[18] Novum quid, saltem ubi viget obligatio audiendi S. Liturgiam; ceterum cohaeret diei liturgicae apud Orientales.

[19] Cf. Canones Apostolorum, 8 et 9; Syn. Antiochena, an. 341, can. 2; TIMOTHEUS ALEXANDRINUS, interrogat. 3; INNOCENTIUS III, Const. *Quia divinae,* 4 ian. 1215; et plurimae Synodi particulares Ecclesiarum Orientalium recentiores.

[20] Salva territorialitate iurisdictionis, canon providere intendit, in bonum animarum, pluralitati iurisdictionis in eodem territorio.

[21] Cf. Syn. Nicaena I, can. 18; Syn. Neocaesarien., an. 314/325, can. 12; Syn. Sardicen., an. 343, can. 8; S. LEO M., Litt. *Omnium quidem,* 13 ian. 444; Syn. Chalcedonen., can. 6; Syn. Constantinopolitana IV, can. 23, 26; etc.

[22] Subdiaconatus consideratur apud Ecclesias Orientales plures Ordo minor, sed Motu proprio PII XII, *Cleri sanctitati,* ei praescribuntur obligationes Ordinum maiorum. Canon proponit ut redeatur ad disciplinam antiquam singularum Ecclesiarum quoad obligationes subdiaconorum, in derogationem iuris communis « Cleri sanctitati ».

[23] Cf. PIUS XII, Motu proprio *Crebrae allatae,* 22 febr. 1949, can. 32, § 2, n. 5° (facultas patriarcharum dispensandi a forma); PIUS XII, Motu proprio *Cleri sanctitati,* 2 iun. 1957, can. 267 (facultas patriarcharum sanandi in radice); S. C. S. OFFICII et S. C. PRO ECCL. ORIENT., an. 1957 concedunt facultatem dispensandi a forma et sanandi ob defectum formae (ad quinquennium): « extra patriarchatus, Metropolitis, ceterisque Ordinariis locorum... qui nullum habent Superiorem infra Sanctam Sedem ». Conditio apposita eruitur ex novissimis decretis S. C. S. OFFICII.

[24] Cf. S. LEO M., Litt. *Quod saepissime,* 15 apr. 454: « Petitionem autem »;
[13] S. NICEPHORUS CP., cap. 13; Syn. Sergii Patriarchae, 18 sept. 1596, can. 17; PIUS VI, Litt. Ap. *Assueto paterne,* 8 apr. 1775; etc.

[25] Cf. Syn. Vaticana II, Const. *De Sacra Liturgia,* 4 dec. 1963.

[26] Cf. CLEMENS VIII, Instr. *Sanctissimus,* 31 aug. 1595, § 6: « Si ipsi graeci »; S. C. S. OFFICII, 7 iun. 1673, ad 1 et 3; 13 mart. 1727, ad 1; S. C. DE PROP. FIDE, Decret. 18 aug. 1913, art. 33; Decret. 14 aug. 1914, art. 27; Decret.

27 mart. 1916, art. 14; S. C. PRO ECCL. ORIENT., Decret. 1 mart. 1929, art. 36; Decret. 4 maii 1930, art. 41. [13]

[27] Cf. Syn. Laodicen., 347/381, can. 18; Syn. Mar Issaci Chaldaeorum, an. 410, can. 15; S. NERSES GLAIEN. ARMENORUM, an. 1166; INNOCENTIUS IV, Ep. *Sub catholicae,* 6 mart. 1254, § 8; BENEDICTUS XIV, Const. *Etsi pastoralis,* 26 maii 1742, § 7, n. 5; Instr. *Eo quamvis tempore,* 4 maii 1745, §§ 42 ss.; et Synodi particulares recentiores: Armenorum (1911), Coptorum (1898), Maronitarum (1736), Rumenorum (1872), Ruthenorum (1891), Syrorum (1888).

[28] Ex traditione orientali.

[29] Ex tenore Bullarum unionis singularum Ecclesiarum orientalium catholicarum.

[30] Obligatio synodalis quoad fratres separatos orientales et quoad omnes Ordines cuiuscumque gradus tum iuris divini tum ecclesiastici.

[31] Haec lex valet etiam in Ecclesiis separatis.

[32] S. BASILIUS M., *Epistula canonica ad Amphilochium, PG.* 32, 669 B.

[33] Fundamentum mitigationis consideratur: 1) validitas sacramentorum; 2) bona fides et dispositio; 3) necessitas salutis aeternae; 4) absentia sacerdotis proprii; 5) exclusio periculorum vitandorum et formalis adhaesionis errori.

[34] Agitur de s. d. « communicatione in sacris extrasacramentali ». Concilium est quod mitigationem concedit, servatis servandis. Commissio de Ecclesiis Orientalibus, tum Praeparatoria tum Conciliaris, fere unanimis fuit in proponenda hac mitigatione quoad fratres separatos orientales.

* * *

Adnotatio: Textus breviatus examinatus fuit quoad omnes et singulos numeros et probatus voto fere unanimi in sessionibus Commissionis, diebus a 10 usque ad 14 martii 1964 habitis.

[17]

APPENDIX

RELATIO

CIRCA RATIONEM QUA SCHEMA ELABORATUM EST [1]

I – DE LABORE A COMMISSIONE PERACTO

Post primam periodum Concilii, mense nempe ianuario 1963, Commissio de coordinandis laboribus Concilii ad hoc instituta, normas opportunas edidit de apparandis schematibus disceptationi Patrum proponendis, servato labore praeparatorio. Inde Commissio de Ecclesiis Orientalibus in mandatis habuit: « Unum ex pluribus conficiatur schema Decreti pro Ecclesiis Orientalibus, in quo ad principia generalia reducantur quae in casu expediat ut in Concilio decernantur » (ex Actis Comm. de coord., die 30 ianuarii 1963, Allig. 9).

Secundum hoc decretum Commissionis de coordinandis laboribus Concilii, mensibus februario-aprili 1963 apparatum fuit schema « de Ecclesiis Orientalibus », ut « hoc schema in Concilio Oecumenico Vaticano secundo discutiendum, ad eiusdem Concilii Patres transmitteretur » (ex Audientia Ss.mi, die 22 aprilis 1963), quod et factum fuit mense maio eiusdem anni.

Schema hoc modo apparatum duabus constabat partibus: I - « De disciplina Ecclesiarum Orientalium », et II - « De unione christianorum orientalium ».

Prima pars, seu disciplinaris, constabat quattuor capitibus, quibus materia praeparatoria comprehensa fuit ad mentem Commissionis de coordinandis laboribus Concilii, qua ex mente quaedam reproponenda videbantur, quae Commissio Centralis vel Subcommissio de emendandis schematibus ad alias sedes remiserat.

Caput I: « De Ecclesiis particularibus » (nn. 2-9). In hoc capite ea proponebantur, quae figuram Ecclesiarum Orientalium earumque promotionem in specie spectabant, quaeque in schemate praeparatorio « De Ritibus in Ecclesia » prostabant et a Commissione Centrali probata fuerunt, visis propositionibus Praelatorum et Universitatum ad Comm. Antepraeparatoriam transmissis. Placuit haec tractare sub titulo generaliore seu « De Ecclesiis particularibus », scilicet s. d. « ritibus » distinctis.

Caput II: « De Sacra Hierarchia » (nn. 10-19). Opportunum nempe visum fuit ut in Concilio ageretur de quibusdam institutis canonicis Orientalibus propriis, considerato eorum momento, et quidem: *a*) « De Patriarchis orientalibus » (nn. 10-14), quorum momentum in Ecclesiis Orientalibus evidens

[1] Praesens relatio visa fuit in sessionibus plenariis Commissionis de Ecclesiis Orientalibus et unanimiter probata.

est; *b*) « De Episcopis » (nn. 15-17), sub aspectu nempe reservationum et [17]
facultatum episcopalium, et quidem propter aspectum oecumenicum quaestionis; *c*) « De Synodis orientalibus » (nn. 18-19), ob peculiarem earum figu- [18]
ram in Oriente, et quia in aliis schematibus de hisce nulla vel insufficiens instituta fuit tractatio vel aspectui oecumenico orientali minus respondens.

Caput III: « De disciplina Sacramentorum » (nn. 20-33). Hic collectae fuerunt eae dispositiones quae ad ministrationem et usum Sacramentorum apud Orientales spectabant, et quidem: *a*) « De Ministro S. Chrismatis » (nn. 20-22), visum fuit necessarium ob antiquam Orientis traditionem, ob adspectum pastoralem nec non oecumenicum relate ad Orientales; solutio quorundam dubiorum C.I.C. hic proposita fuit, quae spectant ad eiusdem Sacramenti validitatem; *b*) « De Sanctissima Eucharistia » (nn. 23-26) agendum erat unice ob respectum ad characterem pastoralem Concilii in procuranda renovatione vitae spiritualis christifidelium orientalium. Ad hoc quaedam selecta fuerunt, quae Commissio Praeparatoria « de Ecclesiis Orientalibus » olim apparavit; *c*) « De Ministro S. Poenitentiae » (nn. 27-29) actum fuit ob momentum ipsius rei ad curam pastoralem orientalem faciliorem et expeditiorem reddendam; cum vero Commissio de Sacramentis schemati respectivo renuntiavit, Commissio de Ecclesiis Orientalibus ad pristinum schema apparatum pro solis Orientalibus rediit, quod schema et materiae in ipso contentae a Commissione Centrali antea probatae fuerunt, etsi ad aliam sedem remissae. Momentum pastorale rei omnino patet, nec non difficultas Orientalium eidem rei concorditer providendi per codificationem orientalem. Innovatio disciplinae in hac materia nonnisi communi consensu, in Concilio obtinendo, praesertim Orientalium Patrum, attentanda erat, et attentata; *d*) « De Diaconatu permanenti » (nn. 30-31) agens, Commissio orientalis utebatur iure suo, provenienti ex peculiari adspectu quaestionis. Venerandae traditiones, necessitas pastoralis et liturgica nec non respectus oecumenicus considerata fuerunt in hac materia Concilio proponenda; *e*) in articulo « de matrimoniis mixtis » (nn. 32-33) agebatur de modo providendi, nempe per facultatem dispensandi a forma canonica, huic peculiari Orientalium quaestioni, quae adspectum sive pastoralem sive oecumenicum exhibet. Fundamentalior provisio sufficientem suffragiorum maioritatem in Commissione Praeparatoria non obtinuit.

Caput IV: « De cultu divino » (nn. 34-44). Varietas et diversitas disciplinarum orientalium nec non christifidelium orientalium in iisdem regionibus permixtio suadebant ut ageretur saltem de minima quadam unitate in hac materia obtinenda, praesertim ob adspectum pastoralem et oecumenicum; inde actum fuit: *a*) « de temporibus sacris », nempe de diebus festis et de abstinentiis (nn. 34-38), ad obtinendam concordantiam disciplinarum orientalium, saltem in minimis, synodaliter et communi consensu praesertim Orientalium; eodem fine agebatur etiam *b*) « de celebratione Paschatis » (nn. 39-40), praesertim ob respectum oecumenicum orientalem; *c*) quaedam exhortatio generalis proposita fuit « de Officio Divino » (n. 41), ut praecaveretur quaelibet confusio in materia; *d*) quasi ad calcem Constitutionis « de Sacra Liturgia »,

[18] schema orientale proposuit quaestionem usus linguarum vernacularum in liturgiis, peculiaribus circumstantiis Orientalium prae oculis habitis (nn. 42-44).

[19] Hisce prima pars schematis expedita fuit, 44 numeris propositis et adnotatis.

Quoad secundam partem: « De unione christianorum orientalium » (nn. 45-54), haec notanda veniunt.

Visis votis Praelatorum et Universitatum nec non considerato momento rei, S. D. N. Ioannes PP. XXIII s. m. iam inde a die 2 iulii 1960 studio Commissionis Praeparatoriae de Ecclesiis Orientalibus sequentem proposuit quaestionem: « de modo reconciliandi Orientales dissidentes » (Quaestiones Commissionibus Praeparatoriis Concilii Oecumenici Vaticani II positae, an. 1960, pag. 20, *c*). Quamplurimis sessionibus plenariis habitis, Commissio schema peculiare de hac materia apparavit illudque Commissioni Centrali examinandum et probandum proposuit. Voto positivo et paucissimis observationibus et emendationibus habitis, schema hoc in prima sessione Concilii discutiendum Patribus propositum fuit et diebus 27 novembris usque ad 1 decembris 1962 examinatum in Aula conciliari sub titulo: « De Ecclesiae unitate: Ut omnes unum sint » (cf. Schemata Constitutionum et Decretorum, series prima, 1962, pp. 251-273). Tandem die 1 decembris sequens « Propositio » probata fuit: « Expleta disceptatione circa Decretum " De Ecclesiae unitate ", sacri Concilii Patres illud adprobant tamquam documentum in quo recluduntur quae in fide sunt communia et uti pignus recordationis et benevolentiae erga fratres separatos Orientis. Hoc Decretum vero, attentis emendationibus propositis, in unum documentum componetur cum Decreto " De Oecumenismo " a Secretariatu ad unitatem Christianorum fovendam confecto et cum cap. XI " de Oecumenismo " schematis Constitutionis dogmaticae " De Ecclesia " ».

Visis deinde observationibus et emendationibus Patrum sive in Aula conciliari sive scripto factis, Commissio de coordinandis laboribus Concilii, die 30 ianuarii 1963, sequens edidit in hac materia decretum: « Commissio de doctrina fidei et morum, Commissio de Ecclesiis Orientalibus et Secretariatus ad unitatem christianorum fovendam conficiant unicum schema " De Oecumenismo " ex schematibus " De unitate Ecclesiae: ut omnes unum sint ", " De Oecumenismo catholico ", " De necessitate orationis pro unitate christianorum maxime temporibus nostris " et ex capite XI schematis Constitutionis dogmaticae " De Ecclesia " » (ex Actis Comm. de coordin. laboribus Concilii, die 30 ianuarii 1963).

Ut huic normae obtemperaretur, schema « de Oecumenismo » apparatum fuit et PP. Concilii in secunda periodo disceptandum propositum; ac revera a diebus 23 nov. usque ad 2 decembris schema examinatum fuit.

Cum tamen in apparando schemate unico « de Oecumenismo » plura ex materiis ad Orientales spectantibus considerari non potuissent, Commissio de Ecclesiis Orientalibus in schemate proprio apparando quaedam principaliora proponere opportunum duxit, quae in parte secunda, sub tit.: « De unione christianorum orientalium » revera proposita sunt. Quae proposita fuerunt,

magna ex parte eiusmodi sunt, ut etiam figuram Ecclesiarum Orientalium [19]
catholicarum illustrent et affirment nec non motum oecumenicum orientalem
melius determinent. Orientalium merita clare enuntiantur, Liturgiae ut patri- [20]
monium commune totius Ecclesiae laudantur, disciplinae peculiares conservandae inculcantur, rituum promotio et conservatio in tuto ponuntur, Orientalium separatorum fides et sacerdotium declarantur et labor ad reconciliandos fratres orientales separatos commendatur, sub auspiciis Dei Genetricis, adiutricis populi christiani.

Schemate hoc modo apparato ad Patres Concilii transmisso, usque ad diem 31 ianuarii 1964 a pluribus transmissae fuerunt emendationes et observationes, quae fere ad 140 numerantur.

Visis tandem omnibus observationibus tum in Aula conciliari tum extra factis, Commissio de coordinandis laboribus Concilii die 15 ianuarii 1964 aliud edidit decretum de apparando schemate orientali, in quo haec habentur: « Lo schema De Ecclesiis Orientalibus sia trattato in Concilio in ossequio alle venerande tradizioni dell'Oriente Cristiano, con l'avvertenza da parte di cotesta Commissione di ridurre l'attuale testo ad alcuni punti fondamentali, che provvedano all'aggiornamento della disciplina, specie per quanto concerne la " Communicatio in sacris " » (ex Actis Comm. de coordinandis laboribus Concilii, die 28 dec. 1963 et 15 ian. 1964).

II – EMENDATIONES PROPOSITAE ET EXCUSSAE IN SESSIONIBUS PLENARIIS COMMISSIONIS DE ECCLESIIS ORIENTALIBUS

Ad totum schema

1) Mutetur titulus: *Schema Constitutionis declarativae et Decreti de Ecclesiis Orientis et Occidentis*; vel: *De Ecclesiis particularibus Orientis et Occidentis*; vel etiam: *De Ecclesiis particularibus.*

Partes vero sic mutentur:

Pars I: *De Ecclesiis particularibus in genere*

Pars II: *De Ecclesiarum Orientalium disciplina*

Pars III: *De unione Ecclesiarum in una, sancta, catholica et apostolica Christi Ecclesia.*

Resp.: Abbreviatio textus tali partitioni non amplius favet.

2) « Placet adumbratio novi textus a R. P. Abbate Ioanne Hoeck proposita, praesertim his rationibus: *a*) quia breviorem praebet formam; *b*) quia sapit spiritum Orientalibus convenientem ».

Resp.: Schema maiori ex parte probatum fuit praescripta maioritate suffragiorum Commissionis.

3) Schema parum novi affert et mentalitatem, quae exclusive latina videtur, sapit.

[20] *Resp.*: Provenit ex votis Antepraeparatoriae et ex textibus Commissionis Praeparatoriae.

4) Unica est catholica Ecclesia, unicus proinde habeatur Codex Iuris
[21] Canonici, cum appendicibus pro singulis ritibus. SS. Congregationes omnes causas latinorum et orientalium simul tractent.

Resp.: Non pertinet ad schema nostrum.

5) « Oritur quaestio, utrum opportunum sit proponere Decretum peculiare de Ecclesiis Orientalibus, an ea, quae ibi tractantur, potius diversis aliis Decretis inserenda sint, praesertim Decreto de Ecclesia, necnon Decretis De Sacramentis, de Oecumenismo, etc. ».

Resp.: Opportunum videtur Commissioni Orientali et Comm. de coordinandis hoc expresse disposuit.

Pars I: De disciplina Ecclesiarum Orientalium (nn. 1-44)

Prooemium

N. 1 (N. 1 et novi textus): *Placet* ut maneat, salvis emendationibus.

6) « Omnino non placet », quia paternalismum sapit.

Resp.: Non est in intentione, sed simplex benevolentia exprimitur ob peculiarem aspectum Orientis.

7) l. 10 « Dicatur: " inter populos orientalium rituum " ».

Resp.: Provisum per aliam emendationem.

I. *De Ecclesiis particularibus*

(in novo textu: *De Ecclesiis particularibus — De spirituali Ecclesiarum orientalium patrimonio servando*).

8) In titulo huius capitis dicatur: « *De ritibus canonicis seu Ecclesiis* ».

Resp.: Deberet primum dari clara definitio termini « ritus ».

9) « In casu suppressionis nn. 2 et 3 titulus sic mutandus videtur: « *De Ecclesiis Orientalibus tuendis atque fovendis* ».

Resp.: Esset forsan quaedam restrictio quaestionis.

N. 2 (N. 2 et novi textus): *Placet,* salvis emendationibus.

10) Numeri 2 et 3 omitti possunt; melius in schema « de Ecclesia » inserantur; ceterum nostrum schema est abbreviandum. Vel saltem invertantur et emendentur.

Resp.: Post longam disceptationem Commissio stetit pro textu, salvis emendationibus.

11) l. 14 Post transpositionem nn. 2 et 3, mutetur initium: « Ideo Ecclesiarum... ».

Resp.: Providebitur, post absolutum examen numerorum.

12) l. 14-5 « Supprimatur sententia: " Ecclesiarum... declarat ", quia varietas intendenda est non velut tolerata ».

Resp.: Nihil praeiudicat textus, immo opportunus videtur.

13) l. 14 « Dicatur: " in Ecclesia catholica " ».

Resp.: Non expedit, quia subintelligitur.

14) l. 15 Loco « nedum eiusdem noceat catholicitati, eam potius de- [22]
clarat », dicatur: « eius catholicitatem declarat », ne suspicio alicuius concessionis habeatur.

Resp.: Commissio accepit dictionem « unitati ».

15) l. 15 Loco « catholicitati » posito « unitati », uti iam decisum, prosequendum: « eius potius catholicitatem demonstrat ».

Resp.: Per se nihil obstat; sed aliter provisum.

16) l. 15 « Post " in Ecclesia " addatur: " universali " ».

Resp.: Non expedit; sufficit, quia subintelligitur.

17) l. 15 ss. Phrasis « Ecclesia enim... necessitatibus » (lin. 19) sic mutetur: « Quare haec Sancta Synodus Oecumenica priorum sequens exempla, singularum Ecclesiarum particularium legitimas traditiones agnoscit ac sancte et integre declarat esse servandas, tuendas atque fovendas, dummodo non aliud suadeant vel poscant temporum locorumque necessitates ».

Resp.: Nihil obstat quominus admittatur, sed sufficit textus.

18) l. 16 Sic corrigatur: « Ecclesia, quia est catholica, intendit... ».

Resp.: Sufficit textus. Subintelligitur.

19) « Hortentur Orientales ad mutationes quasdam, quae tamen ad latinisationem non dirigantur ».

Resp.: Textus substitutivus non datur; idea tamen iam adest in textu.

20) « Invitandi sunt Orientales ad adaptationem hodiernis conditionibus... ».

Resp.: In hoc numero nihil agendum de hac re.

N. 3 (NN. 2-3 novi textus): *Placet,* salvis emendationibus.

21) « Non placet paragraphus in genere sumpta.

Resp.: Non datur textus substitutivus.

22) « Uniformis sit usus dictionis " ritus " ».

Resp.: Providebitur in singulis numeris et proponantur textus.

23) l. 1-4 « Omittatur dictio: " Sancta enim... constituunt ", quia pertinet potius ad schema " de Ecclesia " ».

Resp.: Non obstat alio schemati, et est quasi scholion theologicum dogmaticae evolutionis, quod optime ponitur ut reformabile, ad mentem Const. « De Ecclesia ».

24) l. 2-3 « Videtur his adnumerandum esse adhuc unum vinculum et quidem principale, quod etiam ut internum et externum considerari possit, nempe enumeratam a S. Paulo in *Col.* 3, 14, caritatem ».

Resp.: Non agitur hic de schemate theologico; de hoc in « de Ecclesia ».

25) l. 2 « Loco " fide " aptius dicatur: " professione fidei " ».

Resp.: Sufficit textus, quia subintelligitur.

26) l. 2 « Dicatur: "... Mysticum et populus Dei " ».

Resp.: Provisum in schemate « De Ecclesia ».

[22] 27) l. 5 Addatur: « ... liturgia, ecclesiastica disciplina et spiritualitate partim differentes... ».

Resp.: Potest admitti, et positum fuit: « patrimonio spirituali ».

[23] 28) l. 4-6 Adiungatur mentio elementi formalis Ecclesiarum particularium hoc modo: « Huiusmodi particulares Ecclesiae, quas uti sui iuris expresse vel tacite agnoscit Suprema Auctoritas Ecclesiastica, ritibus, etc. ».

Resp.: Non videtur necessarium ut hoc elementum hic ponatur.

29) l. 6 « Dicatur: " omnes tamen concreduntur ", loco "aequali modo concreditae sunt ", quia non sunt aequali modo concreditae Ecclesia romana vel occidentales ».

Resp.: Romanus Pontifex habet iurisdictionem ordinariam et immediatam in totam Ecclesiam.

30) l. 6-7 Addatur: « ... Concreditae sunt supremo pastorali gubernio Romani Pontificis, qui hucusque (vel: usque nunc) Beato Petro in primatu super universam Ecclesiam divinitus succedit ».

Resp.: « Supremo » potest admitti; « hucusque » tamen potest intelligi ut aliquid non permanens.

31) l. 6 « Post " disciplina " addatur: " necnon et constitutione, theologia et spirituali patrimonio " (ut saltem una vice elementa praecipua enumerentur) ».

« Loco " aequali modo " dicatur: " omnes "; loco " pastorali gubernio " dicatur: " fraternae curae " (" et Tu... confirma fratres "!) ».

Resp.: Sufficit textus.

32) l. 8 « Adverbium " divinitus " omittatur, vel eius loco dicatur: " iure divino " ».

« Loco " Eadem pollent " dicatur: " ceteroquin omnes eadem gaudent " ».

Resp.: Sufficit textus.

33) l. 9 « Post " dignitates " inseratur: " et autonomia "; post " iuribus " inseratur: " iisdemque tenentur obligationibus " ».

Resp.: « Autonomia » est vox non omnimode clara. « Ius » etiam includit obligationes correlativas.

34) l. 10-1 Praecisanda est expressio « sub moderamine Romani Pontificis » nec in oblivionem danda unificatio, partim iam in actu, culturae humanae, ad quam etiam pluralitas rituum respectum habet.

Resp.: Non videtur relatio inter duo alligata.

35) l. 10 « Deleantur verba " sub moderamine Romani Pontificis " (quia per se patet; cf. lin. 7) ».

Resp.: Maneat textus, claritatis gratia.

N. 4 (N. 4 et novi textus): *Placet,* salvis emendationibus.

36) « Tollatur iurisdictio personalis ratione ritus, ob bonum Ecclesiae ».

Resp.: Lectum.

37) « Designentur ii, qui praesident et convocant collationes periodicas et provideatur de coetu permanenti interrituali ». [23]

Resp.: Ad schema « de Episcopis » pertinet, et tractabitur.

38) « Clarius specificetur terminus " ritus " ».

Resp.: Provisum, et proponatur textus in forma.

N. 5 (N. 4 novi textus): *Placet,* salvis emendationibus. [24]

39) Erectio paroeciarum personalium non videtur optanda, cum sit contra planetisationem humanitatis; potius christifideles instruantur hoc modo, ut sint polyvalentes quoad ritum.

Resp.: Saltem nostris temporibus est adhuc necessaria.

40) « Memoranda esset sollicitudo Congr. Orientalis in hac materia ».

Resp.: Non expedit, secus semper mentio facienda esset.

41) l. 19 « Loco " omnium Ecclesiarum particularium " dicatur: " Ecclesiarum Orientalium " ».

Resp.: Nulla Ecclesia excludatur.

42) l. 21 Expressio « ubi postulat » requirere videtur ut quoddam organon has conditiones praeciset.

Resp.: Est Sancta Sedes pro hierarchia, Ordinarius competens pro paroeciis.

43) l. 22 « Omissis verbis " et quantum fieri potest " (uti votatum est), addatur (ut iam votatum): " ubi vero ordinarius cuiusvis ritus iurisdictionem habet in clericos et fideles alieni ritus, eos ad mentem huius ritus paterno more regere debet " ».

Resp.: Additio videtur superflua, et omissa in novo textu.

N. 6 (N. 6 et novi textus): *Placet* unanimiter, salvis emendationibus.

44) Idem problema ponitur pro religiosis ritus latini inter orientales; nonne opportune ad illum ritum orientalem ipsi transibunt?

Resp.: Potest dici, sed relinquatur praxi quotidianae.

45) Ita mutetur: « Ordines vero et congregationes latini ritus, quae inter fideles orientales operam navare intendunt, studeant domos aut etiam provincias orientales constituere. In suo apostolatu etiam ipsae iurisdictioni hierarchae loci subsunt ».

Resp.: Provisum per novum textum.

46) « Addatur ratio magis clare oecumenica ».

Resp.: Sufficit ratio adducta: apostolatus seu bonum animarum.

47) l. 23 « " Ecclesia latini ritus " sitne particularis? ».

Resp.: Provisum supra.

48) l. 24 « Dictio " enixe commendat " non videtur sufficiens, necessarium est praeceptum ».

Resp.: Non videtur opportunum.

49) l. 26 « Addatur sub finem: " ... constituant, in quibus non solum ritus observetur orientalis, sed spiritus quoque orientalis praevalet " ».

Resp.: « Spiritus » non est materia iuris, et supponitur in textu.

[24] *N. 7* (N. 6 novi textus): *Placet,* salvis emendationibus.

50) Addatur: « et sequantur ritum orientalem, si hoc necessarium vel utile est ad efficaciorem apostolatum ».

Resp.: Relinquatur praxi quotidianae.

[25] *N. 8* (N. 4 novi textus): *Placet* unanimiter, salvis emendationibus.

51) « Donetur et fidelibus orientalibus omnis libertas transeundi ad alium ritum ».

52) « Non requirantur formalitates, si agatur de baptizatis in ritu alieno, si ad hunc ritum transire intendunt ».

53) « Addatur: " Unicuique catholico super pubertatis aetatem datur licentia ritum suum seligendi " ».

Resp.: Textus schematis prout stat placuit omnibus Membris Commissionis; nihil proinde mutetur.

54) Individui vel parvae communitates nonne opportunius ad alium ritum transire facile deberent, ut maioritati se uniforment?

Resp.: Periculosum est hoc, potest gignere aliquam indifferentiam, et provisum singulis personis per facultatem sese conformandi ritui vigenti, extra regionem vel territorium proprii ritus.

55) l. 32 « Optandum ut in aliquo territorio ubi ritus particularis orientalis ad fidelium coetum omnino minorem pertineat, Ordinario ritus maioris facultas concedatur ut ipse, propter iustam causam, fidelis transitum ad alium ritum permittere possit ».

Resp.: Eadem responsio ut supra.

56) l. 33-4 « Loco " nec ad alium ritum... " dicatur: " Nec ad aliam Ecclesiam particularem transire valent, nisi cum licentia S. Sedis, exceptis casibus in iure determinatis " ».

Resp.: Videat Commissio pro redigendo Codice orientali.

N. 9 (N. 4 novi textus): *Non placuit* maioritati praescriptae Commissionis.

57) « ... servent, salvo iure, ob gravissimas causas, ad alium ritum transeundi ».

« Melius dicendum: " acatholici orientalis ritus, qui ad catholicae Ecclesiae unitatem admittuntur; in ... " ».

« Disciplina vigens (MP « Cleri Sanctitati », can. 11) conservanda, salvo recursu ad Sedem Apost. ».

« Loco " redeuntes " (lin. 1) dicatur potius " transeuntes " ».

Resp.: Provisum per fundamentalem emendationem textus.

58) Hic textus ab octo Patribus proponitur:

« Baptizati acatholici, ad Ecclesiam Catholicam redeuntes, proprium ritum servare debent, nisi electio alius ritus ab eis ut conditio necessaria reditus sui scriptis interponatur ». Rationes allatae sunt eaedem pro omnibus.

59) Textus redigatur verbis « Cleri Sanctitati » vel saltem « Orientalium dignitas », nempe:

« Baptizati acatholici ad Ecclesiam Catholicam redeuntes, proprium ritum

servare debent, nisi electio alius ritus ab eis ponatur ut conditio eorum reditus ». [25]

60) Hic textus proponitur: « Baptizati acatholici ad Ecclesiam Catholicam redeuntes, amplissima libertate fruantur vel retinendi proprium ritum, vel amplectendi ritum quem ipsi maluerint ».

61) Sequens textus proponitur: « Baptizati acatholici ad Ecclesiam Catholicam redeuntes, proprium ritum servare debent, nisi alius ritus, scripto significato, ab eis eligatur ». [26]

62) « Optandum ut omnes baptizati acatholici ad Catholicam Ecclesiam redeuntes, seligendi ritum libertatem plenam habeant. Ratio: obstaculum superfluum tollatur, ad instar can. 11 M.P. ».

Resp.: Omnibus observationibus sub nn. 57-62 provisum fuit voto fere unanimi Commissionis et modo negativo.

63) Loco « Baptizati acatholici » dicatur: « Baptizati in Ecclesiis fratrum separatorum », quae locutio magis accepta videtur separatis.

Resp.: « Acatholici » est conceptus magis extensus.

II. *De Sacra Hierarchia*
(in novo textu: *De Patriarchis orientalibus*)

De Patriarchis.

64) In nn. 10, 11, 12, 14, 15, 16 (pp. 7-8) — et forte aliis — substitutio expressionis « Romanus Pontifex » in aliam aequivalentem, prout placet.

Resp.: Commissioni placuit ut maneat dictio adhibita.

65) « Principium praecedentiae in Ecclesia Orientali vim satis claram habet... Videtur dignitas Patriarcharum solemniter declaranda post Romanum Pontificem, ut Orientales nullum dubium habeant de voluntate Ecclesiae Romanae ».

Resp.: Enumeratio Sedium non expedit hic et nunc.

66) Restauratio dignitatis patriarchalis erit « simplex reversio ad lamentabilia et periculosa tempora saecul. V et X, cum magno periculo ruinandi ipsam compaginem Ecclesiae ».

Resp.: Ipsam exigunt veritas, iustitia et rectus oecumenismus.

67) « ... minus in " submissione " sub auctoritate Romani Pontificis insistendum est quam in " unione " cum Summo Pontifice, successore beati Petri, cui omnes Hierarchae ad regendam propriam Ecclesiam adhaerere tenentur ».

Resp.: Provisum in schemate « de Ecclesia ».

N. 10: *Non obtinuit* maioritatem praescriptam (omissus in novo textu).

N. 11 (N. 7 novi textus): *Placet* unanimiter, salvis emendationibus.

68) A duobus Patribus proponitur: « Numerus supprimatur, quia definitio inutilis ».

Resp.: Numerus probatus fuit expresse, et proponentes propositionem retraxerunt.

[26] 69) Iurisdictio patriarchalis exerceatur in omnes fideles illius ritus, etiam extra regiones eiusdem (prout quondam fiebat apud Armenos; hodierna die ne apud Armenos quidem rationes supersunt ut haec potestas restringatur).

Resp.: In Concilio solum de principiis; de aliis videat Commissio pro redactione CICO.

70) « Sic mutetur: " Inter hierarchas orientales eminent Patriarchae, seu
[27] Episcopi, quibus canones... exercendam. Quae potestas igitur ab antiquissimis temporibus in Ecclesia vigens, iuris est ecclesiastici " ».

Resp.: Videat Subcommissio ad redigendos textus.

71) « Patriarchae habeant partem in electione Rom. Pontificis ».

Resp.: Provisum prout supra sub n. 10.

72) l. 13 « Post " canones " addatur: " agnoscunt vel... " (uti iam decisum) ».

Resp.: Provisum per aliam emendationem.

73) l. 14 « Post " populum " addatur " alicuius " (territorii, etc.) claritatis causa ».

Resp.: Sufficit textus, et subintelligitur.

74) « Verbum " ritus " mutetur in " Ecclesiae particularis " ».

Resp.: Iam provisum.

75) l. 15 « Ad finem addatur: " Patriarchis pristina praecedentia iterum concedatur " ».

Resp.: Ad Commissionem codificationis.

76) l. 15 « Dicatur: " sub ductu Summi Pontificis " ».

Resp.: Superata per approbationem alius emendationis.

N. 12 (N. 9 novi textus): *Placet,* salvis emendationibus.

77) « In enumerandis rationibus, a quibus auctoritas Patriarcharum deducitur, iuxta evolutionem historicam prius recensenda sunt Concilia Oecumenica, deinde Romanus Pontifex. Insuper ipsa evolutio historica ut ratio, et quidem prima, adducenda est ».

Resp.: Non videtur necessarium, nec expedit.

78) « Totus articulus ad Codicem reformandum remittatur, quia ad ipsum spectat ».

Resp.: Expedit ut de his agatur, quia agitur de principiis.

79) l. 16 « Omissis verbis " secundum antiquiss. Eccles. morem ", prosequendum: " singulari ergo honore... " ».

Resp.: Provisum in novo textu.

80) l. 20 ss. « Post " eorum " addatur " genuina ", loco " privilegia " dicatur " praerogativa ", post " animarum " addatur: " plene restituantur, immo opportune augeantur " (e. gr. praecedentia ante Cardinales, vox in electione Summi Pontificis, etc.) ».

Resp.: Ad Commissionem pro redactione Codicis.

81) l. 23 « Post " restituantur " addatur: " ideoque pristina praeceden-

tia eis est iterum attribuenda ". Ratio: CICO Patriarchas valde degradavit, [27]
id quod aegre fertur ».

Resp.: Ad Commissionem pro redactione Codicis.

82) l. 23 « Textus compleatur hoc modo: " Polleant Patriarchae plena auctoritate sua traditionali. Summo Pontifice nonnisi per modum exceptionis interveniente prout signum aut medium catholicae unitatis in certis casibus, v. gr. recognitio electionis aut nominationis hierarcharum, constitutio novarum sedium, acceptatio legislationis latae in Synodis, etc. " ».

Resp.: Nimis limitat potestatem Summi Pontificis et nec ex toto neque [28]
ex parte maioritatem obtinuit.

83) A duobus Patribus proponitur textus substitutivus nn. 10-14, sic:

I. « Patriarchae sunt in Ecclesia catholica episcopi principales. Gaudent scilicet potestate episcopali plena, quae a canonica limitatione, sicut pro ceteris episcopis, minime vel parum restringitur. Non excedit enim potestatem nativam successorum apostolorum quod antiquiores episcopi, pro sua quisque regione, alios episcopos creent, cum quibus idem territorium collegialiter regant et quibus tamquam principes pastorum praesint ».

II. « Quod autem titulum vel numerum vel territorii fines vel praecedentiam sedium spectat, hoc ad ius ecclesiasticum pertinet ».

III. « Secundum antiquam Ecclesiae traditionem et Oecumenicorum Conciliorum decreta, hi sunt tituli et ordo maiorum sedium patriarchalium: prima sedes Romana Beati Petri Principis apostolorum, secunda Constantinopolitana, tertia Alexandrina, quarta Antiochena, quinta Hierosolymitana ».

(Si vero opportunum esset descendere ad quasdam res particulares, tunc sequentia proponuntur):

IV. « Praeter Romanam sedem, nulla existit sedes patriarchalis ritus latini proprie dicta ».

V. « Patriarchae sic dicti orientales, vi eorum dignitatis, potestatis et traditionalis praestantiae, sive in Oecumenicis Conciliis sive extra eiusmodi concilia, in universalibus scilicet negotiis tractandis, sunt simul cum Romano Pontifice, eorum Summo Praeside, praecipui episcopi illius quae ab undique Ecclesia est ».

VI. « Quae potestas patriarchalis, etsi vocabulum Patriarcha nonnisi tarde apparuit, in episcopos, clericos et fideles proprios, necnon auctoritas in ipsam Ecclesiam universalem, ab antiquissimis, imo apostolicis temporibus viget, a Spiritu Sancto in Corpore Christi Mystico producta ».

VII. « Patriarchae iure ergo traditionali et canonico constituerunt et constituunt, in communione cum Romano Episcopo, Supremum Collegium in Ecclesia ».

VIII. « Quae Florentina Synodus et Romani Pontifices post eam saepe saepius affirmaverunt de iuribus et privilegiis patriarcharum minime imminuendis, haec Sacra Synodus sollemniter confirmat; haec autem iura et privilegia sunt illa quae in millenaria unione Orientis et Occidentis viguerunt, etsi ad nostra tempora aliquando adaptanda sint, minime vero minuenda ».

[28] *Resp.*: Debita disceptatione praemissa, textus propositus, excepto n. II, maioritate praescripta reiectus fuit vel in quibusdam propositio maioritatem sufficientem pro approbatione non obtinuit. Rationes reiectionis: non sat clara interpretatio historica, formulatio non semper adaequata, affirmationes non opportunae finibus praesentis Concilii.

N. 13 (N. 8 novi textus): *Placet,* salvis emendationibus.

84) NN. 13-14 ad Ecclesiam universam extendi possent.

Resp.: Schema tractat tantum de Ecclesiis Orientalibus.

[29] 85) « Optandum ut Patriarchae sedium antiquissimarum praecedentia omnibus in Ecclesia praeter Romanum Pontificem gaudeant, ac, praeterea, ut ad S. R. E. Cardinalium dignitatem eleventur ».

Resp.: Ad Summum Pontificem et Commissionem pro redactione Codicis.

86) l. 25 « Melius diceretur: " tempore anteriores sint " ».

Resp.: Etsi ex se nihil obstet emendationi, Commissio tamen textum schematis probavit.

87) l. 27 A duobus Patribus proponitur: « Pro certo semel indicandum est modo conciliari quaenam est praecedentia inter Patriarchas ».

Resp.: Iam provisum in Codice orientali.

88) l. 27 « Optabile praecedentiam Patriarcharum super omnes alios Praelatos affirmare ».

Resp.: Res remittatur ad Summum Pontificem et extra sedem Commissionis proponatur.

89) l. 27 « Addere oportet: " Patriarchae orientales apostolici praecedentia pollent relate ad Cardinales, iidemque de iure conclavibus participent " ».

Resp.: Iam provisum per praecedentia suffragia, et ad Summum Pontificem.

N. 14 (N. 11 novi textus): *Placet,* salvis emendationibus.

90) « Clara fiat distinctio inter Patriarchas maiores et minores ».

Resp.: Post explicationem, emendatio retracta fuit.

91) « Optandum ut dicatur: " Patriarchae prout tales Collegio Cardinalium adnumerentur; praecedentia secundum diem electionis vel inthronisationis statuatur; ipsi in electione Summi Pontificis partes habeant " ».

Resp.: Pertinet ad Summum Pontificem.

92) « Proponitur ut:

1) Patriarchali dignitate polleant Metropolita Ucrainorum atque archiepiscopi Malabaricorum et Malencarensium.

2) Patriarchae polleant etiam dignitate cardinalitia atque efforment in Sacro Collegio " ordinem cardinalium patriarcharum " ».

Resp.: Non expedit agere de particularibus.

93) « Etiam hic articulus potius ad ius canonicum spectat ideoque illuc est remittendus ».

Resp.: Expedit ut de his agatur in Concilio.

94) l. 28 « Initium fiat: " Agnitio vero et constitutio novorum... " ». [29]
Resp.: Additio superflua, quia agitur de novis patriarchatibus instituendis.
95) l. 28-32 « Textus perficiendus est dicendo in fine: " quod autem Romanus Pontifex non exercebit nisi auditis Patriarchis " ».
Resp.: Non videtur opportunum sic limitari libertatem agendi Summi Pontificis.

De Episcopis. [30]

N. 15 (suppressus in novo textu): *Placuit,* salvis emendationibus, maioritati praescriptae; dein remissus ad Commissionem de Episcopis.

N. 16 (suppressus in novo textu): *Placuit* prima pars, salvis emendationibus (remissus ad Commissionem de Episcopis).

N. 17 (suppressus in novo textu): *Placuit* maioritati praescriptae, salvis emendationibus (numerus remissus ad Commissionem de Episcopis).

De Synodis.

N. 18 (suppressus in novo textu): *Placuit* unanimiter (quaestio tandem remissa ad Commissionem de Episcopis).

N. 19 (suppressus in novo textu): *Placuit* maioritati, salvis emendationibus.

III. *De disciplina Sacramentorum*

De Ministro S. Chrismatis.

N. 20 (N. 13 novi textus): *Placet* maioritati praescriptae, salvis emendationibus.

96) « Praemittantur haec: " Doctrina vetus quoad Sacramenta Baptismatis confirmatur. Quoad Sacramentum Chrismatis vero statuitur: Etsi... " ».
Resp.: Schema praesentat solummodo quasdam quaestiones de Sacramentis, quae sunt necessaria; ceterum Subcommissio provideat per quoddam prooemium praemittendum huic capiti.
97) l. 2 « Dicatur melius: " Idcirco omnes presbyteri orientalium rituum " ».
Resp.: Maneat textus, quia in sequenti numero satis provisum.
98) l. 3 « Dicatur: " adhibito Chrismate rite benedicto " ».
Resp.: Melius est mentionem fieri Patriarchae vel Episcopi ob antiquam traditionem.

N. 21 (N. 14 novi textus): *Placet* maioritati praescriptae, salvis emendationibus.

99) « Confusio in usu termini " ritus " tollenda ».
Resp.: Provisum, et proponatur textus substitutivus.

[30] 100) « Ad Commissionem postconciliarem et praxim cotidianam ».
Resp.: Opportunum principia stabilire in Concilio.

N. 22 (N. 14 novi textus): *Placet* unanimiter, salvis emendationibus.

101) « Ad Commissionem postconciliarem et praxim ».
Resp.: Opportunum ut de his agatur in Concilio.

[31] 102) l. 9-10 « Dicatur hoc modo: " Presbyteri quoque latini ritus, qui curam Orientalium gerunt, ritus orientales assumpti, facultate hoc Sacramentum... " ».
Resp.: Non expedit limitatio, ob bonum animarum.

103) l. 9 « Uniformetur usus termini " ritus " ».
Resp.: Provisum et suppeditetur textus.

104) l. 11 « Loco " administrare " dicatur " conferre " ».
Resp.: Subcommissio provideat.

De Ss.ma Eucharistia.

105) Non placet dispositio materiae in nn. 23-26; desiderat ut tractetur: 1) De Missa; 2) De Communione et 3) De legibus ecclesiasticis.
« Istos duos articulos (23-24) invertendos esse videtur, quia primo de necessario (n. 24), deinde de libero (n. 23) agendum ».
Resp.: Provisum in novo textu.

N. 23 (N. 15 novi textus): *Placuit* unanimiter, salvis emendationibus (reductus in novo textu).

N. 24 (suppressus in novo textu): *Placuit,* salvis emendationibus, et quidem unanimiter.

N. 25 (N. 15 novi textus): *Placuit* unanimiter, salvis emendationibus (textus breviatus fuit).

106) « Non placet haec paragraphus propter facturam imperfectam. Primo loquendum esset de Missa quoad valorem, et postea tantum de obligatione fidelium. Insuper modus loquendi de Eucharistia non permeatur spiritualitate et loquela propria Orientalibus. Agnoscenda esset Eucharistia ut " occursus " cum Christo, et Communio tamquam anticipatio ac pignus supremi occursus in Parousia ».
Resp.: Cum nullus alius textus substitutivus propositus sit, Commissio textum schematis probavit, salvis emendationibus.

107) « Diebus festis de praecepto non dominicis fideles adstringantur Divinae Liturgiae assistendi; sed possint laboribus servilibus vacare. Nam in Oriente iam universalis est labor servilis in illis festis ».
Resp.: Videat Commissio pro redigendo CICO.

108) l. 22 « Statim post " fideles " adiungatur: " gravis obligationis " ».
Resp.: Subintelligitur, sed non est sueta Orientalibus talis locutio.

109) « Verba " aut consuetudinem proprii ritus " substituantur per " consuetudinem propriae Ecclesiae " ».
Resp.: Potest mutari.

110) l. 25 « Adiungantur post " Divinis Officiis " haec: " praecipue Matutinis et Vesperis, praesertim Hebdomadae Sanctae " ». [31]

Resp.: Agitur de obligatione adsistendi Divinae Liturgiae vel Divinis Officiis, ubi mos est, et non convenit descendere ad particularia. [32]

111) l. 26 « Loco " intersint " dicatur: " participent " ».

Resp.: Provideat Subcommissio ad redigendos textus.

N. 26 (N. 15 novi textus): *Placuit* unanimiter, salvis emendationibus.

112) A duobus Patribus proponitur: « Videtur haec facultas non opportuna, ergo non concedenda, quia deberet etiam Occidentalibus concedi, evacuaret diem Dominicam, turbaret significationem theologicam diei festi, introducendo quemdam sabbatismum, cessaret mensura chronologica pro omnibus fidelibus, essent necessariae Liturgiae duplicatae cum gravi incommodo sacerdotum ».

Resp.: Commissio expresse textum schematis unanimiter probavit.

113) « Cum in Oriente dies ab occasu solis incipiat, facultas optimum commodum praebet ».

Resp.: Lectum.

114) l. 27-8 A duobus Patribus proponitur: « Emendetur hoc modo: " Huic obligationi satis fit per adsistentiam... " ».

Resp.: Explicatione accepta, emendatio uti mere formalis retrahitur a Proponentibus.

115) l. 30 « Post ultima verba " diei festi " addatur: " de praecepto " ».

Resp.: Satis provisum ad mentem supra dictorum.

116) l. 30 « Addatur haec exhortatio: " Si fideles nequeunt praeceptum adimplere statis temporibus, instanter invitantur ut S. Liturgiae participent altera die hebdomadae " ».

Resp.: Sufficit et nihil amplius imponatur.

117) Post lin. 30 addatur: « Introducatur celebratio Missae lectae ad satisfaciendum commode praeceptum festivum: non solum una Missa, sed plurimae ».

Resp.: Non videtur necessarium modificare legitimas traditiones liturgicas.

De Ministro S. Poenitentiae.

118) « Quaestio de facultate confessiones excipiendi modo generali pro universa Ecclesia solvenda est, et quidem, per comparationem ad ius hodie vigens, modo essentialiter extensivo ».

Resp.: Iam factum est pro episcopis; de sacerdotibus loqui hic potest speciatim propter multiplicitatem rituum.

N. 27 (suppressus in novo textu): *Placuit* unanimiter, salvis emendationibus.

N. 28 (N. 16 novi textus): *Placet* unanimiter, salvis emendationibus (in novo textu quaestio restricta est).

[32] 119) « Orientalis presbyter in ecclesiis latinis deberet ab Ordinario loci latino facultatem obtinere ».

[33] *Resp.*: Post longam disceptationem, provisum per acceptationem alius emendationis.

120) « Non oportet extendere, saltem quoad latinos fideles, ob principium territorialitatis iurisdictionis, et ob prudentiam ».

Resp.: Expedit ob bonum animarum, et provisum per aliam emendationem.

121) l. 11 « Post verbum " exarchatus " addatur: " exceptis locis exclusivae iurisdictionis alterius ritus " ».

Resp.: Provisum per aliam emendationem, et non expedit limitatio, ob bonum animarum.

N. 29 (N. 16 novi textus): *Placuit* unanimiter, salvis emendationibus (provisum in novo textu).

122) « Ad Commissionem postconciliarem ».

Resp.: Provisum per suffragium praecedens de toto numero.

123) « Post hunc numerum adiungatur numerus peculiaris: " De Sacramento S. Olei seu Infirmorum ", his verbis: " Sacramentum S. Olei ab uno sacerdote impertiri potest; venerata praxis antiqua quoad septem ministros, secundum possibilitatem, non negligatur " ».

Resp.: Post longam disceptationem, dictum fuit: Subcommissio de apparandis textibus, redigat quoddam breve prooemium de sacramentis in genere, in quo traditionalis disciplina sacramentalis Orientalium probetur.

De Diaconatu permanenti.

N. 30 (N. 17 novi textus): *Placet,* salvis emendationibus.

124) l. 21 « Post " permanentis " addatur: " etiam coniugatorum" ».

Resp.: Potius indicatur reditus ad antiquam disciplinam, quae est diversa iuxta varias Ecclesias.

125) l. 27 Proponitur ut adiungatur: « Idem Sacra Synodus exoptat de ordinibus minoribus, ut possint conferri iis qui in Ecclesia Dei cum sacerdote adlaborant, etsi ad diaconatum vel ad sacerdotium non ascendant ». Vel aliquid simile.

Resp.: Indicatur reditus ad antiquam disciplinam, et proinde provideant singulae Ecclesiae.

126) l. 28 « Adiungatur: " ... ut ad hoc institutum et ad Ordines Minores restituenda... " ».

Resp.: Provisum in novo textu.

N. 31 (N. 17 novi textus): *Placuit* unanimiter, salvis emendationibus (generaliori modo provisum in novo textu).

127) « In negotio tanti momenti forsitan melius esset, ut in Patriarchatibus de opportunitate restituendi hoc institutum in quavis provincia ecclesiastica agatur de communi consensu exclusive in Synodis patriarchalibus, et

extra patriarchatus in Synodis provincialibus omnium hierarcharum, approbante vel consentiente Sede Apostolica ». [34]

Resp.: Providebit Concilium in decreto de Conferentiis Episcopalibus.

De Matrimoniis mixtis.

N. 32 (suppressus in novo textu): Sufficientem maioritatem suffragiorum *non obtinuit.* Videat Subcommissio.

N. 33 (N. 18 novi textus): *Placet,* salvis emendationibus, et ad *Subcomm. specialem.*

128) Optanda est restauratio disciplinae ante annum 1949 vigens, i. e. ut matrimonia huiusmodi valida habeantur, etiamsi, deficiente debita permissione, illicita.

« Loco " cautionum " opportunius esset excipere simplicem promissionem nupturientis catholicae — agitur quasi exclusive de sponsa — inquantum moraliter valeat prudentem curam habere de prole in fide catholica baptizanda et educanda. Parochus competens eam de hac morali obligatione modo paterno instruat ».

129) « Hoc (vel simili) modo substituantur nn. 32-33: " Matrimonia mixta, si vitari nequeunt, saltem coram ministro catholico et sub debitis cautelis ineunda sunt, a qua forma nonnisi gravi et rationabili ex causa dispensandum est. Absque tali dispensatione ordinarii loci contracta, huiusmodi matrimonia valida quidem, sed illicita sunt " ».

130) « Optandum ut ad disciplinam ante " Crebrae allatae " redeatur ».

131) « Placet etiam, quod matrimonia mixta in forma canonica contracta apud Orientales illicita quidem, sed tamen valida habeantur, si cum orthodoxis vel aliis baptizatis christianis Orientalium ecclesiarum contrahantur ».

132) « In matrimoniis mixtis cautiones sunt odiosae non catholicis; modo speciali quia matrimonii sacramentum est validum, quod etiam sollemniter affirmatur in praesenti schemate (n. 51) ».

133) « Nisi agatur de sanatione in radice, si concedatur haec facultas, erit causa scandali et magnae confusionis, saltem in America Septemtrionali. De observatione cautionum in hoc casu etiam a catholica parte valde dubitandum est ».

134) « Facultas non videtur providere malis quibus matrimonia mixta apud Orientales laborant. Proponerem limitare formam catholicam exclusive ad catholicos, nempe si utraque pars est catholica ».

135) « Substituatur ita: " Matrimonia christifidelium orientalium cum fratribus separatis, celebranda sunt in ritu viri, hierarcharum tamen conscientia graviter onerata de observantia cautionum quae in iure praescriptae sunt ". Ratio est: quia sacramentum validum ministratur. Posset adiungi: " Ante sacerdotes amborum rituum " ».

136) « Hic textus melius et brevissime ita sonaret: " Cautione autem facta, validum est pro orientalibus matrimonium coram ministro orthodoxo

[35] initum ". Quodsi non placet, ad lineam 14, saltem addatur post verbum " nuptiis ": " ut ergo matrimonium etiam coram ministro orthodoxo sit validum nec ullis censuris innodatum " ».

137) l. 11-12 « Dicatur: " omnes hierarchae locorum orientalium, non vero Syncelli sine speciali mandato, potestate pollent dispensandi ... " ».

138) l. 14-8 A duobus Patribus proponitur: « Emendetur hoc modo: " ... ubi pars acatholica moraliter nequeat se coram competenti parocho sistere "; dictio vero: " et simul... adigat " supprimatur, quia non necessaria; et tandem supprimatur alia dictio: " Hierarcharum... praescriptae sunt ", quia est hortatio excessiva ».

139) l. 8-18 Subcommissio specialis ad hoc delecta proposuit: « Sic mutetur: " ... paci, indulget Sancta Mater Ecclesia ut catholici orientales, si matrimonium contrahant cum acatholicis baptizatis, ad formam celebrationis praescriptam teneantur ad liceitatem tantum; per indulgentiam vero maternam auctoritate Sanctae Synodi sanat et valida declarat talia matrimonia quae ex hoc capite usque adhuc fuerunt invalide contracta "; aliis omissis ».

Resp.: Suffragatione instituta, textus schematis iterum probatus fuit maioritate praescripta (+17/—3). Et hoc modo provisum fuit emendationibus sub nn. 128-139).

IV. *De cultu divino*

140) « Leges statuuntur, quae decreta canonica sunt. Cur has res in Concilio determinare? Relinquantur ad competentes Ecclesiae Orientalis auctoritates ».

Resp.: Principia statuere synodaliter expedit, ob pluralitatem disciplinarum.

141) « Articuli cap. IV, paucis forsan exceptis, non omnino necessarii, immo nec opportuni in nostro schemate esse videntur; partim enim ad ius spectant sive commune sive particulare, ad quod etiam saepius refertur (cf. nn. 34, 35, 36, 37), partim autem eis iam alibi satis provisum est sive in nostro (cf. n. 38 cum n. 8) sive in aliis schematibus (cf. nn. 39 et 40 cum Appendice Constitut. de S. Liturgia et nn. 42-44 cum n. 36 eiusdem Constitut.) ». « Tamen, si retineantur hi articuli, non displicet, salvis emendationibus iam votatis vel etiam votandis et his quae sequentur ».

Resp.: Provisum in novo textu per formam generaliorem.

De temporibus sacris.

N. 34 (N. 19 novi textus): *Placuit,* salvis emendationibus (in generaliorem formam reductus).

142) A duobus Patribus proponitur: « Numeri 34-38 supprimendi sunt, quia materia potius Codicis. Opportune tamen invitabit S. Oecum. Synodus conferentias episcopales vel Synodos particulares ad unificandam disciplinam in hac materia ».

Resp.: Provisum per votum generale, et expedit ut quaedam principia statuantur a Concilio. [36]

143) l. 19 « Dicatur: " Dies festi de praecepto pro omnibus..." ».

Resp.: Subintelligitur, sed non expedit addere expresse, quia dictio non est sueta Orientalibus.

N. 35 (N. 19 novi textus): *Placet,* salvis emendationibus.

144) l. 26 « Post " Sedis Apostolicae " addatur: " quae autem Sedes hoc iure non utitur patriarchis inconsultis " ».

Resp.: Certo Sancta Sedes hoc faciet, etiamsi non imponatur.

145) l. 28 « In fine numeri addatur: " ... aut archiepiscopali, consentiente Sede Apostolica " ».

Resp.: Videndum quid Concilium de Synodis earumque potestate statuet.

N. 36 (suppressus in novo textu): *Placuit,* salvis emendationibus.

N. 37 (suppressus in novo textu): *Placuit,* salvis emendationibus.

N. 38 (N. 21 novi textus): *Placet,* salvis emendationibus.

146) « Omittatur ».

Resp.: Disceptatione ampla praemissa, propositio non obtinuit praescriptam maioritatem, ideo textus schematis manet, salvis emendationibus.

147) l. 11 « In fine addatur: " ... eundemque ritum, sive viri sive mulieris " ».

Resp.: Provideat Subcommissio ad redigendos textus, quia res est quae spectat tantum claritatem.

De celebratione Paschatis.

N. 39 (N. 20 novi textus): *Placuit,* salvis emendationibus (reductus ad formam generaliorem).

148) « Cum Decreto valde laudanda sunt conamina, ut catholici aliique christiani conveniant in unicam diem, qua festivitatem Paschalis omnes celebrent ».

Resp.: Lectum.

149) « Relate ad nn. 39-40 opportunum videtur ut de huiusmodi negotiis tractandis Sedes Ap. opportune praemoneatur ».

Resp.: Non est omnino necessarium ut haec clausula ponatur, ob characterem numerorum.

N. 40 (N. 20 novi textus): *Placet,* salvis emendationibus.

150) « Omittatur, quia vagus ».

Resp.: Provisum per votum expressum contrarium.

151) l. 19 « Simpliciter dicatur: " de festo Paschatis eodem die cele-

[37] brando conveniant ", ut liberum maneat in futuro aliam diem stabiliendi, si dies Dominica propter rationes graves servari non posset ».

Resp.: Non placet ob totum systema kalendarii ecclesiastici nunc vigentis.

De Officio Divino.

N. 41 (N. 22 novi textus): *Placet* unanimiter, salvis emendationibus.

N.B. - Ad sequentes emendationes suffragia lata fuerunt scriptis a viginti circiter Membris Commissionis, quo numero etiam sessiones plenariae Commissionis gaudebant.

De usu linguarum vernacularum in Liturgiis.

N. 42 (N. 23 novi textus): *Placet,* salvis emendationibus.

152) « Remittatur haec quaestio iuri particulari, quia agitur de solis byzantinis, dum aliis non expedit libertas et fratres separati hoc offendi possunt ».

Resp.: Maioritati praescriptae placuit tractatio.

N. 43 (N. 23 novi textus): *Placet* (textus reductus in formam breviorem in novo textu).

153) « Ad Commissionem postconciliarem ».

Resp.: Opportunum ut tractetur, secundum votum maioritatis praescriptae.

154) l. 2 A duobus Patribus proponitur: « Praecisius determinetur " competens Auctoritas " ».

Resp.: Sufficienter provisum in numero praecedenti.

N. 44 (suppressus in novo textu): *Placuit.*

Pars II – De unione christianorum orientalium (nn. 45-54) (in novo textu: De conversatione ecclesiastica cum fratribus separatis)

155) Progressus habetur relate ad pristinum schema de unitate Ecclesiae, nimis diffusum; sed deficit cohaerentia ad schema de oecumenismo et maxime ad schema de Ecclesia.

Resp.: Lectum, et provisum in novo schemate.

156) « Multa dicuntur, quae sunt repetitiones rerum in parte I tractatarum. Eliminentur, ergo ».

Resp.: Sub alio tamen ponuntur aspectu, et provisum in novo textu.

157) ad tit. « Non placet, quia ambiguus; potius dicatur: " De unione christianorum orientalium cum catholicis fovenda " ».

Resp.: Non placuit maioritati praescriptae.

N. 45: Omissus ob reductionem schematis.

N. 46 (N. 24 novi textus): Abbreviatus est textus in novo schemate. [38]

N. 47 (N. 24 novi textus): Textus breviatus in novo schemate.

N. 48 (N. 24 novi schematis): Textus breviatus in novo schemate.

158) « Forma huius numeri nullomodo placet, et de toto est modificanda. Quia conveniret incipere more prorsus positivo, affirmando perspicuam diversitatem Eccl. Particularium orient. mirabiliter illustrare Ecclesiae divitias et pulchritudinem, mediante praecipue traditione patristica, in theologia, per textus liturgicos, ex diversis suis ritibus et variis scriptorum operibus. Contributio haec patristica et theologica, diversitas ipsa rituum, discrepantiae in forma hierarchica optime manifestant Ecclesiam non esse natura sua monolithicam ».

Resp.: Propositio non obtinuit sufficientem consensum, forsan quia nullus textus in forma praesentatus fuit.

N. 49 (N. 24 novi textus): Textus reductus in novo schemate.

159) l. 34 Vetustas non videtur ratio sufficiens et traditionalismum sapit.

Resp.: Loquitur de patrimonio communi Ecclesiae.

160) l. 4-8 « A Sancta Sede urgeatur executio huius consilii ».

Resp.: Pium votum, nullum novum textum suggerit.

N. 50: Omissus in novo schemate.

N. 51 (N. 25 novi textus): Textus abbreviatus in novo schemate.

161) « Cur non confiteri eadem reverentia validitatem tam Episcoporum orientalium quam Patriarcharum non catholicorum? ».

Resp.: Non placuit, quia implicite supponitur, saltem quoad Ordinem.

N. 52 (N. 25 novi textus): Textus abbreviatus in novo schemate.

162) A duobus Patribus proponitur: « Numerus integre supprimatur, quia non stricte necessarius; charactere canonico praeditus, non bene cum toto schemate componitur ».

Resp.: Sententia contraria praescriptum numerum suffragiorum obtinuit, et emendationes consideratae fuerunt.

163) « Hic textus apparenter prae oculis habet conversiones individuales. Maximi autem momenti est unio corporativa. Ad omne dubium tollendum, addendum est ad l. 35: " Praeprimis autem Ecclesiae orientales ad unionem corporativam invitantur ". Insuper l. 33/34: " membra reapse " substituenda sunt per expressionem " membra plena " ».

Resp.: Textus considerat conversiones sive individuales sive corporativas.

164) l. 32 « Quid est illud minimum exigendum? Quaenam est illa formula simplicior? Cuinam incumbit officium determinandi haec omnia, quae non debent relinqui placitis singulorum? Num minimum illud exigendum est etiam a rudibus et pueris? ».

Resp.: Uni soli placuit haec series dubiorum; aliis, et quidem maiori parti, non placuit, et ceteris non satis clara fuit mens propositionis, quia textus

[39] quidam substitutivus non fuit alligatus. Res remittatur ad instructiones postconciliares.

165) A duobus Patribus proponitur: « Sic emendandum: "... ut nobiscum denuo catholicam unitatem restaurent, iubet non plus ab iis convenientibus exigi, quam necessarium revera sit, ut eorum nobiscum reunio in una, sancta, catholica et apostolica Christi Ecclesia clare manifestetur, formula etiam simpliciori adhibita "; quia reunio praesentanda est non veluti reditus; insuper separati orientales iam de plenitudine revelationis participant et membra sunt Ecclesiae ».

Resp.: Emendatio non obtinuit sufficientem numerum votorum consentientium.

166) l. 32-5 « Huius sententiae spiritus oecumenicus magis evaderet eam mutando sic: " ... exigi, quam professionem in una, sancta, catholica et apostolica Ecclesia Christi, formula etiam simpliciori adhibita " ».

Resp.: Non placuit maiori parti Commissionis.

167) l. 34-5 « Melius diceretur: " ... Ecclesiae Christi, super Petrum fundatae ab eoque in aevum pascendae, reapse fiant, formula professionis fidei adhibita, quae uniuscuiusque scientiae et conscientiae respondeat " ».

Resp.: Non placuit, omnibus qui suffragium dederunt, uno excepto.

N. 53 (N. 24 novi textus): Abbreviatus in novo textu.

168) l. 4 « Post " precibus imprimis " addatur: " etiam cum fratribus orthodoxis " ».

Resp.: Non obtinuit sufficientem consensum.

N. 54: Omissus in novo schemate.

Novae propositiones.

169) Contenditur impedimentum ob divortium, et quidem impediens, instituendum esse, ad unionem cum Ecclesia orientali fovendam.

Resp.: Ad Commissionem pro redactione Codicis.

N. B.: 1) Ad quaesitum formaliter propositum: « An placeat expeditio emendationum », Commissio de Ecclesiis Orientalibus Concilii Oecumenici Vaticani II, in sessione plenaria die 26 martii 1964 habita, responsum dedit: *Placet.*

2) Hic eae emendationes tantum recensentur, quae textum schematis breviatum spectant, quaeque reiectae quomodocumque fuerunt.

3) In earum indice caput, numerus, pagina et linea textus prioris (Typis Polyglottis Vaticanis - MCMLXIII), qui prae oculis PP. proponentium fuit, servantur, non tamen omissa textus breviati enumeratione.

4) Quando numerus proponentium emendationi non praeponitur, unum esse proponentem subintelligitur.

2 – INTRODUCTIO

EM.MUS P. D. HAMLETUS IOANNES CARD. CICOGNANI

Praeses commissionis « de Ecclesiis orientalibus »

Schema Decreti « *De Ecclesiis Orientalibus* », quod in eo est ut a Concilii Patribus perpendatur, vult etiam testari catholicorum rituum orientalium praesentiam in hoc maximo conventu Oecumenicae Synodi Vaticanae II.

Fulgentia ac vetusta Orientalium Ecclesiarum monumenta, praedives catholicae doctrinae patrimonium, necnon pietatis thesaurus, quae ab ipsis aevi christiani primordiis Oriens nobis tradidit, eiusque rituum ac sacrae disciplinae peculiaris nota: haec omnia necessario postulabant, velut rem cum tam nobilibus praeteriti temporis memoriis congruentem, ut proprium et singulare Schema pro catholicis Orientis communitatibus adpararetur.

Etenim dum substantialiter etiam de disciplina ecclesiastica cum eis convenimus, tantum de aliquibus separatim dicere debemus, quae Ecclesiis Orientalibus sunt propria; pariterque hac tantum ratione pastoralium rerum incrementis consuli potest; itemque quaedam ecclesiasticae disciplinae quaestiones, cum iisdem incrementis arctissime connexae, solvi queunt.

Praeterea, peculiare schema, quod unice ad Orientales spectet, reverentiam significat, singularem existimationem praebet, atque fraternae caritatis pignus exhibet illis, qui adhuc a nobis seiunguntur.

Hasce ob rationes, Venerabilibus Concilii Patribus considerandum trado atque commendo Decreti Schema « *De Ecclesiis Orientalibus* », a propria Commissione paratum, ad quam efficiendam Beatissimi Patriarchae, Excellentissimi Archiepiscopi et Episcopi diversorum rituum allecti sunt.

Mox audiemus verba Exc.mi ac Rev.mi Domini Gabrielis Bukatko, Archiepiscopi Beogradensis, eiusdem Commissionis Praesidis vice fungentis, qui integrum Schema exponet. Verum ad quaedam argumenta vos intentos esse exopto, Venerabiles Patres, argumenta, dico, quae suapte natura aliquas difficultates praeseferunt, et ad quas superandas, post laboriosum sane studium ac diuturnam considerationem, opportunum visum est ius conditum aliqua ex parte immutare.

Patet, consensionem super hisce argumentis non plene unanimem fuisse; certa enim rerum adiuncta, quae in variis locis in diversisque Ecclesiis cum hisce difficultatibus connectuntur, non aequali ratione per-

penduntur, et aliter ab aliis existimantur sive remedia, ipsis difficultatibus comparanda, sive utilitates, quae a novis susceptis agendi rationibus exspectantur.

Primo. – Quaesitum fuit: *Cuinam ritui accensendi erunt acatholici baptizati orientalis ritus, qui Catholicam Ecclesiam ingrediuntur?* Canone 11 § 1, qui in Motu Proprio a verbis incipiente « *Cleri sanctitati* » die 11 mensis iunii, anno 1957 continetur, eligendi libertas ipsis conceditur, hisce verbis: « Ritum quem maluerint amplecti possunt »; quibus tamen adiungitur: « Optandum tamen est ut ritum proprium retineant ».

Attamen Schema ad numerum quartum haec proponit: « ... omnes denique et singuli fideles, necnon baptizati acatholici ad Ecclesiam catholicam convenientes, proprium ubique terrarum retineant ritum, salvo iure, in casibus particularibus, recurrendi ad Sedem Apostolicam; eumque colant et pro viribus observent ».

Commissio scilicet eo intendit, ut Orientis communitatum ac rituum integritas adamussim defendatur atque servetur, attenta quidem seiunctorum fratrum sollicitudine proprium patrimonium totis viribus tuendi.

Longe maior pars membrorum Commissionis mentem suam professa est, quae concordat cum verbis schematis, et quae respondet condicionibus plurium Communitatum catholicarum in Orientis regionibus, quod attinet autem ad alias Communitates, quibus videtur concedenda esse maior libertas quoad transitum ad alium ritum, satis provisum est per recursum ad *Sedem Apostolicam*.[1]

Secundo. – Altera quaestio, maximi quidem ponderis, *matrimonii formam* respicit.

Motu Proprio, a verbis incipiente « *Crebrae allatae* », die 22 februarii 1949, determinatur et praescribitur *forma* etiam in nuptiis cum baptizatis acatholicis (*can. 50 et 51*).[2]

Propter adiuncta in quibus Orientales versantur, matrimonii celebrationi graves interdum difficultates pariuntur; quam ob rem Commissionis Sodales consenserunt de aliquo inveniendo modo, qui matrimonii validitatem tueretur, cum omnibus divinae gratiae effectibus, qui in familiarum bonum profluunt; et censuerunt extendere ad omnes Episcopos Orientales facultatem *a forma dispensandi,* in memoratis difficultatibus, tamen suetis cautionibus adhibitis.

Dein vero, postquam ad hanc conclusionem devenerunt, ratione habita emendationum, quae a non paucis Concilii Patribus expostulatae sunt, Commissio Orientalis, maiore suffragiorum parte habita, ad aliam

sententiam venit, nempe ut exigeretur canonica forma tantum « ad liceitatem », *dum*[3] ad Sacramenti validitatem satis *est*[4] ut sacer Administer adsit.

Res potius singularis videtur haec esse pro nobis in Occidente et causa admirationis; non ita in quibusdam locis Orientis, ubi fideles saepe longe distant ab ecclesia proprii ritus, pauci sunt sacerdotes et aliae arduae condiciones difficultates gignunt...[5]

Tertio. – Agitur de « *Communicatione in sacris* » cum seiunctis fratribus.

In praxi quaestio sane difficilis est, et Commissio post diuturnas disputationes tandem censuit mitigandam esse vigentem disciplinam, ob bonum animarum.

Ante omnia asseverandum est, in hac materia Divinae Legi nullo modo derogari fas esse — quod certe est in mente omnium —, et ideo reicienda est communicatio illa quae « unitatem Ecclesiae offendit aut formalem errori adhaesionem vel periculum aberrationis in fide, scandali et indifferentismi includit ».

Attamen pastoralis ratio suadet vigentis disciplinae mitigationem, nempe: 1) Sacramentorum validitas apud seiunctos Orientales; 2) eorum bona fides ...[6] atque sincera voluntas; 3) propriae salutis necessitas; 4) amor christianae concordiae et officium benevolentiae caritatisque erga illos fratres.

Quodsi occidentalibus communitatibus huiusmodi lenis agendi ratio quandam difficultatem pariat, haec memorentur oportet: inter Orientales Ecclesias peculiares propinquitatis et consuetudinis necessitudines mutuo intercedere; itemque hunc necessitatis statum (exempli gratia, — uti iam adnotatum — sacerdotum et templorum penuriam) fidelibus notum esse sive catholicis sive acatholicis, qui propterea mutuo caritatis oculo, fraternoque animi oblectamento ad hunc modum agendi, seu ad hanc communicationem respiciunt ...[7]; demum, huiusmodi consuetudinem apud fideles plus minusve iam in usum venisse: « Ecclesia enim catholica, pro temporum, locorum et personarum adiunctis, salutis media et testimonium caritatis inter christianos omnibus praebet ».

Hae solidae rationes, diu perpensae, ...[8] Commissioni suaserunt, ut postrema quattuor Schematis puncta exararentur.

Haec pro me sufficiant...[9]

Antequam finem orationi huic meae imponam, animum valde gratum omnibus Commissionis sodalibus profiteri gaudeo et imprimis sedulo ac diligentissimo Secretario, Rev.mo Patri Athanasio Welykyj, O.S.B.M.;

ii omnes sub sapienti moderatione Eminentissimi Cardinalis Fernandi Quiroga y Palacios, atque Excellentissimi Gabrielis Bukatko, diuturnam ac saepe difficultatum plenam operam in id praestiterunt, eo tantum moti consilio, ut Orientalium Ecclesiarum necessitatibus, et quidem in primis pastoralibus, provideretur, eorumque expectationi apprime responderetur.

In oratione: [1] Sanctam Sedem. Quaestio remanet vexata. Erat traditionale quod patriarcha latinus staret pro libertate necnon alii. Sed tres patriarchae scripserunt litteras non pro libertate sed pro schemate uti proponitur. [2] Sermo est de Orthodoxis, non de Protestantibus. [3] cum erat antiquitus, sed. [4] esse. [5] Quocumque modo, proponitur res vestro iudicio. [6] — qui sunt in bona fide —. [7] in suis parvis pagis. [8] diu agitatae in commissione. [9] Relator dicet plura. Quoniam querelae motae sunt, et etiam istis diebus nonnullas recepi: curnam non de hoc negotio actum est, curnam non de illo?, possum dicere quod commissio orientalis examinavit multas quaestiones, sed post longas orationes et longa examina, postquam laborem non recusaverit, quinimmo inceperit opus, definire censuerunt non esse tractandas in Concilio, non esse examinandas. Proinde vocati sunt tantummodo ad iudicandum de his quae continentur in schemate. In fine advertatur quod, praeter quod facienda est revisio codificationis orientalis, adsunt in oriente patriarchae cum suis synodis, seu cum Conventibus eorum — suorum episcoporum — quibus concredita est disciplina et tutela ritus, et proinde non erat dicendum, tractandum de omnibus.

Moderator: Gratias agimus plurimas em.mo Praesidi Commissionis de sua lucida Introductione. Et nunc velit exc.mus D. Gabriel Bukatko, arch. Beogradensis et adm. ap. Crisiensis, vice-praeses eiusdem commissionis, relationem facere.

3 – RELATIO

Exc.mus P. D. GABRIEL BUKATKO

Archiepiscopus Beogradensis, adm. ap. Crisiensis

Eminentissimi Praesides,

Venerabiles Concilii Patres,

Pulcherrimis nuper auditis verbis introductionis in Schema Decreti, quod nunc vestris suffragiis subiciendum est, honori mihi duco, nomine Commissionis de Ecclesiis Orientalibus, relationem super Schema Decreti « De Ecclesiis Orientalibus » proferre.

Schema nostrum, prout hic iacet, diversas vicissitudines expertum

est. Non est cur historia praeparationis fuse hic exponatur; attamen, aliqua saltem breviter et summatim dicere opportunum videtur, ut eius forma clarius pateat.

SCHEMATIS ORIGO ET PRAEPARATIO

Commissio de Ecclesiis Orientalibus, a Ioanne PP. XIII constituta, ad mandatum suum exsequendum, vota Praelatorum et Universitatum in primis consideravit; ac deinde, postquam florilegium quoddam quaestionum orientalium selegit atque apparavit, per Commissionem Centralem Praeparatoriam idipsum Summo Pontifici probandum proposuit.

Uti notum est, Commissio de Ecclesiis Orientalibus schema suum sub titulo « *De Ecclesiae unitate*: *ut omnes unum sint* » in sessione prima Concilii ad discutiendum Patribus proposuit, quod quidem examinatum fuit in Aula Conciliari a die 27 novembris usque ad 1 decembris 1962. Expleta disceptatione, statutum fuit decreto conciliari: « *attentis emendationibus propositis, in unum documentum componetur cum decreto " De Oecumenismo " a Secretariatu ad unitatem christianorum fovendam confecto et cum capite XI " De Oecumenismo " schematis Constitutionis dogmaticae " De Ecclesia "* ». Eodem sensu Commissio de coordinandis laboribus Concilii, die 30 ianuarii 1963, mentem suam declaravit. Itaque Schema « *De Oecumenismo* » triplici ex fonte derivatum, a Patribus Concilii in secunda sessione, a die 18 novembris usque ad 2 decembris 1963, iterum examinatum fuit, et tandem paucis abhinc diebus in tertia sessione probatum. Hoc modo pars aliqua quaestionum etiam orientalium suam obtinuit provisionem conciliarem.

Cetera capita, quae a Commissione praeparatoria nostra praeparata erant, diversam sortem nacta sunt.

Commissio de Ecclesiis Orientalibus Praeparatoria plura schemata exaravit, quae, in fasciculis separatis edita, Commissioni Centrali proposita sunt. Accepto mandato, die 30 ianuarii 1963, a Commissione de coordinandis laboribus Concilii: « *Ut unum ex pluribus conficiatur Schema Decreti pro Ecclesiis Orientalibus, in quo ad principia generalia reducantur quae in casu expedit ut in Concilio decernantur* », Commissio Conciliaris opus suum explevit per « *Schema Decreti de Ecclesiis Orientalibus* », quod ex Audientia Summi Pontificis, die 22 aprilis 1963, ad Patres Concilii transmissum fuit in Aula Conciliari disceptandum.

Schema hoc duabus constabat partibus, quarum prior « *De disciplina Ecclesiarum Orientalium* », altera vero « *De unione christianorum orientalium* » inscripta erant. In priore parte agebatur « De Ecclesiis particularibus », « De Sacra Hierarchia », « De disciplina Sacramentorum ».

« De cultu divino », et quidem relate ad Ecclesias Orientales. Pars secunda complectebatur quaestiones selectas ex schemate praecedenti « *De unitate Ecclesiae* », quae tamen in novum schema « *De Oecumenismo* », propter suas notas peculiares, admissae non fuerunt.

Schema hoc modo apparatum, initio huius anni 1964 novis observationibus et emendationibus, quae interim missae erant, perfectum est. Die tamen 15 ianuarii 1964 Commissio de coordinandis laboribus Concilii sequens edidit decretum: « *Lo Schema " De Ecclesiis Orientalibus " sia trattato in Concilio in ossequio alle venerande tradizioni dell'Oriente Cristiano, con l'avvertenza da parte di cotesta Commissione di ridurre l'attuale testo ad alcuni punti fondamentali, che provvedano all'aggiornamento della disciplina, specie per quanto concerne la " communicatio in sacris "* ». Proinde, sessionibus plenariis a die 10 martii usque ad 16 eiusdem mensis anni currentis habitis, Commissio textum breviatum examinavit eumque votis fere unanimis probavit, ratione habita etiam animadversionum Patrum Conciliarium. Schema ita apparatum, iussu D. N. Pauli PP. VI, in Audientia die 27 aprilis habita, ad Concilii Patres demum transmissum fuit, et hodie in Aula ad deliberandum proponitur.

Animadversiones quaedam generales in schema

Quatuor dicenda videntur: 1) de schematis necessitate, 2) de eius materia, 3) de eius forma, 4) de eius ulteriori emendatione.

Ad 1), *de decreti necessitate.* – Summi Pontifices Commissionem de Ecclesiis Orientalibus constituerunt, tum Praeparatoriam, tum Conciliarem, eique non solum scopum et limites laborum statuerunt, sed etiam duabus vicibus in Concilio schema apparatum tractari iusserunt, et quidem: a) *in obsequium* erga Orientem christianum eiusque Ecclesias; b) *ob veram necessitatem* providendi vitae ecclesiasticae et religiosae Orientalium catholicorum, saltem quoad nonnullas quaestiones, quae eos tangunt; c) debita *ratione habita fratrum seiunctorum orientalium.* Exinde schema nostri decreti nullum praeiudicium motui oecumenico inferre intendit, imo, eidem inservire cupit, per pastoralem et oecumenicam renovationem in communitates orientales catholicas inducendam.

Ad 2), *de materia decreti.* – Schema nostrum breviter tractat: *a*) de rebus Orientalium *specificis*; b) de rebus vere *necessariis,* non autem de ceteris, quae desiderari poterunt; c) de solis rebus omnibus Ecclesiis Orientalibus *communibus*; d) de rebus *practicis* et faciliter in effectum deducendis; e) de materia praecipue *disciplinari*; f) de iis quae etiam *motum oecumenicum efficacius promovere possunt.* Iuvat denique ad-

notare, nostrum schema tantummodo de iis materiis agere, quae non ex quadam theoretica speculatione, sed *e votis Episcoporum hausta* sunt. Hoc vero genuinum valorem decreti demonstrat.

Ad 3), *de forma decreti.* – Iter sat longum schematis a nobis apparati, de quo supra locuti sumus, formam nostri decreti explicat et iustificat. « *Non multa, sed multum* »: valet adagium etiam quod attinet formam nostri decreti, quod exigit brevitatem expositionis, servata necessaria claritate. Quod obtinere valde laborioso conamine studuimus. Hanc ob causam quidam formam esse nimis iuridicam nobis obiciunt. Sed liceat fateri, brevitatem et claritatem nullo modo esse notas peculiares iuridismi. Hanc ob brevitatem et praecisionem expressionis, *haud facile est ut aliquid mutari possit,* salva substantia materiae. Utique, ut nova addantur textui, via semper aperta manet. Liceat hic etiam notare, schema nostrum non solum quoad substantiam et materiam *esse vere collegiale,* sed etiam quoad formam. Ex peculiari sua constitutione, Commissio nostra semper et *exclusive in plenariis sessionibus egit* tum de materia tum de ipsa forma schematis, hanc et illam proponendo, emendando, perpoliendo et tandem fere unanimiter probando.

Ad 4), *de ulteriori emendatione schematis.* – Viginti quinque Patres vel coetus Patrum usque ad diem 1 octobris currentis anni animadversiones in nostrum schema fecerunt, tum collectivas tum individuales, quae fere omnes numeros nostri schematis tangunt. Quinque sessionibus plenariis habitis, Commissio nostra omnia nobis proposita *attento et laborioso examini subiecit,* et quaedam ratione claritatis sufficienti numero suffragiorum admisit, alia vero non censuit esse admittenda, quia, vel formae vel substantiae decreti non respondebant, vel ad finem decreti haud conducebant, vel extra finem Concilii protendebantur. Quae tamen admissa fuerunt, *in foliis huic relationi adnexis inveniuntur,* uti modificationes textus impressi, quas Commissio nostra censuit inserendas.

Animadversiones particulares in schema

Post breve prooemium, in nn. 2, 3 et 4 sermo fit *de Ecclesiis particularibus,* quibus coalescit Ecclesia universalis seu catholica. Haec realitas nuper in Constitutione « *De Ecclesia* » in cap. III, n. 23, novo textu introducto, in Congregatione generali nostri Concilii admissa et probata fuit, affirmando varietatem in Ecclesia eius unitati non nocere, imo eam potius declarare. Hanc affirmationem schema nostrum ad *consectaria practica* deducit quoad vitam Ecclesiae. Ritus, traditiones, disciplinas peculiares legitima esse iisdemque plenum ius existendi affirmatur, interecclesiales seu interrituales relationes indicantur. Et haec valent non so-

lum pro Ecclesiis Orientalibus, sed etiam pro Ecclesia Latina, quae una est ex Ecclesiis particularibus, prout quidam etiam proposuerunt ut expresse dicatur, et a Commissione acceptum fuit, et inter modos alligatos positum.

In nn. 5 et 6 sermo fit accuratior *de Ecclesiis Orientalibus* deque earum patrimonio spirituali servando. Ius, imo etiam obligatio inculcatur Ecclesiis Orientalibus se secundum proprias disciplinas regendi (n. 5). Imo, patrimonium hoc ut bonum totius Ecclesiae affirmatur, et proinde colendum, observandum, venerandum in apostolatu et relationibus interritualibus (n. 6). Nemo est qui non videat momentum horum numerorum et huiusmodi declarationum pro oecumenismo et pro relationibus inter Ecclesias particulares instaurandis et promovendis.

Numeris sequentibus, 7-11, breviter et per summa capita tantum, sed fortiter, sermo instituitur *de vetustissimo et honorabili instituto Ecclesiae, seu de Patriarchis,* quorum munus et potestas, iura et honores, salvo Primatu Romani Pontificis, describuntur et definiuntur, et quam primum instauranda proponuntur, prout habetur in quodam modo a Commissione admisso. Patriarchis in pluribus aequiparati sunt Archiepiscopi maiores, praesertim in nova codificatione orientali *nuper* [1] promulgata (anno 1957). De hac materia inter rerum peritos sunt hodie diversae sententiae. Quidam domum communem pro conventu fratrum hodie ad invicem seiunctorum omnino et minimis iam praeparatam offerre desiderant, et proinde plus de hoc etiam instituto patriarchali statuere cupiunt. Alii tamen hanc domum tantum apertam pro dialogo declarant, apparandam et exornandam fratribus omnibus in eam conventuris relinquunt, ne ea quae nobis nunc placent vel bona videntur aliis insciis et longe degentibus, forsan ipsis minus commoda in fine fraterni colloquii viderentur.

Hac eadem oecumenica ratione Commissio ducebatur, tractando *de disciplina sacramentorum apud Orientales* (nn. 12-18). De iis quae propria sunt Orientalium egit, quae sunt necessaria, quae sunt renovanda, instauranda; ratio huius selectionis est cura pastoralis, bonum animarum, quod ulterius differri non potest et non debet; quoad S. Chrisma conferendum (nn. 13-14), quoad vitam liturgicam fidelium promovendam (n. 15), quoad sacramentum Poenitentiae ministrandum (n. 16), quoad diaconorum officia exercenda in bonum animarum et Ecclesiae (n. 17), de quibus, quoad Ecclesiam Latinam, Constitutio « *De Ecclesia* » egit (n. 29).

Curam specialem adhibuit Commissio tum Praeparatoria tum Conciliaris, ut *de matrimoniis mixtis Orientalium* meliore quo posset modo provideretur. Plus quam octo sessiones plenariae hunc in finem insumptae

sunt, ad examinandas varias solutiones propositas. Nulla tamen sufficientem obtinuit favorem Commissionis, excepta illa quae in nostro schemate prostat sub n. 18. Est tamen quasi quaedam solutio « in extremis » obtenta, quae fere unanimitatem suffragiorum obtinere semper valuit variis temporibus. Tantummodo in sessione plenaria Commissionis, die 30 septembris 1964 habita, proponentibus variis Patribus Concilii ut quaedam *solutio radicalior* inveniatur, Commissio censuit ut forma canonica pro huiusmodi matrimoniis *tantum ad liceitatem, non vero ad validitatem,* obligaret. Revera 14 Membra ex 21 praesentibus votum affirmativum dederunt. Modus hic in elencho apponitur.

Numeris 19-23 nonnulla principia *de cultu divino* exponuntur: de temporibus sacris, de officio divino, de usu linguarum vernacularum in Liturgiis, de celebratione Paschatis. Omnia ex ipso textu clare patent quoad substantiam et quoad mentem, et proinde nulla indigent ulteriore explicatione.

Ex numeris tandem 24-25 transitus fit ad quaestionem maximi momenti tum oecumenici tum pastoralis, nempe ad sic dictam « *communicationem in sacris* » cum Orientalibus seiunctis (nn. 26-29). Proponitur quaedam mitigatio disciplinae hucusque vigentis, etsi praxis pastoralis ...[2] iam propositionem nostram aliquomodo praevenit. De hac quaestione, etsi breviter tantummodo, tamen quaedam dicenda videntur.

De communicatione in sacris cum Orientalibus non catholicis

Cum fratres orientales a nobis seiuncti disciplinam Ecclesiae Catholicae quoad « communicationem in sacris », prouti viget, generatim aegre ferant eamque considerare soleant nimis rigidam et severam, imo tamquam obicem et impedimentum mutuae comprehensioni et unioni, Commissio de Ecclesiis Orientalibus, cupiens sive *obviam ire necessitatibus spiritualibus suorum fidelium, sive fratribus seiunctis faciliorem et largiorem aditum ad media salutis reddere,* hanc novam mitiorem formam disciplinae « de communicatione in sacris » proponit, utpote non solum necessitatibus nostri temporis, sed etiam votis plurium Patrum Conciliarium magis consonam, atque sequentes considerationes addit:

1) Hic agitur de « communicatione in sacris » *tantum cum fratribus seiunctis orientalibus,* qui scilicet valida servaverunt sacramenta Novae Legis a Christo Domino instituta.

2) Salva est et omnino *in tuto posita vigens doctrina catholica* de « communicatione in sacris », quae docet lege divina semper et ubique

huiusmodi communicationem prohiberi quotiescumque exstat revera periculum: laesionis vel offensionis contra Ecclesiae unitatem, adhaesionis formalis errori, aberrationis in fide catholica, scandali et indifferentismi.

His notatis, in nostro schemate haec proponuntur:

1) Orientales, *qui bona fide seiuncti* sunt ab Ecclesia Catholica, si sponte petant et constet de eorum recta dispositione, admitti possunt ad recipienda sacramenta Poenitentiae, Eucharistiae et Unctionis Infirmorum *apud catholicos*.

Ratio est: quia agitur de mediis salutis quae Christus omnibus fidelibus comparavit et quorum administrationem Ecclesiae suae commisit.

2) Haec sacramenta *etiam catholicis* licet petere ab iis ministris acatholicis ...[3], qui ad confessionem pertineant ubi valida habeantur sacramenta, quotiescumque id necessitas aut vera spiritualis utilitas suadeat et accessus ad sacerdotem catholicum physice vel moraliter impossibilis evadat.

Ratio: si desit sacerdos catholicus, fideles catholici non debent privari mediis sanctificationis ad salutem necessariis; atqui licet his in necessitate aut ob veram spiritualem utilitatem uti ubicumque valida inveniantur.

3) Positis iisdem principiis, communicatio seu participatio quaedam *in sacris functionibus, rebus et locis,* inter catholicos et fratres seiunctos orientales iusta de causa permittitur.

Ratio: Hoc suadent rationes humanitatis, conversationis civilis et motus ad unitatem inter christianos fovendam.

4) *Ordinariis locorum* committitur vigilantia et moderamen disciplinae « de communicatione in sacris » mitioris; iidem proinde, collatis inter se consiliis, *normas opportunas* ferant pro necessitatibus locorum et personarum.

Conclusio

Hac in Aula multa eaque pulcherrima de Orientalibus dicta sunt. Non defuerunt laudes, admiratio illorum Liturgiae, cantus liturgici, disciplinae, traditionum, patrimonii spiritualis et theologici pie servati, atque etiam martyrii, qua laude etiam hoc nostro saeculo nonnullae Ecclesiae Orientales, heroice in fide perseverantes, decorantur. Orientales Sacrosancti huius Concilii coetus participantes, praesertim membra Commissionis de Ecclesiis Orientalibus, quorum maior longe pars ad varios ritus orientales pertinent, iure meritoque fore exspectant ut hoc

Schema a se exaratum, una cum emendationibus a Commissione iam acceptis, Vestrum favorem inveniat, Venerabiles Patres Conciliares, quorum suffragiis proponitur.

In oratione: [1] paucis abhinc annis. [2] in oriente. [3] orientalibus disiunctis.

4 – EMENDATIONES

A COMMISSIONE EXAMINATAE ET PROBATAE

N. 1: lin. 3: Dicatur: « *magni facit* » (loco « magni facere consuevit »).

N. 1: lin. 4: Dicatur: « *ea quae ab Apostolis et ea quae a Patribus est traditio, ...* » (loco: « ea quae a Patribus est et ab Apostolis traditio »).

N. 2: lin. 15: Dicatur: « constituunt. *Inter eas mirabilis communio viget, ita ut* varietas... » (loco « Earum autem varietas... »).

N. 3: lin. 21: Dicatur: « Huiusmodi particulares Ecclesiae, *tum Orientis tum Occidentis,* licet ritibus... ».

N. 3: lin. 27: Dicatur: « etiam quod attinet *ad Evangelium praedicandum in universum mundum* (cf. *Mc.* 16, 15), sub moderamine... » (loco: « attinet ad propagandam fidem catholicam ubique terrarum »).

N. 5: lin. 16: Dicatur: « ... declarat, Ecclesias *Orientis sicut et Occidentis* iure pollere... ».

N. 6: lin. 30-31: Addatur: « ... in cognitione *et cultu* rituum, disciplinae... *instituantur* » (vel « *magis magisque in dies crescant* ») (loco: « versati sint »).

N. 6: lin. 23: Dicatur: « proprii et *organici* progressus » (loco: « convenientis progressus »).

N. 7: lin. 1: Dicatur: « ... *in Ecclesia* viget... » (loco: « in Ecclesiis Orientalibus »).

N. 7: lin. 6: Addatur: « ... exercendam. *Ubique Hierarchia alicuius ritus constituitur, manet aggregatus hierarchiae patriarchatus eiusdem ritus, etiam extra fines territorii patriarchalis* ».

N. 9: lin. 13-4: Emendetur sic: « ... ut eorum iura atque privilegia *quamprimum restituantur,* iuxta antiquas traditiones *uniuscuiusque Ecclesiae* et synodorum oecumenicarum decreta. *Haec autem iura et privilegia sunt illa quae in unione Orientis et Occidentis viguerunt, etsi ad nostra tempora aliquando aptanda sint, minime vero minuenda.*

Patriarchae, cum suis synodis, superiorem constituunt instantiam pro quibusvis negotiis patriarchatus, non secluso iure constituendi novas eparchias atque nominandi episcopos sui ritus ubicumque hoc opportunum videbitur, salvo inalienabili Romani Pontificis iure in singulis casibus interveniendi ».

N. 14: lin. 4: Dicatur: « *ministrationem* » loco: « *ad*ministrationem ».

N. 14: lin. 5: Addatur: « ministrare, *sine praeiudicio ritui,* servatis... ».

N. 18: lin. 30-4: Substituantur haec: « ... domesticae paci, *Sancta Synodus statuit formam canonicam celebrationis pro his matrimoniis obligare tantum ad liceitatem; ad validitatem sufficere praesentiam ministri sacri, servatis aliis de ritu servandis* ».

N. 19: lin. 1-2: Dicatur: « Dies festos pro omnibus Ecclesiis Orientalibus communes *in posterum* constituere, transferre aut... » (omisso: « Praeter »).

N. 24-29: Dicatur: semper « *seiuncti* » loco « separati », ubi in his numeris et alibi veniet haec dictio (ita in tit.; pag. 10, linn. 1, 7, 21, 30, 32).

N. 24: lin. 32: Dicatur: « *collaboratione* » loco: « mutuo auxilio ».

N. 26: lin. 8-9: Dicatur potius: « periculum *aberrationis* » loco: « perversionis ».

5 – PATRUM ORATIONES

9

EM.MUS P. D. FRANCISCUS CARD. KÖNIG
Archiepiscopus Vindobonensis

Patres conciliares,

Loquor ut Ordinarius eorum qui in patria mea ad Ecclesias Catholicas Orientales pertinent.

Schema a commissione magno cum labore confectum inspiratum est eximia aestimatione Ecclesiarum orientalium earumque patrimonii pretiosi. *Pro his omnibus grati sumus.*[1]

In *schema*[2] tamen aliqua desideranda videntur:

1. *In genere*:

a) Ecclesiae orientales non catholicae, ad quas nonaginta quinque inter centum christifideles orientales pertinent, in textu tamquam Ecclesiae non honorantur.

b) Ecclesiae orientales quasi identificantur cum Ecclesiis Sedi Apostolicae Romanae unitae, et relationes ecclesiales cum fratribus orthodoxis considerantur nimis, *uti mihi videtur,*[3] sub aspectu conversionis fidelium, qui ad Ecclesiam Catholicam Romanam reducendi essent.

c) Quae in schemate exponuntur concordanda sunt, ut mihi videtur, cum tertio capite schematis de Oecumenismo, quod a Patribus consensu fere unanimi approbatum est. In illo cap. III habitudo theologica et pastoralis Concilii ad Ecclesias orientales optime exponitur.

2. *In specie*:

a) Quoad prooemium: in ...[4] introductione oriens ut aliqua exceptio a lege communi apparet. Res quoad modum et quoad rem aliter exponitur in cap. III decreti *de Oecumenismo,* ubi traditio genuina orientalis in Ecclesia una et catholica exhibetur.

b) Ad nn. 2-4, ubi de Ecclesiis particularibus sermo est, dicitur primo Ecclesias orientales solas esse Ecclesias particulares, dum vero pars latina Ecclesiae etiam Ecclesiis particularibus componitur. Quoad fundamentum theologicum eiusdem paragraphi perfici possit illis elementis quae continentur in schemate *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia* et in schemate *de Ecclesia.*

c) Quoad nn. 5-6, ubi de spirituali Ecclesiarum orientalium patrimonio servando sermo est, potius de particularismo quodam protegendo schema loqui videtur, dum patrimonium commune totius Ecclesiae antiquissimae traditionis vix extollitur.

d) Ad nn. 7-11. Ad mentem magnorum Conciliorum Oecumenicorum, quae eodem modo ad orientem sicut et ad occidentem pertinent et quae in notis saepe citantur, patriarchatus tamquam expressio antiquissima unitatis Ecclesiae prout est Communio vel Koinonia describendi essent. Quoad legislationem internam — *dico quoad legislationem internam*[5] — mihi videtur agnoscenda esset explicite autonomia iuridica omnium patriarchatuum qui sunt in Ecclesia. Hoc modo via parari possit labori commissionis post-conciliaris ad Codicem reformandum et via sterni pro redintegratione unitatis cum Ecclesiis orthodoxis.

e) Quae in nn. 12-18 (« de disciplina sacramentorum ») et in nn. 19-23: *quae in his numeris*[6] continentur vix ad Concilium Oecumenicum pertinere videntur sed potius ad patriarchatus orientalium.

f) Quoad nn. 24-29, cavendum est ne in sensu proselytismi intelligantur. Ubi de reconciliatione sermo est potius de reconciliatione cum Ecclesiis orthodoxis inquantum sunt Ecclesiae loquendum esset et non sub specie reconciliationis individuorum. Etiam in hac materia componenda sunt ea quae in his numeris dicuntur cum iis quae in schemate

de Oecumenismo *bene*[7] exponuntur. Secus nobis obiiceretur nos alio modo loqui de eadem re in schemate *de Oecumenismo* quam in schemate *de Ecclesiis orientalibus*.

g) Quoad matrimonia mixta haec notare liceat: expressio « mixta » non habet verum sensum theologicum si prae oculis habemus quod sacramenta ut valida considerantur in Ecclesiis orthodoxis ubi etiam matrimonium ut verum sacramentum agnoscitur. Ideo redeundum esset ad praxim per saecula vigentem secundum quam matrimonium coram sacerdote orthodoxo celebratum validum — *sed non licitum*[8] — erat. *Sed haec iam inveniuntur in appendice a commissione approbata.*[9]

Quoad communicationem in sacris, plura laudabiliter exhibentur. Notandum tamen est hic agi de « intercommunione ». Ideo tales decisiones fieri deberent ad modum colloquii cum Ecclesiis sororibus orientis et post consensum stabilitum cum ipsis. Ita appareret principium schematis de Ecclesiis orientalibus, scil. dialogum praecedere debere omnem conatum unionis. Quia iam ingressi sumus periodum reconciliationis quaerendae, in pluribus cum communi consensu agendum esset.

Ideo propono ut schema in his recognoscatur, ut discordantiae inter schema hoc et schema *de Oecumenismo* evitentur et ita revera reluceat quod schema nostrum optime intendit, scil. iusta aestimatio genuini patrimonii orientis. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] schemate. [3] deest. [4] ista. [5] deest. [6] deest. [7] optime. [8] deest. [9] deest.

10

BEAT.MUS P. D. STEPHANUS SIDAROUSS
Patriarcha Alexandrinus Coptorum

Eminentissimi Praesides et venerabiles Patres Concilii,

Schema *de Ecclesiis orientalibus* quod nuperrime nobis propositum est, ut fructus diuturni laboris apparet.

Meritum praecipuum huiusmodi brevis schematis, consistit in eo quod essentialia continet, ac simul ad Synodos Patriarchales curam de decisionibus particularibus, vel magis concretis remittat.

Optandum est, ut longe maiorem partem suffragiorum obtineat, cum redactio influxum et mentalitatem orientalem prae se ferat, nec difficultates taceat, sed rite eas iudicet, et tandem viam aperiat illi dialogo oecumenico qui Ecclesias seiunctas ad contactos fraternos et forsan, die et modo a nobis ignotis, Deo volente, ad Unionem inter nos ducet.

Attamen, aliquas animadversiones breviter proponam circa nonnulla puncta quae maximi momenti videntur:

1. *Circa ipsum schema*: Multi Patres orientales optassent ut ita integraretur in ipso schemate *de Ecclesia,* ita ut inter orientem et occidentem oppositio non fieret, et magis cum una et eadem Ecclesia participes nos omnes esse constaret. Attamen hoc visum fuit impossibile, propter rationes practicas et modum laborandi in commissionibus.

2. Art. 4, pag. 6, linn. 6-10: Melius mihi videtur servare legislationem Motus Proprii *Cleri sanctitati,* a Pio XII, venerandae memoriae, cuius can. 11 decernit quod: « Baptizati acatholici ritus orientalis, qui in catholicam Ecclesiam admittuntur, ritum quem maluerint amplecti possunt, optandum tamen ut ritum proprium retineant ».

Hic textus melior est, quam redactio schematis super hoc puncto. *Et ratio est,* quod eodem tempore in quo Ecclesia libertatem religiosam proclamat, *consilium* dare *potest* acatholicis qui catholici fieri cupiunt, ritum proprium retinendi, sed insimul eis seligendi alium rituum *possibilitatem* det, non exigendo ut hanc possibilitatem requirat ut *conditionem sine qua non* reditus sui ad Ecclesiam catholicam.

3. Art. 9, pag. 7, linn. 12 s.: Melius dicatur: « Ideo statuit haec Sancta Synodus, ut eorum iura atque privilegia, quamprime restituantur iuxta antiquas traditiones uniuscuiusque Ecclesiae et Synodorum decreta », ita ut omittatur vox « oecumenicorum », cum etiam aliae synodi de his statuerunt.

Ratio est, quod « favores ampliandi sunt », cum nemini latet momentum Ecclesiarum orientalium in Proximo Oriente et actualitatem oecumenismi. Negare aliqua privilegia iam antea concessa significaret reditum ad aliquam centralizationem hodie antiquatam.

4. Art. 18, pag. 8, linn. 30 s., in quo tractantur matrimonia mixta. Notandum est quod communitates orientales catholicae, *minoritatem* inter Fratres seiunctos eiusdem ritus constituunt. Etiam familiae saepe saepius religionis mixtae sunt, ratione conversionum individualium. Proinde invaliditate matrimonii mixti coram ministro acatholico nequidem cogitare possunt.

Motu Proprio diei 22 februarii anno 1949, vehementi crisi subiectum est usque hanc diem apud nos. Non paucum retardavit fructus oecumenicos, reticentes aliquos fratres seiunctos fecit, et alios adhuc remotiores reddit.

Propterea *unica methodus* conveniens post experientiam, per sexdecim annos iam peractam, erit substitutio proposita ut emendatio sub n. 18 haec, post verba « domesticae paci »: « Sancta Synodus statuit

formam canonicam celebrationis pro his matrimoniis obligare tantum ad liceitatem; ad validitatem sufficere praesentiam ministri sacri, servatis aliis de ritu servandis ». Dixi.

11

BEAT.MUS P. D. MAXIMOS IV SAIGH

Patriarcha Antiochenus Melchitarum

Vénérables Pères,

Dans ses dispositions disciplinaires, le Schéma « sur les Eglises Orientales » constitue généralement un progrès certain, dont nous voulons féliciter la Commission Orientale qui l'a préparé.

Nous ne pouvons malheureusement pas en dire autant de ce qui, dans le Schéma, relève d'une vision plus doctrinale ou plus œcuménique des problèmes.

C'est ainsi, par exemple, que le préambule loue l'Eglise Catholique pour avoir toujours eu en grande estime les institutions de l'Orient Chrétien. Par là, il oppose ou distingue l'Eglise Catholique, qui adresse cette louange, et les Eglises Orientales à qui cette louange est adressée. Cela fait croire, ou bien que l'Eglise Catholique est identique avec l'Eglise Latine, ce qui n'est pas exact; ou bien que les Eglises Orientales ne sont pas essentiellement de l'Eglise Catholique, ce qui est aussi également inexact.

Mais de tous les chapitres du présent Schéma, le plus faible est incontestablement celui consacré aux Patriarches ...[1]. Ce chapitre, tel qu'il nous est présenté, est ...[2] inadmissible. Il fait fi de l'Histoire et ne prépare nullement l'avenir.

Pour l'institution la plus vénérable de la Hiérarchie après la primauté romaine, le Schéma n'a réussi qu'à donner des définitions scolaires, d'ailleurs incomplètes, et des souhaits platoniques, répétant le plus souvent des textes canoniques récents, comme si Vatican II n'était pas appelé à faire quelque chose en avant, mais devait se contenter du « statu quo » imposé.

Quatre remarques importantes à faire:

Premièrement. Il est faux de présenter le patriarcat comme une institution propre à l'Orient. C'est une institution commune de l'Eglise catholique qui s'honore d'avoir à sa tête le propre successeur de Pierre sur le Siège Romain. Le premier patriarche de l'Eglise catholique est l'évêque de Rome, comme l'ont tant de fois affirmé les Conciles œcu-

méniques, comme cela figure dans la titulature officielle du pape dans l'Annuario Pontificio, comme le confirme le nom même de cette Basilique *Patriarchale* de Saint-Pierre où nous sommes réunis, comme nous le rappelle aussi le nom de la résidence de l'évêque de Rome au palais du Latran, perpétué dans les archives et la pierre: le « Patriarchium ». Successeur de Pierre dans son primat universel sur toute l'Eglise et évêque de Rome, le Pape est aussi Patriarche d'Occident. La tradition patristique et les Conciles œcuméniques l'ont toujours considéré comme tel, sans jamais croire que cela pourrait nuire à sa primauté. Le Pape, qui ne se sent pas diminué du fait qu'il est évêque de Rome, et *à ce titre* égal aux évêques, pourquoi se sentirait-il diminué du fait qu'il est *aussi* Patriarche d'Occident et, *à ce titre* et *sur ce plan,* le collègue des Patriarches d'Orient? Aujourd'hui, dans les milieux occidentaux, par suite d'une séparation de mille ans, on a trop oublié la conception du « Patriarchat d'Occident » et on l'a remplacé par l'institution de quelques patriarchats honorifiques. Cette dernière institution doit disparaître pour laisser place à la vraie conception du patriarchat, conception absolument nécessaire à la sérénité du dialogue avec l'Orthodoxie. Pourquoi nier *les* [3] faits comme si cela pouvait *effacer* [4] l'Histoire?

Deuxièmement. Le patriarchat n'est pas une institution anonyme. Les Conciles œcuméniques, auxquels fait appel le Schéma, ont reconnu cette dignité à des sièges déterminés, qu'ils ont cités nommément, et cela pour des motifs précis, propres à ces sièges. Or, ces sièges doivent de nouveau être cités, même si la liste doit être complétée par le nom d'autres sièges patriarchaux de création plus récente. Il n'est pas permis de parler des patriarches d'Orient sans citer une seule fois par exemple le Saint Siège Romain ou le Siège œcuménique de Constantinople, dont le titulaire représente, au-delà de toute considération de nombre *et* [5] d'efficacité temporelle, le premier dignitaire de l'Eglise Orthodoxe, considéré et honoré comme tel par S. S. le Pape Paul VI. Pour les rédacteurs du Schéma, on dirait que cette rencontre historique à Jérusalem de S. S. le Pape Paul VI et de S. S. le Patriarche œcuménique Athénagoras I[er] ne représente rien.

Troisièmement. Si l'on veut être fidèle à l'histoire, qui est comme l'action du Saint-Esprit dans l'Eglise, il ne faut pas oublier que les titulaires des sièges patriarchaux ont été intimement liés à la sollicitude universelle de toute l'Eglise confiée à Pierre et à ses successeurs. Papes et Patriarches Orientaux ont été, au temps de l'union, les sommets de l'épiscopat universel. A peine élu, l'évêque de Rome envoyait sa profession de foi aux quatre Patriarches d'Orient. Et ceux-ci, dès leur intro-

nisation, faisaient de même entre eux et à son égard exclusivement. Il s'était constitué ainsi dans l'Eglise un collège patriarchal, au « sommet », comme nous le dirions aujourd'hui, de sollicitude universelle, par lequel tout en sauvegardant les droits inaliénables et personnels du successeur de Pierre, s'opérait la communion collégiale visible de toutes les Eglises, de tout l'épiscopat, comme l'attesterait à lui seul cet échange de lettres « iréniques », selon l'appellation en usage dans l'Orthodoxie, sans parler de l'échange du pallium, envoyé aussi bien par les Patriarches au Pape que par le Pape aux Patriarches, et la commémoraison, par chacun des Patriarches, de l'Evêque de Rome et des autres Patriarches.

Il appartient sans doute à l'Autorité Suprême dans l'Eglise de renouveler ou de rajeunir ces formes de l'antique communion ecclésiale. Mais le principe qui les fonde ne doit pas être passé sous silence, si l'on veut offrir à nos frères orthodoxes un avant-projet de charte d'union.

Quatrièmement enfin, le patriarchat n'est pas qu'une simple dignité honorifique. Sa dignité ne doit être que l'expression extérieure de son importance effective. Aussi, il ne faut pas couvrir les Patriarches orientaux d'honneur et de préséance, pour les traiter ensuite en subalternes, dont l'autorité est conditionnée, dans les moindres détails, par d'infinis recours obligatoires, antécédents et subséquents, aux dicastères de la Curie Romaine. Restant sauves les prérogatives du successeur de Pierre, le Patriarche, avec son Saint-Synode, doit être normalement l'instance ultime pour toutes les affaires de son Patriarchat. C'est cette autonomie canonique interne qui a sauvé les chrétientés d'Orient de toutes sortes de vicissitudes à travers l'histoire. Elle pourrait être une forme intéressante à envisager pour d'autres groupes ecclésiaux, se trouvant en conditions particulières. Elle pourrait aussi servir comme *lien* [6] d'union entre l'Eglise catholique et d'autres Eglises, aussi bien d'Occident que d'Orient.

Je termine.[7] Vénérables Frères, quand on parle de l'Orient, il ne faut pas penser seulement à ceux qui, humblement, le représentent aujourd'hui au sein du Catholicisme romain. Il faut réserver la place de l'Absent. Il ne faut pas fermer le circuit du catholicisme sur une latinité dynamique et conquérante d'une part, et sur une fraction d'Orient plus ou moins faible, assimiliée et absorbée, d'autre part. Il faut laisser le circuit ouvert. Faisons la catholicité fidèle à ses affirmations solennelles, à sa définition de catholique dans l'universalité. *Faisons-la grande,*[8] non pour nos humbles personnes et nos communautés, en heureuse communion avec Rome, mais pour *que* [9] nos Eglises d'origine

s'y reconnaissent,[10] lorsqu'elle se sera élargie de fait comme de droit, dans la réalisation de l'amour, aux dimensions de l'Univers. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] (nn. 7-11). [2] même. [3] ces. [4] les effacer de. [5] ou. [6] base. [7] deest. [8] Faisons la maison assez grande, non pour le petit nombre de ceux qui l'habitent actuellement, mais pour le grand nombre de ceux que l'on y invite, et qui sont de la maison. Prévoyons la demeure grande, belle et noble. [9] deest. [10] qui aspirent à y entrer.

Moderator: Proxima congregatio generalis erit crastina, feria sexta, hora nona.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: Reponatur Sacrosanctum Evangelium.

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE

Quoad schema de vita et ministerio sacerdotali

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE

QUOAD SCHEMA DE VITA ET MINISTERIO SACERDOTALI

1

EM.MUS P. D. MICHAEL CARD. BROWNE

1. Ut in par. 1, pag. 8, lin. 14 dicatur: « ... eas *quoque* virtutes colat... ».
2. Ut in par. 2, pag. 8, lin. 39, dicatur: « gratia Dei confisi se dedicaverunt... ».
3. Ut in par. 3, pag. 9, lin. 39, omittantur verba « quae quidem spiritu liturgico informentur oportet ».

Potius necesse est ut vita liturgica informetur pietate et spiritu orationis. Unde hic dicerem « quae summopere utilia sunt ut vita liturgica spiritu profundae pietatis informetur... ».

Ut alicubi in par. 3 inseratur phrasis sequentis vel similis tenoris: « Summopere curent ut Sacrosanctum Missae Sacrificium digne celebrent. Digna enim Missae celebratio est maxime sanctificativa ipsius sacerdotis. Est enim exercitium perfectum virtutis religionis erga Deum, et caritatis erga Deum et homines ».

2

EM.MUS P. D. IOSEPH M. CARD. BUENO Y MONREAL

Archiepiscopus Hispalensis

Episcopi subsignati proponunt ut in schemate *de vita et ministerio sacerdotali* definitive exarando, ratio habeatur de iis quae in aula conciliari dicta sunt circa consociationes sacerdotales pro vita spirituali, culturali ac apostolica, et praeterea ut circa securitatem quam dicunt socialem sacerdotum (ad n. 11 vel 12 textus emendati), haec aut similia dicantur: « Curent omnes episcopales conferentiae ut in propria natione constituatur aliquod institutum quod, sub vigilantia ecclesiasticae hierarchiae, satis provideat sive congruenti assistentiae sanitariae sive sufficienti sustentationi in casibus invaliditatis et senectutis omnium sacerdotum.

Sacerdotes vero huic instituto opem ferant non egoistico propriae utilitatis intuitu, sed spiritu caritatis erga fratres et ut, sine sollicitudine de sorte futura, alacriori sensu evangelico paupertatem colant ac animarum saluti penitius se tradant.

Satagant autem ii ad quos spectat ut inter huiusmodi instituta diversarum nationum opportuna foedera sive pactiones ineantur tum ad mutuum robur

firmandum tum ad maiorem territorialem beneficiorum extensionem consequendam ».

Rationes: *a*) Ita in praxim deducuntur quae Pius Papa XII dixit in exhortatione apostolica *Menti Nostrae.*

b) Hoc modo bono sacerdotum melius consulitur.

c) Si haec ita fiant, sacerdotes, sine ullo angore de futura sorte, impensius ac libentius apostolico ministerio vacare poterunt, sine ulla turpis quaestus specie.

[*Subscripserunt etiam*] Ferdinandus card. Quiroga Palacios, arch. Compostellanus; Casimiro Morcillo, arch. Matritensis-Complutensis; Ioseph Pont, ep. Segobricensis-Castellionensis; Antonius Añoveros, ep. Gad et Sept.

3

EM.MUS P. D. IOSEPH CARD. FRINGS

Archiepiscopus Coloniensis

Ad propositionem 5, pag. 10, lin. 34, loco « essentialia » dicatur « praecipua ».

Ad propositionem 9:

1. Pag. 12, linn. 22-24, deleatur « secundum rei naturam atque iuxta antiquitus inductam et ab Ecclesia firmatam consuetudinem ».

2. Pag. 12, lin. 24, post verbum « destinari » inseratur « imprimis ».

3. Pag. 12, linn. 28-31, textus « Itaque nemini... impendere » mutetur sic: « Itaque monentur sacerdotes, ne officium ecclesiasticum quaestui habeant nec redditus ab eo provenientes in propriae rei familiaris amplificationem impendant ». *Ratio*: ne conscientia sacerdotum nimis oneretur.

4. Pag. 12, lin. 35, addatur: *C.I.C.* can. 239 § 1, n. 19 opprimatur.

Ad propositionem 12:

1. Pag. 13, lin. 26, loco « clericos» dicatur « sacerdotes ».

2. Pag. 13, linn. 28-32, textus « quantum fieri poterit... derivantium » mutetur sic: « inquantum fieri potest et opportunum est, massa communis constituatur bonorum praecipue immobilium; oblationes fidelium et collectae pro sustentandis sacerdotibus bene ordinentur; institutiones quae eorum senectuti et invaliditati provideant (Pensions-, Krankenkassen) erigantur; alii quoque fontes aperiantur apertique foveantur ». *Ratio*: sustentatio et pensio non solum massa communi bonorum constituenda, ne optime quidem semper, e. g. imminente pecuniae inflatione, muniri possunt.

4

EM.MUS P. D. NORMANNUS THOMAS CARD. GILROY
Archiepiscopus Sydneyensis

Ad n. 16. Dolendum est, quod in ultimo textu schematis decreti de ministerio et vita presbyterorum omnino siletur de cultu Ss. Eucharistiae. Quod silentium eo molestius ferimus quia: *a*) affert mutationem textus iudicio Patrum submissi et a nemine repudiati; *b*) inducit deletionem unici loci ex omnibus schematibus, qui mentionem faciebat de cultu erga Ss. Eucharistiam; *c*) omissionem secum fert unius ex mediis ad pietatem sacerdotalem nutriendam iam in can. 125 *C.I.C.* peculiari modo recensitis.

Ex quinque mediis de quibus agitur in can. 125 *C.I.C.* schema duo omittit, quorum, proh dolor!, unum ad visitationem Ss. Sacramenti refertur.

Quod autem in relatione ad n. 16 dicitur, nempe: opportunum visum esse *aliqua praecipua media* enumerare, in quibus hoc pium exercitium non includatur, id non potest errorem non confirmare eorum qui autumant Concilium Vaticanum II parvipendere devotionem vel pietatem erga Ss. Sacramentum.

Placeat praeterea hic referre verba Ioannis XXIII f. r., quae leguntur in Litteris encyclicis *Sacerdotii Nostri primordia,* primo exeunte saeculo a morte S. Ioannis M. Bapt. Vianney editis: « Sacerdotalis (enim) precatio diutissime producta ante adorabile Altaris Sacramentum tali pollet dignitate atque efficacitate, quae a sacerdote nulla alia ratione haberi, *nullo alio modo substitui possit* » (*A.A.S.*, 51 [1959], n. 11, pag. 562).

Insuper plus quam 100.000 sacerdotes adoratores per universum orbem dispersos ex restitutione mentionis de piis ad Tabernacula visitationibus, ad hoc pium exercitium se fortiter excitatos esse sensuros nemini latet.

Quamobrem enixe rogamus ut primus textus qui explicitam mentionem de cultu erga Ss. Eucharistiam faciebat restituatur.

[*Subscripserunt etiam*] Raul Silva Silva, ep. tit. Eudoxiadensis, aux. Rancagua; Eric Grasar, ep. Salopiensis; Henricus Systermans, sup. gen. SS. CC.; Ioseph Buckley, sup. gen. S. M.; L. Lemay, ep. tit. Agbia; Daniel Stuyvenberg, ep. tit. Dionisiade; George Pearce, ep. tit. Attalea de Pamphylia; Antoine Hacault, ep. aux. S. Bonifatii, Canada; Ioseph Eugenius Corrêa,ep. Caratingensis in Brasilia; Ioseph, ep. Garanhuns; Marius, arch. Parahybensis; José Bezerra Coutinho, ep. Stantianus; José Varani, bispo Jaboticabal; Thomas Vaquero, bispo São João da Bôa Vista; José de Aquino Pereira, Presidente Prudente; Alexander Gonçalves do Amaral, arch. Uberaba; Antonius de Castro Mayer, ep. Camposinus; José de Sousa Lima, arzob. Manáus; Tiago Ryan, Santarem; Delphinus Ribeiro Guedes, ep. S. Ioannis a Rege; Paulus, ep. Parnaibensis; Aloisius Peluso, ep. Cachoeirensis; Emmanuel da Cunha Cintra, ep. Petropolitanus; Pedro Paulo Koop, ep. Linensis; Agnelo Rossi, arch. el. São Paulo; Vincentius Marchetti Zioni, ep. Bauruensis; Gerardus M. M. Penido, arch. Judiciforensis; Adolfo Luis Bossi, coad. Grajaú; Ioseph Petrus, ep. Caetitensis; Ioseph Nicomedes Grossi, ep. Speloeopolitanus a

Bono Iesu; Ioseph Costa Campos, ep. Valentinus in Brasilia; Altivo Pacheco Ribeiro, ep. Bairensis de Pirahy; Othon Motta, ep. Campaniensis in Brasilia; José Gonçalves da Costa; Alonso Silveira de Mello, ep. tit. Nasaitensis; Manuel Tavares de Araújo, bispo Caicó; Ruy Serra, ep. S. Caroli in Brasilia; Raimundo, bispo aux. Fortaleza; José Terceiro de Souza, bispo de Penedo; Vicente de Araújo Matos, bispo de Crato; Antonius, bispo Ilheusensis; Archangelus Cerqua, ep. tit. Olbiatanus; Antonius Barbosa, ep. Campi Grandis; Zacarias Rolim de Moura, bispo Cajazeiras; J. Gazza, ep. tit. Circesiensis; Cesario Minali, prael. null. Carolina; José Melhado Campo, bispo Lorena; Daniel Tavares Baeta Neves, ep. Septemlacunensis; Oscar de Oliveira, arch. Manianensis; P. W. Buckley, sup. gen. O.S.F.S.; C. Blanchet, sup. gen. Miss. B.M.V. a La Salette; G. Gaudreau, sup. gen. C.SS.R.; Ioseph De Palma, sup. gen. S.C.J.; H. Mondé, sup. gen. S.M.A.; J. Schütte, sup. gen. S.V.D.; M. Quéguiner, sup. gen. M.E.P; L. Volker, sup. gen. P.A.; Wilfrid Dufault, sup. gen. A.A.; William M. Slattery, sup. gen. C.M.; J. Van Kerckhoven, sup. gen. M.S.C.; J. J. Hoffer, S.M.; O. De Grijse, sup. gen. C.I.C.M.; Saba Jouakim, sup. gen. O. Bas. Ss. Salv.; Domenico Fiorina, sup. gen. I.M.C.; Enrico Bliestle, sup. gen. M.S.F.; Arthur Fr. Fox, ep. tit. Rhinocoruritanus, Melbourne, Australia.

5

Exc.mus P. D. GEORGIUS VILLELMUS AHR

Episcopus Trentonensis

Schema propositionum *de vita et ministerio sacerdotum* placet iuxta modum. N. 4, linn. 22-23: loco « quam maxime fieri potest » dicatur « quando et in quantum practice fieri potest ». *Ratio*: si apud nos vita communis instauraretur quam maxime fieri potest absolute loquendo, hoc cederet in damnum animarum.

Ad n. 12, linn. 28-29: loco « quantum fieri poterit, massa communis constituatur » dicatur « si » vel « ubi » vel « quando utile erit, massa communis constitui licet ». Apud nos singulae paroeciae et instituta sunt entia civilia et *sic* fruuntur protectione legis civilis. Ergo pro nobis massa communis esset potius detrimentum si absolute in textu proponatur. Ex alia parte modus propositus locum dat talis massae ubi verum beneficium esse potest. Quaestio autem manet utrum talis massa communis unquam psychologice pro beneficio haberi possit. Nam si obligatio imponitur episcopo curandi pro clericis aliisque dioecesis necessitatibus subveniendi ex massa communi, dubitare perbene potest utrum sacerdotes multum curabunt de pecuniis colligendis sive pro propriis necessitatibus sive pro necessitatibus vel paroeciae vel dioecesis. Facile erit dicere « episcopus habet massam communem; curet ipse ».

Ad n. 4, lin. 18: loco « plus quam par est » dicatur simpliciter « multis » vel « magnis » vel « multis et magnis ». *Ratio*: ne videatur Concilium increpare Deum vel Ecclesiam vel episcopum quasi « iniuste » (plus quam par est) cumulat aliquos sacerdotes operibus.

Ad n. 2, lin. 39: loco « voverunt » dicatur « amplexi sunt » (sacrum scil. caelibatum). *Ratio*: ne videatur Concilium velle sine discussione conciliari dirimere discussionem utrum obligatio caelibatus oriatur ex mera lege ecclesiastica an formaliter ex voto proprie dicto.

6

EXC.MUS P. D. IOACHIM AMMAN

Episcopus tit. Petnelissensis

Pag. 8, n. 1, linn. 33-36, placet iuxta modum.

Verba « sacerdotes... ab omni specie vanitatis, tam in vestibus ferendis quam in titulis vel honoribus quaerendis fugiant » deleantur. *Ratio*: haec verba vix credibilia sunt. Notum est enim S. Matrem Ecclesiam suis filiis sacerdotibus (sive episcopi sint sive presbyteri) admirabilem varietatem honorum et titulorum offerre vel dispensare, et quidem quaerentibus ac nolentibus.

Vel: post piam admonitionem ad effugiendam omnem speciem vanitatis... etc. assertio adiungatur S. Ecclesiam catholicam posthac se abstinere ab offerendis vel dispensandis honoribus vel decorationibus vel titulis non necessario cum aliquo officio ecclesiastico coniunctis. *Ratio* evidens est.

7

EXC.MUS P. D. HENRICUS ANGELELLI CARLETTI

Episcopus tit. Lystrensis, aux. Cordubensis in Argentina

Schema mihi non placet. Adhaereo iis quae dicta sunt ab em.mo card. Meyer et Patribus quae petierunt ut recognoscatur tanquam schema non dignum nostrorum sacerdotum esset. Etenim, deest manifestatio, in virtutibus theologicis fundata, sensus spei, fiduciae et gaudii totius vitae sacerdotalis. Clarum deest fundamentum victimale et paschale omnis exsistentiae sacerdotalis, in identificatione cum Christo, Summo et Aeterno Sacerdote, morte et resurrectione, positum. Recapitulatio principiorum fundamentalium videtur necessario, a schema *de Ecclesia,* deductorum, ut clarius elucescant essentialia elementa de spiritualitate et vita pastorali, in relatione ad Christum, ad episcopum, ad presbyterium, ad populum christianum et ad mundum. Satis normativum videtur, et quamvis necessariae sint, tamen ne desit expressio laetitiae, pastorum, pro eorum vita et labore pastorali nostrorum sacerdotum.

Veniamus ad aliqua concreta: 1. de verbo laudatorio in prooemio; 2. de sacerdotibus qui defecerunt; 3. de problemate generationis inter sacerdotes; 4. de presbyterio et seminarii relatione; 5. de sacerdotibus liberatis; 6. de relationibus inter sacerdotes dioecesanos et religiosos.

1. Concilium, praetermittere non debet, in schemate, in prooemio, verbum facere laudatorium, ut manifestatio gaudii, agendo de hac re, et parafrasando verba Domini, dicamus: « Iam non dicam vos servos sed amicos », pro omnibus sacerdotibus totius orbis, utpote providi cooperatores Ordinis nostri, qui zelo, donatione vitae fidelitateque suis pastoribus, in vineam Domini laborant. Etiam et nos dicere possemus, in hoc Concilio, loquendo de sacerdotibus, *corona nostra.*

2. Humiliter peto, quod etiam aliquid dicatur, de sacerdotibus qui in vineam Domini defecerunt, fragilitate humana vel multis ex causis. Ecclesia manifestari debet ut Mater, modo speciali, et cor suum aperire erga eos, et de irregularitate eorum vita, ad participationem vitae gratiae, eos vocaret.

3. Mihi videretur, tractari deberet de sic dicta « problemata generationis inter sacerdotes diversae aetatis et formationis ». Hoc problema, frequenter, non evadit in aedificationem populi Dei. Sacerdotes iuniores manifestare debent comprehensionem omnis existentiae sacerdotalis suorum fratrum qui pergunt in aetatem longiorem, in caritate et veritate; dispositionem interiorem discendi quam docendi et dialogum fraternum non interrumpendo. Sacerdotes, maturiori aetate, etiam existentia sacerdotalis eorum, signata sit, paternitate, dialogo ecclesiali, apertura problematibus hodiernis pastoralibus, amore, veritate et sapientia vitae. Utrique, signetur mandatum Domini: « Ut sint unum » — conscii praesentiae operantis Spiritus Sancti in unoquoque et in communitate ecclesiali — relationem vitalem firmiorem habentes cum Christo, episcopo, presbyterio, populo christiano et mundo. Presbyterium efformetur cum episcopo, qui ut Pater et Pastor, erga suos sacerdotes manifestari semper debet et dialogum non interrumpere, ita ut, ex diversitatibus donis a Deo distributis, ex diversitate opinionum a maturioribus et iunioribus sacerdotibus, prolatis, conspirent in bonum totius communitatis christianae.

4. Loquetur etiam, videtur, de arctissima unione presbyterii cum seminario. Etenim, si loquendo de episcopo, dictum fuisset, seminarium esse « pupillam suorum oculorum », etiam dicendum esse de toto presbyterio. Seminarium debet esse centrum praeoccupationum totius communitatis ecclesialis et praesertim presbyterii. Equidem, in seminariis efformantur et pastores populi Dei et membra presbyterii.

5. Aliquid de sacerdotibus liberatis. Id est, de sacerdotibus in bonum suorum fratrum, sive in ambitu dioecesano, si possibilis sit, sive in regionali vel nationali. Finis: adiutorium tam in rebus spiritualibus vitae sacerdotalis quam in rebus pastoralibus praestando. Seligantur, ubi sint, attendendo potius bonum commune quam particulare totius presbyterii, ut habeamus pastores profundiore vita spirituali et efficaciores in labore pastorali, quia multi sacerdotes, plurimis ex officiis pastoralibus imbuti, praesertim in dissitis regionibus, tempora et media desunt frequentius ad profundiorem vitam spiritualem peragere et in libris inquirere studio: hac de causa, facillime, in activismum pergere possunt.

6. Ultimo, expresse, videtur: dicendum de relationibus sacerdotum dioecesanorum et religiosorum. Valde commendetur conventus utriusque cleri, ut intimius penetretur sensus ecclesialis vitae sacerdotalis et pastoralis in unico presbyterio cum episcopo; ut vincula unitatis in caritate firmentur, criteria spiritualia et pastoralia elucidentur et uniformentur, et prae oculis semper habendo, bonum totius Ecclesiae.

8

Exc.mus P. D. HYACINTHUS ARGAYA GOICOECHEA
Episcopus Mindoniensis-Ferrolensis

Schema *de vita et ministerio sacerdotali* multa continet bona quae ministerium sacerdotum efficaciter promovere poterunt, multa quoque sacerdotum tendentiam ad perfectionem apte fovere valebunt.

In specie valde placet quod consilia unius Magistri nostri ad perfectionem, *consilia* nempe sic dicta *evangelica* in sua debita luce ponantur. Sunt enim consilia irrecusabilis Magistri ad perfectionem, Iesu Christi Domini Nostri.

Et quamquam *vota consiliorum* non omnibus, ut par est, imponuntur, via tamen aperta relinquitur in schemate ut, si quos Spiritus moveat, etiam inter sacerdotes dioecesanos, ad huiusmodi vota nuncupanda, id approbantibus episcopis fieri possit. Episcoporum enim est motiones Spiritus attente examinare et dignoscere, necnon et fideliter obsecundare.

Cum autem hodiernis temporibus apud non paucos sacerdotes dioecesanos increbuerit desiderium talia vota consiliorum emittendi idque — ut videtur — movente Spiritu Sancto ex optimis fructibus qui inde dimanant, fortasse non erit alienum si Concilium Oecumenicum hanc viam votorum de consiliis apertam esse insinuet explicite. Id commode fieri posse videtur, postquam sermo fuit de consiliis evangelicis, ad finem n. 3, hisce aut similibus verbis: « Quae consilia evangelica Sacra Synodus non omnibus sacerdotibus universim cum votis imposita vult, praeter caelibatus votum sacerdotibus ritus latini; iis autem licere edicit haec vota consiliorum nuncupare, immo et laudat, qui Spiritu Sancto movente et episcopo approbante sponte id exoptent ».

N. 1, pag. 7, 8; N. 1, pag. 8, linn. 6-8; N. 2, pag. 9, linn. 4-7; N. 2, pag. 9, linn. 11-12; N. 2, pag. 9, linn. 12-14; N. 3, pag. 9, linn. 21-23; vide pag. 546-547.

N. 6, pag. 11, lin. 9: loco: « centrorum, ut aiunt, ad pervestigandum... », dicatur: « centrorum, ut aiunt, *convictoria* ad pervestigandum... ». *Ratio*: *convictoria,* etenim, creata a Pio XII, in pluribus dioecesibus existunt et florent, ut vera postseminaria, ad pastoralem sive theoricam sive practicam efformationem sacerdotum iuniorum.

9

EXC.MUS P. D. FLOYD LAURENTIUS BEGIN

Episcopus Quercopolitanus

In genere. Totum schema agit de sacerdote in cura animarum occupato. *Alii* debent considerari.

Prooemium pag. 7: fusius de dignitate, necessitate, fraternitate, distinctione a sacerdotio laico.

N. 1, pag. 7, lin. 10: post verbum « particeps » adde « oves, catholicos et acatholicos, in quantum possibile sit, visitet in domibus suis easque nominatim cognoscat ». *Io.* 10, 14: « Cognosco meas et cognoscunt me meae ». Sacerdos « aliena » fere nihil producit.

N. 2, pag. 8, lin. 39: loco « voverunt » pone « voluntarie amplexerunt ».

N. 4, pag. 10, lin. 24: loco « vitam communem sacerdotes instaurent » pone « in domo paroeciali vel ecclesiastica degant ».

N. 9, pag. 12, lin. 35: adde: « omnis sacerdos, etiam si nihil habet, testamentum faciat consignando bona superstita operibus religionis vel caritatis ».

N. 11, pag. 13, linn. 6 ss.: facta mentione de problemate tota res referri debet auctoritati episcopali locali.

N. 12, pag. 13, linn. 24 ss.: notata in genere necessitate adiuvandi pauperes et infirmos, tota res referri debet auctoritati episcopali locali.

10

EXC.MUS P. D. LAURENTIUS BERECIARTUA Y BALERDI

Episcopus S. Sebastiani

Ad schema *de vita et ministerio sacerdotali,* n. 1, pag. 7 et 8. *Placet iuxta modum.* Numerus transferatur et ita res ordinetur ut de relationibus sacerdotis cum laicis agatur postquam de relationibus cum episcopo et cum aliis sacerdotibus sermo fuerit. *Ratio* patet. Schema eget ordinatione magis logica.

N. 1, pag. 8, linn. 6-8, *placet iuxta modum.* Loco: « Studeat igitur cum fidelibus laicis operam coniungere, honore eos praeveniat », dicatur: « Sacerdotem etenim sic oportet praeesse, ut cum fidelibus laicis operam coniungat, honore eos praeveniat ». *Ratio*: relationes et conversatio sacerdotum cum fidelibus non plane describuntur, si omittatur elementum essentiale « praeesse » quod in ipso ritu ordinationis presbyteri in Pontificali Romano invenitur. Presbyter nequit aliter oboedire et fidelibus inservire, nisi sub episcopo praesit. Sic tamen praesit ut fidelibus inserviat (ut optime in schemate dicitur).

N. 1, pag. 8, linn. 13-20, *placet iuxta modum.* Loco: « quapropter enixe

eas virtutes colat, quibus, Domino praecipiente omnes ornati sint oportet, quaeque in humano etiam consortio magni aestimantur, videlicet cordis bonitas, animi sinceritas, robur et constantia, assidua iustitiae cura, urbanitas aliaeque quas S. Paulus commendat dicens », dicatur: « Quapropter, praeter virtutes, quae centrum vitae christianae constituunt et quae semper primatum tenere debent, enixe illas etiam virtutes naturales colat, quibus, Domino praecipiente, omnes ornati sint oportet, quaeque in humano etiam consortio magni aestimantur, videlicet cordis bonitas, animi sinceritas, robur et constantia, assidua iustitiae cura, urbanitas aliaeque quas S. Paulus omnibus commendat dicens ». *Ratio*: etiam pro conversatione sacerdotum cum laicis virtutes supernaturales primatum tenere debent. Non placet propterea quod talis conversatio sic a schemate describatur ut in virtutibus naturalibus solum fundari videatur. Sit sacerdos in sua conversatione cum laicis, ante omnia, vir spiritu supernaturali imbutus. Ad formulam « S. Paulus commendat » additur « S. Paulus omnibus commendat », quia clare patere debet textum non de sacerdotibus peculiari modo agere.

N. 2, pag. 9, linn. 4-7, *placet iuxta modum*. Loco: « unum sacerdotium et ministerium Christi cum episcopis et sub eorum ductu repraesentantes et exercentes », dicatur: « unum cum episcopis diverso licet gradu, hierarchicum Christi sacerdotium participantes, atque sub eorum auctoritate Christi ministerium exercentes ». *Ratio*: verbum « repraesentantes » debet tolli propter sensum extrinsecum huius vocis; sacerdos non mere repraesentat, sed vere interne participat sacerdotium Christi (et quidem modo plane diverso ac laici propterea additur verbum « hierarchicum »). Ex alia vero parte clare distingui debent « participatio sacerdotii » et « ministerii exercitium ».

N. 2, pag. 9, linn. 11 et 12, *placet iuxta modum*. Omittantur verba: « natura sua differt ab illa quae religiosis et laicis convenit, eo quod ». *Ratio*: non intelligitur quod sint oboedientiae diversae, et quidem *natura sua*. Unicum quod aliud et aliud esse potest est fundamentum unius virtutis oboedientiae, quae in omnibus statibus natura sua est eadem, licet aliter fundetur, diversum gradum obligationis habeat et ad diversa obiecta se extendat.

N. 2, pag. 9, linn. 12-14, *placet iuxta modum*. Loco: « in ipsa participatione missionis episcopalis, quae presbyteris per Sacramentum Ordinis confertur », dicatur: « in ipsa participatione sacerdotii quod presbyteris per Sacramentum Ordinis ab episcopis confertur, necnon in participatione missionis episcopalis quae cum ipso sacramento connectitur ». *Ratio*: « Missio » non datur formaliter et immediate per sacramentum ordinis. Per sacramentum ordinis solum dantur potestates ordinis, quibuscum missio coniungitur.

N. 3, pag. 9, linn. 21-23, *placet iuxta modum*. Loco: « eo quod per Sacramentum Ordinis charactere sacerdotali insigniti, novo titulo Deo consecrantur », dicatur: « eo quod charactere sacerdotali insigniti, novo titulo Deo consecrantur atque per gratiam sacramenti ordinis novis et abundan-

tioribus Dei auxiliis sunt roborati ». *Ratio*: omnis gratia sacramentalis in quolibet sacramento tendit primario et directe ad sanctificationem subiecti illud sacramentum recipientis (utique in circumstantiis vitae et status illius subiecti) et habet secum connexa peculiaria auxilia ad illam sanctitatem obtinendam, quae fini illius sacramenti correspondet. Non ergo intelligitur affirmatio Relationis de propositione n. 3, littera C, pag. 19, ac si gratia ordinis non tenderet directe ad sanctificationem sacerdotis.

N. 3, pag. 9, linn. 23-26, *placet iuxta modum*. Loco: « Quapropter verbum Dei praedicantes, quod docuerint observent; mortis Dominicae mysterium celebrantes, quod tractaverint imitentur »; dicatur: « Quapropter mortis Dominicae mysterium celebrantes, quod tractaverint imitentur; verbum Dei praedicantes, quod docuerint observent ». *Ratio*: petitur restitutio ordinis in enumeratione munerum sacerdotalium, qui habebatur in textu priori. Servanda est perspectiva Concilii Tridentini, quod in oppositione ad notionem ministri protestantici defendit notionem sacerdotis primario per ideam sacrificii explicandam esse, et non primario per praedicationem verbi Dei (D. 1764, 1771). Idem Ordo habetur in Pontificali Romano: « *offerre*, benedicere, praeesse, *praedicare* ». Restitutio ordinis, qui habebatur in textu priori, eo facilius fieri potest, quod novus ordo in enumeratione munerum ex petitione unius tantum Patris positus est (cf. Relatio de n. 3, littera E, pag. 19).

N. 5, pag. 10, linn. 26-29, *placet iuxta modum*. Loco: « Presbyteri ab Ecclesia in sacrum ministerium idcirco assumuntur, ut partem cum episcopis habeant in praedicatione verbi salutis et in cura animarum », dicatur: « Presbyteri ab Ecclesia in sacrum ministerium etiam idcirco assumuntur, ut partem cum episcopis habeant in praedicatione verbi salutis et in cura animarum ». *Ratio*: sacerdos primario ad sacrificium eucharisticum celebrandum destinatur, non solum ad id quod in textu schematis indicatur (immo nec primario ad id quod in textu schematis dicitur). Ut textus acceptari possit, ei debet adiici verbum « etiam ».

[*Subscripserunt etiam*] C. Blanchet, sup. gen. miss. B.M.V. a La Salette; Ioseph Zaffonato, arch. Utinensis; T. S. Domingo; Albert Cousineau, ep. Capitis Haïtiani; Al. M. Carli, ep. Signinus; Gaetano Briani, sup. gen. F.S.C.I.; Aloisius Centoz (deest n. 1, pag. 7-8).

11

EXC.MUS P. D. FELIX BONOMINI
Episcopus Comensis

Relate ad schema emendatum *de sacerdotio* et ad duodecim propositiones redactum, toto corde adhaereo ad ea quae in aula dixerunt em.mi card. Meyer et Ruffini et exc.mus Théas, ep. Tarbiensis et Lupardiensis: textus, quamvis bene ordinatus, mihi videtur impar et nimis syntheticus ad argumentum

magni ponderis illustrandum quale est presbyteratus, a quo pendet, maxima ex parte vita Ecclesiae, cum Dominus per ministerium sacerdotale, sub ductu episcoporum, totum genus humanum salvum facere voluerit, ita ut bene posset dici quod Ignatius Antiochenus asserit de episcopis: « Nihil sine episcopo » sed « cum presbyterio ».

12

EXC.MUS P. D. GUSTAVUS IOSEPH BOUVE
Episcopus Kongoloensis

Prooemium et propositio 1: placet iuxta modum. In prooemio melius indicantur et laudantur dignitas, finis et scopus sacerdotis in oeconomia christiana, praesertim ex sua participatione ad sacerdotium aeternum Summi et Aeterni Sacerdotis Christi Iesu, in unione et unitate sacerdotii episcopis, secundum verba S. Pauli in ep. ad Hebr. et S. Ioannis Chrysostomi in sua « de sacerdotio ».

Propositio 2: placet iuxta modum. Lex caelibatus magis et clarius exprimetur et ut obligatio vere necessaria ad ministerium sacerdotale fructuose implendum affirmetur, praesertim nostris temporibus ubi sacerdos authenticum testem esse debet Christi necnon et vitae eius, secundum adagium: Sacerdos alter Christus.

Propositio 3: placet iuxta modum. Melius enumerantur media maxime propria ad sanctificationem sacerdotalem: inter quae media primarium locum obtinent sanctum sacrificium Missae et Divinum Officium necnon ardens devotio erga divinam Eucharistiam. Dein fidelis et regularis accessus ad sacramentum paenitentiae apud stabilem confessarium necnon secessus spirituales (retraites spirituelles). Haec omnia clare enumerare debent.

13

EXC.MUS P. D. ALOISIUS M. CARLI
Episcopus Signinus

Iudicium generale. Nova schematis redactio quoad materiam placet. Quoad vero formam, desideratur in genere maior concinnitas, sobrietas et cohaerentia sententiarum necnon expolitior stylus latinus.

Cum habeantur 9 paragraphi novae, et quidem satis amplae, cumque reliquae paragraphi sint ex integro recognitae et auctae, videtur necessaria nova disceptatio in aula ante schematis suffragationem.

Prooemium. Pag. 6, lin. 7. Loco « cum tamen », dicatur « tamen cum », ratione latinitatis.

Lin. 9. Loco « partes maximae » — quod non est omnino verum —, dicerem potius « partes *magni momenti* ».

Lin. 10. Loco « necessarium visum est » — quod proprie dici non potest —, dicerem « *perutile* visum est ».

N. 1. De hac paragrapho doctrinali haec in genere mihi videntur dicenda: *a*) interdum vox « fideles » subaudit solos laicos, interdum e contra laicos simul et hierarchiam; *b*) vox « missio » sumitur, sine debitis distinctionibus, sive relate ad hierarchiam sive relate ad laicos: quod est inconveniens; *c*) deberet clare distingui inter « cooperationem » et « participationem ». Cooperatio enim non potest vocari participatio nisi sensu analogico *improprio*; v. g. quoad magisterium, soli magistri authentici sunt Romanus Pontifex et episcopi, sacerdotes vero et laici non sunt nisi auxiliatores, illi quidem (supposita semper missione canonica) « vi muneris sacerdotalis » (scil. vi idoneitatis sibi proveniente ex eo quod habent potestatem realem in Corpus Christi eucharisticum), isti vero ex sola missione canonica (cf. *Summ. Theol. Suppl.*, q. 36, a. 2; can. 1327 § 2 *C.I.C.*; alloc. Pii XII 5 oct. 1957).

Pag. 7, lin. 7. Loco « sanctificare debet Iesum in corde suo », dicatur cum *1 Pt.* 3, 15: « sanctificare debet *Dominum* Iesum in corde suo » ubi vox « Dominum » habet particularem significationem in textu citato.

Pag. 7, lin. 8. Auferenda videntur verba: « et spiritu... (cf. *Apoc.* 19, 10) », quia iam in textu originali sunt subobscura et controversa; utcumque, non potest ex illo textu legitime desumi unumquemque fidelem *officium habere* reddendi testimonium de Iesu *per spiritum prophetiae.*

Pag. 7, lin. 12. Auferenda videntur verba « regio et sacerdotali propheticoque honore », quia haec verba in ritu consecrationis Chrismatis significant per illud Chrisma ungi sive reges, sive sacerdotes proprie dictos sive prophetas. Unde non possunt indiscriminatim applicari solis baptizatis et confirmatis.

Pag. 7, lin. 14. Auferenda videntur verba « idest in templo corporis sui (*Io.* 2, 21) quia verba haec in textu citato valent de solo corpore Iesu, dum ipse sacerdotium inauguravit in tota sua humanitate, praesertim in anima.

Pag. 7, lin. 23. Loco « ipsius Capitis sacerdotium ministerio episcopatus et presbyteratus repraesentent et in eius persona agant », dicatur: « *de* ipsius Capitis sacerdot*io per* episcopa*tus* et presbytera*tus Ordines peculiari ratione participent* et in eius persona agant ».

Rationes: *a*) lectio proposita est conformis const. *de Eccl.* n. 10; *b*) notio « repraesentationis » est nimis debilis, immo et extrinseca. Si autem dicis participationem sacerdotii Christi haberi etiam in laicis, respondeo etiam repraesentationem: en cur additur in lectione proposita « peculiari ratione ».

Pag. 7, linn. 18-20. Perspicuitatis maioris causa, proponitur sequens dictio: « voluit tamen Pontifex noster *suum perpetuum sacerdotium,* invisibiliter *quidem* ad dexteram Patris sedens, visibiliter *vero* in Ecclesia terrestri exercere, suam propriam actionem manifestam *reddendo* ».

Pag. 7, lin. 27. Loco « ipsum visibile Sacrificium offert quo, incruente et sacramentaliter, cruentum illud etc. », legatur: « ipsum ( ) Sacrificium of-

fert, quo, incruente et *sub signis visibilibus,* cruentum etc. ». *Ratio*: ita dicitur in Conc. Trid. DB 938; loco « sacramentaliter », quod innuere posset theoriam Casel, ponitur cum Trid. « sub signis visibilibus ».

Pag. 7, lin. 32. Loco « ad sacerdotium spirituale fidelium », dicatur cum const. *de Ecclesia* n. 10: « ad sacerdotium *commune* fidelium ».

Pag. 7, lin. 34. Loco « sacerdotium presbyterii », dicatur cum const. *de Ecclesia* n. 10: « sacerdotium *ministeriale seu hierarchicum* presbyterii ».

Pag. 7, lin. 34. Loco « Quae initiatio ut quaedam incorporatio missioni episcopali... describi potest », dicitur: « Quae initiatio ut quaedam *participatio* mission*is* episcopal*is* etc. ». *Ratio*: Missio est munus, iamvero quomodo possumus loqui de « incorporatione » muneri? Melius est dicere: « participatio muneris ».

Pag. 7, lin. 36. Sic legerem: « Sicut enim, vi consecrationis suae, episcopi Christ*o* Capit*i* ( ) configurantur, e*a*dem *ratione* quamvis subordinato *gradu* presbyteri etc. ». *Rationes*: *a*) aufertur adverbium « sacramentaliter » quia obscurum, neque necessarium; *b*) dicimus episcopos configurari Christo, non *personae* Christi, quia configuratio habetur in linea sacerdotii, et Christus est sacerdos in quantum Homo; *c*) dicimus « eadem ratione (nempe vi consecrationis) quamvis subordinato gradu », quia est contradictio quod modus sit idem et simul subordinatus!

Pag. 7, lin. 39. Sic legendum propono: « Quapropter, sicut in episcopis plenitudo sacerdotal*is*... ita in presbyteris *participatio sacerdotalis* a missione apostolica etc.

N. 2. Quaestio praevia. Videtur primo loco ponendum munus sanctificandi (scil. n. 4). *Ratio*: hic ordo, qui erat in priore schemate quique postea mutatus est petente uno tantum Patre, est conformior non solum Pontificali Romano sed etiam rerum naturae. Etenim sacerdos — ut recte dicitur in schemate nostro pag. 7, lin. 43 — prius ac per se est in ordine ad Ss. Eucharistiam, ex qua omnem vim suam haurit tota praedicatio et totum ministerium pastorale. Est de essentia sacerdotis ut sit mediator inter Deum et homines, ut nempe « offerat sacrificia pro peccatis etc. ». Christus essentialiter est sacerdos quia offert; deinde, quasi per consequens, est doctor et rector.

Haec doctrina influxum suum maximum exercet in ascetica et pastorali sacerdotali; ergo servanda videtur etiam in dispositione materiae.

Pag. 8, lin. 11. Auferatur adverbium « idcirco », ne videatur praedicatio esse unica aut praecipua ratio institutionis sacerdotum.

Pag. 8, lin. 15. Loco formulae subobscurae et ambiguae « communicent fiduciam et plenitudinem » dicatur: « communicent *fidem et gratiam* ».

N. 3, pag. 9, lin. 29. Auferat vox « hodiernos », ne explicita mentio hodiernorum sit implicita reprobatio veterum.

N. 4, pag. 10, lin. 20. Loco « invenire » dicatur aut « inveniri » aut « *se* invenire *posse* », ratione latinitatis.

N. 5, pag. 10, linn. 29 s. Si accipitur proposita translatio n. 4 ante n. 2, tunc debet mutari initium n. 5 in hunc fere modum: « *Ministeriis*

sanctificandi ac docendi arcte coniungitur ministerium docendi Domini mandata, quorum maior exstat caritas ».

Pag. 10, lin. 37. Vox « subministrationis », extra suum contextum biblicum (cf. *Eph* 4, 16; *Phil.* 1, 19; *Col.* 2, 19), hic est subobscura. Certe non potest significare, prout in nostro textu requiritur, ideam officii regendi. Proponitur ergo ut sic dicatur: « ... ac simul in communitatem caritatis *per auctoritatem gubernatam,* augetur ».

Pag. 11, lin. 3. Sic legatur, claritatis causa: « Presbyteri... fideles ad *suam ipsorum* personalitatem secundum evangelicam fidem *excolendam*... communitatem christianam *efformandam* adducant. Parum *enim* inserviret... ».

Pag. 11, lin. 9. Loco « paulum studium », dicatur: « *insufficiens* studium ».

Pag. 11, linn. 9 s. Sic legantur: « Tale vero studium ad hoc tendat oportet, *ut non*... sed, vocatione... servata, officia sua... christiane *adimpleant.* Quibus adesse nituntur presbyteri, *id satagentes* ut... ». *Ratio*: clarior idearum cursus, meliorque latinitas.

Pag. 11, lin. 30. Post verba « catholicum et missionarium » addatur: « ; quapropter incoeptis particularibus sciant et doceant praeferenda esse incoepta dioecesana vel supradioecesana ». *Ratio*: talis additio non videtur superflua, quia saepe saepius inveniuntur presbyteri zelantissimi in incoeptis suae paroeciae vel suae particularis mansionis, non ita vero in incoeptis quae praecipiuntur aut commendantur ab episcopo vel a superiore auctoritate ecclesiastica.

Pag. 11, lin. 32. Sic legatur, ratione claritatis: « Quae celebratio, ut *in singulis fidelibus plene efficax* sit, tam *ad* varia caritatis opera... quam *ad* missionalem actionem... *eos excitare* debet. Nullum est tam efficax signum *praesentiae* Regni Dei quam etc. ».

N. 6, pag. 12, lin. 15. Loco « qui in aliam nationem, dioecesim aut operam pastoralem transferantur », dicerem: « qui *ad* aliam nationem *vel* dioecesim transferantur aut *ad aliam* operam pastoralem *in dioecesi addicantur* ». Sic clarius variae indicantur hypotheses.

Pag. 12, lin. 25. Loco « Considerent demum singulae Conferentiae Episcopales », dicerem: « Considerent denique *episcopi singuli aut inter se uniti* modum opportuniorem efficiendi ut ( ) omnes *sui* presbyteri, etc. ». *Rationes*: *a*) haec materia non videtur demandanda conferentiis nisi quatenus singuli episcopi ad id faciendum sint impares; immo non est necesse ut sint conferentiae, sufficit ut plures episcopi communi agant consilio. Relinquatur episcopis aequa libertas sic dictae « initiativae »; *b*) auferuntur verba « in proprio cuiusque territorio », quia non est necesse ut illi cursus teneantur in territorio de quo agitur: possunt enim fieri alibi, dummodo frequententur ab omnibus presbyteris illius territorii.

N. 7, pag. 12, linn. 39 ss. Ita videntur mutanda: « Presbyteri omnes de uno *eodemque* Christi sacerdotio et ministerio, *per* episcopos et sub eorum *auctoritate,* ita *participant,* ut ipsa unitas missionis ( ) requirat omni-

modam eorum unitatem *cum suis episcopis, quorum* providi cooperatores facti sunt *per* gratiam *sibi* in Sacramento Ordinis collatam ». *Rationes*: *a*) dicitur « per episcopos » ad indicandam causam instrumentalem; *b*) sermo est de « auctoritate », iuxta const. *de Ecclesia* n. 28, potius quam de « ductu » nimis vago; *c*) unitas directe habenda est cum propriis episcopis, non cum collegio: idea haec est antiquissima iam a temporibus S. Ignatii M.

Pag. 13, lin. 30. Videtur addenda nova idea, sic: « quos episcopi libenter audiunt et compresbyteros appellant, *quorum legitimae " initiativae ", prout vocant, spiritum observant stimulant ac fovent, et sine quorum* etc. ». *Ratio* est in promptu.

Pag. 13, lin. 33. Legatur, ratione latinitatis, sic: « *Quo* vero aptior*e* quam nunc viget *ratione id in* praxim *de*ducatur ».

Pag. 13, lin. 36. Auferantur verba « totum presbyterium repraesentantibus », quia cum vera repraesentatio non habeatur nisi per electionem ex parte omnium sacerdotum (et etiam religiosorum?) indebite sic coarctaretur nativa libertas episcopi.

Pag. 13, lin. 43. Loco « reverentur » legendum videtur: « revere*a*ntur».

Pag. 14, lin. 1. Loco « Christi Supremi Pontificis » legatur: « Christi Supremi Pontificis, *Doctoris et Rectoris Populi Dei* ». *Ratio*: tres aspectus debent hic considerari.

Pag. 14, lin. 7. Loco « missionis episcopalis » dicatur « *ministerii* episcopalis » quod est magis amplum quam missio.

Pag. 14, lin. 10. Loco subobscuri « dilucidam », proponitur « *genuinam* » vel « *cordatam* » aut quid simile.

Pag. 14, lin. 21. Auferenda censentur verba « qui inter eos totum episcopale collegium veluti praesens ac efficax reddit », quia antistes inter suos sacerdotes non agit neque nomine neque auctoritate sibi derivante a collegio; et quemadmodum episcopus non est « vicarius Romani Pontificis », a fortiori non est « vicarius collegii episcopalis ».

Pag. 15, lin. 25. Loco « profitentur orare » dicatur « profitentur *se* orare », ut postulat recta latinitas.

N. 8, pag. 15, linn. 31-35. Comparatio hic proposita non bene currit quia ad hoc ut quis sit membrum collegii episcopalis non solum consecratio requiritur sed etiam hierarchica communio cum capite collegii atque membris (const. *de Ecclesia,* n. 22): quod, ne proportionaliter quidem, potest dici de presbytero. Insuper « Ordo » presbyteralis non potest sumi eodem sensu ac « collegium » episcopale. Unde proponitur ut dicatur: « Sicut episcopi per consecrationem in Ordine episcopali, ita presbyteri per ordinationem in Ordine presbyterali, qui ab Ordine episcopali essentialiter dependet, constituuntur ».

Pag. 15, lin. 42. Loco « bonum corporale et spirituale », dicatur « bonum spirituale et materiale », ponendo spirituale primo loco et deinde materiale, quod latius patet quam corporale.

Pag. 16, lin. 8. Loco « quae nunc in omnibus sacerdotibus per sacra-

mentum Ordinis specialiter continuatur », dicatur: « quae nunc per sacerdotes specialiter continuatur »: etenim missio continuatur *a* sacerdotibus, non proprie *in* sacerdotibus, et quidem non solum per sacramentum Ordinis. Vel etiam posset dici: « quae nunc omnibus sacerdotibus per sacramentum Ordinis specialiter participatur ».

Pag. 16, lin. 14. Auferatur verbum « omnino » quia superabundat.

Pag. 16, lin. 19. Loco « in officinis », dicatur « inter opifices » ne prior locutio intelligatur mere localiter.

N. 9, pag. 17, lin. 18. Loco « sacramenti Ordinis ratione », dicatur fortius ac verius « per sacramentum Ordinis ».

Pag. 17, linn. 18-26. Tota propositio sic mutarem: « Novi Testamenti sacerdotes, *licet,* per sacramentum Ordinis specialiter Deo consecrati, praestantissimum ac necessarium... magistrorum *exerceant, tamen* simul cum omnibus etc. ». Sic melius in lucem ponitur primariam rationem, licet non exclusivam, in sacerdotibus esse dandam eorum muneri patris ac magistri.

Pag. 19, lin. 8. Loco « cuius nomine episcopi curam habent » dicatur, claritatis causa: « cuius *curam* nomine episcopi habent ».

N. 10, pag. 20, lin. 8. Loco « de eorum vita supernaturali », dicatur modo magis amplo « de eorum vita *spirituali* ».

Pag. 20, lin. 14. Loco « ut ibidem ministerium exerceant », dicatur: « ibidem ministerium *exercituri* », ne habeantur tam prope duae propositiones incipientes per « ut ».

N. 11, pag. 21, lin. 11. Loco « Hierarchiae iudicium », dicatur « *ac praesertim* hierarchiae iudicium »: nam hoc iudicium inter signa externa principem tenet locum.

Pag. 21, lin. 21. Loco « ad sacerdotes praeparandos », dicatur, ratione clarioris latinitatis: « ut novi sacerdotes praeparentur ».

N. 12, pag. 21, lin. 37. Loco « convinctum », legatur « convictum »: mendum typographicum!

Pag. 21, lin. 38. Videntur omittenda verba « secundum illud " Sicut misit me Pater et ego mitto vos " »: etenim ex illis verbis (dictis proprie ad apostolos) non potest deduci sacerdotes gerere personam Christi. Potius invocanda essent alia verba: « Qui vos audit me audit ».

N. 13, pag. 22, linn. 31-35. Sic proponitur legendum: « Ipsum exercitium munerum quae presbyter*is* committuntur requirit et pariter stimulat sanctitatem vitae, *ideoque potens est* presbyteros *efformare* ad specificam spiritualitatem sacerdotalem ». *Ratio*: ponendus est nexus intrinsecus (« ideoque ») inter ministerium et sanctitatem; dicitur « potens est efformare » quia non semper, de facto, id evenit.

N. 14, pag. 23, lin. 41. Loco « varietas quam quidem magna », dicatur: « varietas quam *maxima* ».

Pag. 24, lin. 14. Loco « in agnitione voluntatis eius », dicatur: « in agnitione *et adimplemento* voluntatis eius ». Ratio per se patet.

Pag. 24, lin. 20. Loco « totius eorum vitae », dicatur « totius *suae* vitae ».

Pag. 24, lin. 24. Auferantur verba « in cibum »: est metaphora nimis audax.

Pag. 24, lin. 26. Loco « seiungitur », dicatur modo exhortativo « seiungatur ».

Pag. 24, lin. 39. Maioris claritatis gratia legatur: « agendo autem contemplationem in actum deducit ».

N. 15, pag. 25, linn. 13-15. Sic videntur complenda: « ... tamquam signum et stimulum caritatis *in Deum,* peculiarem fontem spiritualis foecundatis in mundo, *necnon testimonium ac veluti anticipationem status electorum in aeterna beatitudine* ». Sic innuitur functio eschatologica virginitatis.

Pag. 25, lin. 16. Loco « etsi non absolute exigatur », dicatur « etsi non *suapte natura* exigatur ».

Pag. 25, linn. 17-20. Verba « sicut patet... legitime coniugati » omittantur, quia est explicatio in decreto Conciliari neque necessaria neque conveniens; immo, ad historiam quod attinet, cum mica salis accipienda.

Pag. 25, linn. 27 ss. Sic ampliata legantur: « Presbyteris ergo convenit ut, *exemplum Iesu Christi eiusque Virginis Matris necnon et* consilium Pauli... revocantes, *hanc* viam subditis vivendo denuntient etc. ». *Ratio*: exemplum Domini et B. Virginis est prima fons consilii castitatis, ergo explicite commemorandum.

Pag. 25, linn. 38-40. Auferantur illa verba, quia citatio litteralis *Io.* 6, 63 non est ad rem.

Pag. 25, lin. 40. Loco « quae episcopis et presbyteris datur » dicatur simpliciter « quae *sacerdotibus* datur ». Non enim est ratio cur de episcopis hic explicite loquendum sit.

Pag. 26, linn. 4-6. Sic legantur: « signum vi*vum* efficiuntur illius *futuri saeculi,* cuius *qui participes erunt* " neque nubent neque ducent uxores: *neque enim ultra mori poterunt*... cum sint filii resurrectionis " (*Lc.* 20, 36) ». Textus completus biblicus est necessarius ut servetur vis argumentationis.

Pag. 26, lin. 15. Loco « legem itaque caelibatus, prout in usu est », claritatis gratia sic dicatur: « *vigentem* itaque caelibatus legem Sacrosancta Synodus etc. ».

Pag. 26, lin. 18. Sic compleatur: « qui sacrum caelibatum gratia Dei confisi *libera voluntate sus*cipiunt ». Ratio voluntarietatis est explicite affirmanda.

Pag. 26, lin. 24. Loco obscuri « tam alte » dicatur « tam *insolenter* ».

Pag. 26, lin. 37. Claritatis gratia dicatur: « denique omnia illa *media* quae ».

Pag. 27, lin. 5. Bonae latinitatis causa legatur: « Presbyteri paupertatem *quoque* magni faciant ».

N. 16, pag. 27, lin. 39. Loco « tamquam Christi instrumenta» dicatur « tamquam Christi instrument*is* ».

Pag. 28, linn. 16-20. Sic legerem: « Haec enim media, quorum valor longa experientia sanctorumque presbyterorum exemplo *probatur, non solum ad personalem sanctificationem verum etiam* ad fructuosum etc. ». Haec duplex ratio debet clare indicari.

Pag. 28, linn. 21-25. Sic amplientur: « ... ipsa enim est Mater Summi ac Aeterni Sacerdotis, ideoque et Regina Apostolorum, *immo Mater Ecclesiae, hoc est totius populi christiani tam fidelium quam Pastorum* (cf. Alloc. PAULI VI, die 21-11-1964), *necnon* praeclara *eiusdem* Ecclesiae imago in ordine etc. ». *Ratio* additamenti patet.

N. 17, pag. 29, lin. 6. Loco « teste diaconatus institutione », dicatur: « *ut clare patet ex* diaconatus *quoque* institutione ». *Rationes*: a) recta latinitas; *b*) diaconatus non est unicum testimonium huius sollicitudinis Ecclesiae.

N. 19, pag. 30, lin. 15. Loco « erga presbyteros », dicatur: « erga presbyteros *dioecesanos* ». Vel melius tota propositio sic mutetur: « ... qua valeant episcopi obligationi *suis* presbyter*is subveniendi* satisfacere aliisque *suae* dioecesis necessitatibus *occurrere,* quaque etiam valeant dioeceses ditiores adiuvare pauperiores, *ut illarum abundantia harum inopiae sit supplementum* (cf. *2 Cor.* 8, 14) ». *Rationes*: *a*) debet specificari de quanam obligatione agatur; *b*) citatio *2 Cor.* 8, 14 cum non sit litteralis non potest fieri sicut in textu schematis.

N. 20, pag. 31, lin. 12. Loco « fide maxime percipi possunt », dicatur: « fide *tantum* percipi possunt ». *Ratio*: solummodo per fidem haec percipi possunt.

14

EXC.MUS P. D. ALFREDUS CAVAGNA

Episcopus tit. Tianus

N. 1, pag. 7 et 8: schema eget ordinatione magis logica. Numerus transferatur et ita ordinetur de relationibus sacerdotis cum laicis postquam de relationibus cum episcopo et cum aliis sacerdotibus sermo fuerit.

N. 2, pag. 9, linn. 4-7: melius dicatur: « Unum cum episcopis, diverso licet gradu, hierarchicum Christi sacerdotium participantes, atque sub eorum auctoritate Christi ministerium exercentes ».

N. 2, pag. 9, linn. 11-12: omittantur verba « natura sua differt ab illa quae religiosis et laicis convenit, eo quod ».

N. 3, pag. 9, linn. 23-26: melius hic adiungere verba Concilii Tridentini.

N. 3, pag. 9, lin. 38: addere: « exercitia spiritualia, confessio hebdomadalis ».

Pag. 10, lin. 4: post verba « Virginem Mariam » etiam « cum quotidiana recitatione Ss. Rosarii ».

Pag. 11, lin. 10: addere « ascetica ».

15

EXC.MUS P. D. VITUS CHANG TSO-HUAN
Episcopus tit. Cyanitanus

Pag. 10, lin. 2, ante « Magni tandem » inserantur « Cor Iesu Eucharisticum, exemplar sacerdotale, iugiter imitandum amplectentes », ita ut legatur: « Cor Iesu Eucharisticum, exemplar sacerdotale, iugiter imitandum amplectentes, magni tandem... ».

16

EXC.MUS P. D. FRANCISCUS COGONI
Episcopus Octeriensis

Tria subsequentia puncta benignitati tuae humiliter audeo submittere pro novo schemate « De vita et ministerio sacerdotali ».

1. Sacerdotibus commendetur « christiana austeritas » ut in schemate *de sacerdotibus* ad n. 3, ad lin. 4, istis vel similibus verbis: « Secundum monitionem Apostoli " mortificationem Iesu in corpore nostro circumferentes " (*2 Cor.* 4, 10), christianam austeritatem colant tam in usu quam in modis cuiuscumque licitae et honestae animi relaxationis et in ecclesiasticis vestibus ferendis; atque ab omni specie vanitatis tam in habitu quam in titulis vel honoribus fugiant».

2. In n. 3 *de vita et ministerio sacerdotali* cum titulo « Quae in ministerio sacerdotali elucere debent » nihil dicebatur de necessaria et efficacissima pietate sacerdotis erga Mariam Virginem.

Enixe commendo ut in novo textu de hoc fiat mentio clara.

3. In n. 7 *de vita et ministerio sacerdotali* bene commendabatur sacerdoti sollicitudi omnium ecclesiarum.

Ad hoc tamen necesse est ut sacerdotes, praeter cooperatores episcoporum eorumque muneris apostolici socii, se sentiant in arcta unione cum Romano Pontifice, capite et centro totius Ecclesiae, et enutriant erga ipsum, Vicarium Christi, corde et mente filialem obsequium et oboedientiam et vividum amorem. De hoc in textu fiat vivida commendatio.

17

EXC.MUS P. D. PAULUS CORREA LEÓN
Episcopus Cucutensis

N. 3. *a*) Ponatur in n. 1. *b*) Corrigatur hoc modo: « Sacerdotes, eo quod per Sacramentum Ordinis charactere sacerdotali insigniti sint, *peculiari ratione Christo conformantur* atque Deo consecrantur. *Quapropter vo-*

catio sacerdotalis de se includit vocationem ad altiorem sanctitatem, pro qua assequenda ipsius sacerdotalis muneris exercitium efficaciora praebet media validissimaque argumenta. Ideo mortis dominicae mysterium celebrantes, quod tractaverint imitentur; *sacram liturgiam Christi nomine exercentes, meminerint eam esse praeprimis pro sibimetipsis ac dein pro populo, praecipuum fontem authentici spiritus christiani*; verbum Dei praedicantes, quod docuerint observent; gregem Dei pascentes... ».

Rationes: *a*) non videtur congruum quod tractatio de vita sacerdotum incipiat ab eorum cum laicis conversatione; *b*) quae in n. 3 schematis continentur et includenda propono, logicum fundamentum praebent iis quae in nn. 1 et 2 dicuntur; *c*) sicut pluries in aula conciliari dictum fuit, oportet omnino non tantum sacerdotes obligationes suas docere, sed etiam positivo modo celsitudinem suae conditionis eisdem ostendere, eo magis quod religiosorum et laicorum conditio merito in lucem posita fuit.

18

Exc.mus P. D. ALBERTUS COSME DO AMARAL

Episcopus tit. Tagariensis, aux. Portugallensis

Ad n. 3. I. Ampliorem locum tribuatur spirituali vitae sacerdotis quia ex illa pendet maxima parte, eius perseverantia sanctitasque personalis et efficacitas pastoralis muneris.

II. Assignetur maximum momentum S. Missae quae merito habetur tamquam sol vitae spiritualis sacerdotis quaque intime connectitur Officium Divinum.

III. Aliquid dicatur de sacramento Paenitentiae et de directione spirituali quorum momentum exaltatum est in recentibus documentis S. Pontificum.

IV. Loquendo de aliis subsidiis traditionalibus timorem non habeamus ea considerandi necessaria ut vitetur periculum incidendi in activismum iam pluries denuntiatum a S. Pontificibus. Dicatur, v. g.: *districte requiruntur.*

19

Exc.mus P. D. IOSEPH D'AVACK

Archiepiscopus tit. Leontopolitanus in Pamphylia

Summe curare oportet ut deleatur — si fieri poterit! — idea pessima et deleteria a plurimis sacerdotibus vel optimis concepta, causa exiguitatis schematis *de sacerdotibus* relate ad schemata *de episcopis* et praesertim *de laicis,* et ad momentum iis tributum.

Iustificatio talis exiguitatis quae adducitur, scil. quod de episcopis et de laicis agebatur de quaestionibus novis, non suadet; eo magis quod etiam de sacerdotibus sunt plura et gravia problemata tandem aliquando tractanda et solvenda: v. g. de germana spiritualitate sacerdotali, de muneribus sacerdotum quae continuo augentur, de eorum vita et de re oeconomica etc.

Saltem, ad minimum, necesse est quod Nuntium (Messaggio) ad sacerdotes, in cuius praeparatione commissio dicta est incumbere, sit vere sollemne, spirans amorem, comprehensionem, paternam et fraternam sollicitudinem et gratitudinem et confidentiam et fiduciam; et quod idem Nuntium quasi unum corpus efficiat cum schemate, quasi eius et prologus et anima.

Inserenda sunt in schemate ea quae egregie dixit em.mus card. Lefebvre in suo « interventu » die 15 octobris, comparando munus laicorum « consecrationem mundi », cum munere sacerdotum « consecratione hominum », et ostendendo omnimodam superioritatem muneris sacerdotis, sine quo ceteroquin munus laicorum inane et vacuum evadit.

Notandum etiam est quod opus directum et immediatum ad salvationem et sanctificationem singularum animarum — exceptis casibus extraordinariis perraris — episcopus exercere non potest nisi per sacerdotes.

Oportet tandem aliquando firmiter et explicite declarare differentiam inter sacerdotium Christi, sacerdotium nostrum ministeriale et vicarium, sacerdotium laicorum.

Sacerdotium Christi est unicum plenum et perfectum: siquidem Christus « Mediator Dei et hominum » a Patre constitutus, infinito valore seipsum obtulit semel aeterna redemptione inventa.

Sacerdotium presbyterorum est item inter Deum et creaturas rationales, homines. Per illud, Deus operatur continuo miraculum suae miserentis omnipotentiae, quo transcendens limites temporis et spatii per incarnationem sibi assumptos, extendit usque ad limitem terrae et ad finem saeculorum illud quod operatus est una hora, uno loco, sacrificium Crucis; ita ut per Missam singuli homines possunt revera et immediate per sacerdotem offerre Patri sacrificium Christi. Item per sacerdotes Deus mediantibus sacramentis « ex opere operato » dispensat hominibus fructum sacerdotii et sacrificii Christi.

Sacerdotium laicorum est inter Deum et creaturas irrationabiles, quibus per hominem glorificatur Deus. Exercetur etiam in offerendo Deo sacrificia et « hostias spirituales » singulorum hominum (et etiam quodammodo eorum subditorum: praesertim v. g. pater pro filiis etc.), sed semper reapse, etiam si aliquando minus conscie, per ministerium sacerdotum presbyterorum.

Extollenda est valde magis ea quae dicitur « spiritualitas sacerdotalis », et enixe ad eam hortari oportet sacerdotes, magis ostendendo eius sublimitatem et divinam pulchritudinem, quam imperando. Siquidem:

A) Efficientia « ex opere operato » sacramentorum (et Missae) non est data a Deo ut sacerdotibus liceat esse minus sancti; sed est inaestimabile donum divinae caritatis pro bono et tranquillitate animarum; quod exquisitum donum divinae caritatis excitare debet sacerdotem ad ardentiorem cari-

tatem (i. e. maiorem sanctitatem), quippe qui caritatis est magister et minister.

B) Sacerdotis etiam est celebratio operis supremi pro salute mundi, scl. celebratio Missae. Et a sanctitate sacerdotis, et a ministerio singulorum sacerdotum efformantium vitam christianam in singulis fidelibus, pendet vera participatio vitalis ad Missam ut abundantius gratia hauriatur de tali infinito fonte.

C) Sacerdoti qua tali commissum est Evangelium universum, etiam in suis supremis exigentiis et invitationibus et consiliis: quae omnia sacerdos debet ipse — in forma sibi convenienti — in actum adducere, ut ea sincere possit ceteris praedicare. Et revera:

a) Sacerdos a Deo realiter et singulariter « vocatus » et « consecratus » caractere indelebili, ad opus supremum — salutem animarum cuius pretium est sanguis Christi — debet exultanti animo se agnoscere tamquam Deo omnino mancipatum. Unde etiam omnia sua bona temporalia (« accessorium sequitur principale ») undequaque ei proveniant, debet habere tamquam non suam proprietatem sed proprietatem Dei, a Deo sibi commissa pro sua convenienti sustentatione, pro suo sacerdotali ministerio, pro satisfactione suorum munerum (si quae revera coram Deo habeat, v. g. erga familiam suam). Tali conscientia uti debet suis bonis, tamquam non suis sed Dei, cum attenta parsimonia ne sibi fingat irreales necessitates.

Haec est substantia paupertatis evangelicae; ex qua — omnino magis quam per quamvis industriam et prudentiam humanam — sacerdos experiet « beatitudinem » pauperum, et fidelitatem divinae promissionis: « Quaerite primum regnum Dei et iustitiam eius, et haec omnia adiicientur vobis ».

b) Minister et particeps divinae spiritualis paternitatis, sacerdos debet amare animas amore qua Deus ipse eas amat. Proinde debet transcendere quemlibet amorem humanum (licet sanctum, a Deo conditum, sed inferiorem, caducum, ab omnibus transcendendum saltem « in Resurrectione »; et, post peccatum, periculosum; cf. *Mt.* 22, 30; *1 Cor.* 7, 29 ss.) et per sanctum caelibatum debet iam degens in terris se pandere ad perfectam caritatem: qua Deum solum amet directe et immediate, ceteros ceteraque vero in Deo et per Deum et cum Deo. Exinde oritur zelus verus, perardens (pro amore Dei), docilis et disponibilis (Deo cooperatur, ubi Deus vult; et fructus Deo soli pertinet; cf. *Io.* 4, 36 ss.), vere supernaturaliter efficax.

c) Oblator in Missa oboedientiae redemptricis Christi, eiusque prosecutionis in populo christiano quam ipse efformare debet, sacerdos totam vitam suam debet vivere in oboedientia: quae est efficax intima cooperatio ad opus Redemptionis; et per ipsam in actum ducitur caritas, iuxta illud Christi: « Qui diligit me sermonem meum servabit »: qui « sermo » invenitur in Apostolis eorumque successoribus episcopis, quibus ipse Christus dixit: « Qui vos audit, me audit ».

Sub hac plena supernaturali luce, sacrus caelibatus apparet velut punctum centrale. Praesupponit et exigit realem paupertatem; nisi enim vicerimus

in minoribus et exterioribus, vincere non poterimus in intimis tam magis arduis. Et (cf. Encycl. *Sacra Virginitas*) caelibatus viam pandit ad perfectam caritatem. Sacrus caelibatus non consistit in « non amando », sed in « amando » amore supreme ardenti, exigenti, beato, foecundo, scil. caritate, per participationem ad amorem quo Deus amat seipsum, et in se et per se amat creaturas. Et haec in actum adducuntur per oboedientiam, per zelum animarum verum, per orationem personalem et intimam unionem cum Deo intensissime curandam et ex qua oritur vera et efficax participatio fructuosa ad actionem liturgicam, ipsi sacerdoti commissam.

Ita consilia evangelica in sua germana substantia apparent non solum possibilia, sed inhaerentia ad vitam sacerdotalem qua talem, quae sic attingit suam plenam sublimem pulchritudinem et efficacitatem et beatitudinem in perfecta caritate, unde « pax quae exsuperat omnem sensum » et « gaudium » Christi quod « nemo tollet » a nobis.

Bene et clare positis his principiis spiritualibus (quibus in angustia temporis hic vix innui) evidenter aperitur animus sacerdotis ut recipiat solutiones problematum vitae sacerdotalis hodiernae: i. e. fraterna cooperatio, disponibilitas etiam extra fines propriae dioecesis, aequa repartitio bonorum temporalium et reformatio regiminis beneficialis, etc.; quae aperitio et positiva dispositio animi si desit, quaevis reformatio evadit impossibilis immo nociva (vide pag. seq. quaedam circa regimen beneficiale hodiernum).

Praesertim dabimus consolationem et solacium iis, qui, tam suaviter et intime nobis coniuncti caractere sacerdotali, generose portant pondus diei et aestus, saepe in statu solitudinis et derelictionis — etiam inter medias multitudines — quae requirunt verum heroismum per miraculum gratiae. Insuper, sic elevata vita spirituali sacerdotum abundantius fluet gratia: in omnes, et praesertim circa vocationes (ceteroquin etiam naturaliter iuvenes — natura sua generosi — valde magis allicientur ad vitam magis generosam et sublimem).

Quaedam inter inconvenientia derivantia a vigenti regimine beneficiali.

Subvertitur bonus spiritus et ordo in animo sacerdotum. Sub specie zeli animarum, ut habeat copiosius bona etiam materialia pro earum cura et bono, sacerdos aegro animo et vix et ne vix quidem concurrit ad paroecias pauperiores, et semper anhelat ad ditiores.

Ad regendam paroeciam, scil. ad onus formidandum quod acceptari potest tantummodo oboedientia suffulti qua certiores fiant auxilio divinae gratiae, sacerdotes certatim contendunt per « concursum »; ita ut postea cogitent et dicant se paroeciam obtinere proprio merito (« l'ho avuta per concorso », « l'ho vinta per concorso »).

Sacerdos in aliquo periculo morali constitutus, si ab episcopo invitatus ad translationem in aliam paroeciam, ut vitetur periculum et forsan peccatum et rumor non secundus, renuit: quia, « inamovibilis » cum sit, si amovetur praestat ansam ad confirmandas malas voces: « pro honore status sacerdotalis » (!) debet remanere in periculo, in peccato, forsan usque ad naufragium.

20

EXC.MUS P. D. ANTONIUS DE CASTRO MAYER

Episcopus Camposinus

Secundum dicta in relatione de propositione 10, littera B), in pag. 22-23, postulatio unius Patris ut in clero supprimatur classis, simplificentur vestes, abolantur tituli puri honoris, remissa est « ad Commissionem Codicis Iuris Canonici recognoscendo ».

Liceat mihi hac in re quamdam animadversionem facere ad eamdem commissionem mittendam.

Bene in aula conciliari episcopus Barbastri in Hispania iniustas inaequalitates inter sacerdotes vituperavit. Recte locutus est de « iniustis » inaequalitatibus. Re enim vera non omnes inaequalitates vituperandae sunt, cum plures adsint omnino iustae, cum vel ab ipsa natura ortae sint, vel ab industria personali aut a conditionibus historicis vel socialibus promanent. Ita non semel docuit Pius XII, v. g. in allocutione natalitia 1944 (*Disc. e Rad.,* vol. VI, p. 239), vel in allocutione ad fideles paroeciae S. Marciani (*Disc. e Rad.,* vol. XV, p. 195). Et nulla videtur ratio cur a doctrina tanti Pontificis discedere debeat novus Codex Iuris canonici.

Praeterea, inter mala quae angorem causant hominibus huius temporis, non ultimum locum occupat mens socialistica quae omnes inaequalitates in societate abolendas esse declarat. Etenim, cum homines a natura ordinentur ut in societate vivant uniti, societas vero, ut vere humana sit, ad modum corporis organici constitui debet, corpus vero pluribus diversis membris et quidem in quadam hierarchia distributis constat, sequitur quod nihil plus noceat paci et verae felicitati sociali quam abolitio omnium inaequalitatum (cf. *1 Cor.* 12, 14 ss.). Rogo ut commissio de recognoscendo Codice Iuris Canonici haec prae oculis habeat.

Nec dicatur hominem modernum iam non pati amplius inaequalitates sociales.

Non enim Ecclesia condita est ut mentes hominum alicuius temporis sequatur, sed ut homines cuiuscumque temporis ad veritatem Christi conducat, corrigendo quae in eorum mentibus falsa sunt. Nulla societas magis Evangelio contraria quam societas paganorum, in quam missi sunt apostoli. In hac autem societate quid praedicaverunt Apostoli? Id quod ei videbatur stultitia, Christum nempe crucifixum. Sic tamen societatem illam corruptam et in moribus et in ideis ad consortium sociale secundum ordinationem christianam adduxerunt. Hodie eadem efficacia gaudet verbum Christi. Ne ergo aures praebeamus ideis unice quia universaliter acceptentur, eo magis cum a magisterio Ecclesiae Romanae veritati contrariae iudicantur (cf. S. PIUS X, *Notre charge apostolique,* 20 augusti 1910).

Fere idem dicendum de vestibus et de titulis honoris causa concessis. Omnimoda simplificatio his in rebus adversatur tum traditioni Ecclesiae, tum

ipsi Sacrae Scripturae (cf. quae de vestibus et de iis quae ad cultum destinabantur dicuntur in V. T.). Etiam recta ratio postulat ut externe se gerant homines modo convenienti eorum dignitati, muneri et obligationibus socialibus. Hortentur utique sacerdotes, sicut recte in schemate dicitur de spiritu paupertatis (pag. 8, linn. 32-33), ut his rebus utantur non spiritu vanitatis, sed potius ne obliviscantur obligationum quae eis incumbunt propter munus, dignitatem vel similia quae rationes sunt sive vestium sive titulorum quibus ornantur.

Pag. 8, lin. 38 textus emendati: supprimatur verbum « commendante immo vel etiam ». *Ratio*: sacerdotes qui sacrum caelibatum voverunt sunt sacerdotes Ecclesiae latinae. Iamvero hi votum emiserunt Ecclesia iubente, non autem commendante. Porro, hodie magis inculcandum est sacer caelibatus, cum magni conatus fiant ut in Ecclesia abrogetur. Abrogatio autem esset damnosa, historia teste, dilatationi Regni Christi.

21

Rev.mus P. D. ODEMARUS DEGRIJSE

Superior generalis C.I.C.M.

Valde miror quod in n. 4 non magis explicite agitur de quadam quaestione maximi momenti pro apostolatu sacerdotali in mundo hodierno, nempe de apostolatu sacerdotali « in coetu » (« travail en équipe », « teamwork »).

Peto ut loco verbi « cooperationis », lin. 15, pag. 10, post paragraphum addatur: « Valde incitantur ut apostolatum suum " in coetu " (en équipe) expleant; ad quod faciendum sacerdotes in seminario praeparari deberent ».

Rationes:

1. Textus minus explicitus est quam textus de sacerdotibus in schemate *de Ecclesia,* cap. III, n. 28.

2. Secundum novam theologiam de Ecclesia, a Concilio approbatam, omnis vita christiana est *communitaria,* etiam omnis apostolatus. Hoc vero imprimis et praesertim valet de episcopis et de sacerdotibus, qui totam Ecclesiam *animare* debent. Ecclesia fieri debet una magna communitas ex multis minoribus communitatibus. Hae formandae sunt a communitatibus sacerdotalibus, quae sunt earum *anima.* Sacerdotes exemplum dare debent.

3. Non sufficit ut sacerdotes con*vivant* (simul *vivant*). Hoc fieri potest modo valde individualistico. Sacerdotes debent *collaborare,* simul *laborare.* Huic autem labori « en équipe » communitas vitae bonum fundamentum praebet. Laborare simul, « en équipe », supponit specialem ascesim et proinde specialem praeparationem spiritualem quae in seminariis danda est. Multi sacerdotes non possunt *collaborare,* quia ad hoc non fuerunt instituti.

4. Apostolatus sacerdotalis « in coetu » (*en équipe*) a nostro tempore exigitur:

— Apostolatus tam difficilis factus est ut exerceri possit solummodo a sacerdotibus qui simul quaerunt, examinant, discutiunt et sequuntur.

— Renovatio liturgiae, catecheseos et praedicationis tantum possibilis est, si omnes sacerdotes in una paroecia, in una regione (zona) pastorali, in una dioecesi collaborant.

— Pastoralis « d'ensemble », quae nunc ubique pernecessaria est, sine labore « en équipe » impossibilis est.

— Nostris diebus, in tota societate humana tenditur ad unitatem, ad collaborationem et organizationem. Ergo hoc etiam in apostolatu fieri debet.

— Efficientia sacerdotalis valde promovebitur apostolatu « en équipe ».

5. Renovatio spiritualis et intellectualis sacerdotum effici nequit sine labore « in coetu », « en équipe ». Sacerdotes qui simul laborant et simul quaerunt, studio vacant et se invicem ditant. Sacerdotes collaborantes vitam spiritualem profundiorem ducent, *iuniores* fiunt, atque eorum zelus spiritualis non frigescit, sed continuo crescit.

6. Experientia quam itinerans per multas nationes totius mundi acquisivi, persuasus sum legem caelibatus aegre et vix observari posse a sacerdotibus qui non collaborant nec spiritualiter se invicem fulciunt.

Conclusio: apostolatus sacerdotalis « in coetu » (travail en équipe, teamwork) est magna *inventio* in spiritualitate nostri temporis atque magnae necessitati respondet. Consentaneus est renovationi Ecclesiae. Renovatio Ecclesiae a sacerdotibus incipienda est. Hoc autem valde imperfecte et lento efficietur atque Concilium felicem exitum non plene assequetur, nisi sacerdotes incipiant laborare « in coetu » (en équipe, teamwork).

Meo sensu, agitur de problemate magni momenti. Ergo in schemate modo omnino explicito illustrari deberet.

22

Rev.mus P. D. ANTONIUS DE HORNEDO CORREA

Praefectus Apostolicus S. Francisci Xaverii

Prop. 1: placet iuxta modum. Pag. 7, lin. 11 addantur verba a Concilio Tridentino de omnibus stricte dictis sacerdotibus dicta, adeo ut textus compleatur hoc modo: « Novi Testamenti sacerdos, apostolorum in sacerdotio successor, sacramenti Ordinis ratione... ». *Rationes* additionis: 1. Nam verba addenda a Concilio Tridentino dicuntur de omni stricte dicto sacerdote Novae Legis, in decretis de Missae sacrificio (D. 938) et iterum de sacramento Ordinis (D. 957); 2. cum Concilium Vaticanum II adeo generose extollere decrevit dignitatem sacerdotii communis omnium baptizatorum, valde decet ut veris proprieque dictis sacerdotibus non deneget insignem praerogativam ipsis iam a Concilio Tridentino plane agnitum; 3. in verbis propositis ut addantur, proprium ac verum continetur fundamentum eorum

quae deinde asseruntur lin. 14: « in populo et pro populo Dei munus patris et magistri exercens ».

Pag. 8, linn. 6-7: legitur « studeat igitur cum fidelibus laicis operam coniungere, honore eos praeveniat ». Oporteret haec alio modo exprimere: « Studeat igitur fidelium laicorum opera apostolica promovere, suoque proprio ministerio sociare, honore eos praeveniat... ». *Ratio* mutationis: prout iacent haec verba in schemate, potius videtur intelligi, sacerdotem esse collaboratorem laicorum, cum potius contrarium teneri debeat. Praeterea haec dicenda sunt de laicorum operibus apostolicis vel cum apostolicis connexionem habentibus, nam prout in schemate sine restrictione dicitur, cum laicis fidelibus operam coniungere, nimis late patet.

Pag. 8, linn. 14-24: « quapropter enixe... haec cogitate » substituatur hac vel alia simili ratione: « Quapropter enixe eas virtutes colat, quibus, Domino praecipiente, omnes ministri Christi ornati sint oportet. Inter eas autem praesertim necessariae censentur suiipsius abnegatio: " Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam et sequatur me " (*Mt.* 16, 24); constans labor apostolicus " admoneo te ut resuscites gratiam Dei quae est in te per impositionem manuum mearum... noli itaque erubescere testimonium Domini nostri, sed collabora Evangelio secundum virtutem Dei " (*2 Tim.* 1, 8); " labora sicut bonus miles Christi Iesu: nemo militans Deo implicat se negotiis saecularibus " (*2 Tim.* 2, 3-4); " Tu vero vigila, in omnibus labora, opus fac evangelistae, ministerium imple, sobrius esto " (*2 Tim.* 4, 5); denique virtutes theologales, quibus universa ministri Christi vita et activitas informari debent: " iuvenilia desideria fuge, sectare vero iustitiam, fidem, spem, caritatem et pacem cum iis qui invocant Dominum de corde puro " (*2 Tim.* 2, 22) ». *Ratio* mutationis: 1. Non naturales virtutes omnibus christifidelibus communes, prout fit in schemate, sed virtutes supernaturales et praesertim illae in Scriptura ministris Christi speciatim commendatae, etiam a Concilio commendandae sacerdotibus sunt. 2. Si virtutes has supernaturales colunt, eo ipso et eminenter, suggerente divino Spiritu, et alias naturales virtutes obtinere curabunt.

Prop. 3: placet iuxta modum. Pag. 9, linn. 36-39 censeo complenda esse hoc modo: « ... traditionalia media ad vitam interiorem fovendam, uti sunt sic dicta exercitia spiritualia, tam enixe a Summis Pontificibus et lege canonica commendata, cotidiana oratio mentalis, et aliae huiusmodi pietatis exercitationes, quae quidem spiritu liturgico... ». *Rationes*: loco vocis « subsidia » proponitur vox « media », nam sermo est non proprie de subsidiis, sed de mediis ad pietatem fovendam. Additur: « sic dicta exercitia spiritualia tam enixe a Summis Pontificibus et lege canonica commendata », propter momentum eorum ad vitam sacerdotalem pietatis sustentandam et perfectionem promovendam. Summorum Pontificum commendationes praecipuae: PIUS XI, Enc. *Mens nostra,* a. 1929; PIUS XII, Enc. *Mediator Dei*, a. 1947 (*A.A.S.*, 39, pp. 585-586). Lex canonica exercitia sacerdotibus dioecesanis praescribit « tertio saltem quoque anno (can. 126). Oportet ut praescribe-

rentur eis « quotannis » ut religiosis praescriptum est (can. 595); non enim minor spiritus perfectio et puritas convenit sacerdotibus ut talibus quam religiosis.

Pag. 10, linn. 2-3. Textus oportet ut compleatur hoc modo: « Magni tandem faciant cultum Ss.mae Eucharistiae atque devotionem erga Ss.mum Cor Iesu et B.mam Virginem Mariam ». *Rationes* additionis: 1. omnino patent, praesertim ex Litt. Enc. Pii XI *Miserentissimus Redemptor* et Pii XII *Haurietis aquas,* ab omnibus sacerdotibus probe notis; 2. speciatim nostris temporibus vel maxime inculcare oportet et inculcari solet caritas actuosa et perfecta usque ad sacrificium, si opus sit, perducenda. Ad huiusmodi vero perfectam caritatem fovendam dirigitur et experientia teste efficax est devotio Ss. Cordis.

Prop. 6: placet iuxta modum. Pag. 11, lin. 13 compleatur textus additis his lineolis: « Initiatio veluti practica in vita et apostolatu sacerdotali oportet ut fiat ea prudenti ratione a Pio XII commendata, ita nempe ut neosacerdotes, sub directione et vigilantia sacerdotum in vita pastorali et sacerdotali probatorum, primos suos gressus faciant ita ut in erroribus quibus unusquisque pronus sit, fructuose corrigi valeant ». *Ratio* additionis eiusque utilitas patent.

Prop. 7: placet iuxta modum. Pag. 11. Compleatur haec propositio sequenti paragrapho: « Sacerdotes autem, ut veri " ministri Christi ", qui " dedit semetipsum redemptionem pro omnibus " et ut " dispensatores mysteriorum Dei ", qui " vult omnes homines salvos fieri " peculiari ratione zelum propagationis fidei in suis animis foveant oportet, atque fideles suis curis commissos diligenter instruant de magna caritatis obligatione orandi pro missionibus infidelium et suis necessitatibus pro posse subveniendi. Nec obliviscantur opus promovendi vocationes iuvenum quod ad tam grande ministerium Dominus vocaverit.

Prop. 10: placet iuxta modum. Pag. 13, n. 10, forte oporteat ut compleatur addendo post lin. 5 sequentia: « Et quia officium in Ecclesia natura sua est vere activum ministerium, ad quod exercendum sacerdos, velut efficax instrumentum, aptis viribus et idoneis qualitatibus praeditus sit oportet, ideo Sancta Synodus optat ut pro sacris muneribus vel officiis etiam in iure Ecclesiae prudentes stabiliantur normae circa convenientes iubilationum aetates, ita tamen ut congruae et dignae sustentationi sacerdotum emeritorum in singulis casibus merito et paterne provideatur ». *Ratio* additionis: publica opinio in Ecclesia ad hoc stabiliendum magis ac magis in dies propendit, ob exigentias boni communis ipsius Ecclesiae. Si autem in societate civili ubique hoc ipsum utiliter statutum est, a fortiori oportet ut etiam in Ecclesia stabiliatur. Nam bona supernaturalia Ecclesiae non minore diligentia et abnegatione singulorum promovenda sunt quam temporalis civitatis bona.

[*Subscripserunt etiam*] Felix Erviti, praef. ap. de Sahara Hispanico et Ifni; Federico Melendro, arch. Nganchimensis.

24

Exc.mus P. D. ABILIUS DEL CAMPO Y DE LA BÁRCENA

Episcopus Calaguritanus et Calceatensis-Logrognensis

I. In apparando novo schemate vitanda erunt incommoda, quae in praecedenti certo aderant. Schema enim in aula reiectum:

1. bona ad summum erat « adhortatio ascetica » sacerdotibus facienda occasione *Exercitiorum spiritualium*. Sub aspectu tamen conciliari, meo simplici iudicio, documentum nimis leve, vacuum pondere et contentu doctrinali « *de vera sacerdotii ratione in Ecclesia* ».

2. In ambiguitate positum integrum fere schema via ambigua decurrit. *Intentionaliter* enim « presbyteris » destinabatur. De facto, tamen, quae in ipso continentur omnibus sacerdotibus, episcopis non exceptis, immo vero et episcopis praecipue, applicari possunt et debent (cf. 1-4).

3. Dum nihil aut fere nihil in schemate dicitur « de praestantia, de dignitate, de muneribus et de missione aut iuribus sacerdotis in Ecclesia », multa *exclusive presbyteris* applicantur quae obligationes onerosas, officia nempe sonant. Quae cum ita sint, si schema ut iacet publicatum fuisset, presbyteri insurgere potuissent dicentes: De semetipsis loquentes, episcopi non pauca de iuribus, de muneribus, de missione et de potestate dixerunt, nihil aut fere nihil de onerosis addentes (cf. *de Ecclesia*), de *presbyteris* vero e contrario et etiam *onerosa communia,* nobis non sibi ipsis applicarunt.

Et quod gravius adhuc est: In schemate *de apostolatu laicorum* non semel mentio fit, et merito quidem, de positione *laicorum* in Ecclesia, de ipsorum iuribus, missione et dignitate. De *presbyteris* vero in proprio suo schemate criterio totaliter alio proceditur.

4. In schemate reiecto quaestiones, si quae sunt in illo, videntur tractari quasi « per transennam, gressu nimis veloci » ac si de rebus minoris momenti ageretur, cum e contrario schema de *presbyteris* forte primum sit et praecipuum inter omnia Concilio proposita. Novum igitur schema plenum et completum sit oportet, in quo problemata omnia sacerdotes respicientia serio et sine festinatione tractentur. Sacerdotes nostri nostram expectant conciliarem *vocem*. Defraudare illos non possumus. His omnibus praesuppositis:

II. In *novo schemate* duae distinguendae erunt partes: 1. in qua de *sacerdotio* vel de sacerdotibus in genere, sive episcopi sive presbyteri tantum sint et 2. in qua de *presbyteris* in specie sermo fiat.

Pars I. *De sacerdotio.* (Potest etiam dici *cap.* I.).

1. De positione sacerdotis in actuali *oeconomia salutis*:

a) relate ad Deum et Iesum Christum.

b) relate ad Ecclesiam.
c) relate ad fideles.

2. De necessitate ministerii sacerdotalis:

a) ipse applicat *opus* Redemptionis a Christo peractae.
b) ideo ipse « operatur » in historia *opus* Christi.
c) Sacerdos « facit » Ecclesiam, ministerialiter operando.

3. De praestantia sacerdotii eiusque dignitate et praecellentia:

a) Sacerdos, *alter Christus,* non solum ascetice loquendo, sed et theologice. Ipse enim est 1) mediator 2) salvator cum Christo.
b) Sacerdos, pater in familia christiana.

Caput II. *De vocatione sacerdotali.* In hoc capite includi et exponi debent omnia quae in schemate praecedenti veniunt a nn. 1-7. Verumtamen et his exponendis prae oculis habenda sunt nonnulla, si non omnia, quae in aula conciliari proposita fuerunt. Ni fallor, tamen, aliqua sunt perficienda:

a) textus *nimis optativo* modo proponitur: « sint, curent » etc. etc.

b) dum expresse et instanter urgentur « virtutes humanae », quae utique curandae sunt, non ita pari modo « supernaturales », quae sine dubio maioris sunt momenti et necessitatis (cf. in n. 1, pag. 8, linn. 16-20).

c) tollantur et alibi transferantur quae veniunt in n. 2 pag. 9, linn. 3-17. Si enim, iuxta mentem nostram, tota haec prima pars est pro omnibus sacerdotibus, cuiusque gradus, non possunt in illa includi, quae nonnisi de aliqua specie valent dici.

Pars II. *De presbyteris.* Posita doctrina generali de sacerdotio in parte prima, quae sine dubio magni erit solatii pro omnibus sacerdotibus, opere pretium est exponere et explicare accurate doctrinam conciliarem:

I - De *presbyterio dioecesano.* Simili enim modo ac in schemate *de Ecclesia* sermo fit de episcopis relate ad Papam, ita et in praesenti *de presbyteris* agendum videtur de *relationibus ipsorum ad episcopum,* eo vel magis quod iam in publicationibus periodicis hac de re sermo frequenter fit et fortasse non semper recte.

Sine dubio *presbyteri* nostri hoc expectant et ardenter desiderant. Melius erit nunc, in Concilio, doctrinam rectam exponere, quam problema *ignorantes,* liberis disputationibus et commentis singulorum illud nos ex integro relinquere.

Alia ex parte, multa eaque optima dici possunt hac in re: *a*) de unione cum episcopo; *b*) de caritate; *c*) de filiali fiducia; *d*) de oboedientia; *e*) de *corresponsabilitate*; *f*) de collaboratione.

II - De *munere presbyterorum in dioecesi.* Possemus procedere pari modo ac cum de episcopis in schemate *de Ecclesia.* Hinc:

1. *De munere dicendi*: *a*) de praedicatione; *b*) de catechesi; *c*) de scholis aliisque institutionibus.

2. *De munere regendi*: *a*) in organizatione vitae paroecialis; *b*) in administratione immediata bonorum Ecclesiae; *c*) in directione A. C. et aliarum Associationum.

3. *De munere sanctificandi.*

Nota. Quae in praecedenti schemate veniunt a nn. 8-12 transferri debent fere ex integro ad schema *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia.*

25

Exc.mus P. D. VIDO DEL MESTRI
Archiepiscopus tit. Tuscamiensis

De congrua sacerdotum sustentatione. A) *Animadversiones.*

1. Ex defectu congruae sustentationis in non paucis orbis catholici partibus clerum opprimente, inveniuntur iuvenes sacerdotes qui, inde a die ordinationis, compelluntur stipendia missarum ea industriositate sibi colligere quae tum augustae sacrificii eucharistici dignitati tum propriae eorum spiritualitati detrimento esse potest. Quodsi decursu vitae sacerdotalis conditio eorum oeconomica melior evaserit, in hoc studio non raro per modum habitus legitime, ut putant, contracti perseverant.

2. Ita fit ut passim, in clero, sollicitudo onera missarum absolvendi minus dependeat a praecedentia sive temporis sive instantiae ex parte oblatoris quam potius a pinguedine oblationis. Nec desunt sacerdotes qui, stipendiis minus pinguibus iam collectis, illa ad alios confratres transferre satagunt unico intentu ut pinguiores oblationes interim forte acceptas sibi retinere possint.

3. Quae de singulis sacerdotibus hinc inde observari possunt, formas adhuc magis incongruas (vel saltem magis diffusas) assumere dicenda sunt in casu quarundam communitatum, religiosarum vel aliarum. Quorum procuratores sui officii esse aestimant, ad prosperitatem oeconomicam communitatis in tuto ponendam, stipendia missarum quam maiora numero et quam pinguiora colligere ut ex ipsis ea deligant tantum quae domui reddititiora sint, cetera ad alios sacerdotes (minus industriosos vel in colligendo minus felices) transferendo.

4. Industriosa huiusmodi collectio intentionum missalium periculum insuper auget, sive pro singulis sacerdotibus sive pro communitate religiosa vel alia, ad onus sic accumulatum imparem se subito inveniendi. Quo fit ut petitiones ad Sedem Apostolicam pro reductione oneris non ita rarae et exceptionales sint, quam res, per se, requireret.

5. Quae omnia, non tantum Ss.mae Eucharistiae dignitati et sacerdotum pietati et spiritualitati dedecere dicenda sunt, sed etiam oblatorum intentioni vix vel ne vix quidem congruere videntur. Legitime enim — saltem non-

nunquam — dubitari potest utrum fideles eleemosynam pro missa (praesertim pro « cantata ») offerentes id facerent, si scirent hanc missam celebratam iri post notabile tempus, a sacerdote intentionem prorsus ignorante, et in loco omnino dissito orbis terrarum. Quae valere dicenda videntur praesertim pro missis « cantatis » ad exteros translatis et a sacerdote absolutis cum sola adsistentia unici cantoris qui eodem tempore partes etiam auditui adimpleat.

6. Nec tacendi sunt casus ecclesiarum quarum rectores fideles locales missae celebrationem petentes vel respuunt vel nimio tempore ad futura remittunt, unice quia fidelium istorum oblatio, in comparatione cum stipendiis missarum aliunde collectis, modestior apparet. Quae praxis eo magis reprobanda videtur in celebrandis missis pro aliquibus occasionibus maioribus (nuptiarum, exsequiarum etc.); applicando videlicet talem missam non ad occasionem dictae celebrationis sed ad aliam intentionem, unice quia oblatio praesentium (sponsorum, defunctum lugentium etc.) sacerdoti celebranti nimis modesta appareat.

7. Inveniuntur immo et Ordinarii locorum — praesertim in terris missionum aliisque regionibus pauperioribus — qui non solum *non* exhortantur suos fideles ad oblationes missarum faciendas sed e contra *a*) vel aegre ferunt quando hae oblationes missarum locales (quae, uti patet, sunt, in casu, modestiores vel modestissimae) sacerdotes dioecesanos impediunt ne missas « pinguiores » v. g. ex America collectas, absolvant, vel *b*) nimia facilitate a Sancta Sede petunt (et non raro obtinent) reductionem onerum istarum Missarum localiter oblatarum.

8. In fine quod providam Codicis Iuris Canonici dispositionem attinet de celebrationis « intra modicum tempus » (can. 834, par. 2, 2) onere absolvendo, haec insufficiens, saltem in praxi hodierna, habenda est pro illis casibus in quibus missae eleemosyna ab oblatore ad accipientem et ab accipiente ad varios intermediarios transit usquedum, post longum iter, ad celebrantem perveniat.

B) *Votum.* Quibus expositis haec quae sequuntur commendari liceat, firmis dispositionibus iam nunc vigentibus (can. 824 s.):

I. Curent Ordinarii ut, independenter a stipendiis missarum, sacerdotibus non desint bona temporalia ad modestam quidem, sed congruam et honestam sustentationem necessaria. Quodsi obtinuerint, prudenter promoveant in clero usum libere relinquendi ecclesiae vel dioecesis necessitatibus stipendia per se sacerdotibus debita. Sin minus, saltem laudent illos qui, stipe dioecesana tantum retenta, quod superest tradere solent dictis necessitatibus.

II. Meminerint Ordinarii quae, ad normam constitutionis conciliaris de sacra Liturgia, inculcanda sunt fidelibus circa actuosam eorum participationem in oblatione Sacrificii Eucharistici; eosdemque fideles proinde ad oblationes pro Missis, quibus ipsi intersint, celebrandis exhortentur etiamsi hoc modo clerus dioecesanus forte stipendia percipiat modestiora quam illa ab exteris collecta.

III. Inter ea quae, ad normam can. 827, a stipe missarum sunt arcenda, habendus est etiam usus stipendiorum ad transferendam pecuniam ab uno loco ad alium, nisi verae paupertati alicuius sacerdotis aliter mederi nequeat.

IV. Urgeatur universaliter et magis efficax reddatur observantia can. 836 *C.I.C.*

V. Firma libertate sacerdotis accipiendi a fidelibus stipendia pinguiora intuitu personae oblata, reprobantur usus: *a*) annuntiandi congregationi fidelium tantum missas quae, quocumque titulo, pinguiores sunt vel censentur; *b*) transferendi ad alios onera missarum modestiora ut alia, pinguiora, a seipso vel a communitate sibi concredita absolvi possint; *c*) absolvendi chronologice onera missarum secundum maioris oblationis valorem; *d*) evitandi applicationem missae ad intentionem fidelium praesentium: ex motivo quod alia intentio, aliunde collecta, magis proficua est.

VI. Quodsi tempestivae missarum celebrationi provideri aliter a sacerdote stipendium acceptante nequeat, non reprobatur, servatis servandis, missarum manualium ad alios sacerdotes transmissio. Curent tamen translatores et alii intermediarii ut sacerdos celebraturus rite et diem oblationis factae et specificam oblatoris intentionem addiscant.

VII. Missarum manualium reductio nunquam permittatur, quovis reductionis titulo (etiam maximae paupertatis) excluso.

VIII. Instruantur seminaristae et, occasione praesertim exercitiorum spiritualium, sacerdotes omnes ut ad missae celebrationem aspirent non ex emolumento oeconomico sed ex pura intentione colendi Deum in unione cum Christo summo sacerdote.

26

EXC.MUS P. D. ALBERTUS CONRADUS DE VITO
Episcopus Lucknovensis

In prooemio schematis asseritur in constitutione *de Ecclesia* et in decreto *de pastorali episcoporum munere* naturam theologicam presbyteratus declaratam fuisse.

In documentis tamen citatis solummodo dicitur episcopos, ratione Ordinis episcopalis, plene ac totaliter sacerdotium hierarchicum recipere; dum relate ad presbyteros affirmatur ipsos tantum esse *episcopi adiutores* in sacerdotio, scil. in sacrificii eucharistici oblatione, in sacramentorum administratione et in munere regendi, docendi ac sanctificandi.

Sed, nostris muneribus episcopalibus, et quidem ratione sive Ordinis sive collegialitatis, clare definitis, relate ad presbyteros tantummodo dicere ipsos episcopi adiutores esse, certo certius nullo modo sufficit.

Presbyteri quam maxima laetitia affecti erunt cum decreta Concilii promulgata fuerint, cognoscentes nempe episcopos, ratione Ordinis, Christi sacerdotium plene ac totaliter recipere, de universalis Ecclesiae cura sollicitos

esse ac tandem eos in collegio unitos una simul cum capite Summo Pontifice infallibilitate pollere.

Magno tamen dolore affecti erunt videntes quod nos illos obliti sumus devitantes clare expresseque definire quo gradu ipsi Christi sacerdotium recipiunt.

Res quidem vera est presbyteros adiutores nostros in munere episcopali esse, sed quid ipsi ratione Ordinis recipiunt? Cur expressis verbis non dicimus eos, ratione Ordinis, totaliter Christi sacerdotium recipere, ita ut, etsi sub episcopi ductu, omnia officia sacerdotalia perficere possint, scilicet sacrificium offerentes, sacramenta administrantes, ac regendi, docendi et sanctificandi potestate pollentes? Presbyterorum sacerdotium, ratione Ordinis recepti, plenum ac totale ac episcoporum sacerdotium est, quamvis non sit perfectum ratione iurisdictionis ita ut pro exercitio sacerdos mandato indigeat. Immo ab episcopo sacerdotium aliis conferri potest, dum non constat hoc de simplici presbytero dici possit.

Proponitur ut in huius schematis revisione ita procedatur:

1. Sermo fiat de natura theologica presbyteratus, clare definiendo qua ratione, mensura et gradu, Sacri Ordinis receptione, presbyteri partem habent in sacerdotio Christi.

2. De relatione inter presbyterum et Christum. Presbyter est alter Christus et ipse quoque est mediator inter Deum et homines.

3. De relatione inter presbyterum et episcopum. Dicatur qua ratione ambo dicuntur sacerdotes et qua ratione presbyter dicitur adiutor episcopi.

4. De munere sacerdotali simplicis presbyteri et parochi. Loquatur de relatione inter ipsos.

5. Munera ac iura coadiutorum tam in spiritualibus quam in temporalibus.

6. De sacerdotis sanctitate. Sermo sit de sanctitatis mediis.

7. De sacerdotis muneribus in sacro ministerio et apostolatu.

8. In hoc schemate dentur tantum principia pastoralia. Ea omnia quae rationem iuridicam habent enuncientur tantum ita ut de ipsis agatur in Codicis revisione.

27

Rev.mus P. D. VILFRIDUS IOSEPH DUFAULT

Superior generalis A.A.

Suorum presbyterorum caelibatum occidentalis Ecclesia iure magni facit, cum haec disciplina, quam illi acquisiverunt intemerata voluntas Summorum Pontificum et episcoporum necnon per progenies virtus tot sanctorum presbyterorum, sine dubio clerum reddat hominibus mirabilem. Haec lex sancta non tantum est presbyteris nostris fons quaedam apostolicae foecunditatis, sed etiam videtur obex efficacissimus quo a sacerdotio arcentur quicumque

in illo ministerio praeter Dei gloriam et animarum salutem aliud quaerere vellent.

Nostris tamen diebus, plures optandam dicunt quamdam mitigationem huius disciplinae, cuius opinionis fundamentum est lugenda condicio (heu nimis frequens) istorum presbyterorum qui sive merito sive immerito sese reputant iam oneri caelibatus impares. Neque tantum scriptores privati et potestatis expertes hoc argumentum evolvunt, siquidem, procedente secunda huius Concilii sessione, plures episcopi epistolae subscripserunt Summo Pontifici mittendae qua illum rogabant ut dignaretur attendere quam optandum foret ab obligatione caelibatus solvi presbyteros lapsos vel collabentes, dummodo ab omni sacerdotali ministerio exercendo in posterum prorsus prohiberentur. Haec autem epistola opportune memorabat vicinam sententiam propositam esse ab ipso card. Montini, mense maii 1960, occasione data Concilii mox adunandi.

Etiam quae sequuntur cogitationes eodem tendunt et opportunitatem volunt ostendere cuiusdam mitigationis legis hodiernae. Quas cogitationes iudicio commissionis de disciplina cleri et populi christiani humiliter subiicimus.

Quamvis enim saluberrima sit lex caelibatus clericalis, si universe consideratur, attamen eius applicatio funesta apparet in casu quorumdam presbyterorum qui non sunt eo animo praediti quo eam obligationem servent in convenienti spiritu dilectionis. Ideo videtur, cum certum iam sit huiusmodi esse casum alicuius sacerdotis, opportunam fieri dispensationem caelibatus, cum haec dispensatio prosit illis miseris presbyteris nec videatur Ecclesiae detrimento esse.

In huiusmodi casibus dicimus ergo dispensationem caelibatus opportunam videri, utpote in bonum tendens ipsius sacerdotis. Etenim ex his duobus unum eveniet, aut violabitur lex caelibatus, aut sine dilectione servabitur, cum iam tantummodo consideretur velut dura servitus et necessitas inexorabilis.

Et quidem, si de illis agitur qui denique fidem frangunt caelibatus, manifestum est dispensationem eis utilem futuram fuisse, cum possibilitatem obtulisset pacificae conclusionis in summo discrimine quod alias saepe nullum invenit exitum et multoties, ut experientia constat, apostasiam a fide insuper gignit. Sic etiam gravia et diuturna scandala fuissent impedita. Neque praetereundum est quosdam ex his casibus peculiari misericordia dignos esse. Etenim nonnulli qui passionis illicitae vinculis irretiti sunt non plene sunt culpabiles, sed ex parte excusantur sive ob indolem sensualem quae reapse eos a clero arceri postulasset, sive ob alias causas. Sua infirmitate oppressi, vitam agunt quandoque pacis et humanae felicitatis expertem. Utinam saltem eis esset pro solacio quod cum sancta Ecclesia pacem haberent!

Sed etiam cum his qui legem caelibatus non violant videtur dispensationem fore salutarem, quandocumque ob eam unam causam caelibes manent quia uxorem ducere non sinuntur nec sini sperant. Eorum enim sacrificium,

ut ita dicamus, animam perdidit, nec iam a matrimonio se abstinent ob maiorem Dei amorem, sed sunt velut homines ad caelibatum damnati, qui ab ea condicione statim refugerent, si huius carceris porta coram eis aperiretur. Sic ergo sacrificium eorum magna ex parte suam excellentiam amisisse videtur, ita ut a caelibatus obligatione solvi eis iam non sit regressus spiritualis. Pretium enim sacrificii procedit a dilectione quae ei causa est. Porro dilectio ostenditur libertatis spiritu quo sacrificio obviamus, non sicut servi sub lege, sed sicut liberi sub gratia constituti, non quasi coacti et tristes, sed laeti et alacres: hilarem enim datorem diligit Deus. Liberati autem ab onere caelibatus, sacerdotes qui sub eo gemebant sperare possent vitae condicionem suae debilitati melius accommodatam, ubi Deo servirent qua par est alacritate.

Verum non tantum attendere oportet bonum sacerdotum qui lege caelibatus obruuntur, sed etiam bonum totius Ecclesiae. Attamen, si omnia perpenduntur, non putamus Ecclesiam detrimentum esse accepturam ex dispensatione de qua loquimur. Quid enim timetur? Ne forsan dispensetur ab obligatione ita sacra ut natura sua dispensationem vix accipere possit? An potius ne minoris pretii fidelibus appareat sacrum illud vinculum ad hoc tempus quasi indissolubile, si forte dispensatio concedi inceperit? An timetur etiam ne rogent presbyteri nimis multi ut ab obligatione solvantur, sic Ecclesiam suo ministerio privantes? Sed istarum timoris rationum nulla sat firma videtur ut sit contra dispensationem invicta obiectio.

Fatendum quidem est vinculum caelibatus sacerdotalis usque ad hos novissimos annos vulgo iudicatum fuisse ut dispensationis quasi incapax, quae opinio manifeste non erat sine aliquo commodo, utpote quibusdam tentationibus arcendis apta, cum nemo tentetur ab obiecto quod aestimetur impossibile. Sed non deerant etiam graves sequelae, quae modo dictae sunt et quae omnium menti hodie obversantur.

Ceterum non apparet quare sacerdotum caelibatus, si secundum se consideretur, sit minus capax dispensationis quam religiosorum caelibatus, de quo Ecclesia de facto dispensat. Si enim vi cuiusdam consecrationis et voti impliciti ob Dei dilectionem emissi subdiaconi ad caelibatum obligantur, hoc vinculum eiusdem est naturae ac votum castitatis quod emittunt religiosi et proinde videtur pariter dispensationis capax. A fortiori solvi poterit illorum iudicio qui huius obligationis causam agnoscunt non iam in voto sed in lege ecclesiastica, quique putant hanc obligationem eo praesertim tendere ut sacerdos possit totum se dare animarum ministerio. Ceteroquin nemo est qui dubitet quin Ecclesia potestatem habeat solvendi presbyteros a vinculo caelibatus. Quaestio non est de iure sed de opportunitate tantum, cum constet Ecclesiam raro hac uti potestate. Sed in tali materia videtur locum esse legitimae mutationi, et forsan opportunum est recordari tempore sancti Thomae morem fuisse, ut videtur, nunquam dispensandi religiosos a voto sollemni continentiae, ita ut ipse Angelicus Doctor, qui tamen opinabatur Ecclesiam potestatem habere a caelibatu dispensandi eos qui sacros ordines accepis-

sent,[1] iudicaret eamdem dispensationem concedi non posse religiosis propter eorum sollemne votum.[2] Dein vero disciplina mutata est et Ecclesia hanc dispensationem hodie concedit. Nihil autem obstare videtur quin similis mutatio eveniat circa caelibatum presbyterorum.

Sed forsan timetur ne ex concessione dispensationis fidelium erga clerum veneratio minuatur. Si enim actus sacer et heroicus videtur eis voluntaria susceptio caelibatus clericalis, nonne ratio potissima est quia hoc vinculum ab eis iudicatur prorsus indissolubile? Si viderint ab illo dispensationes quandoque concedi, iam non tanti facient virtutem suorum sacerdotum.

Hoc quidem obiici potest. Attamen dubitare licet an dispensationis institutum minuturum sit fidelium erga presbyteros venerationem. Qui dispensationem petent non nocebunt, ut videtur, nisi existimationi propriae, intactum relinquentes honorem presbyterorum qui fidem servant caelibatus. Revera concedendum est manifestioris fortitudines esse aliquid difficile promittere, si promissio ut prorsus irrevocabilis agnoscitur. At etiam verum est magis admirandae fidelitatis esse promissa servare, cum aliqua possibilitas datur ab eis declinandi, quam fidelem se ostendere cum, ut ita dicamus, impossibile est aliter se gerere. Itaque, licet forsan minorem admirationem conciperent fideles de initiali proposito caelibatus, attamen liberam perseverantiam in fidelitate magis admirarentur, ita ut, in summa, non videatur dispensationis usus laesurus esse existimationem qua presbyteri nunc fruuntur.

Superest adhuc timor alius, ne scilicet nimis multi sacerdotes dispensationem petant, si iam haec certis in adiunctis ordinarie concedatur. Sic enim Ecclesia, quae iam acerbe experitur quam pauci sint operarii, insuper privaretur illorum ministerio et ex his defectionibus grave detrimentum pateretur.

Profecto non est negandum quin plures presbyteri sacrum ministerium abdicarent, si dispensatio caelibatus illis concederetur. Aliqui enim, qui nolunt sine licentia suum statuum derelinquere, aliam viam ingrederentur, si licentia daretur. Non tamen pluris aequo numerus eorum est aestimandus. Sicut enim liberrime obligationem caelibatus presbyteri susceperunt, sic liberrime plerique perseverant in caelibatu, et proinde relative pauci essent, ut videtur, qui possibilitate dispensationis uterentur.

Ceteroquin in promptu nobis est comparatio apta huic materiae illustrandae, illa inquam quae fieri potest cum disciplina nunc vigente circa vota religiosa. Ab his enim iam Ecclesia concedit dispensationem, nec videtur haec liberalis agendi ratio imprudenter multiplicasse numerum defectionum.

Sed ulterius forsan progredi licet. Videtur enim facultas legitime relinquendi statum sacri caelibatus non ea natura esse ut tantum multiplicet desertores quantum primo aspectu iudicamus. Quidam enim sacerdotes videntur sano iudicio hac in re privari, maxime quia de re irrevocabili agitur.

---

[1] *Summa Theologica*: II-II, quaest. 88, art. 11, in corpore.

[2] *Ibidem*.

Quamobrem sibi videntur in carcere quodam contineri, quod impatienter ferunt, et forsan non iam cogitarent de caelibatu relinquendo, si eis daretur legitima possibilitas huic condicioni valedicendi. In mentem revocetur exemplum Puellarum Caritatis. Annua vota tantummodo emittunt, ita ut quotannis facultatem habeant in saeculum redeundi, nec tamen videntur apud eas plures esse defectiones quam alibi, immo pauciores esse audivimus.

Denique, etiam si hodierna disciplina maiorem servet numerum presbyterorum qui ministerio incumbunt, numquid sit ratio agendi quae deceat Ecclesiam, ne ministris careat, invitos retinere in clero eos qui vehementer cupiunt abire, qui etiam quandoque secretae infidelitati indulgent? Magnumne fructum apostolicum exspectandum est de vita sacerdotali quae ea mente vivitur aut potius toleratur?

Hae sunt rationes quae nobis videntur opportunam reddere quamdam mitigationem hodiernae disciplinae caelibatus presbyterorum. Profecto nullo modo agitur de dispensatione omni petenti promiscue concedenda. Etenim unusquisque casus esset accurate ponderandus. Opportunum etiam videretur cuicumque hanc dispenstationem petierit imponere iustum tempus exspectationis, ut coram Deo de suo proposito religiose cogitet et iudicet. Eis autem qui pertinaciter petere perseverarent dispensatio videretur concedenda, sed, ut par est, ea condicione ut quodcumque sacerdotale ministerium in posterum abdicarent.

Has cogitationes iudicio Commissionis Conciliaris « De disciplina cleri et populi christiani » subiicimus, humiliter petentes ut, si non in schemate *de vita et ministerio sacerdotali,* at saltem in reformatione Codicis Iuris Canonici earum rationem habeatur.

[*Subscripsit etiam*] A. G. Vuccino, arch. tit. Aprensis.

28

Exc.mus P. D. IOSEPH FADY

Episcopus Lilongwensis

Placet, sed velim pag. 9, n. 3, lin. 38, post verba « mentalis oratio » sequentia: « praesertim pia recitatio Officii Divini » addantur. *Ratio*: haec recitatio quotidiana Officii ab auctoribus vitae spiritualis semper habetur tanquam medium potentissimum perseverantiae.

De recitatione S. Officii in schemate *de Liturgia* sermo fit, sed utiliter hic rememoraretur.

29

Exc.mus P. D. CAROLUS FERRARI
Episcopus Monopolitanus

Propositiones *de vita et ministerio sacerdotali* funditus recognoscendae sunt, cum non correspondeant: 1. nec themati centrali Concilii, scil., themati de Ecclesia; 2. nec finalitatibus a Concilio intentis, *a*) pastorali, *b*) oecumenicae, *c*) missionariae; 3. nec characteri eminenter biblico, tum quoad contentum, tum quoad dicendi formam, a Concilio hucusque fideliter servato.

I - Praeter ea quae egregie dicta sunt in schemate *de Ecclesia,* in *de pastorali episcoporum munere* (et in constitutione *de s. Liturgia* de qua prooemium miro modo silet) omnino hic necessarium est loqui de consecratione sacerdotali ex qua, tamquam ex actione Trinitaria: *a*) sacerdotes suam *personalitatem* supernaturalem acquirunt, nova habita *relatione* ad Deum; *b*) Christo Magistro, Sacerdoti et Regi configurantur eiusque actioni salvificae, propheticae, sacerdotali et regali qua aedificatur Ecclesia, mysticum eius Corpus participant; *c*) *missionem* Christi et Spiritus Sancti accipiunt, ad opus salutis a Christo instauratum in Spiritu Sancto continuandum et perficiendum.

Hinc presbyteri, sacramentali modo, simul et fonti divinae vitae coniunguntur et participes illius potestatis efficiuntur qua haec ipsa vita in salutem hominum dispensatur.

Hinc, inter alia, ratio profundior exhibetur non tantum legis canonicae caelibatus, sed potius virtutis perfectae et perpetuae castitatis, scil., amplior virginalis foecunditas, ad modum ipsius Dei, Christi Iesu, nec non B. V. Mariae, quae typus existit virginalis foecunditatis Ecclesiae.

II - a) *Finalitas pastoralis* a Concilio semper intenta nequit obtineri nisi ratione habita vitae et ministerio sacerdoti. Etenim terminus ipse « pastoralis » statim evocat biblicam figuram « pastoris » qua Christus in V. T. praefiguratus, in Novo T. describi et fere definiri voluit, quam propriam decrevit curam omnium qui eius opus salvificum sacerdotalem in aevum erant continuaturi.

Hinc presbyter in Ecclesia pressius exhibendus est ut *Pastor,* non tantum ut methodus ab sequenda in sua actione sacerdotali describatur, sed eius natura et figura in Ecclesia verius definiatur.

Hinc ultima ratio melius apparet sive ordinariae vitae sacerdotalis (residere stabiliter inter suos fideles, cognoscere oves proprias, defendere eas a lupis, etc.), sive virtutum quae vitam et actionem pastoralem exornare debent (v. g., spiritus abnegationis adaptationis, dedicationis sui, paupertatis, humilitatis, benignitatis...), quaeque ex ipsa personalitate pastoris ex ordinatione sacerdotali exiguntur.

b) *Finalitas oecumenica* seu unificatio omnium in Christo credentium, nec cogitare potest sine concordi vita et ministerio sacerdotum. Oratio qua Christus a Patre unitatem adprecatus est « ut unum sint » merito oratio sacerdotalis vocatur et valet tum pro Apostolis eorumque successoribus, tum pro sacerdotibus. Sicut episcopi in unum colliguntur non solum ut potestatem exerceant cum et sub Romano Pontifice, sed in ea caritate cui « Petrus praesidet », sic presbyteri cum et sub episcopo, qui praesidet suo presbyterio in caritate, adunantur. Haec episcopalis collectio et presbyteralis coadunatio in caritate signum et testimonium est fratribus omnibus in Christo et universo mundo, atque intima et fere vitalis causa prosperitatis Ecclesiae atque christianae unitatis.

Hinc sacerdotalis consecratio atque missio ab ipsa derivata relationem statuunt sacramentalem et non solum iuridicam quae intercedit episcopum inter et suum presbyterium ac presbyteros inter sese, relationem dico mutuae caritatis, organicae subordinationis et collaborationis, atque, consequenter concordis testimonii.

c) *Finalitas missionaria* obtineri nequit sine « slancio vitale » (élan vital) concordi et unanimi sacerdotum, non ex momentaneo fervore exorto, vel ex favorabili condicione exteriori, sed, iterum atque iterum, et ex quadam participatione illius divinae missionis quae propria est Verbi Incarnati et Spiritus Sancti in Ecclesia, quaeque illis provenit ex ordinatione sacerdotali.

Hinc ultimum fundamentum ipsius missionis canonicae sacerdotum merito habetur in eorum aliquali praevia participationi missionis divinae in sacerdotali ordinatione obtenta, quam missio canonica recognoscit atque determinat quoad modum et ambitum.

Hinc cura directa vel indirecta animarum suprema norma evadit ut episcopus aliquem ad sacerdotium admittat, tum ut ipsum ad Ecclesiam aedificandam mittat.

3. Quae hucusque a Concilio definita vel tractata sunt, constantem expressionem biblicam habuerunt sive quoad contentum sive quoad formam. Huic characteri biblico omnino conformes sint oportet propositiones de vita et activitate sacerdotali, secus thesaurus inaestimabilis pretii, qui ex ipsissimis verbis Dei constituitur negligeretur. Deus ipse in Scriptura S., praefigurativo modo in V. T. et definitive in Novo, de sacerdotibus et de eorum vita locutus est. Sacerdotibus qui dispensatores sunt mysteriorum Dei et verbi Dei praecones, debet Concilium auctoritative ostendere quae in verbo Dei scripto ad eos peculiariter dicta sunt, ut sint alimentum eorum vitae et ministerii sacerdotalis.

30

Exc.mus P. D. IOANNES CAROLUS FERRO

Episcopus Ss.mae Conceptionis in Argentina

Quia non pauca ex iis quae a me dicenda erant iam ab aliis accurate dicta sunt, brevissime solummodo aliqua dicam *de actione sacerdotali in formatione conscientiae laicorum ad apostolatum.*

Concilium nostrum, scil. Vaticanum II, praecipuum in finem convocatum est ut actio pastoralis Ecclesiae aptius reddatur in salutem animarum, prae oculis habitis adiunctis quibus homines totius mundi nunc versantur.

Quoniam vero baptizati omnes in hoc opere salvifico, pro suis viribus, adlaborare debent, recte ad disceptandum in hac aula proponitur schema de laicorum apostolatu, ac proinde de iis quae necessaria sunt ad eorum formationem, ut efficaciter implere valeant suam hanc vocationem provenientem ex ipsa conditione, membrorum nempe mystici Corporis Christi.

Ut bene notatur in cap. I, n. 3, schematis, haec formatio apostolica omnibus laicis omnino impertienda est et ab omnibus quibus educatio christiana incumbit. Unde hac obligatione, sine dubio, prae primis tenentur pastores animarum, seu ii qui apostolatum susceperunt vi sacramentalis consecrationis et legitima missione, ideoque existimandi sunt, ut ait apostolus Paulus, ab hominibus « ut ministri Christi et dispensatores mysteriorum Dei » (*1 Cor.* 4, 1).

Quapropter, venerabiles Patres, inter praecipuas obligationes nostri ministerii suum locum tenere debet formatio ad apostolatum, ut ii qui nomine Christi ornantur, non solum bene vivant, sed etiam ut, bene viventes, alios verbo et exemplo salvare intendant.

Ad hunc scopum attingendum multa, revera, et gesta et annuntiata sunt in omnibus fere nationibus. Sed actio nostra formativa, ni fallor, non satis efficax videtur, quia maxima pars christianorum nostrorum adhuc otiosa permanet, dum in vinea Domini alii operarii in ruinam multorum laborant.

Quae et quot sunt causae frustrationis activitatis nostrae? Non est hic locus nec tempus adest ad enumerationes faciendas. Meo tamen humili iudicio prae oculis oportet habere ea quae sequuntur:

1. De apostolatu ordinato quocumque modo in salutem animarum non sufficienter agitur neque in scholis vel institutis formationis nostrae iuventutis, neque in ministerio sacerdotali, praesertim in praedicatione verbi Dei.

2. Pauci sunt qui cognitionem habent circa veritates contentas tum in dogmate de Communione Sanctorum, quod in Symbolo Fidei quotidie exprimitur, tum de doctrina de Corpore mystico Christi ab apostolo Paulo saepissime inculcata. Quomodo ergo christiani nostri temporis occasionem haberent ad meditandum et agendum ut membra totius Ecclesiae et ita possent munus apostolatus implere?

3. Rarissime hodie invenitur in laicis illum sensum responsabilitatis, quo homines non solum conscientiam habent de iis quae agenda sunt, sed etiam Deum agnoscunt tanquam Iudicem Supremum, cui omnia patent et ad quem omnes convenire debent ut reddant rationem villicationis seu administrationis talentorum ab omnibus receptis in bonum proprium et aliorum.

4. Tandem, quia laicorum apostolatus in Ecclesia necessarius est, maxime in nostris temporibus, ut actio nostra formativa, revera, efficax sit, praetermittere non debemus obligationem orandi ut etiam in hoc impleatur mandatum Christi: « Rogate Dominum messis ut mittat operarios in messem suam ».

31

Rev.mus P. D. DOMINICUS FIORINA
Superior generalis I.M.C.

Mea animadversio respicit ea quae in prooemio circa episcopatus et presbyteratus definitionem, in schemate *de Ecclesia* iam datam, significantur.

Mihi videtur schema *de Ecclesia* praesertim in iis quae ad munus sacramentale spectant, distinctionem inter episcopatum et presbyteratum ponere noluisse. Et hoc bene factum est.

Tamen, tota materia, sive in supralaudato schemate sive in praesenti, evolvitur tamquam si vera et realis distinctio sacramentalis inter episcopatum et presbyteratum haberetur; dum, e contra, unius eiusdemque sacramenti Ordinis gradus sunt, et eundem characterem sacerdotalem conferunt.

Reapse, presbyteratus potius uti « in adiutorium » episcopatus institutus consideratur, cum Christo, sed tantum per episcopos, coniungens; neque ipsum in Ecclesiae hierarchia constituere et in apostolorum ministerio successionem tribuere ostenditur. Hoc modo, positio sacerdotum in Ecclesiae hierarchia non clare elucet; quod, consequenter, eorum sollicitudini pastorali et dignitati non favet.

Ceterum schemata suggestiones pulcherrimas circa honorem et excellentiam muneris sacerdotalis movent. Tamen finem intentum non attingunt, nisi radicitus res diversimode ponatur: scil. presbyteratum a personali Dei electione et non a sola, et fere « contractualistica » episcopi vocatione pendere faciant.

Revera multos sacerdotes conqueri Concilium sacerdotii dignitatem imminuisse audivi; quae mens inter sacerdotes sat diffusa videtur.

Proinde si revera traditionis et Ecclesiae magisterii authentica doctrina istam sacramentalem distinctionem inter episcopatum et presbyteratum ponere postulant aut exigunt, hoc clare dicatur et omnes consequentiae accipiantur, opportunis propositionibus rem ordinando.

Dum, e contra, si haec quaestio omni ex parte certa non habetur, neque funditus eam tractare et definire desideratur, materia horum schematum nova ordinatione ditetur ita ut clare appareat et episcopatum et presbyte-

ratum Ecclesiae hierarchiam constituere, quae in sua totalitate directe apostolis succedit.

Distinctio munerum, dependentia in oboedientia inter varios Ecclesiae hierarchiae gradus, habeantur uti exercitium muneris gubernandi, a Christo Ecclesiae traditi, quod, Successore Petri et Christi Vicario duce, iuxta varias temporum necessitates et ampliorem Ecclesiae diffusionem organizatur et aptatur et clarius distinguitur.

Certa persuasio sacerdotum, eos divinitus vocatos et dignitati Apostolorum participes esse, roboretur, ita ut facilius exigentiam sanctitatis persentiant, studium in ministerio pastorali accrescant, devoto obsequio et fraterna coniunctione actuositatem apostolicam exerceant.

32

EXC.MUS P. D. CLAUDIUS CONSTANS M. FLUSIN
Episcopus S. Claudii

Episcopi subsignantes commissioni conciliari *de vita et ministerio presbyterorum* recognitum textum schematis hic adiunctum reverenter proponunt.

In hac recognitione, integer textus schematis servatur, sed *primo* in meliori ordine forsan proponitur, *secundo* quibusdam opportunis, ut videtur, adiunctionibus perficitur, sicut in aula a pluribus Patribus quaesitum est.

Insuper, verius esset et pro presbyteris nostris certe pergratum aliquam paragraphum magis explicitum introducere de connexione sacerdotii presbyterorum cum sacerdotio Domini Nostri Iesu Christi.

Confidentes in commissionis iudicio et labore ad presbyterorum nostrorum exaltationem et in Domino consolationem, Commissioni addictissimi sumus.

Ista propositio in nomine exc. DD. Cl. Flusin, ep. Sancti Claudii (Saint-Claude), L. A. Elchinger, ep. Argentinensis coadiutor (Strasbourg), P. J. Schmitt, ep. Metensis (Metz), et P. Boillon, ep. Virodunensis (Verdun) in Gallia subscribitur.

Textus alio ordine dispositus et emendatus.

N.B.: Quae in textu litteris inclinatis inter binas virgulas (« ... ») scribuntur sunt verba emendata vel addita. Reliqua sunt e textu iam emendato schematis.

Pag. 7, linn. 1 ss. (*Prooemium*). Sacrosancta haec Synodus quae in Constitutione « De Ecclesia » et in Decreto « De pastorali episcoporum munere » naturam theologicam episcopatus et presbyteratus eorumque missionem pastoralem declaravit, necnon de peculiari presbyterorum vocatione ad sanctitatem egit, modo « *quasdam particulares normas ad ministerium et vitam presbyterorum proprie spectantes.*

Presbyteri enim, ex hominibus a Christo Sacerdote assumpti, in iis quae sunt ad Deum constituuntur pro hominibus (cf. *Hebr.* 5, 1) *ad quos ministerio episcoporum mittuntur. Sic, ipsa sua missione, magis magisque coniuncti esse debent ex una parte cum hominibus ad quos mittuntur et ex alia cum episcopis a quibus mittuntur. Ex illa conditione omnia tam in ministerio quam in vita eorum pendent* ».

I - *De presbyterorum missione* (*ex laicis christianis assumpti et ad laicos missi*).

Pag. 7, linn. 21 ss. 1. (*Ex laicis christianis assumpti*). « *Ex fidelibus christianis assumpti, sint ergo* » libenter fratres inter fratres (cf. *Mt.* 23, 8), utpote cum iisdem membra unius Christi Corporis, cuius aedificatio omnibus in fonte baptismi regeneratis et sacro chrismate signatis, secundum mensuram gratiae et donum quod singulis datur (cf. *Rom.* 12, 6; *Eph.* 4, 7) demandata est. Studeant igitur cum fidelibus laicis operam coniungere, honore eos « *praeveniant* » (cf. *Rom.* 12, 10), quippe qui regalis sacerdotii sint participes (cf. *1 Pt.* 2, 9). « *Missi* » non ut ministretur « *eis* », sed ut « *ministrent* » (cf. *Mc.* 10, 45), omnibus ita « *sint dediti* » ut in « *ipsis* » appareat benignitas et humanitas Salvatoris nostri (cf. *Tit.* 3, 4); quapropter enixe eas virtutes « *colant* » quibus, Domino praecipiente, omnes ornati sint oportet, quaeque in humano etiam consortio magni aestimantur, videlicet cordis bonitas, animi sinceritas, robur et constantia, assidua iustitiae cura, urbanitas aliaeque quas S. Paulus commendat dicens: « Quaecumque sunt vera, quaecumque pudica, quaecumque iusta, quaecumque sancta, quaecumque amabilia, quaecumque bonae famae, si qua virtus, si qua laus disciplinae, haec cogitate » (*Phil.* 4, 8).

Pag. 8, linn. 25 ss. 2. (*Vita « presbyterorum » ad Evangelii formam componenda*). Totam vitam suam « *presbyteri* », Christi vestigia prementes, ad Evangelii normas componere curent, ita ut prae ceteris fidelibus animo ab immodico amore rerum temporalium, soluto eluceant atque uni Deo et operi salutis plene sint addicti. Sint « *in Evangelii consilii voluntarie paupertatis liberi et generosi* », sciant et necessaria habere et penuriam pati (cf. *Phil.* 4, 12), atque ab omni specie vanitatis, tam in vestibus ferendis quam in titulis vel honoribus quaerendis fugiant. Castitatem sancte custodiant et sincere ament, et « *qui consilium voluntariae continentiae receperunt vel etiam sacrum caelibatum* » gratia Dei confisi voverunt, toto corde eidem inhaereant atque gaudeant se hac ratione indivise cum Christo uniri (cf. *1 Cor.* 7, 32-34) necnon familiae Dei liberius ministrare; in hoc igitur statu recte ac fortiter procedant, ita ut « *ad serviendum expeditiores in dies fiant* ».

3. (*Pro hominibus assumpti*). « *Propiores fidelium et hominum quam episcopi et alii apostolici missionis superiores ministri, studeant presbyteri ad meliorem proprii sui ministerii exsecutionem, consuetae ordinariaeque vitae hominum et fidelium in omnibus participes esse in quibus ministerium exceptionem non postulat. Laicorum quaestiones vel difficultates in vita personali, vel in familia, in labore, in otio etiam non tantum cognoscent et in*

animo cordeque comprehendent, sed etiam in fidei meditatione, in pastorali sollicitudine et in sacerdotali oratione assument. Pro omnibus fidelibus, quin immo pro omnibus hominibus sibi commissis, sint sicut Dominus ipse Iesus " cuius virtus exibat et sanabat omnes " » (*Lc.* 6, 19).

Pag. 9, linn. 3 ss. 4. (*Ab episcopis vocati et missi*). Providi Ordinis episcopalis cooperatores, unum sacerdotium et ministerium Christi cum episcopis et sub eorum ductu repraesentantes et exercentes, eisdem « *sincera caritate et oboedientia* » adhaereant, nec tantum qua praecipiuntur, sed etiam quae commendantur, generoso animo adimpleant. Quae sacerdotalis oboedientia natura sua differt ab illa quae religiosis vel laicis convenit, eo quod fundatur in ipsa participatione missionis episcopalis, quae presbyteris per Sacramentum Ordinis confertur atque ideo spiritu « *doctrinali* », pastorali « *cultualique* » imbuta sit oportet, necnon « *dilucidam et promptam* » cum episcopo communionem requirit.

Pag. 10, linn. 11 ss. 5. (*Membris presbyteratus aggregati*). « *Sicut episcopi per consecrationem in ordine seu collegio episcopali et proprie apostolico, ita presbyteri per ordinationem in ordine presbyteratus, qui ab ordine episcoporum essentialiter dependet, constituuntur. Cum aliis ergo membris huiusce presbyteratus specialibus ministerii et fraternitatis nexis coniunguntur. Propterea oportet ut non tantum* » episcopis bonum corporale et spirituale cooperatorum suorum pro viribus cordi sit, « *sed etiam ut singuli presbyteri* » confratribus suis uniantur vinculo caritatis, orationis, cooperationis atque « *etiam* » animi relaxationis. Auxilium humanum et spirituale libenter ferant erga confratres, erga illos praesertim hodie saepius plus quam par est operibus oneratos, et sic « mandatum novum » (cf. *Io.* 13, 34-36) sollicite servantes, fidelibus suis exemplo sint verae fraternitatis christianae. « *Quando inter aliquos presbyteros communis vita possibilis est, Sacra Synodus valde eam commendat. Instantius autem et instantissime omnes presbyteros invitat ad cooperationem magis ac magis fraternam et intimam in ministerio tam intra dioecesanum presbyteratum quam inter saeculares et regulares presbyteros, secundum diversitatem ministeriorum et gratiarum in Ecclesia, diversis periodicis coetibus ad hoc, si necesse sit, initis inter ministros per loca dispersos sed ad idem ministerium cooperatores* ».

Pag. 11-12, n. 8. 6. (*Cleri distributio apte fovenda*). (Totam paragraphum immutatam velis legere in textu schematis).

Pag. 11, n. 7. 7. (« *Presbyterorum* » *sollicitudo omnium ecclesiarum*). (Totam paragraphum velis legere in textu schematis, mutato nomine *sacerdotis* in *presbyteri*).

II - *De triplici munere presbyterorum.*

Pag. 10, linn. 26 s. 8. (*Verbi Dei ministri*). Presbyteri ab Ecclesia in ministerium sacrum idcirco assumuntur, ut partem cum episcopis habeant in praedicatione « *Evangelii, in catechesi biblica et liturgica tradenda necnon in explananda doctrina christiana super hodiernis quaestionibus, denique in*

fideles hominesque ad conversionem vel ad perfectionem importune, opportune, semper tamen humiliter et fraterne, invitandos ».

Pag. 10, linn. 30 s. Quopropter, ut ipsi fideles operarii in vinea Domini inveniantur, praesertim in condicionibus socialibus et psychologicis nostri temporis, necesse prorsus est ut bene noscant studium ad essentialia officia status sacerdotalis pertinere. Sancte ergo et per totam vitam in studio verbi Dei scientiarumque sacrarum indesinenter perseverent, necnon acquirere nitantur opportunam cognitionem scientiarum humanarum, earum praesertim quae ad methodos apostolatus efficacius exercendi peculiari modo pertineant.

9. (*Populi Dei pastores*). « *Partem etiam episcoporum in dominici gregis pascendi munere habent presbyteri. Locum tenentes episcoporum, praesidere debent, sicut dicit Ignatius Martyr, caritati communitatum sibi commissarum, pascentes gregem Dei " non coacte, sed spontanee secundum Deum; non turpis lucri gratia, sed voluntarie; neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo "* (*2 Pt.* 5, 2-4). *Quapropter, praesertim crescente in hodierna die motu sic dicto socializationis, oportet ut studium habeant se informandi de progressibus in scientiis psycho-sociologicis in actione sua pastorali utilibus vel necessariis. Oportet etiam ut, hominibus ad adultam aetatem provenientibus, magis ac magis actio illa pastoralis per modum dialogi fiet et non tantum auctoritatis. In adimpletione missionis illae pastoralis, sine acceptione personarum certe se habeant, memores tamen semper quod consilium divinum salutis et amoris primo ad pauperes, debiles, multimodis afflictos inclinatur, non tantum erga illos qui iam de populo Dei sunt, sed etiam ad omnes gentes vel homines qui nondum revelationem acceperunt illius caritativi consilii Dei, qui omnes homines vult ad agnitionem veritatis venire et ad participationem vitae suae in lumine et amore introduci* ».

10. (« *Cultus religionis christianae sacerdotes* »). « *Memores sint tandem quod Ecclesia sit communitas non tantum fidei et caritatis, sed etiam sacerdotalis cultus qui consistit in celebratione sacramentorum Dei et orationum Ecclesiae* (cf. *Act.* 2, 42), *et praesertim, decursu temporum, in peractione paschalis mysterii Eucharistiae. Igitur, imitantur ipsi quod tractant, virtutem profundae religionis in tota vita sua per celebrationem, etiam privatam, divini officii et sacramentorum magis ac magis colentes, docentes etiam fratres suos christianos totam vitam suam Deo in rationabile obsequium exhibere* (*Rom.* 12, 1), *necnon in celebrationibus liturgicis Ecclesiae psalmis, et hymnis, et canticis spiritualibus cantare, in cordibus suis Domino psallere, gratias denique pro omnibus agere, in nomine Domini nostri Iesu Christi Deo et Patri* (*Eph.* 5, 19-20). *Quapropter debent presbyteri, praesertim constitutione de liturgia iam sacra hac Synodo promulgata, in scientiis et cum maxime in artibus liturgicis assidue et religiose progredi, ut suo ministerio liturgico christianis communitatibus sibi commissis perfectius in dies laudetur in mundo Pater, Filius et Spiritus Sanctus* ».

III - *De vita presbyterorum.*

A. (*De temporali honesta modestaque presbyterorum conditione*).

Pag. 13, n. 11. 11. (*Aequa remuneratio clericorum providenda*). (Totam paragraphum immutatam velis legere in textu schematis).

Pag. 12, n. 9. 12. (*Fines ad quos bona Ecclesiae destinantur*). (Totam paragraphum immutatam velis legere in textu schematis).

Pag. 12, n. 10. 13. (*Officiis ecclesiasticis princeps locus in iure tribuendus*). (Totam paragraphum immutatam velis legere in textu schematis).

Pag. 13, n. 12. 14. (*Massa communis bonorum in singulis dioecesibus constituenda*). (Totam paragraphum velis immutatam in textu schematis legere)

B. (*De institutionibus subsidio theologicae, pastoralis et liturgicae presbyterorum vitae ordinatis vel instituendis*).

Pag. 11, n. 6. 15. (*Scientia pastoralis pro locorum adiunctis acquirenda « vel promovenda »*). (Totam paragraphum immutatam velis in textu schematis legere).

C. (*De promotione nutritioneque vitae spiritualis presbyterorum*).

16. (*Quae in ministerio sacerdotali elucere debent*). « *Certi sint presbyteri quod in sua vocatione propria sanctificari debent et possunt primo et principaliter ipso exercitio bono et optimo trium ministeriorum missionis suae sacerdotalis, scilicet verbi divini, muneris pastoralis et cultus Ecclesiae. Verbum Dei praedicantes* », etc. (Velis prosequi in textu schematis, pag. 9, linn. 24 sequentibusque).

17. (« *De unitate et harmonia vitae presbyterorum* »). « *Tam in sessionibus et in exercitiis spiritualibus annuis, quam etiam in diebus ut dicunt sacerdotalibus per annum distributis, nunquam disiungere consentiant presbyteri, unusquisque in propria vita et omnes simul quando sic congregantur, nec studium divini eloquii, nec apostolicum zelum, nec vitam sacerdotalem, nec etiam otium fraternum et animi necessariam relaxationem. Talis unitas interna et externa eorum vitae sacerdotalis aedificationem magnam fratribus suis fidelibus et etiam aliis hominibus praebebit, et praeterea, Deo dante, vitam illam presbyterorum allicientem reddet omnibus hominibus vel iam adultis, vel adhuc iuvenibus quos episcopi ad Ecclesiae servitium vocare diiudicaverint* ».

D. (« *De eorum distinctione quos episcopi ad ordines vocare possint* »).

18. (« *De ordine presbyterorum transmissione* »). « *Meminerint enim omnes presbyteri diversarum et multarum necessitudinum presbyteratus ordinis ordini episcoporum cooperantis in Ecclesiae ministeriis. Attenti sint ergo ad discernendos viros, sive iam adultos, sive adhuc iuvenes ad ista ministeria aptos. Magna cum supernaturali prudentia, et prorsus remoto falso proselytismo, his viris proponent etiam vel suggerent spem ab episcopo ad*

servitium Ecclesiae et Christi se forsan vocaturos esse. Episcopum etiam super hoc informent ut ipse tales possibiles cooperatores visitet et noscat, cum ipsi principaliter et proprie in plenitudine sacerdotii incumbet presbyteratum suum constituere et novis membris augere secundum necessitates Ecclesiae. Tali cooperatione presbyterorum cum episcopis, omnes clerici, qui persaepe proximiores sunt fidelium ac ipsi episcopi, adhuc Ecclesiae et episcoporum servitio incumbebunt et, Deo iuvante, gaudium etiam noscent alicuius spiritualis paternitatis in mysterio sacerdotii christiani ».

33

Exc.mus P. D. IOANNES FRANCISCUS FRESNO LARRAIN

Episcopus Copiapoensis

Respectuosamente hago notar que, a mi juicio, el tema de la *vocación sacerdotal* no se ha destacado suficientement, ni en este ni en los otros esquemas que tienen relación directa con el Sacerdocio. Además creo que es aquí donde debe tratarse, destacándolo en parágrafo aparte.

Como en todo padre de familia, también en el corazón del sacerdote, debe existir el deseo de hacer fructificar su vida apostólica en otro ser que sienta sus mismos ideales y que venga a significar en él como la continuidad en su descendencia espiritual.

Los padres que no engendran hijos sienten un doloroso vacío en el hogar; su vida matrimonial aparece como incompleta en su finalidad. El sacerdote que no despierta, guia y defiende una vocación sacerdotal ha hecho, en cierto modo, infecundo su ministerio.

En las Sagradas Ecrituras leemos la aflicción de unos que piden a Dios quite el oprobio de su infecundidad y la alegría de otros, porque el Señor les ha dado hijos aún en su vejez (*Gen.* 18; *2 Rey.* 4; *1 Sam.* 1; *Lc.* 1).

Cristo impone a los suyos esta obligación: « Pedid al dueño de la mies que envíe operarios a su mies » (*Mt.* 9, 38). Ciertamente que el Señor no movería a sus discípulos a hacer tal petición, si no fuera algo necesario para que hubiera continuidad en la misión que les confiaba y si no hubiera seguridad en ser escuchados del Padre.

La castidad sacerdotal se hace maravillosamente fecunda, cuando engendra espiritualmente, por voluntad de Dios, en la oración y en la vida ejemplar, aquel que debe heredar su misión sacerdotal. Triste, en cambio, es el momento de la muerte del sacerdote que ve terminar sus dias sin ver a su lado aquel hijo espiritual que engendró en su apostolado con especial amor.

1. Se habla en el esquema, en asunto tan importante, sólo en general (cf. n. 7); como así mismo en el de Seminarios (cf. *De Inst. Sac.*, n. 2). Cierto que en el Aula han tocado el tema alguno de los Padres, pero no se ha hecho resaltar suficientemente como algo esencial en el apostolado sacer-

dotal. El mandato de Cristo es taxativo: « Pedid al dueño... » petición eficaz, porque se hará en nombre del Hijo al Padre.

2. Se habla en el esquema de una mejor distribución del clero en todas las diócesis, en toda la Iglesia (cf. n. 6). Cierto que es necesario. Pero decir esto no basta. Es una grave responsabilidad para una Nación, desde tiempo ya evangelizada, el tener que recibir tales sacerdotes que debieran ser enviados a regiones que aún no han tenido la oportunidad de escuchar la Palabra. Concedo que así como el enfermo necesita la visita del médico y la buena medicina, así nuestras diócesis necesiten esta ayuda; ya que tenemos pocos sacerdotes, los que vienen de fuera trabajen allí por algún tiempo y su misión principal ha de ser el fomentar esas vocaciones de la región donde han sido enviados, en todas las actividades apostólicas que se les entregue (cf. *de past. ep. munere in E.* n. 6).

3. Si el *dueño de la mies* bendice en forma especial una diócesis, con tal abundancia de vocaciones que son más que necesarias para las actividades apostólicas, en lugar de rechazarlas, ya sea porque a juicio de los superiores basta con las ya aceptadas o por incapacidad económica de la diócesis, debiera avisarse a la comisión respectiva de la conferencia episcopal. Y si en toda la nación no hicieran falta más sacerdotes, a la Sagrada Congregación de Seminarios para que disponga de ellos (cf. *De Sac.* n. 8). Prudentemente juzgadas, dichas vocaciones, no pueden perderse si el Señor las suscita al menos en germen, en determinados lugares.

Pido por tanto que se revise el esquema de sacerdotes y se incluya en número aparte, suficientemente destacada, esta obligación que todo sacerdote tiene por las vocaciones sacerdotales.

Que se haga ver la inmensa responsabilidad que cada obispo tiene al respecto.

Y que se destaque suficientemente, en lo que a mejor distribución de clero se refiere, este aspecto « vocacional » del apostolado.

34

EXC.MUS P. D. IOSEPH GARNERI

Episcopus Segusiensis

Propositio 2 (olim n. 3), linn. 33-36, pag. 8: loco: « ab omni specie vanitatis, tam in vestibus ferendis quam in titulis vel honoribus quaerendis fugiant » dicatur: « ab omni specie vanitatis fugiant, exempli gratia: in vestibus ferendis, in titulis vel honoribus quaerendis, etc. ».

N. 2, pag. 9, linn. 4-7: loco: « unum sacerdotium et ministerium Christi cum episcopis et sub eorum ductu repraesentantes et exercentes » dicatur: « unum cum episcopis, diverso licet gradu, Christi sacerdotium participantes, atque sub eorum auctoritate Christi ministerium exercentes... ».

Propositio 2 (olim n. 3, linn. 10-17, pag. 9): loco: « Quae sacerdotalis

oboedientia natura sua differt ab illa quae religiosis vel laicis convenit, eo quod fundatur in ipsa participatione missionis episcopalis, quae presbyteris per Sacramentum Ordinis confertur atque ideo spiritu pastorali imbuta sit oportet, necnon filialem cum episcopo communionem requirit », dicatur: « Quae sacerdotalis oboedientia innititur quidem in potestate iurisdictionis quae episcopo competit, sed etiam in ipsa participatione sacerdotii, quod presbyteris per Sacramentum Ordinis ab episcopo confertur, et missionis episcopalis, quae cum ipso sacramento connectitur, atque ideo spiritu pastorali imbuta sit oportet, necnon filialem cum episcopo communionem requirit ».[1]

35

Exc.mus P. D. SAMUEL LUDOVICUS GAUMAIN

Episcopus Munduensis

Occasione harum quae dicta sunt de sustentatione sacerdotum *in propositionibus de vita et ministerio sacerdotali,* has observationes secretariatui Concilii trado.

A l'occasion du Concile, une mauvaise conscience à l'égard du monde des pauvres, de la place et du rôle de l'argent dans la société ecclésiale, se fait jour de diverses manières: critique du décorum du Vatican, suppression des fastes épiscopaux et du langage y attenant, etc. Tout cela est louable mais plus spectaculaire qu'efficace. Des réformes plus immédiates devraient être faites: le grand public les jugerait sans doute moins éclatantes mais le clergé et les laïcs militants y décéleraient une volonté de renouveau autrement profonde. Et c'est tout le problème du budget intérieur de l'Eglise qui se pose — à travers *la question des honoraires de messes.*

Cette institution est dans de nombreux pays la clé de voûte de tout le système de la subsistance personnelle du clergé. Or, si tout travail mérite salaire et si l'on peut admettre que le clerc vive de l'autel — dans la forme et dans le fonds, ce mode de financement gêne de plus en plus la conscience chrétienne.

Il apparaît aux principaux bénéficiaires — *les prêtres* eux-mêmes — comme un procédé dont il vaut mieux ne pas trop parler. Dans de nombreux cas en effet, l'intention du célébrant est si vaguement formulée, et le prêtre si éloigné du bailleur d'honoraires, qu'on échappe mal au malaise voisin de celui qui accompagnerait une opération douteuse.

On voit de très bons prêtres chanter la messe en semaine pour une assistance quasi nulle, simplement parce que l'honoraire de la messe chantée est plus élevé que celui de la messe lue.

On pourrait citer d'autres pratiques aussi répugnantes.

---

[1] [*Cf. p. 546, n. 10*].

Il faudrait aussi parler du privilège — si utile en pays de mission — qui permet de bloquer des honoraires de messe offerts à des intentions différentes, en un gerbe d'intentions pour la même messe afin de procurer à des prêtres sans ressources le moyen de vivre. Nous sommes persuadés que les donateurs d'honoraires ne sont pas frustrés, mais quel *évêque* oserait décrire le « mécanisme » de ce « commerce » à ses diocésains?

Les laïcs enfin, et surtout les « militants », ont de plus en plus de peine à comprendre — et les prêtres à leur expliquer — la théologie de l'intention de messe: pour une « superstructure » financière aussi lourde, l'idée spirituelle qui la soutient paraît un peu décolorée.

A l'inverse, chez les *chrétiens moins formés,* l'honoraire devient facilement une assurance de messes, et par suite une neutralisation, presque comptabilisable, du purgatoire. Est-on si loin de l'adage du temps précédent la Réforme protestante et disant: « Quand l'écu tinte dans le quêtoir, l'âme monte au ciel »? Heureusement, le système dit des « trentains » est en général peu connu, car il ne ferait qu'aggraver ces sentiments.

Et je ne parle pas des pauvres qui ne peuvent « se payer » des messes! Ni de la souffrance du prêtre qui voudrait pouvoir chaque jour offrir le saint Sacrifice pour tout le peuple qui lui est confié et dont il est le Père, sans avoir à s'embarasser des considérations subtiles élaborées pour justifier le système des honoraires de messe.

Que proposons-nous donc? On sait que la suppression des honoraires de messe tarirait les ressources du clergé et le réduirait souvent à la misère. Or si la pauvreté est louable chez le prêtre quand elle est vertu — si elle est contrainte et angoisse quotidienne, elle est dangereuse. L'évêque ne peut accepter « cette pauvreté-là » pour ses prêtres. Il doit leur assurer les moyens d'une vie décente et d'un ministère fécond.

Le système des honoraires paraît pourtant *irréformable,* et pour nous en libérer, leur suppression semble la seule issue possible. Mais cela entraîne à *réviser tout le système financier de l'Eglise.* Ce qui pourrait se faire en plusieurs directions.

Une *étude préalable* des divers systèmes de financement existant dans les autres confessions pourrait suggérer des solutions. Il est évident par exemple que l'Eglise Réformée en France réussit à entretenir de façon très correcte non seulement les ministres du culte mais leur famille. Une enquête sur les budgets diocésains, à travers différents pays, pourrait aussi être instructive.

Il faudrait ensuite mettre *les laïcs* catholiques *devant leurs responsabilités* et *leur permettre de les prendre.* Trop souvent les chrétiens ont bonne conscience pour avoir participé de façon dérisoire ou fugitive aux charges réelles de l'Eglise. Trop souvent aussi les clercs perpétuent en ce domaine une minorité du laïcat et accaparent jalousement un domaine que l'apôtre Pierre cédait pourtant allégrement aux diacres.

Un effort de *peréquation des ressources* devrait être étudié et réalisé

au niveau mondial et spécialement au bénéfice des pays de mission. Les récentes « *campagnes contre la faim* » ont montré combien, sollicités clairement, les catholiques savaient répondre avec générosité.

Plutôt que de mendier des honoraires de messe, d'en supputer l'augmentation ou d'en manipuler la gestion, ne serait-il pas plus sain d'exposer objectivement les besoins réels, et, ayant résolu avec des méthodes adultes et loyales ses propres problèmes de finance intérieure, l'Eglise ne serait-elle pas davantage en mesure de transmettre au monde la parole de Dieu sur l'argent? et de parler sans ambiguité du Sacrifice de la messe?

36

Exc.mus P. D. FORTINUS GÓMEZ LEÓN
Archiepiscopus Antequerensis

Prout ex disceptatione facta satis apparet schema prout nunc proponitur non debet suffragio adhuc proponi de singulis propositionibus, sed ad summum in genere utrum placeat vel non.

1. Materia certe non displicet quae omnino recta, opportuna immo et necessaria videatur saltem in Iure Canonico, sed non in Constitutione conciliari etsi non dogmaticum sed morale tantum characterem habeat. Inde propositiones possunt recipere suffragium favorabile ut rectae, sed non ut propriae huius schematis, et tunc commissio conciliaris laboraret unice in aptandis modis et emendationibus singulis propositionibus in disceptatione appositis, quod non sufficit.

2. Quod vere non placet est complexus in sua actuali forma pro schema conciliari de re tanti momenti pro populo fideli et pro ipso sacerdote. Certe sacerdotium non plene sed tantum participate invenitur in nostris sacerdotibus qui ministerio incumbunt, sed dignitas et sublimitas quae in ipsis etiam invenitur tam magna ut potestates divinas, quamvis ministerialiter exerceant; sufficiat memorare potestatem dimittendi peccata de quibus homines videntes Christum hoc facere dicebant: quis potest dimittere peccata nisi solus Deus!, et alia potestas in ipsum Filium Dei per transubstantiationem verbis in consecratione Missae peractam quod certe solus Deus ut auctor principalis facere potest; haec est res tam alta et mysterio plena ut sacerdotibus et populo ipsi non sufficiat virtutes exercendas et vitia vitanda enumerare et commendare, sed de ipso mysterio hic, saltem expresse innuere vel adducere verbis opportunis rei momento loqui ut sacerdos magis magisque intelligat quae virtutes vel melius sanctitatem procurare debet ut quo humano fieri possit modo ipsam Christi sanctitatem imitetur iuxta illa verba in ordinatione audita « Videte cuius ministerium vobis traditur ».

3. Quamvis per diversas propositiones dispersa sed agnita sit positiva dignitas sacerdotum, tamen frequentius apparet veluti negativo modo; iuridico et frigido seu non vitali modo sacerdoti proponuntur virtutes exercen-

dae et vitia vitanda, in quo malignis hominibus datur occasio suspicandi haec omnia ideo tantopere sacerdotibus commendantur quasi Ecclesia sciret in iis maxime deficere (virtutibus) vel abundare (vitiis), et sic nostri optimi et maxime necessarii cooperatores, potius dehonorantur quam, ut debitum est, honorificentur, quod facile intellegitur.

Omitto alia quae in aula satis audivimus, et quae certe perpendentur.

4. Quoad n. 11, solum dicam difficillimum erit in nationibus et proinde in dioecesibus pauperioribus, non paucis certe pensiones ex mandato conciliari constituere ut episcopus provideat securiore modo de congrua sustentatione suorum sacerdotum; quod ceterum episcopos non liberat ab obligatione cognoscendi rationem oeconomicam omnium sacerdotum dioecesanorum. Sed experientia docet quod servitium ministeriale sacerdotum cum manifesto amore et sacrificio erga fideles, est quod magnopere populum movet ad suos sacerdotes in necessitate constitutos sublevandos. Novi quosdam pagos paupertate laborantes in quibus parochus laetus et tranquillus vivit. Amat et amatur.

37

Exc.mus P. D. ALEXANDER M. GOTTARDI

Archiepiscopus Tridentinus

1. N. 1 melius post secundum poni debet: nam primum nobis loquendum est de vita sacerdotali in se, sicut nunc fit in n. 2 — ubi etiam agitur de derivatione sacerdotii presbyteralis ab episcopo, et de sacerdotum cum episcopo conversatione — dein vero de conversatione cum laicis.

2. Si sic ordo numerorum instauretur, in n. 2, pag. 9, lin. 3, omittenda videntur verba « providi ordinis episcopalis cooperatores », utpote superflua in comparatione ad ea quae sequuntur.

3. In eodem n. 2, pag. 8, omittenda videntur verba linn. 34-35 « tam... quaerendis » quae minus opportuna in faciem populi resonant pro sacerdotum dignitate, et quae prae primis, potius quam de presbyteris nostris, de praelatis confiteri deberemus (hoc nobis ab ipsis presbyteris opponi poterit!).

4. In n. 2, pag. 8, item, verba *de sacro caelibatu* melius componenda sunt. Deest enim in praesenti textu quod est in caelibatu sublime: imitatio sc. et repraesentatio Christi ut sponsi Ecclesiae, et totalitas amoris, etiam humani, in servitium Christi et Ecclesiae reservata. Praeterea verba « commendante, immo vel etiam iubente » nec clara nec bona sunt (nec verbis relationis pag. 18 D clarificantur, immo vero obscuriora mihi apparent); caelibatum enim repraesentant potius ut aegre acceptum « Ecclesiae commendatione vel iussione » (quae iussio etiam non desiderari poterit!), et ideo ab externo potius quam ut interna, idealis, et vere libera caritatis electio: quemadmodum necessario esse debet ut fortis, foecunda, serena et gaudens evadat.

5. In toto textu parum (tantum in una phrasi et quasi obiter in n. 3, pag. 9, linn. 24-25), et non eminenter, dicitur de celebratione sacrosancti Sacrificii Missae, et de eius praestantia in vita sacerdotali: dum in textu conciliari de sacerdotibus (qui etiam, immo praesertim, *ad* sacerdotes est), secundum venerandam et universalem traditionem, et recentes SS. Pontificum adhortationes, hoc argumentum in speciali luce poni deberet. Item, verba quaedam desiderantur hic *circa obligationem* et asceticam utilitatem praestantissimae illae — post Missae sacrificium — catholicae orationis, presbyteris praeprimis commendatae, Officii sc. divini.

6. In n. 3, pag. 10, omitterem memoriam Ss. Eucharistiae et B. V. Mariae: quae hoc loco et modo — post meditationem, sc., et personalia pietatis opera et exercitia — quasi ut secundarium et « devotionale » sonant. Si recolere placet, potius in pag. 9, lin. 34, post punctum, inscribantur: ibi enim, etiam theologice, proprium locum habent.

7. In n. 9, pag. 12, linn. 33 ss. sic scriberem: « omnem *circa eas* cupiditatem et *avaritiae, immo et* mercaturae, speciem semper vitent ». Sic clarius et opportunius loqui videmur.

8. In n. 10, desidero ut hic — et etiam in verbis relationis pag. 22 A — clarius dicatur ipsum institutum beneficii — vel, ad minus, verbum, hodie omnino iam obsoletum et male sonans — *definitive supprimi* debere.

9. In n. 12, pag. 13, lin. 30, post verbum « ex fidelium » adiungatur: « et ipsorum sacerdotum » oblationibus. Ratio est evidens: ne sc. — ut saepe fit — sacerdotes ab oblationibus exhibendis ex propria pecunia immunes, ut ita dicam, dicantur aut sese considerent: dum, e contra, in exemplum etiam fidelium, primum locum habere debent.

10. Demum desiderantur textus in quibus mentio fiat: *a*) de sacerdotibus qui nunc testes et milites Christi sunt in territoriis missionalibus et in Ecclesiis silentii, et propterea, ut ita dicam, in « prima linea » ecclesialis itineris et pugnae sunt constituti; *b*) de fratribus, e contra, proh dolor « extra viam »: quorum memoria et sollicitudo hic mihi videntur necessariae, sive ad caritatem sive, aliquomodo, ad iustitiam.

38

Rev.mus P. D. IUCUNDUS M. GROTTI
Praelatus nullius Acrensis et Puruensis

Schema istud, praeter egregias dotes, etiam plures praesefert defectus, quorum nonnulli sunt communes cum aliis eiusdem Concilii schematibus, nonnulli sunt huius schematis proprii.

I. *Communes* sunt, seu mihi videntur, defectus qui sequuntur: 1. *Latinitas* expolienda esset, ne haec Concilii schemata sint multo humilioris linguae quam cetera magisterii ecclesiastici documenta hucusque lata; 2. non

dicam logicus, at saltem *perspicuus ordo* esset accuratius procurandus et curandus; repetitiones vitandae etc.; 3. *indoles,* ut ita dicam, « *musiva* » etiam in hoc schemate esset pro praxi removenda, etiam ob rationes pastorales, de quibus Concilium est satis sollicitum. Quando enim haec schemata in vulgares vertentur linguas, si musivum illum praeseferant characterem, indecora adspectu et difficilia legentibus apparebunt.

II. *Proprius* autem huic schemati *defectus,* saltem iste est quod, ac si *Liturgica Concilii Constitutio lata non fuisset,* et tanta in catholico terrarum orbe non adesset liturgica actualitas, vix *de Sacerdotum vita spirituali liturgica sermo est,* at tantum de « mentali oratione aliisque *huiusmodi pietatis* operibus » (pag. 9, linn. 37-38). Verum est, de his pietatis operibus dici « spiritu liturgico esse informanda »: at hoc et parum est et quid significat non clarum.

Sermo ergo *omnino et imprimis* fieri debet *de ipso sacrificio eucharistico* ac de *Divino officio* vel aliis, iuxta varios Orientis et Occidentis ritus, liturgicis precibus; ac *dein* tantum de oratione mentali aliisque « huiusmodi » *pietatis* precibus.

Insuper, quoad hoc schema, proponi possunt quaedam animadversiones, suggestiones, quarum una est indolis generalis, aliae vero characteris *particularis.*

I. *Animadversio seu suggestio generalis* haec est, quod accuratius pressiusque magnum de Ecclesiae schema recognoscatur, sive ad hoc ut capita ordine aptiori disponantur; sive ad hoc ut ad unumquodque ex his capitibus omnia reducantur quod pluribus minoribus decretis votisque disseminantur. Hic ergo esse posset novus capitum et materiae ordo:

Cap. I. *De ipsa Ecclesia* (ubi etiam de familia seu populo Dei, quae praecise est Ecclesia).

Cap. II. *De B. M. Virgine, Matre Dei et Ecclesiae.*

Cap. III. *De ministris Dei et Ecclesiae,* ideoque potissimum de episcopis, sed et de sacerdotibus ac diaconis (ad quod caput *omnia* reduci deberent quae in aliis decretis votisque de eisdem dicuntur).

Cap. IV. *De consiliorum evangelicorum sectatoribus* (ad quod caput reduci deberet decretum de religiosis ac omne quod refertur etiam ad eos qui extra statum stricte religiosum dominica sectantur consilia).

Cap. V. *De laicis* (ad quod caput reduci deberent omnia quae alibi de eis eorumque apostolatu dicuntur: forte etiam materia decreti de matrimonio: sicut de sacramento Ordinis et de votis religiosis ubi de Dei ministris ac de religiosis erat sermo).

Cap. VI. *De universali vocatione ad sanctitatem in Ecclesia* ac *de omnium advocatione ad Ecclesiam* (ubi disseri deberet praecise de sanctitate in Ecclesia et de omnibus ad Ecclesiam adducendis seu plene adducendis, scil. de oecumenismo etc.; de praesentia et actualitate Ecclesiae in mundo etc.).

Cap. VII. *De Sanctorum communione* (seu de indole eschatologica et unione cum Ecclesia caelesti: ubi deberet sermo fieri de Paradiso et etiam de Purgatorio etc.).

Si res ita disponerentur, vitarentur repetitiones aliaque inconvenientia; ipsum Concilium tres tantum ederet Constitutiones, pingues tamen et completas: de Ecclesia ipsa, deque eius supernaturalibus (liturgia) et naturalibus (instrumenta communicationis socialis) mediis ad salutem.

II. *Animadversiones seu suggestiones particulares,* scil. ad ipsum *de vita et ministerio sacerdotali* schema, prout nunc separatim se exhibet.

Pag. 7, lin. 1. « Sacrosancta haec synodus ». Dicendum est « quaenam » synodus, sive quia mos non est ut *in initio* Conciliarium Constitutionum dicatur « haec », sine addita Concilii specificatione; sive quia de posteris legentibus curandum est. Dicatur ergo: « Sacrosancta haec Vaticana II Synodus... ».

Pag. 7, lin. 4. « Naturam theologicam ». Est dictio quae scholasticam sapit, in decreto ac decretis ubi terminologia scholastica vix invenitur. Servanda est vel in aliam commutanda?

Pag. 7, linn. 5-6. « Eorumque missionem pastoralem declaravit, necnon de peculiari presbyterorum vocatione ad sanctitatem egit ». Cur « presbyterorum » tantum, et non etiam episcoporum?

Pag. 8, linn. 14-15. « Domino praecipiente ». Bonum est ut praeceptum istud appellationem ad quemdam Bibliae textum roboretur.

Pag. 8, linn. 37-38. « ... qui ... caelibatum ... voverunt... ». Verba haec de voto in subdiaconatus susceptione veluti incluso intelligitur, an de religioso castitatis voto?

Pag. 9, linn. 23-26. Fere identica verba leguntur in *de Ecclesia,* cap. 4, ubi de presbyteris, at ibi ut observata, hic ut observanda. Quid interim factum est? Num fessi facti sunt?

Pag. 9, lin. 34 ad pag. 10, lin. 7. Quae ibi dicuntur, scribi possent etiam ad usum puerulorum et vetularum, vel adscriptorum Actioni Catholicae vel Congregationibus Marianis etc., et non videntur sufficienter digna presbyteris, populi Dei patribus et magistris. Non enim imprimis sermo faciendus est de meditatione, licet praetiosa et non omittenda, sed de *sapienti ac fervida* arcani ac tremendi *sacrificii eucharistici* celebratione, ad maximam Dei gloriam, pro et *cum* populo; deque cultu in genere ad Ss. Eucharistiam; insuper de similis Divini Officii diei horas sanctificantis, ac lucem fervoremque communicantis, sapienti ac fervida recitatione; item de cultu erga Deiparam, Ecclesiae Matrem, potissimum liturgico, habendo, deinde contemplatione seu meditatione, iuxta varias probatas formas, numquam omittenda, de aliisve tandem pietatis operibus.

Quae hic dicuntur, eo proferuntur modo ac si constitutio conciliaris *de sacra Liturgia* numquam prodiisset.

Pag. 11, linn. 1-23. Non bene intelligitur quo sensu, pro sacerdotibus non in seminariis aliisve studiorum domibus congregatis, creari possit « stu-

diorum moderator », de quo in lin. 7. Bonum ergo videtur ut pars noviter introducta (linn. 13-16) transferatur ad n. 6 initium, introducentes, inter « sacerdotes » et « iuniores » verbulum « praesertim », omniaque congruentius aptentur.

Pag. 12, lin. 36. Addendumne est clericos quoscumque, ad quemlibet in Ecclesia gradum evectos, nullimodo posse testamentum in parentum favorem condere, nisi qua mensura exigitur ut vel de impensis pro ipso factis eos compenset, vel aegestati honeste et caritative provideat, et quidem proprii episcopi aut Summi Pontificis venia obtenta?...

Pag. 13, lin. 13. Addendum forsan est « aut ipsa episcopalis conferentia ». Ita in n. 12?...

Pag. 13, in fine. Videtur incongruum claudere schema de sacerdotibus consideratione « pecuniaria». Addatur conclusio spiritualis aliqua!

39

EXC.MUS P. D. HENRICUS GUFFLET

Episcopus tit. Calamensis, coad c.i.s. Lemovicensis

In nn. 2, 3, 4 nihil praecise dicitur de vita theologali sacerdotum, nisi in sensu magis negativo sacrificii. Nimis moralis est. Hoc forsitan evenit ex hoc quod schema videtur factum esse secundum visionem staticam Ecclesiae cum dioecesibus, paroeciis et operibus ad intra corporis Ecclesiae. Non agitur de sensu missionario. Quare propono ut addantur pericopae in hoc sensu v. g.:

In n. 2: « Habeant sacerdotes verum spiritum missionarium, zelum invincibilem in fide firma et intrepida, in spe secura propter amorem Dei et voluntatem eius salvandi omnes homines, in caritate forti quaerenti omnia media cum omnibus hominibus in dialogo alloquendi, ut Christum annuntient modo eis comprehensibili ».

In n. 4: « Singuli presbyteri fratribus suis uniantur illius unitatis quae fundatur in unitate corporis sacerdotalis, participantis unici sacerdotii Christi; sed, et forsitan amplius, satagent hoc testimonium fidelibus et non credentibus dare missionis a Christo et per Christum receptae " Ut sint unum, ut credat mundus quia tu me misisti " (*Io.* 17, 21) ».

Ad n. 2, pag. 9, linn. 3-17. Relations avec l'Evêque.

Pratiquement elles sont ramenées à l'obéissance. Car, même dans la seconde phrase de ce passage (linn. 10-17) l'esprit pastoral et la communion de fils avec l'évêque sont données comme des notes particulières de l'obéissance du prêtre. Ce qui est au moins maladroit.

Puisqu'on insiste à bon droit sur le fait que les prêtres sont coopérateurs de l'évêque, et qu'ils participent par le sacrement de l'Ordre à la mission episcopale, il faudrait développer cette réalité. Par exemple: « Les prêtres sont envoyés dans les différentes parties du diocèse, territoires ou

milieux, pour y remplir la mission d'enseignement de l'évêque, en participant à son autorité. Ils ne peuvent enseigner avec autorité que dans la mesure où ils ont le souci de se conformer pleinement dans leur enseignement à celui du Souverain Pontife et du Collège des évêques, selon les paroles de S. Paul: " Ne néglige pas le don spirituel qui est en toi, qui t'a été conféré avec l'imposition des mains. Veille sur toi-même et sur ton enseignement, sois-y persévérant " (*1 Tim.* 4, 14-16). Les prêtres sauront que leur apostolat ne peut être réellement fructueux pour la croissance du Royaume de Dieu que s'il est le fait d'une mission reçue de l'évêque, selon ces paroles de l'Ecriture: " Nul ne s'arroge cette dignité, on y est appelé de Dieu... Tout fils qu'il était, il apprit par ce qu'il souffrit ce que c'est que d'obéir ". Les prêtres placeront donc leur espérance aussi dans une collaboration franche et loyale aux directives et orientations de leur évêque, soit dans la phase de réflexion et d'élaboration, soit dans la phase d'application et d'exécution. Cela suppose notamment qu'ils aient le souci d'informer leur évêque sur les situations et les problèmes réels, et donnent leur avis sur les solutions. Enfin, ils partageront avec leur évêque cette hantise de ceux qui ne sont pas encore rassemblés dans l'Eglise avec le Christ, les incroyants comme les croyants non pratiquants, et ils se montreront prêts à accepter les missions difficiles, dans des conditions et situations peut-être insolites, que l'évêque voudra leur confier, afin que le sacerdoce du Christ puisse être présent et agissant parmi ceux qui sont apparemment le plus loin de l'Eglise du Christ ».

Animadversiones generales. D'une manière générale, ce schéma considère le prêtre comme un individu isolé, dont on ne considère ni les liens de fait, ni les liens institutionnels avec l'évêque, les autres prêtres et les laïcs. Or, il semble que le grand mal du clergé actuellement soit dans la *solitude.* Cette solitude est souvent physique, elle est toujours psychologique. Ne tient-elle pas en grande partie à ce fait que nous traîtons chaque prêtre, en lui-même, comme si sa vie personnelle de sanctification, comme si le perfectionnement de son être et de sa vie sacerdotale devaient se faire indépendamment de tout le réseau de relations dans lequel il est inséré ou doit être inséré. Il est à craindre, en effet, que cette manière-même de présenter les choses n'ait entraîné et n'entraîne encore les prêtres à s'isoler pratiquement et psychologiquement des hommes au milieu desquels ils vivent, et avec lesquels ils deviennent incapables d'entamer un dialogue en vue de leur évangélisation. C'est pourquoi, il faut regretter vivement l'absence de perspective communautaire. D'autre part, malgré son titre, le schéma ne parle pratiquement pas du ministère du prêtre. Or, comment parler de sa sainteté, si ce n'est de façon abstraite, sans la mettre en rapport constant avec son ministère, ses conditions concrètes et ses exigences? Il faudrait indiquer:

1. le travail en commun « en équipe », que le ministère sacerdotal *exige,* aujourd'hui en particulier, pour répondre aux nécessités de l'évangélisation;

2. la nécessité de connaître à fond, d'étudier les problèmes actuels;

3. la nécessité d'admettre en principe et de réaliser en pratique les changements qu'un monde en évolution accélérée exige dans la manière de concevoir et de mener le ministère sacerdotal. (L'Eglise a toujours cherché, en vertu même de sa mission, à adapter ses structures apostoliques aux communautés naturelles. Or, la paroisse, et de loin, n'est plus la seule communauté naturelle des hommes de notre temps).

On aperçoit du premier coup quelles attitudes spirituelles profondes, ces nécessités du ministère actuel demandent à nos prêtres: impossible de traîter de la spiritualité d'un prêtre sans en tenir compte de très près.

40

EXC.MUS P. D. ALOISIUS IOANNES GUYOT

Episcopus Constantiensis

De textu schematis circa « vitam et ministerium sacerdotum » multa iam dicta sunt, et quidem, opportune.

Quam ob rem unum tantum animadvertere vellem, nempe *de sacerdote in mundo huius temporis.*

Etenim schema — ut mihi videtur — quadam deficientia laborat, si « de conditionibus vitae et apostolatus sacerdotalis *in mundo moderno* » intendat tractare, ut optime dixit exc.mus Franciscus Marty in relatione quam audivimus.

Nam schema ita de sacerdotibus loquitur quasi ministerium praeberent fere unice hominibus christianis; quasi viverent in societate christiana — gallice « en région de chrétienté ». Dum e contra plurimi eorum inter indifferentes aut etiam infideles vivunt. De hoc facto magis magisque conscii sumus, aut fieri debemus.

Sane, hoc schema de infidelibus loquitur, sed passim tantum, et quasi obiter. Quod mihi graviter insufficiens videtur.

Etenim, venerabiles Patres, nonne multi nostrum dioeceses regunt in quibus pars minor sit fidelium, maior vero infidelium.

Sed hoc verum est etiam de regionibus ubi homines, in religione catholica baptizati, longe maximam partem constituunt. In Gallia, experimur sacerdotes saepe ministerium suum exercere apud homines qui in imo corde quemdam sensum religiosum servant sed qui, proh dolor, vivunt in ambitu sociali *indifferentismi* aut *atheismi,* et quorum fides paulatim minuitur.

Unde fit ut sacerdos, in mundo hodierno, saepe vivat in complexu incredulitatis, aut etiam in civilisatione atheistica, « en climat d'humanisme athée ».

Quae cum ita sint, schema nostrum non deberet fovere illusiones quasi mundus adhuc plene christianus esset; debet e contra a consideratione obiectiva rerum, in lucem ponere quod ministerium sacerdotis non solum

consistit in cultu et in catechizandis fidelibus, sed quod consistit etiam, et quidem essentialiter, in praedicando Evangelium infidelibus.

Sacerdos, enim, non solum est pastor ovium quae iam fidem habent et de fide vivunt, sed pastor esse debet horum qui foris sunt. Deesset elementum essentiale ministerii sacerdotis, si non appareret, in clara luce, sua responsabilitas quoad evangelisationem. Memores simus verbi Pauli Apostoli: « Vae mihi si non evangelizavero! ».

Problema maioris momenti in mundo hodierno, ab Ecclesia solvendum, *hoc est*: Quomodo Evangelium salutis pertinget ad corda hominum nostri temporis, ad turbas super quas Iesus miserebatur olim et adhuc hodie miseretur, sive agatur de opificibus qui in nostris civitatibus laborant, sive de generatione iuvenum qui student in scholis, sive de pauperibus qui fame vexantur, sive de divitibus qui in materialismum seu in taedium sui incidunt?

Certe huiusmodi apostolatus perfici debet a toto populo christiano, id est quidem a *laicis* sed, ut patet, et quidem speciali modo et ex missione propria a *sacerdotibus* qui in hac re partem essentialem tenent.

Rogo proinde ut in schemate clarius exponatur scopus apostolicus ministerii sacerdotalis in favorem infidelium, ita ut schema non appareat intemporale sed ut alloquatur non quoslibet sacerdotes sed sacerdotes huius temporis.

Emendationes, vel potius modos ad hunc finem commissioni competenti tradam, ut uberiores fructus habeat.

Conclusio. Hoc schema mihi placet, sed iuxta modum.

Utinam possit confortare omnes sacerdotes qui exemplo ipsius Christi, oves quaerunt quae ab ovili longe sunt.

Quapropter vehementer opto ut, in illo sublineatur quod sacerdos maiorem partem suae sollicitudinis, sui amoris, sui temporis impendere debet « ad evangelizandum pauperibus » quod proprie signum est regni Dei.

Tunc doctrina huius Sanctae Synodi innixi et confortati, multi sacerdotes cum S. Paulo poterunt dicere: « Gratia data est mihi a Deo ut sim minister Iesu Christi *in gentibus,* sanctificans Evangelium Dei, ut fiat oblatio gentium accepta et sanctificata in Spiritu Sancto ».

* * *

N. 1, pag. 7, lin. 12. Loco « specialiter Deo consecratus », ponere « specialiter *ministerio Christi* consecratus ».

N. 1, pag. 7, linn. 14-15. Loco « munus patris et magistri exercens », ponere « munus patris et magistri *in nomine Christi exercens* ».

N. 1, pag. 8, lin. 10 (post « participes »), addere textum sequentem: « Nihilominus, tamquam sacerdos Novi Testamenti, memor sit semper Regni Dei promovendi atque, laborans cum omnibus fidelibus, ad operam illam scilicet missionem totius Ecclesiae, annuntiat Evangelium Christi pro eis qui mysterium salutis et misericordiam Domini ignorant. Ut hoc apostolatus opus

adimpleatur, incessanter desideret virtutem testimonii exhaurire in sanguine Domini Nostri Iesu Christi qui pro eis " et pro multis " effundetur ».

N. 1, pag. 8, lin. 24. Addere textum sequentem: « Attamen, sacerdos non solum tamquam forma gregis habeatur oportet, sed tamquam instrumentum ministeriale et conscie Christi, qui vult gregem suum vocare, in uno corpore adunare et corpore suo pascere ».

N. 2, pag. 8, linn. 28-29. Loco « prae ceteris fidelibus », ponere « propter ministerii exigentias ».

N. 2, pag. 8, lin. 34 (post « atque »), addere per modum propositionis incidentis: « sequentes exemplum episcopi et in unitate presbyterii concordes, ab omni specie etc. ».

N. 2, pag. 8, lin. 42, addere post « ministrare »: « agnoscentes quod agunt in ministerii opere; ».

N. 2, pag. 9, linn. 4-7, supprimere verba a « unum sacerdotium » usque ad « exercentes » et in loco eorum ponere: « unicum et Summum Pontificem cum episcopo et pro Ecclesia significantes, dum ipse Christus per eos sacerdotium suum exercet, eidem... ».

N. 3, pag. 9, lin. 23 (après le mot « quapropter »), addere: « oves perditas quaerentes, amorem universalem Domini, manifestent; verbum Dei... ».

N. 4, pag. 10, lin. 15: in fine sententiae addere sequentia: « Praesertim, prae oculis apostolatus necessitates habentes, quaerant patienter, mutua comprehensione et sub ductu episcopi unanimitatem pastoralem, sine qua bonum totius Ecclesiae atque dilatatio Regni Dei progredi non possint ».

41

EXC.MUS P. D. GEORGIUS HAKIM

Episcopus Ptolemaidensis

1. Nécessité d'une théologie du sacerdoce des prêtres, relativement à celui de Jésus Christ, de l'Evêque et du « plérôme » baptisé.

2. *La responsabilité pastorale « collégiale » des prêtres au niveau des diocèses.* Analogie avec la responsabilité collégiale du corps épiscopal dans l'Eglise Universelle.

Il faudrait poser dans le schéma les principes d'une responsabilité pastorale collégiale de tous les prêtres d'un diocèse autour de l'Evêque. Ainsi « l'incardination » prise, jusqu'ici, dans un sens strictement juridique, aurait en même temps une perspective pastorale et théologique: Elle signifierait l'intégration du prêtre au « presbyterium », au corps sacerdotal dont l'Evêque est le père et la tête; corps sacerdotal, dispensateur des « Mystères du Christ » et porte-parole de l'Evangile.

3. *Une crise chez les prêtres.* Une déclaration conciliaire portant aujourd'hui sur la vie et le ministère des prêtres ne peut faire abstraction des conditions réelles dans lesquelles se trouvent aujourd'hui ces prêtres.

En particulier, on doit porter la plus grande attention sur les difficultés qui sont les leurs. Or, on doit reconnaître actuellement une situation de crise, qu'il faudrait d'abord analyser avant de lui trouver des solutions appropriées. Cette crise semble avoir deux causes principales:

a) Le développement d'un laïcat adulte permet aux laïcs, et leur permettra de plus en plus, de remplir les tâches qui sont les leurs, mais que, pour des raisons de suppléance, le clergé a longtemps prises en charge. Ces activités d'ordre pratique, la plupart du temps, avaient une efficacité constatable et, par conséquent, psychologiquement, elles étaient un facteur d'équilibre.

En outre, ces tâches prenaient beaucoup de temps. Les prêtres étaient alors extrêmement occupés.

b) Il reste alors aux prêtres les tâches proprement sacerdotales. L'on doit s'en réjouir. Mais une autre difficulté apparaît alors qui, elle aussi, est cause de crise: La formation reçue aux séminaires ou dans les scolasticats, et les formes de vie auxquelles les prêtres sont habitués, ne les préparent pas, de très loin, à un contact réel et vrai avec les hommes d'aujourd'hui. S'ils sont souvent surchargés de besognes, ils ont le sentiment que toutes ces besognes ne « mordent » pas sur la réalité, qu'elles tournent à vide, sans efficacité.

Deux signes de la crise actuelle: *a*) des prêtres se demandent sérieusement s'ils ne feraient pas mieux d'être laïcs pour réaliser leur vocation de service des hommes et d'évangélisation; *b*) les jeunes chrétiens fervents et généreux ne pensent guère au sacerdoce pour réaliser leur don d'eux-mêmes au service du Seigneur.

Il faudrait donc prendre soin d'analyser au moins brièvement ces difficultés, avant de donner des exhortations, et chercher conjointement avec des prêtres lucides et fervents dans quel sens une solution pourrait être trouvée.

4. *Le Clergé marié en Orient*. A propos de ce schéma « de Sacerdotibus », nous regrettons une fois de plus que la Commission n'ait pas tenu compte de notre tradition, et ait légiféré dans une perspective seulement latine. Puisqu'on parle des prêtres de l'Eglise catholique, et que la tradition catholique inclut les traditions orientales, il fallait tenir compte des conditions dans lesquelles le sacerdoce s'est transmis en Orient, et qui s'appuient sur la législation de l'Eglise remontant aux grands Conciles œcuméniques.

En particulier, nous regrettons qu'on n'ait pas consacré un paragraphe spécial aux prêtres mariés qui, dans notre Eglise grecque-melkite catholique, constituent aujourd'hui encore plus du tiers de notre clergé séculier. C'est le clergé marié qui, à travers les siècles, dans des conditions de vie parfois extrêmement difficiles sous régime musulman, a maintenu vivante la foi chrétienne parmi nos fidèles. C'est lui qui, par l'exemple de sa vie, par sa piété, par sa fidélité à l'exercice du culte et à l'administration des sacrements, par son souci des âmes, a entretenu la fidélité aux vertus chrétiennes, l'éducation dans la doctrine et le dévouement apostolique de nos fidèles. Par son implan-

tation de la vie dans le peuple, il est toujours demeuré proche de lui, et celui-ci lui a toujours manifesté un grand attachement, le considérant le plus souvent comme la partie la plus fidèle, la plus sûre et la plus dévouée du clergé. Lors des grands déplacements de population et des perturbations sociales qui se sont produits ces dernières années, le clergé marié s'est montré le plus proche du peuple, continuant de vivre avec lui, tandis que les prêtres non-mariés ont plus souvent émigré ou cherché d'autres tâches. Nous pouvons témoigner que le peuple chrétien est profondément attaché à ces prêtres et se confie plus volontiers à eux dans les difficultés. C'est un fait fréquent, en outre, que dans les belles familles de nos prêtres mariés, des enfants deviennent eux-mêmes prêtres, religieux ou religieuses. Dans ces conditions, nous ne comprenons pas pourquoi le schéma a passé sous silence les vertus et les exigences de vie du prêtre marié, qui font partie intégrante de la tradition de l'Eglise catholique. Ce silence ne peut venir que de l'oubli d'un clergé latin qui l'ignore totalement.

Il faut souligner enfin que l'existence de notre clergé marié, son maintien et sa défense dans l'intégrité de ses traditions et de ses mœurs pastorales, est d'une grande importance œcuménique. Comme cette discipline du clergé marié que nous avons gardée est aussi celle de l'Orthodoxie, lorsqu'un prêtre orthodoxe s'unit à la communion catholique, il n'éprouve pas de difficulté à entrer dans notre Eglise, et il est reçu spontanément par les fidèles. On pourrait citer des exemples de ces prêtres, suivis parfois de leur paroisse entière, qui ont pu continuer sans changement leur ministère, tant se sont maintenues vivantes de part et d'autre les traditions de ce sacerdoce. Cet état est donc une pierre d'attente en vue de l'unité.

Ainsi se résolvent en Orient, de façon spontanée, des problèmes qui, dans l'Occident latin, sont demeurés jusqu'à présent à peu près insolubles. Au moment cependant où l'Eglise latine fait face à des problèmes pastoraux et œcuméniques considérables et où le nombre des prêtres mariés venus du protestantisme s'y accroît, sans que son statut soit bien clarifié, nous pensons que la discipline et la tradition du sacerdoce marié de nos Eglises d'Orient doit constituer un exemple et un guide dont l'Eglise latine pourrait, le cas échéant, s'inspirer afin de résoudre ses propres problèmes.

Nous faudra-t-il répéter, ici comme ailleurs, et au risque de n'être pas entendus, que la Tradition catholique est une et indivise, et que nos biens les plus chers sont sans cesse menacés par les jugements que des latins portent sur eux, parfois jusque dans les Conciles, et à peu près toujours sans une vraie connaissance des réalités en cause?

C'est pourquoi nous demandons que, dans la révision du schéma « de Sacerdotibus », un paragraphe (par ex. à la suite de l'actuel n. 2) soit introduit faisant état de l'existence du sacerdoce marié, l'invitant comme le sacerdoce célibataire à l'accomplissement d'une vie de témoignage évangélique et apostolique, au respect de ses traditions et au déploiement d'une vie sainte et exemplaire. Nous souhaitons qu'on rappelle qu'il porte un témoignage com-

plémentaire de celui du sacerdoce célibataire, dont le statut propre n'a par ailleurs jamais été mis en cause dans notre Eglise et qui constitue actuellement la plus grande partie de notre clergé. Nous estimons qu'à un moment où un Concile élabore un schéma sur les prêtres, cet oubli du sacerdoce marié constituerait un grave mépris de nos prêtres, un manque de sens pastoral à leur égard et une suspicion exercée sur la valeur de leur état et de leur ministère dans l'Eglise catholique.

* * *

Au moment où le schéma « de vita et munere sacerdotali » doit retourner à la commission pour refonte du texte, nous souhaiterions, à la suite de recherches poursuivies depuis un certain nombre d'années avec de nombreux prêtres vivant au contact des milieux déchristianisés, voir introduire les points suivants:

1. Le sacerdoce est de sa nature missionnaire.

2. Les fonctions du prêtre découlent de cette nature missionnaire du sacerdoce. Elles sont commandées par les urgences de la mission, et impliquent la priorité de l'évangélisation.

3. L'évangélisation des pauvres est le signe que la mission s'accomplit pour tous.

4. Les conditions d'exercice du ministère doivent être telles qu'elles rendent le prêtre proche des hommes au milieu desquels il vit. Cf. S. S. PAUL VI, Enc. *Ecclesiam suam*: « ... comment en même temps se rendre capable d'approcher tous les hommes pour les sauver tous, selon l'exemple de l'Apôtre: " *je me suis fait tout à tous, afin de les sauver tous* "? On ne sauve pas le monde du dehors; il faut comme le Verbe de Dieu qui s'est fait homme, assimiler, en une certaine mesure, les formes de vie de ceux à qui on veut porter le message du Christ; sans revendiquer des privilèges qui éloignent, sans maintenir la barrière d'un langage incompréhensible, il faut partager les usages communs, pourvu qu'ils soient humains et honnêtes, spécialement ceux des plus petits, si on veut être écouté et compris. Il faut, avant même de parler, écouter la voix et plus encore le cœur de l'homme; le comprendre et autant que possible le respecter et, là où il le mérite, aller dans son sens. Il faut se faire les frères des hommes du fait même qu'on veut être leurs pasteurs, leurs pères et leurs maîtres ».

5. Selon l'exemple des Apôtres et en conformité avec la Tradition de l'Eglise, il est souhaitable que, dans certaines circonstances et pour les nécessités de la mission, le prêtre envoyé puisse travailler manuellement dans la condition commune; cf. Instruction de la Propagande de 1659: « Ne soyez d'aucune manière à charge au peuple à cause des nécessités temporelles; souvenez-vous de la pauvreté des apôtres qui se procurèrent le nécessaire de leurs mains, pour eux et pour ceux qui étaient avec eux » (*Fontes Iuris Canonici,* t. VII, n. 4463). Cf. ce texte de BENOÎT XV, dans l'Encyclique

Maximum illud (30 nov. 1919): « Le vrai prédicateur de l'Evangile s'appliquera avec soin à imiter l'Apôtre des gentils; lui qui donnait à Timothée ce conseil: " dès lors que nous avons le vivre et le couvert, tenons-nous pour satisfaits " (*1 Tim.* 6, 8); bien plus, il était assez épris de la vertu de renoncement pour vouloir, malgré les soucis d'une charge écrasante, gagner sa nourriture au prix du travail de ses mains ».

42

Exc.mus P. D. VINCENTIUS HANLY

Episcopus Elphinensis

Pag. 9, par. 3. Clarius et fusius tractetur de absoluta necessitate vitae interioris pro sacerdote et de exercitiis spiritualibus semel quoque in anno faciendis, de « die recollectionis » semel in mense laudabiliter habenda, necnon de hebdomadali confessione fideliter observanda. *Ratio*: summum momentum horum mediorum.

Pag. 12, lin. 31. Ante verbum *amplificandam* inseratur *indebitam*. *Ratio*: ne quis prodigaliter totum redditum disperdat.

Pag. 13, lin. 16. Post *funguntur* ponatur periodus. Deleantur verba *ita quidem* et nova sententia initietur verbis *Valde optandum est* ut ratione etc. *Ratio*: diversitas circumstantiarum de paroecia in paroeciam etiam unius dioecesis et exinde difficultas singulas aequiparandi.

43

Exc.mus P. D. ADAM HEFTER

Archiepiscopus tit. Maximianopolitanus in Rhodope

(Epistola exc.mi P. D. Andreae Rohracher, arch. Salisburgensis). Cum sim procurator pro exc.mo ac rev.mo arch. tit. Adamo Hefter liceat mihi proponere mandatum quod mihi iteratim dedit: nempe urgere ut in singulis dioecesibus constituatur confessarius pro sacerdotibus, qui in conventibus mensilibus, in quibus sacerdotes peragunt recollectionem menstruam, praesto sit presbyteris ad confessiones audiendas.

Archiepiscopus Adam Hefter, qui hoc anno celebravit diem 70 suae ordinationis et 50 suae nominationis in episcopum, ex magna sua experientia persuasus est, talem occasionem confitendi optimos fructus sacerdotibus afferre.

Fortasse est possibile, ut hoc consilium veneratissimi archiepiscopi inseratur directorio post Concilium redigendo.

44

Exc.mus P. D. FRANCISCUS HENGSBACH
Episcopus Essendiensis

1. Ad n. 4 textus emendati, lin. 22: dicatur loco « quam maxime... »: « *ubi convenienter...* ». *Ratio*: vita commendata sacerdotum non ubique convenienter instaurari potest. Relinquetur ergo libertas.

2. Ad n. 6 textus emendati, lin. 8: dicatur loco « cursuum pastoralium vel centrorum, ut aiunt, ad pervestigandum de re catechetica... »: « cursuum vel centrorum, ut aiunt, ad pervestigandum de re *pastorali,* catechetica... ». *Ratio*: conceptio pastorationis latius patet quam catechesis etc. et maximi momenti est.

3. Ad n. 7 textus emendati, pag. 11, lin. 31: addatur verbum « praeclarum », ut legatur « Quapropter praeter *praeclarum* officium... ».

4. Ad n. 8 textus emendati, pag. 12, lin. 10: dicatur loco « ad hoc enim seminaria internationalia, ... »: « ad hoc ergo *conferre potest,* ut seminaria internationalia, ... ». *Ratio*: via hic indicata non semper et ubique ad finem destinatum attingendum aptior esse videtur.

5. Ad n. 12 textus emendati, pag. 13, lin. 28: dicatur loco « quantum fieri poterit »: « *in quibus convenienter* fieri poterit ». *Ratio*: propter diversissima adiuncta variarum regionum norma maioris libertatis statuenda esse videtur.

45

Rev.mus P. D. ROLANDUS HUOT
Superior generalis Congr. Presb. Ss. Sacr.

Pag. 10, lin. 13. *Observatur*: suggerendum videtur medium efficax et necessarium ad fovendum bonum sacerdotum, ut cooperatores sint episcopi. Saepius enim fit ut sacerdotes nequeant, ob adiuncta practica, cum episcopo libere ac plene de propriis problematibus conferre, quod tamen illa « filialis communio », de qua etiam numero secundo sermo est (pag. 9, lin. 16), exigeret. Ut ergo haec communio in actum ducatur et paternitas spiritualis episcopi efficaciter exerceatur, necessarium videtur episcopum, nimio ministerio pastorali impeditum, sibi constituere virum prudentem et vitae sacerdotalis expertum ad paterne audiendos sacerdotes de quibuscumque negotiis colloqui petentibus, non tantum ut consilia ac exhortationes ipsis impertiri queat, sed etiam ut occasionem praebeat cordibus presbyterorum sese in alterum cor sacerdotale expandendi.

Unde proponitur additio: vel pag. 10, lin. 13 post verba « ... cordi sit »; vel pag. 9, lin. 17 post verba « ... requirit »: « Praebeant episcopi suis presbyteris, per seipsos vel per virum prudentem, faciliorem opportunitatem anxietates ac problemata animi plena fiducia aperiendi exindeque veri profectus spiritualis capiendi ».

46

Exc.mus P. D. VEDASTUS M. JACQUIER
Episcopus tit. Sufasaritanus, aux. Algeriensis

Ad prooemium. 1. Lin. 4 nominatur episcopus ut, secundum notam A pag. 17, manifestius pateret normas schematis communes esse episcopis et presbyteris.

Tricies modo subiectivo sacerdotes exhortantur ad virtutem. Sic et episcopi seipsos exhortant: quod non est congruum.

Etiamsi mentio episcopatus et episcoporum deesset, hic modus subiectivus nimis saepe uteretur. Melius est normas vitae sacerdotalis modo positivo dicere.

2. Presbyteri totum schema magno corde recipiebunt si in prooemio magnitudo, pulchritudo, necessitas et efficacitas ministerii sacerdotalis memorentur.

N. 1. Logice veniunt primum propositiones 2 et 3, ubi agitur de relatione sacerdotis cum Christo per ipsius sanctitatis vitae imitationem, in qua consistit sanctitas sacerdotalis.

Communio cum laicis « idea centralis » propositionis 1, ut in nota A pag. 17, fundata est in Christo.

Novus ordo propositionum magis ostenderet hanc relationem.

N. 2, pag. 9, lin. 6. Verbum « repraesentantes » retentum a commissione, non est tamen melior enunciatio, cum hic non agitur de repraesentatione *personae* Christi, sed de repraesentatione eius sacerdotii et ministerii. Sacerdos non dicitur imago, typus etc. sacerdotii Christi, sed imago Christi sacerdotis, ut in nota E pag. 18.

N. 3, pag. 9, lin. 34. Dicitur « Neque negligant... ». Talis formula est debilis, non digna textu conciliari. Quod ad verba lin. 41 « quaeque... obsoleta minime dici valent », male sonant in schemate.

N. 8, 10, 11, 12. Hae propositiones evidenter locum habent in schemate de regimine episcoporum; spectant ad episcopos primum.

Lugeo defectum brevis mentionis associationum, a Summis Pontificibus laudatarum, sacerdotum dioecesanorum. A fructibus earum satis cognoscuntur ut etiam a S. Concilio laudentur.

47

Exc.mus P. D. IOANNES JENKO
Episcopus tit. Acufidensis

Ad n. 2. Post verbum « temporalium » pag. 8, lin. 30 haec vel similia verba mea humili opinione interponantur: « etiam ab egoismo nationalistico ». *Ratio*: inordinato amore erga proprium populum et iniustam aver-

sionem erga alium populum saepe etiam sacerdotes laborare docet historia huius aevi. Exinde oriuntur gravia damna in vita religiosa, praesertim in regionibus, ubi diversae nationes vivunt.

Sacerdos hoc vitio affectus scandalizat fideles diversae nationis et eos ex ecclesia pellit obliviscens maximum praeceptum caritatis erga proximum et naturalem aequalitatem uniuscuiusque populi coram Deo.

Cf. *1 Cor.* 12, 12-14; *Gal.* 3, 28; Encyclica *Pacem in terris,* n. 88.

[*Subscripsit etiam*] Maximilianus Držečnik, ep. Mariborensis.

48

Exc.mus P. D. NARCISSUS JUBANY ARNAU
Episcopus Gerondensis

De *consociationibus sacerdotalibus* non parum disceptatum est in aula conciliari: exoptatum est enim a non paucis ut in schemate aliqua dicantur, hoc sensu, sc. *ut ab episcopo quam maxime foveantur.*

Circa hoc argumentum, en aliquae animadversiones, pro apta textus redactione.

1. Possibilitas *Institutorum saecularium pro clero dioecesano* admissa fuit a Pio XII: « nulla profecto ratio officit quominus clerici in saecularia Instituta coalescant ut ad Evangelicae perfectionis statum... contendant » (Alloc. 8 dec. 1950).

2. Non desunt documenta pontificia, quae commendaverunt et commendant ut *pro sacerdotibus saecularibus associationes constituantur*: ad perfectionem acquirendam, ad devotionem fovendam atque ad caritatem augendam. E. g. Ioannes XXIII in Synodo Romano edixit: « Ut maiorem consequantur perfectionem, ut suam foveant pietatem, ut multas lucrifaciant indulgentias, copiosa post mortem sibi comparent suffragia, sacerdotes e clero saeculari libenter se tertiano alicui ordini adscribant vel alicui ex permultis sodalitatibus, quae Romae florent » (Const. 33).

3. Iamvero, in iure condito, *vera lacuna iuridica invenitur,* quoad associationes in Ecclesia: legislatio enim associationes laicorum considerat, non autem sacerdotales pro clero dioecesano. Sic enim loquitur card. Larraona: « Codex non alias typicas clericorum associationes saecularium agnoscit, nisi Capitula cathedralia et collegiata aliasque similes... Plures absque dubio sunt et fuerunt associationes clericales et sacerdotales, sive ab Ordinariis sive a Sancta Sede approbatae... sed hucusque deficimur legislatione generali, *specifica* seu *typica* pro associationibus sacerdotalibus seu clericalibus, non iuridicis et liturgicis... Etsi per interpretationes et accommodationes possimus regulas communes associationum fidelium his associationibus aptare, melius certe esset si propriores haberemus normas » (*De Institutis saecularibus,* v. 1, Romae 1951, p. 40 nota 15).

Iamvero, quaestio ponitur, *non de Institutis saecularibus, sed de huiusmodi associationibus* pro clero dioecesano.

Circa quas, en principia tenenda:

1. Huiusmodi associationes *adimplere debent integram realitatem theologicam status cleri dioecesani atque condiciones iuridicas ab Ecclesia pro clericis praescriptas.* Praesertim: ea quae incardinationem et plenam episcopo adhaesionem important, *cum consequenti oboedientia et disponibilitate erga necessitates ecclesiae particularis.*

2. Tales associationes pro fine habere possunt, non tantum ut pietas sacerdotis foveatur, sed etiam ut hic ipsam perfectionem christianam prosequatur, non exclusis votis privatis. Ne autem ipsa cleri dioecesani natura perturbetur, consociationes esse debent tales, ut *minima* — ipsaque non hierarchica — *in eis organizatio adsit; nullum characterem supradioecesanum iurisdictionalem habeat erga sacerdotes,* nisi solum ad spiritum fovendum; *totae sub auctoritate episcopi existant* atque *moderatores* Ordinario loci subdantur; si pro fine habeant ipsum membrorum apostolatum, id fiat ad verum spiritum augendum, *numquam autem ad externum apostolatus sodalium pressius ordinandum seu dirigendum; vinculum* membrorum cum associatione *non sit plenum nec stabile*; atque *vota,* si adsint, *sint semper privata.*

3. Associationes sacerdotales hoc cavere debent: ne sacerdotes dioecesani *sub duplici oboedientia* inveniantur, *canonica* sc. episcopo debita, et *interna,* superioribus associationis debita. Oboedientia namque erga episcopum est aliquid quod exsurgit ex ipsa natura unionis sacerdotis cum episcopo, in ordine ad actionem pastoralem in ecclesia particulari perficiendam. *Paternitas enim episcopi duplex est, sub duplici tamen respectu*: sacerdos enim simul est et episcopi prima ovis et primus cooperator.

49

EXC.MUS P. D. MARIUS LONGO DORNI
Episcopus Pistoriensis

1. In pag. 7 textus, lin. 21, n. 1, post verba « Sit ergo libenter... » inserantur sequentia: « quamvis segregatus et assumptus sua speciali vocatione ». *Ratio*: haec verba deprompta ex *Act.* 13, 2 et *Hebr.* 5, 1 significare volunt quod laudata fraterna consuetudo cum laicis non debet negare et destruere notam segregationis sacerdotis « in sortem Domini vocati » et a rebus profanis abstracti. Neque volunt innuere reductionem sacerdotis ad laicalem conversationem, spretis moribus clero debitis.

2. In pag. 8, lin. 6, post verba « Studeat igitur », dicatur « vivere et praeesse ut cum fidelibus laicis operam coniungat etc. ». *Ratio*: ita melius explicatur quod debent uniri dignitas et ministeria sacerdotalia cum simpli-

citate et fraterno consortio cum fidelibus, absque nimia familiaritate et sine oblivione propriae missionis.

3. Eadem pag. 8, lin. 14, post verbum « enixe », dicatur « etiam ». *Ratio*: ita significatur quod virtutes naturales debent coli simul cum virtutibus theologalibus et ceteris.

4. In pag. 9, n. 3, recolantur inter subsidia spiritualia commendanda etiam exercitia spiritualia quotannis facienda saltem per tres dies continuos. Nam hoc est medium efficax quam maximum pro spiritu sacerdotali servando.

50

EXC.MUS P. D. ANTONIUS LOPEZ AVIÑA

Archiepiscopus Durangensis

Circa n. 2, pag. 9, lin. 10: « Quae sacerdotalis oboedientia natura sua differt ab illa quae religiosis vel laicis convenit... ». Agitur de unione sacerdotum cum episcopo suo et quidem vinculo peculiaris oboedientiae ei tribuendae. Si de religiosorum oboedientia sermo fit, clare docetur fundamentum talis oboedientiae esse votum; eodem modo de paupertate et castitate.

De oboedientia canonica clericorum haec habemus: in can. 127 Iuris Canonici urgetur in clericis, praesertim presbyteris, specialis obligatio exhibendi proprio Ordinario reverentiam et oboedientiam; quae verba apte et simul sumpta videntur significare oboedientiam coniunctam in exteriore actu cum illis signis honoris quae respondent dignitati recipientis.

Talis oboedientia exhibenda est proprio Ordinario; et etiam specialis est ratione tituli.

Ratio iuridica canonica oboedientiae. Si iam laici suis praepositis ecclesiasticis et in primis Romano Pontifici oboedire tenentur, id maiore perfectione a clericis iure exigitur. Ipsi enim iam vi ordinationis ob necessitatem vel utilitatem Ecclesiae factae, quam libera sua voluntate postularunt, speciali modo ad eius servitium sunt vocati et obligati (cf. Conc. Trid. sess. XXIII, c. 4, 14, 16 de ref.). Cui rationi accedit sollemnis promissio oboedientiae in sacra ordinatione emissa (cf. VIAL, *Ius Canon. De Personis*). Oboedientia ergo sacerdotalis specialis est et eius fundamentum clare apparere debet. Propono ergo ut paragraphus n. 2, pag. 9, lin. 11 sic legatur: « Quae sacerdotalis oboedientia natura sua differt ab illa quae religiosis vel laicis convenit; est enim specialis eo quod fundatur tum in potestate iurisdictionis quae episcopo convenit, in paternitate spirituali quam induit, tum etiam ratione suae incardinationis dioecesi et in participatione missionis episcopalis quae presbyteris per sacramentum Ordinationis confertur atque ideo... communionem requirit ».

Circa n. 4, olim pars n. 3 (Sacerdotum inter se fraternitas), lin. 13: « Singuli autem presbyteri... ». Videtur maximi momenti in lucem ponere

saltem in genere, de cura vere sacerdotali parochorum praesertim iuniorum sacerdotum qui cum ipsis in vinea Domini laborant primordiis sui sacerdotii. *Rationes*:

a) Omnis sacerdos usque ad ultimum vitae suae ad sanctitatem tendere debet.

b) Nullus sacerdos e seminario egressus totaliter est formatus nec in scientia theologica vel philosophica, multo minus in cultu virtutum. Hac de causa Pius XII s. m. in documento *Menti nostrae* (23 sept. 1950) sic loquitur: « Invece Ci piace assai, venerabili fratelli, che questi novelli sacerdoti vivano insieme con qualcuno dei parroci o dei suoi coadiutori, perché in tal modo, mediante la guida di persone anziane, possono più facilmente essere addestrati al sacro ministero e meglio infervorirsi nello spirito di pietà ». Indiget ergo speciali adiutorio praesertim iuvenis sacerdos ad fructuosum et duraturum ministerium in salutem animarum.

c) Iterum Pius XII: « Lo zelo ardente da cui i neo-sacerdoti sono animati nell'iniziare il loro ministero, può esser spento o certamente affievolito, talvolta, dall'esempio degli anziani, se questi non rifulgono dello splendore della virtù... ». Quare omnis parochus, verbo et exemplo, velut speculum virtutum pro omnibus suis sacerdotibus cooperatoribus esse debet. Primus in cultu virtutum, in operibus apostolicis; praesertim caritate sacerdotali.

d) Item parochus praesertim quia experientia praeditus, obligatione tenetur pericula contra vitam sacerdotalem exsistentia iuvenibus sacerdotibus indicare; praxim apostolatus docere, studium amare et etiam opportuno tempore, semper autem amore Christi compulsus, consilium dare et si opus est etiam monere.

Meminisse iuvabit dicta a Papa Pio XII: « Per tale ragione ricordiamo a tutti i pastori di anime che l'avvenire di questi novelli sacerdoti è, per gran parte, nelle loro mani » (*Menti nostrae* Pii XII). Propono ergo emendationem: « Singuli autem presbyteri confratribus suis, praesertim parochi cum iuvenibus sacerdotibus suis cooperatoribus, uniantur vinculo caritatis, orationis, cooperationis atque animi relaxationis ».

51

Exc.mus P. D. CORNELIUS LUCEY

Episcopus Corcagiensis et Rossensis

Pag. 8, lin. 34: mutetur sic: « ... tam in vestibus et possessionibus ostentandis quam... ». *Rationes*: Vanitas manifestatur aeque in possessionibus (e. g. macchina!) ac in vestibus etc.

Pag. 11, linn. 7 s.: dicatur potius: « ... cuiusmodi sunt institutio cursuum vel congressuum pastoralium necnon creatio centrorum, ut aiunt, ... ».

Rationes: erectio studiorum moderatoris in unaquaque dioecesi sapit nimiam « organizationem ». Congressus saepe sunt magis practici.

Pag. 12, lin. 30: legatur « ... in propriam rem familiarem indebite impendere ». *Rationes*: ne sacerdotes deterreantur quominus, parce vivendo, sibi in futuram provideant senectutem.

Pag. 12, linn. 31 s.: aut omittatur tota clausula aut saltem ut nova paragraphus proponatur. *Rationes*: admonitiones de avaritia et mercatura aut negotiatione non directe connectuntur « finibus ad quos bona in Ecclesia destinantur ».

Pag. 13, linn. 16 s.: mutetur sic: « ... munere funguntur. Valde opportunum est ut, ratione... percipienda aliquatenus eadem sit ». *Rationes*: obligatio stricta ad eandem remunerationem pro omnibus clericis, est res hucusque inaudita et quidem difficultatibus periculisque plena. E. g. in territoriis, sicuti est apud nos, ubi ius canonicum a lege civili agnoscitur, clericus querulus querimoniam in actione civili urgere posset. Ex parte antistite ipsomet, administratio gignere anxietates scrupulosas posset.

Quod ad schema in genere spectat, subscribo interventui em.mi ac rev.mi card. Meyer.

52

EXC.MUS P. D. TITUS MANCINI

Episcopus tit. Vartanensis, aux. Ostiensis, Portuensis et S. Rufinae

Ad 1: (nov. num.). Magis in luce ponatur dignitas et eminentia sacerdotii sacramentalis relate ad illud, generice dictum, quo gaudet plebs christiana. Cur in schemate omissa sunt verba S. Pauli: « ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quae sunt ad Deum »? Ad quid « conversatio cum laicis »?

Ad 4 (olim partem n. 3). Prima propositio aptiorem locum obtinet in schemate « de episcopis ».

Ad 11 et 12 (olim nn. 9-10). Hae hortationes magis episcopos respiciunt. Est enim episcoporum munus providere ut sacerdotibus in cuiusque dioecesi adlaborantibus non desint ad vitam necessaria et unicuique tribuatur, secundum commutativam iustitiam, congrua substentatio.

Insuper omnia haec praecepta, quae in numeris superioribus continentur, in Codice Iuris Canonici plus minusve declarantur, breviore quidem redactione, sed magis ordinate et accurate, relatione habita ad varia sacerdotum officia. Ita ut paene supervacanea videantur omnia consilia his numeris expressa, nisi excipiatur n. 7, qui immo amplius et latius patere deberet, praesertim ad catholicas missiones quod attinet.

Maxime optandum videtur ut omnibus sacerdotibus suadeatur ut maximam cooperationem missionibus tribuant, praecipue ministerium suum directe et immediate, sub consilio tamen et auctoritate episcoporum, in territoriis infidelium impendendo.

53

EXC.MUS P. D. IOANNES CAROLUS McQUAID
Archiepiscopus Dublinensis

Prooemium, pag. 7: Prius addatur paragraphus de munere sacerdotum laicos efficaciter sanctificandi quam de sacerdotum cum laicis conversatione tractetur.

N. 1, pag. 8, linn. 6-7: dicatur: « Oportet enim ut sacerdos sic praesit ut cum fidelibus laicis operam coniungat ».

N. 1, pag. 8, linn. 13-14: dicatur: « Praeter virtutes supernaturales quibus nititur vita christiana, enixe illas virtutes sic dictas humanas etc. ».

N. 2, pag. 9, linn. 4-6: dicatur: « Unum cum episcopis, diverso tamen gradu, hierarchicum Christi sacerdotium participantes et sub eorum auctoritate Christi ministerium exercentes... ».

N. 2, pag. 9, linn. 11-12: omittantur verba « natura sua differt ab illa quae religiosis et laicis convenit eo quod ».

N. 2, pag. 9, linn. 13-14: dicatur: « In ipsa participatione sacerdotii quod presbyteris per sacramentum Ordinis ab episcopis confertur, necnon in participatione missionis episcopalis quae cum ipso sacramento coniungitur ».

N. 3, pag. 9, linn. 21-23: dicatur: « ... eo quod caractere sacerdotali insigniti, novo titulo Deo consecrantur et per gratiam sacramenti abundanti Dei auxilio roborantur ».

N. 3, pag. 9, linn. 23-26: dicatur potius: « Quapropter mortis dominicae mysterium celebrantes, quod tractaverint imitentur; verbum Dei praedicantes, quod docuerint observent ».

N. 5, pag. 10, lin. 27: addatur « etiam » post ministerium », ita ut legatur: « Presbyteri ab Ecclesia in sacrum ministerium etiam idcirco ».

54

EXC.MUS P. D. ALOISIUS MANRESA FORMOSA
Episcopus Altensis

Pag. 7, n. 1 (novus numerus). Placet prima pars, nempe: linn. 10-21, pag. 7 et linn. 1-14, pag. 8. Sed iudico:

1. Debere inter virtutes recensere etiam virtutes supernaturales, ut caritas, humilitas, patientia. Fraternitas enim est supernaturalis. Sine vera caritate et abnegatione non erit constans « cordis bonitas... ».

2. Ut iacet nimis sapit naturalismum et ansam praebet iis sacerdotibus qui defendunt sacerdotes esse debere « omnino ut laicum », ita ut ipsi sacerdotes loquantur sicut illi, etiamsi verba redoleant non solum munda-

nismum, immo etiam et obscenitatem ut facetiae et nugae, quas consulto ii saepissime proferunt ut magis sese saecularibus similes fiant.

3. In pag. 19, ad litt. H: indicatur nolle inter exercitia pietatis adiungi examina conscientiae, etc. quia « brevitas textuum » hoc exigit. Hic vero novem lineae adsunt ad virtutes naturales indicandas, cum forte sufficeret sicut ibi (n. 3 a lin. 38) indicare in genere: « quaeque in humano etiam consortio magni aestimantur » relinquendo alia.

4. Melius esset omittere textus S. Pauli (*Phil.* 4, 8). Ibi enim S. Paulus non de sacerdotibus, sed de fidelibus loquitur. Hic vero agitur de virtutibus quas *sacerdotes,* ut sacerdotes, colere debent.

Praeterea ex hoc textu possent sacerdotes deducere, ut iam audivi, convenientiam matrimonii. Matrimonium enim sine dubio inter « pudica... et amabilia; quaecumque amabilia », invenitur.

Mea humili sententia Concilium debet abolere omnia quae etsi a longe, matrimonio sacerdotum faveant.

Immo ex iis deducerent liceitatem omnium spectaculorum, etc.

5. *Breviter*: Fraternitas in linea mere naturali et humana ponitur. Nulla virtus supernaturalis indicatur.

Tantum postea de tribus consiliis sub alio respectu indicantur.

Nullibi de sacrificio et de abnegatione, quae sunt authentica manifestatio amoris et conditio necessaria loquitur. (Inde etiam confirmarentur sacerdotes in opinione quae nunc viget: mortificatio et abnegatio esse res alienae sacerdotis actualis).

Unde humiliter peto ut aliquo modo pro rei gravitate, Concilium haec cum de sanctitate agit, indicet.

Pag. 9, n. 3, a lin. 28 ss.: « peculiaremque spiritum asceticum in implendo pastorali munere colant ».

1. Haec optima dicta sunt, sed cum de facto spiritus asceticus limitatur ad munus pastorale, videtur favere sententiae eorum auctorum qui asserunt sacerdotem debere ascesim facere tantum quae stricte necessaria sit ad munus implendum, v. g. hora convenienti surgere ut Missam hora debita celebret, e contra non multum interest ut e. g. surgat hora debita ad orationem privatam faciendam.

2. Quod confirmatur ex eo quod nulla alia parte neque in hoc schemate neque in aliis, ni fallor, cum de sanctitate agitur, verbum fit de necessitate abnegationis vel mortificationis. Tantum de iis loquitur cum de religiosis sermo est. Ex iis, ergo, inferunt abnegationem esse rem non evangelicam sed religiosorum.

3. His de causis peterem ut aliquid adderetur de necessitate mortificationis vel abnegationis ad sanctitatem et ministerium sacerdotis.

Clare appareat relatio intima — dixerim proportionalis — inter sanctitatem sacerdotis et fundamentum ac fructum ipsius sacerdotis apostolatus.

Posset indicari textus classicus, millies a Patribus citatus, cum de mor-

tificatione et abnegatione agitur, et qui textus nullibi, ni fallor, in aliquo schemate Concilii invenitur, etsi ipsemet Christus ibi innuit modum eum sequendi, id est quasi essentia spiritualitatis sacerdotis, qui sacerdos ut Christus esse debet: « qui vult post me venire, abneget semetipsum... etc. » (*Mt.* 16, 24) vel quae S. Paulus ad Titum (ad episcopum): « ut abnegantes desideria sobrie, iuste et pie vivamus » (*Tit.* 2, 12).

Quae omnia commissioni humiliter propono.

Pag. 9, n. 3, a lin. 38: « aliaque huiusmodi opera ».

1. Textus debet aspicere problemata huius temporis. Iam vero, cum hoc tempore, in dies crescat tendentia omittendi omnia exercitia pietatis; Concilium deberet, ni fallor, expresse indicare convenientiam peragendi exercitia spirituali et praecipua, v. g. nominatim significare: exercitia spirituali annua.

2. Haec indeterminatio — praesertim si comparatur cum ea cura qua — ut iam innui — determinantur in n. 1 virtutes naturales; maximum argumentum erit pro iis qui post Constitutionem liturgicam contra huiusmodi praxes loquuntur et de facto parum incumbunt in vitam eucharisticam atque in solido exercitio pietatis marianae.

Ipsi enim affirmant devotionem erga Eucharistiam et Beatam Mariam Virginem tantum interiorem vel ad summum partem celebrationis liturgicae. Privata vero exercitia supervacanea, immo et verae devotioni contraria, iudicant.

3. Verbum « subsidia », minus placet. Forte iuvaret ad confirmationem huius opinionis. « Subsidium » enim potius videtur indicare aliquid quod provisorio modo utitur, dum nihil aliud invenitur vel saltem aliquid valde accessorium.

Forte melius adhiberetur verbum: « medium »: « traditionalia media... ».

Quae omnia commissionis iudicio submitterim.

55

Exc.mus P. D. RAIMUNDUS MASNOU BOIXEDA

Episcopus Vicensis

Facta. Saepe saepius haud pauci sacerdotes, praesertim iuvenes ad naturalismum quendam tendunt ac mente opereque mundana sapiunt. Sat multi, ad sese defendendum, non tantum mediis normalibus vitae sacerdotalis sed etiam *extraordinariis* vitae consociatae — coetus, équipes, grupos, institut. saeculares etc. —, uti satagunt. Quum tamen talia media quandoque dioecesis haud possideat, tunc ea extra dioecesim quaerunt et inveniunt.

Quo fit, haud infrequenter, ut vita sacerdotis vel sacerdotum *divisa* evadat inter mentalitatem dioecesis et instituti vel formae consociatae cui adhaerent. Et saepe non tantum dividitur mentalitas sed et actio. Episcopo ex una parte et superiori instituti ex altera, quasi practice duobus dominis,

non est facile servire. Oriuntur practica incommoda et sacerdoti et actioni pastorali ut patet et experientia edocet.

Ulterior explicatio. Ad aliquem naturalismi specimen sacerdotes ducunt sensim sine sensu: immoderatae lectiones, mundanitas ambiens, consuetudines aliorum populorum quorum quod peius est potissimum apparet, pseudohumanismus, media moderna communicationis quorum usus forte imprudens (televisio, cinema etc.), rationes ideologicae et crisis hodierna (oboedientia, libertas, amor naturalis haud sufficienter castus, hypercritica, depreciatio orationis et vitae supernaturalis, irenismus, solitudo etc.). Qui intra huiusmodi adiuncta moventur, si iuvenes sunt non raro adversus sacerdotes seniores coalescunt et imprecantur necnon viceversa.

Status huiusmodi si et ubi invalescit, in seminarii alumnos influit eosque conturbat.

Conclusio. Exinde videtur quod schema *de vita et ministerio sacerdotali,* in linea doctrinae, et Ius condendum in re praxeos, statuere aliquo modo deberet quae opportuna sint ut *a*) spiritualitas sacerdotum magis magisque foveatur, *b*) ope consociati operis si id expedit, *c*) sed salva semper unitate sacerdotum in dioecesi necnon libertate et caritate, *d*) episcopo annuente.

Res ergo his vel similibus verbis exprimi posse videtur: « Sacerdotalis authentica spiritualitas in dioecesi quam maxime foveatur modis diversis haud excluso si id expedit modo consociato, dummodo libertas, unitas et caritas detrimentum minime patiantur atque episcopus annuat ».

[*Subscripsit etiam*] Ioseph Pont, ep. Segobricensis-Castellionensis.

56

Exc.mus P. D. SERGIUS MÉNDEZ ARCEO
Episcopus Cuernavacensis

Propositiones de sacerdotibus non placent, quia prorsus insufficientes sunt et indignae ut a Concilio edantur.

Sententiae igitur card. Meyer et arch. Ferdinandi Gomez necnon aliorum toto corde adhaereo.

Scimus amplum schema apparatum fuisse; humiliter sed instanter petimus ut de ipso agatur, ne videamur parum sacerdotes nostros aestimare.

Plura sunt quae deberemus profundiori qua par est consideratione ad trutinam revocare.

In n. 2 dicitur « castitatem sancte custodiant et sincere ament et qui sacrum caelibatum Ecclesia commendante immo vel etiam iubente, gratia Dei confisi voverunt, toto corde eidem inhaereant atque gaudeant se hac ratione indivise cum Christo uniri, necnon Dei familiae liberius ministrare, in hoc igitur statu recte ac fortiter procedant, ita ut expeditiores in dies fiant ad serviendum atque plenius paternitatem in Christo acquirant ».

Quid est hoc nisi pia, traditionalis, defensiva et timida exhortatio, quae

omnia problemata diebus nostris agitata obliviscitur vel quod peius est consulto ignorat?

In defensionem confitetur relatio particularis et generalis introductam esse mentionem de caelibatu contra « voces confusas de possibili huius legis abolitione ». Et revera tantum per affirmationem timidam respondetur, sine profundiori consideratione caelibatus tantum proponitur tamquam conditio liberioris et expeditioris ministerii et servitii, et quidem ex lege, dum e contra ibidem alii laudantur qui sine lege iuxta consilium Domini « (*Mt.* 19, 12; *1 Cor.* 7, 40) statum castitatis perfectae amplexi sunt ».

Nolo rhetorem exercere, sed mihi dicatis, quaeso, carissimi fratres, tantum habemus hunc superficialem et immisericordem responsum pro nostris sacerdotibus, praecise cum nunc hinc inde mentes eorum ab opinione publica, a cultoribus scientiarum immo et a moralistis trahuntur.

Sed proh dolor revera hic et taliter videtur exhauriri doctrina de caelibatu nostri Concilii Vaticani II, quia una simili affirmatione ad nudum verbum « castitatis » constringitur mentio de tanto argumento in propositione V, n. 8, de Institutione sacerdotali.

Haec doctrina insuper subiacet in alia extraconciliari recentissima declaratione in *L'Osservatore Romano,* die 11, publici iuris facta, quae aliunde fenestra aperit in re tam discussa, nam asserit tamquam principium fundamentale dispensationes de die in diem frequentiores caelibatus nullo modo infirmare caelibatum ipsum, sed integritatem eius securiorem reddere et prestigium defendere.

Sed, proh dolor, voces tantum tales inveniuntur: tamquam lex, obligatio, processus, validitas.

Commissiones et periti conciliares intimiorem intellectum mysterii Ecclesiae et sacerdotii ipsius nobis discutiendum offerre potuerunt ut in aula ditaretur doctrina, Spiritu Sancto afflante. Cur non mentes praeiudiciis liberas huic tanto negotio applicuerunt ut notionem caelibatus ad gloriam Dei ad sanctitatem sacerdotum et ad aedificationem fidelium pressius expenderemus et sapienter perficeremus.

Parcite mihi, fratres carissimi, aggrediamur mente libera rem tanti momenti.

Quomodo potest fieri quod in tractatione de caelibatu sacerdotum mirabilis doctrina sancti Pauli cum sola referentia ad *1 Cor.* 7, 32-34, idest, de libertate a curis matrimonii quam status virginitatis procurat, absolvatur?

Nisi ad hoc veniamus ut originem caelibatus reponamus in dono stricte dicto virginitatis et in consecratione libera huic dono respondente, et inde normas fluentes deducamus et in praxim revocemus nihil proficiemus.

Concludo. Propono ut schema iam confectum vel aliud conficiendum quam primum nobis proponatur, etiam quia imaginem quam mundus habet Ecclesiae maxime ab imagine quam efformemus sacerdotum pendet.

[*Subscripserunt etiam*] E. Vicuña, Chillan; ep. Antofagasta; Raul Silva Silva, ep. tit. Eudoxiadensis, aux. Rancaguensis.

57

Exc.mus P. D. ROGERIUS MICHON
Episcopus Carnutensis

1. Mirum videtur inter 12 solas paragraphos 4 de rebus materialibus et pecunia tractare. Nonne hae 4 paragraphi schemati *de pastorali munere episcoporum,* quibus vitae materialis presbyterorum suorum cura pertinet, aptius adscriberentur?

2. Anti-psychologicum videtur sacerdotes ad perfectionem vocare ex quo, sicut laici, ad populum Dei pertinent. Melius certo ex ipso charactere sacerdotali ad sanctitatem obligatio primum deduceretur: conformitas in essendo, ex charactere sacramenti habita, in agendo conformitatem cum Christo requirit. Sicut dixit Pontificale: « Imitamini quod tractatis ».

Ceteroquin omnia haec, concinniore modo pertractata, cap. III *de Ecclesia,* sub fine n. 28 qui de presbyteris agit, aptius adscriberentur. Tunc schema e medio tolleretur!

Quod si impossibile videtur, in prooemio schematis sacerdotium presbyterorum ad episcopi sacerdotium breve referatur, magnitudo et foecunditas officii presbyteralis laudentur, ut animadvertit em.mus ac rev.mus Lefèbvre in suo interventu, et vocatio ad sanctitatem primum deducatur ex ipso sacerdotio; dein, si vis, ex universali vocatione populi Dei ad sanctitatem.

Haec omnia humili, ut aiunt, meo iudicio.

58

Exc.mus P. D. IGNATIUS MUMMADI
Episcopus Gunturensis

Sub n. 3, pag. 9. Patres conciliares multa bona proposuerunt in aula conciliari de dignitate et sanctitate sacerdotii, sed non satis dixerunt de sacerdote ut victima cum Christo. Christus est sacerdos simul et victima, ita ut indoles victimae est de essentia sacerdotii Christi. Atqui sacerdos participat in sacerdotio Christi ideoque nonne dicendum est sacerdotem oportere participare aliquo mysterioso modo in hoc charactere victimae. Si sacerdos ita se unitur cum Christo, multa generose patietur pro Christo et se impendet et superimpendet pro salute animarum.

Insuper breviter dicatur in prooemio quanta bona et beneficia sacerdotium catholicum contulit et confert ecclesiae et mundo universo, nonobstante fragilitate humana etiam in sacerdotibus.

Humiliter peto ut haec duae ideae clare breviterque exprimantur suis locis.

59

EXC.MUS P. D. DRAGUTIN NEŽIĆ

Episcopus Parentinus et Polensis

Prooemium elaborandum sit amplior, iuxta animadversiones Patrum. Bene esset *de magno valore animae* verbum dicere.

N. 1. « Sacerdotum cum laicis conversatio » post n. 7 ponatur.

Ne finis schematis sit, quaeso, in mandato de « massa communi bonorum » materialium pro clero, sed requiritur aliqua conclusio (epilogus) magis spiritualis. Dedecet enim incipere cum supernaturalibus et finire cum materialibus.

In n. 11, pag. 13, linn. 14-15 satis est dicere « consulatur honestae sustentationi », dum verba « atque congruae pensioni » deleantur. Secus Ordinarius in omnibus casibus *pensionem* praestare *deberet,* dum e contra, non raro optime providetur senibus in aliqua domo emeritorum aut reliquendo aliquem apud successorem eius in paroecia.

In n. 11, pag. 13, lin. 16 verbis « quolibet munere funguntur » addantur verba « vel emeriti sunt ».

60

EXC.MUS P. D. MATTHAEUS ALOISIUS NIEDHAMMER

Episcopus tit. Caloenus, vic. ap. Bluefieldensis

1. Primum in votis esset ut aliquid poneretur hic in principio de dignitate sacerdotis ex Sacra Scriptura, traditione SS. Patrum et Summorum Pontificum.

2. Tunc agere potest schema de missione sacerdotis, i. e. sicut Christus missus est a Patre ad salvandum mundum, ita Christus Apostolos suos misit ad praedicandum et fundandam Ecclesiam ubique terrarum; Ecclesia autem sacerdotes misit ad sanctificandos homines in mundo universo. Omnia haec efficiuntur per Spiritum Sanctum. Sic Ecclesia est semper apostolica etiam in sensu missionis a Christo per Spiritum Sanctum.

3. Tunc agendum esset plus minusve quomodo nunc in n. 1 schematis.

4. Addendum esset in n. 3 vel quando loquendum esset de vita sacerdotali ad Evangelii formam componenda, aliquid de vivendo secundum spiritum sermonis Domini nostri in monte (*Mt.* 5-7) praesertim secundum Beatitudines quae medullam novae legis formant. Sic gloria Beatitudinum effulgeret in eorum vita et doctrina.

5. Quando loquendum esset de castitate haec vel similia dicere oporteret: « Castitas est ornamentum perpulchrum episcoporum et sacerdotum, quia in hac virtute imitant Christum Dominum, Agnum Immaculatum, qui est sponsus gloriosus Ecclesiae, quorum nuptiae castissimae in caelo sem-

piternae et ineffabiliter celebrantur (*Apoc.*, 19, 7-9; 21, 9). Castitas, praesertim sacerdotalis, fundamentum in Novo Testamento, i. e. in Christo ipso, habet. Etiam insistendum est in hoc quod castitas gloriosum et profundum valorem eschatologicum habet, uti symbolum et magis uti pignus vitae gloriosae et aeternae in resurrectione carnis ».

6. Loquendo de mediis sanctificationis sacerdotum insistendum est in cotidiana et devota celebratione Sacrosancti Sacrificii Missae cum debita praeparatione et gratiarum actione una cum oratione mentali etc.

7. Omnia haec media sanctificationis permultum conferunt ad efficacitatem sacri ministerii, quia illa media sunt semper fontes apostolatus fructiferi.

8. Insistendum esset etiam in spiritu et opere missionario in sacerdotibus. Problema missionarium semper magis in Ecclesia crescit. Idcirco omnes episcopi et sacerdotes iugiter prae oculis habere oportet illas regiones missionum ubique terrarum, quae tot necessitates habent, et quae ad nationes magis cultas et opulentes quae maiorem numerum sacerdotum et religiosorum habent avide aspiciunt ut plures sacerdotes et plura subsidia cuiuscumque generis ad illas mitterent. Foveant sacerdotes cum suis episcopis omnes regiones missionum in mundo, suscitando vocationes missionarias inter iuvenes et adulescentulas ita ut plures bonos sacerdotes et religiosos utriusque sexus ad terras missionum advolare vellent. Alent episcopi et sacerdotes societates inter fideles quae subsidia cuiusvis generis ad missiones mittant. Tali modo, praeeuntibus episcopis et sacerdotibus omnes fideles magis magisque praesentes haberent necessitates permagnas missionum in toto orbe catholico.

9. Alia quae in schemate prostant mihi placent et praesertim in n. 7 et n. 8, i. e. « de sollicitudine sacerdotum omnium Ecclesiarum » (et missionum) et « de distributione cleri apte fovenda ».

61

EXC.MUS P. D. ADOLFUS ALEXANDER NOSER

Episcopus tit. Hierpinianensis, vic. ap. Portus Alexii

Nec aequum nec dignum est totum schema de hac re ad quasdam breves propositiones reducere, as si esset parvi momenti, dum de aliis rebus Concilium proponit constitutionem, decretum, etc.

Proinde in prooemio vel in nova paragrapho aliquid de dignitate sacerdotii poni debet, etsi de ea fusius tractetur in constitutione *de Ecclesia,* nam plures sacerdotes inquirendo quid dicit Concilium de sacerdote non legunt quae dicuntur in ista constitutione.

Ad n. 1: mera nominatio officii « patris » non sufficit; debet fusius exponi, secus vix percipitur doctrina et eius sequela practica pro ministerio sacerdotali.

Sanctitas est fundamentum ministerii fructuosi sacerdotalis; unde de ea tractari debet in n. 1. Ponetur n. 3 in primo loco, i. e. statim post prooemium. Deinde nn. 1 et 2 fiant 2 et 3.

Ad n. 2: fiat n. 3.

Ad n. 3: fiat n. 1. Restituatur titulus prior, i. e. « Exigentia sanctitatis sacerdotalis eiusque fundamentum » vel « Exigentia sanctitatis pro vita et ministerio sacerdotali ».

Ad n. 4: mutetur titulus sic: « Sacerdotum cum episcopo et inter se unio » et sic mutetur initium textus: « *Episcopos suos ut vere patres considerant.* Episcopis autem, bonum corporale et spirituale... ».

Ad n. 7: in lin. 37 « ... regionibus, *missionibus* vel operibus... ».

Ad nn. 8, 10, 11, 12: omnia melius ponantur in schemate de regimine episcopali.

62

Exc.mus P. D. GODEFRIDUS OKOYE

Episcopus Portus Harcurtensis

I humbly suggest that the whole of this Schema be completely recast on the lines suggested by their Eminences Cardinal Meyer, Cardinal Alfrink and Cardinal Lefebvre.

It is a pity that this schema was reduced to propositions. After treating in extenso the role of the laity in the Church and after insisting so much on the priesthood of the laity we come to treat the priesthood properly so called in a brief, offhand and casual manner. The Schema lacks depth. It will have a bad psychological effect not only on our dear priests who are bearing the burden of the priesthood (and God knows that to some of them it is an uphill task) but also on the laity. It will give the impression that the Church does not attach much importance now to priesthood and priests. It is the laity that matters in the present-day world. It has already been said that certain laypeople, not understanding the teaching of the priesthood of the laity, have begun to say: "We are all priests. What more has our pastor over us"? I must state clearly that we must bring out fully the role of the laity in the Church. But we must also bring out fully the role of our priests and their priesthood in the Church today according to the mind of Our Lord who instituted the priesthood and the Hierarchy in the Church. We must not "rob Peter to pay Paul". We must not extol one with a loud voice and speak of the other in a subdued tone.

The Holy Eucharist is the very centre of our whole religion. Priesthood has as its object the Sacrifice of the Holy Eucharist. As a thing is specified by its formal object, what then is more important in the Church than the priesthood of our priests? This Sacred Synod should treat the question of the priesthood and priests at some lenght and with depth of thought. Even though the aim of this Council is mainly pastoral our treatment of this

question in particular must show the theological and dogmatic foundation to support the pastoral principles we lay down.

It is hardly consoling to a priest to start off after a short prooemium by telling him of his obligations. This manner of proceeding is not encouraging to him. I suggest that the Schema should first teach something of the dignity, loftiness, excellence and privilege of the priesthood (supported by many biblical quotations and the teachings of the Fathers). After that it can then pass on to treat of the virtues that such a high and privileged calling naturally demands. Then also we must be more positive and show the beauty of these virtues: e. g. obedience: how it makes the priest resemble His Divine Master. In a few words let the priest see the beauty and merit there is in the difficult virtue of priestly chastity and the unspeakable reward that awaits it. This is a better approach and more consoling to the priest than simply throwing the obligation of his celibacy in his face.

Then also we must remember that some virtues are more necessary in a priest than others. For instance the virtue of humility which is so fundamental and so necessary in a priest is hardly mentioned in this Schema. I suggest that this virtue be given the prominence it deserves in treating priestly virtues. I must add here that I do not agree with those speakers who wondered why we should exhort priests to these virtues since, as they say, we did not lay down those norms for ourselves in the Schema on the Bishops. (There is no point in answering such an argument).

Finally I suggest that in preparing a new Schema brevity should not be the guiding principle. But rather we should aim at producing something which should be a guide and consolation to our priests battling with odds in a world that tends daily to dechristianise in its dazzling material progress and to enthrone materialism in all its forms.

63

Exc.mus P. D. MARCELLINUS OLAECHEA LOIZAGA

Archiepiscopus Valentinus

N. 2, lin. 3, pag. 9, dicitur: « ... paternitatem in Christo acquirant ». Dicatur: « ... paternitatem in Christo acquirant. Cum ad Ecclesiae sanctitatem imprimis conferat ut sacerdotalis dignitas magis ac magis eluceat, qui propter humanam fragilitatem fidelibus semel ac iterum scandalo sint, nec corrigibiles, prudenti ac paterno iudicio proprii episcopi videantur, a munere sacerdotali exercendo ratificante Sancta Sede, ad vitam arceantur; sublatis tamen — animae ipsorum consulendo — et onere caelibatus — qui in Ecclesia latina feliciter viget — ceterisque omnibus sacerdotalis officii; eosdemque ad statum laicalem cum propriis consectariis reducendo. Haec autem norma sacerdotibus iure vel facto ad statum laicalem transactis, applicetur ». *Ratio*: patet additio. Hic aut alibi in schemate, his verbis vel similibus.

N. 2, lnn. 2-3, pag. 8: dicitur: « Totam vitam suam sacerdotes, Christi vestigia prementes... ». Dicatur: « Totam vitam suam sacerdotes, praeeuntibus plenitudine sacerdotii ditatis, Christi vestigia prementes... ». *Ratio*: haec vel similia verba, quamvis in schemate de episcopis plus minusve constent, sacerdotibus legentibus exemplo erunt, et episcopis memoranda.

64

EXC.MUS P. D. CAROLUS OVIEDO CAVADA

Episcopus tit. Beneventensis, aux. Ss. Conceptionis

1. In schemate deest descriptio ministerii sacerdotalis. Defectus iste compleri debet praecipue ex exigentia tituli huius schematis.

Descriptio munerum parochorum habetur in schemate de pastorali episcoporum munere in Ecclesia, ubi multa ibi inveniuntur communia omnibus sacerdotibus. Ubi tunc erit sermo de ministerio sacerdotali? In schemate de pastorali episcoporum munere in Ecclesia aut in hoc de vita et ministerio sacerdotali?

2. In schemate deest descriptio et commendatio habitudinis sacerdotum cum episcopo, quae duplicem adspectum habet scil. pro presbyteris e clero saeculari et pro illis ad statum religiosum pertinentibus. Si in schemate agitur de conversatione sacerdotum cum laicis (n. 1), de confraternitate sacerdotum inter se, multo magis de habitudine erga proprium episcopum agendum est, ratione habita de sacerdote saeculari et religioso. Haec omnia nimis confuse apparent in n. 26 schematis de pastorali episcoporum munere in Ecclesia.

Ratio huiusmodi tractationis praesertim est consideranda ex eo quod post Concilium absque dubio clerus adipiscetur gradum maturitatis qui constabit alto spiritu critico etiam erga ipsemet episcopum; quia mutatis mutandis, habebitur ex parte cleri quae statuta est de collegialitate episcoporum in gubernationem Ecclesiae universalis, ita et pro Ecclesia particulari, nempe dioecesi. Hoc est factum dignum notatu.

3. In concertatione existenti hodie in ambitu Ecclesiae relate ad sacerdotes, magis enucleari debet fundamentum exigentiae sanctitatis sacerdotalis, quae hodie valde minuitur ob studium spiritualitatis laicorum, ob profundiorem scientiam sanctitatis vitae matrimonialis, ob explanationem sensus personalitatis in hodierna mentalitate, ubi spernenda apparent quae contra illam personalitatem considerantur utputa oboedientia, humilitas, sacrificium, etc., et ob sensum statisticae hodiernum quia omnia mensurantur numerice.

Si Concilium pastorale fructus sanctitatis quaerit, fundamentum sanctitatis sacerdotalis per prius ponere debet et altius conclamare.

4. Ad n. 3. Quae dicuntur in lin. 34, pag. 9, usque ad finem huius n. 3 non pertinent ad ministerium sacerdotale sed ad vitam sacerdotis, unde transferri debent ad n. 2.

5. Ad n. 4. Non solum vita communis instauranda debet commendari,

quia multis in regionibus haec est omnino impossibilis ob angustiam numeri sacerdotum et ob regionum illarum adiuncta, utputa nimiam distantiam inter loca commorationis sacerdotum, sicut accidit in pluribus dioecesibus Americae latinae.

Quapropter multum commendari debet in hoc numero quidam coetus seu unio sacerdotum, hispanice *equipos de vida,* constans octo vel duodecim sacerdotibus qui a seipsis seliguntur quia coaetanei vel in similes methodos vel conceptus vitae et ministerii conspirantes, et semel saltem in mense per integram diem recedunt pro oratione in communi, pro revisione vitae, ad promovendam altiorem vitam interiorem, ad praecavenda pericula, etc. Hi *equipos de vida* sane sunt possibiles et existunt cum plena approbatione episcoporum. Unde censeo in n. 4 et adnumerari et commendari debere.

6. Ad n. 8. Hic numerus non est in hoc schemate includendus. Haec materia potius pertinet ad n. 6 schematis *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia,* ubi agitur de episcopis sollicitudinis omnium Ecclesiarum participibus. Ad summum in hoc n. 8 consilium pro sacerdotibus legatur de cooperatione ad hoc bonum Ecclesiae, quod alia ex parte perpulchre habetur in n. 7.

7. Ad nn. 11-12. Hi duo numeri ad gubernationem dioeceseos pertinent. Quid valent sacerdotes agere de nn. 11-12 si materia illa prorsus penes episcopum est?

65

Exc.mus P. D. ANDREAS PARENTY

Episcopus tit. Sitifensis, aux. Atrebatensis

Inter prooemium et n. 1 fiat novus numerus indicans dignitatem sacerdotis et momentum sui muneris tam erga Deum quam erga homines. Si vero talis numerus videtur impossibilis, n. 1, pag. 7, linn. 12-13 dicatur « specialiter consecratus in iis quae sunt ad Deum ». *Ratio*: in schemate non indicatur finis ultimus actionis sacerdotalis scil. gloriam Dei, sed tantum finis proximus scil. salus hominum. Atqui hodiernum periculum sistit in activitate humana nimis exclusiva.

N. 2, pag. 8, lin. 39: dicatur « Deo confisi colunt ». *Ratio*: ne Concilium, utens verbo « voverunt » videatur decisionem imponere in controversis utrum caelibatus subdiaconi sit « votum » vel « iussio Ecclesiae ».

66

Exc.mus P. D. URBANUS M. PERSON

Episcopus tit. Cymaeus, vic. ap. Hararensis

Il me semble que pour faire justice au sacerdoce de nos prêtres, il faudrait situer le sacerdoce dans l'Eglise, le seul sacerdoce qui soit et qui est le *sacerdoce du Christ*.

Car le Christ est le Pontife suprême, le Pontife qui relie le monde à son Créateur; c'est lui le *sacerdos* qui rend le monde sacré, qui consacre le monde en le reliant à Dieu son créateur.

Dieu a créé le monde pour le Christ. Le monde est orienté de l'intérieur vers le Christ en qui seul il peut trouver son salut; et le monde « gémit en attendant d'être sauvé » (S. Paul).

Son sacerdoce, le Christ l'exerce par l'évêque, en qui réside le sacerdoce du Christ dans sa plénitude. Le prêtre participe à ce même sacerdoce du Christ, avec l'Evêque; et c'est ce point qu'il conviendrait de développer, pour situer vraiment le sacerdoce du prêtre dans l'Eglise.

Enfin par et avec l'évêque, les prêtres, agissant au nom et par la vertu du Christ, sont au service du peuple de Dieu, pour que ce dernier soit baptisé et sanctifié; et que par sa sainteté il ramène à Dieu le monde où il vit. Et ainsi le peuple de Dieu lui-même a sa place dans cet unique sacerdoce du Christ, par lequel seul se fait la « consecratio mundi ».

67

EXC.MUS P. D. PAULUS PHILIPPE

Archiepiscopus tit. Heracleopolitanus

Peto ut, antequam agatur de conversatione sacerdotum cum laicis (n. 1), alius articulus novus inscribatur, qui fundamentalia capita doctrinae commemoret de natura et eminenti dignitate sacerdotii, e quibus promanant exigentiae peculiares ac officia vitae et ministerii sacerdotalis. Capita illa doctrinae de sacerdotio iterum et iterum inculcaverunt Romani Pontifices a S. Pio X ad Ioannem XXIII et Paulum VI (cf. S. PII X Litt. Enc. *Haerent animo*; PII XI Litt. Enc. *Ad catholici sacerdotii*; PII XII Litt. Enc. *Menti Nostrae*; IOANNIS XXIII Litt. Enc. *Sacerdotii Nostri primordia*).

Recordanda sunt praesertim sequentia:

1. Sacerdos quodammodo est « alter Christus » (PIUS XI), cum sit vi characteris Ordinis eius minister ac instrumentum quo operam suam salvificam Christus continuat (PIUS XI, *op. cit.*: *A.A.S.*, 28 [1936], pag. 10 et 23), praesertim in Sacrificio eucharistico.[1]

---

[1] Dicere oportet, uti memorata documenta magisterii una cum communi doctrina theologorum docent, sacerdotem imprimis ordinari ad Eucharistiam celebrandam indeque totam eius spiritualitatem derivari. Sane etiam sacerdos est praedicator Evangelii pro infidelibus et doctor fidelium. Sed haec communicatio Verbi Dei ordinatur ad Eucharistiam sicut ad sacramentum quo gratia completur. Ceterum haec est doctrina Constitutionis conciliaris *de sacra Liturgia*. Ibidem enim, art. 9, dicitur praedicationem fidei S. Liturgiam praecedere. « Attamen Liturgia est culmen ad quod actio Ecclesiae tendit et simul fons unde omnis eius virtus emanat. Nam labores apostolici ad id ordinantur ut omnes, per fidem et bapti-

2. Cum Christo igitur sacerdos intime coniungatur oportet « Eumque sequatur, imitetur oportet, qui, cum terrenam vitam ageret, nihil potius habuit, quam incensissimum suum erga Patrem amorem testaretur suique Cordis infinitos thesauros hominibus impertiret » (Pius XII, *Menti Nostrae*).

3. Sacerdos est « Homo Dei » (*1 Tim.* 6, 11) (cf. S. Pius X, *Haerent animo*: *Acta Pii X*, IV, p. 238). Exemplo Christi debet esse homo orationis (cf. Pius XI, *Ad catholici sacerdotii*: *A.A.S.*, 28 [1936], p. 18; Ioannes XXIII, *Sacerdotii Nostri primordia*: *A.A.S.*, 51 [1959], p. 560).

4. Sacerdos zelo animarum sit accensus (cf. Pius XI, *op. cit.*, pp. 30-31; Ioannes XXIII, *op. cit.*, pp. 568-570).

N. 1, pag. 8, linn. 12-13. Textus *Tit.* 3, 4 in hoc loco non convenit, quia « benignitas et humanitas » in hoc textu non significant virtutes humanas Christi, quas schema sacerdotibus intendit inculcare, sed gratia et misericordia ipsius Dei erga homines peccatores, quae in Christi adventu apparuerunt. *Tit.* 3, 14 correspondet 2, 11, ubi legitur: « *Apparuit enim gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus* ».

(*La Bible de Jérusalem* v. g. recte vertit: *Tit.* 3, 14: « Mais le jour où apparurent la bonté de Dieu notre Sauveur et son amour pour tous les hommes... »).

N. 2, pag. 9, linn. 12-14. Loco: « ... eo quod fundatur in ipsa participatione missionis episcopalis, quae presbyteris per sacramentum Ordinis confertur... », dicatur: « ... eo quod fundatur *in ipsa missionis episcopalis* participatione, *ad quam presbyteri* per sacramentum Ordinis *apti efficiuntur...* ». *Ratio*: quia sacerdos non fit particeps missionis episcopalis per solam consecrationem sacerdotalem sed vi missionis canonicae acceptae ab episcopo vel ab Ordinario.

N. 3, pag. 9. Loquendum est de Officio divino, quod sacerdos nomine Ecclesiae persolvit et quo etiam eius vita spiritualis alitur (cf. Pius XI, Litt. Enc. *Ad catholici sacerdotii*: *A.A.S.*, 28 [1936], p. 18; Pius XII, Litt. Enc. *Mediator Dei*: *A.A.S.*, 39 [1947], pp. 572-576).

N. 3, pag. 9, linn. 39-40. Loco « ... quae quidem spiritu liturgico informentur oportet... » mihi magis placeret: « ... quae quidem spiritu *S. Liturgiae* informentur oportet ».

N. 4, pag. 10, linn. 14-15. Loco « ... confratribus suis uniantur vinculo caritatis, orationis, cooperationis atque animi relaxationis », dicatur: « ... confratribus suis vinculo caritatis *fraternae in oratione, cooperatione atque animi relaxatione* ». *Ratio*: quia expressio « vinculo relaxationis animi » est sat curiosa et difficile vertetur in linguas vernaculas!

---

smum filii Dei facti, in unum conveniant, in medio Ecclesiae Deum laudent, Sacrificium participent et cenam dominicam manducent » (art. 10). Sacerdos igitur ad hoc « culmen » praeprimis ordinatur, in quo, personam ipsius Christi agens, Sacramentum Eucharistiae conficit atque fidelibus dispensat.

68

EXC.MUS P. D. IOSEPH DE IESU PIMIENTO RODRIGUEZ
Episcopus Garzonensis-Neivensis

In propositione 4, lin. 18, pag. 10, post verba « plus quam par est operibus oneratos », addantur « atque solitudine oppressos ». *Ratio*: solitudo saepe saepius grave periculum est pro integritate sacerdotali non tantum in dissitis atque penuria cleri affectis regionibus sed et in civitatibus. Una humana solutio datur: vera fraternitas sacerdotalis.

69

EXC.MUS P. D. EDUARDUS PIRONIO
Episcopus tit. Caeciritanus, aux. Platensis

Schema propositionum *de vita et ministerio sacerdotali* non placet. Funditus recognoscatur iuxta propositionem em.mi card. Meyer et vota plurimorum Patrum in aula.

1. Caret *solida doctrina theologica* de natura et spiritualitate sacerdotali. Plurima repetuntur praecepta moralia, hinc inde sine fundamento et ordine sparsa, quin nihil dicatur de virtutibus theologalibus et donis Spiritus Sancti, nihil de natura presbyterii. Hoc magis mirum est cum tanta ac tam optima scripta sint, iis praesertim temporibus, a clarissimis theologis et magistris vitae spiritualis, circa naturam, spiritualitatem et ministerium pastorale sacerdotum.

2. Caret *vero gaudio et optimismo* vitae sacerdotalis. Sacerdotes — quos vere diligimus in visceribus Iesu Christi — egent praesertim hodie signis et gestibus nostrae authenticae paternitatis spiritualis. Antequam memorentur eorum obligationes, oportet ut extollatur eorum dignitas, exaltetur eorum labor, et cum ipsis gratias agamus pro eorum aerumniis et paenuriis in servitium Christi et Ecclesiae.

3. Caret *praesentatione positiva*. Non apparet nexus intrinsecus cum doctrina de sacramentalitate et collegialitate episcopatus (in genere cum toto schemate *de Ecclesia*), cum constitutione *de sacra Liturgia*, cum schemate *de Ecclesia in mundo hodierno*. Maxime dolendum est quod fere semper praecepta enumerentur modo negativo (« abstineant a vanitate in titulis et vestibus », « Nequaquam divitiis cor apponant », etc.), et quod ultimi quattuor numeri — quibus tota pertractatio de sacerdotibus coronatur — dedicentur ad iuridicam quaestionem de rebus materialibus.

Optandum est ergo ut omnia, in novo schemate, alio modo proponantur.

1. Breviter statuatur *natura theologica presbyteratus*, in connexione cum missione salvifica Christi et Ecclesiae, cum collegialitate episcopatus, cum

mundo hodierno redimendo. In vita et in opere sacerdos vere proclamat mysterium paschale Christi. Non tamen solus, sed efformans, una cum episcopo, in mysterio Ecclesiae, verum et sacrum presbyterium. Illud nempe presbyterium, de quo S. Ignatius M. et traditio apostolica, quod celebrat Eucharistiam cum episcopo, quod verbum Dei praedicat cum episcopo, quod intime collaborat cum episcopo in gubernio Ecclesiae localis. Ibi enim est Ecclesia tota, iuxta praeclara verba S. Cypriani: « Ecclesia in episcopo et clero et in omnibus stantibus, sit constituta » (*Epist.* 33, 1, 2). Et illud aliud: « Solus rescribere nihil potui, quando a primordiis episcopatus mei statuerim nihil sine consilio vestro et sine consensu plebis mea privata sententia gerere » (*Epist.* 14, 4).

2. Ex hoc derivatur *spiritualitas specifica* sacerdotum, propria huius temporis mundi et Ecclesiae. Specialiter vocatus ad sanctitatem — utpote specialiter participans in unico sacerdotio et mediatione Christi — sit revera sacerdos « homo Dei » « ex hominibus assumptus ». Loquatur proinde schema de virtutibus naturalibus sacerdotis et de eius supernaturali mysterio. Sacerdos enim est essentialiter mysterium fidei, spei et caritatis. Clarius ergo exponantur virtutes theologales ope donorum Spiritus Sancti perfectae. Nexus inter contemplationem et actionem, tum in oratione ipsa, tum in studio, melius in lucem ponatur. « Ex plenitudine enim contemplationis derivari debet doctrina et praedicatio » (S. Thomas). Et tota spiritualitas sacerdotalis tandem fundetur in sacra liturgia, in mysterio mortis et resurrectionis Domini nostri Iesu Christi. Etiam aliae virtutes — paupertas, oboedientia, castitas — intime connectentur cum mysterio paschali et cum eschatologia. Munus Spiritus Sancti et B. M. Virginis in efformanda anima sacerdotali clarius ac theologice describatur.

3. *Ministerium pastorale.* Statuantur relationes variae: cum episcopo, cum aliis membris presbyterii, cum laicis, cum mundo hodierno.

Cum episcopo: « providus cooperator ordinis episcopalis », diligat sacerdos suum episcopum ut patrem, eum adiuvet in authentica oboedientia filiali, in spiritu veri dialogi (eius praecepta et consilia fideliter servando, sed etiam, in vera libertate filiorum Dei, ei nova proponendo, cum spiritu verae initiativae, ei continuo et fideliter informando). Episcopus audiat humiliter suum presbyterium, admittat eius consilia et, si solida sint, placitis grato animo obsecundet. Immo vero, constituat verum senatum, ex omni genere sacerdotum formatum et omnem realitatem dioecesanam vere repraesentantem — qui eum adiuvet in gubernio Ecclesiae localis.

Cum aliis membris presbyterii: extollatur unitas ontologica presbyterii ut fundamentum firmissimum fraternitatis et amicitiae sacerdotalis. Constituantur coetus (equipos), celebrentur conventus sacerdotales ubi gaudium et optimismus sacerdotum confirmentur et ubi pastoralis dioecesana, sub ductu episcopi, a toto presbyterio planificetur. Pulcherrimum huius unitatis signum sit concelebratio Eucharistiae cum episcopo.

Cum laicis: quos ut filios carissimos, per Evangelium genuit et quos diligere oportet in visceribus I. Christi; quibus ministrat ut verus pater et magister, et cum quibus, diversitate charismatum ornatis, totum populum Dei fraterno labore dilatat.

Cum mundo hodierno: cum hoc mundo scilicet civilizationis scientifico-technicae in quo incarnari debet sacerdos. Intime penetret hunc mundum, cor hominis hodierni eiusque problemata et possibilitates aperto animo perscrutetur, eumque corde essentialiter redemptivo diligat ut eum totaliter redimat, sicut et Christus qui missus est a Patre « non ut iudicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum ».

[*Subscripserunt etiam*] Alberto Devoto, ep. Goyanensis; Enrique Angeletti, ep. tit. Lystrensis; A. Quarracino, ep. 9 de Julio; Antonius José Plaza; Roberto Cáceres, ep. Melensis; Jeronimo José Podestà, ob. Avellaneda; Manuel Tato, ob. Santiago del Estero; Jorge Kemerer, ob. Posadas.

70

Exc.mus P. D. VILLELMUS PLUTA
Episcopus tit. Leptismagnensis

Duae emendationes pertinentes ad schema: *a*) de pastorali munere episcoporum in Ecclesia, simulac *b*) de sacerdotibus, nempe: 1) de sacerdotibus lapsis; 2) de obligatione populi sustentandi sacerdotes.

A) Emendationes propono, etsi apud nos relate ad alias nationes sacerdotes *lapsi* aut *omnino pauperes* — re vera sunt pauci. Sed ad mentem textus schematis *de Ecclesia* cura totius Ecclesiae nobis omnibus episcopis incumbit.

B) 1. *De sacerdotibus lapsis*. Deliberationibus *de sacerdotibus* ac *de pastorali munere episcoporum* iam delapsis, nihil aut parum in aula locutum est, nisi fallor, de *sacerdotibus lapsis*. Iam vero in schemate *de pastorali munere episcoporum* pag. 12, linn. 31-32, legimus: « operosa misericordia prosequantur (episcopi) sacerdotes, qui in periculo quoquo modo versantur aut in quibusdam defecerunt » (XX).

Agitur praecipue de sacerdotibus, qui *caelibatum* non servantes, in concubinatu vivunt aut in talibus adiunctis vitae versantur, quin possint in pristinum ordinem vitae sacerdotalem redire, imprimis causa prolis. Res est nimis tenuis ac non simplex, et certo aliqua sancta verecundia claudit nostrum os, ita ut sileamus de ea in aula.

Sed nimis communis (et recte ita fit in schemate) haec indicatio (XX) est in concretam formam misericordiae adducenda, et nempe pro uno genere istorum confratrum nostrorum: adsunt,

a) qui re vera non possunt redire in statum sacerdotalem ob causas gravissimas, re humano modo aestimata;

b) qui ab Ecclesia non defecerunt, nomen sectae non dederunt, immo religiosam vitam sibi possibili modo colunt, prolem religiose educant et solum unum exoptant: sacramenta S. Ecclesiae: confessionem et S. Communionem — et conscientiam quietare.

Mea propositio: Talibus et similibus sacerdotibus Ecclesia sit mater misericors; concedat iis, ut secundum aliquas normas ab Ecclesia praescriptas ad evitandum vel minuendum scandalum matrimonium sacramentale contrahant.

Et quidem: 1) talis praxis est introducenda uti ordinaria in modum tractandi has causas ab Officiis S. Sedis (*solummodo*); 2) aut saltem modo gratiae nunc, ratione Concilii pastoralis, si timenda sit relaxatio aliquis legis caelibatus pro futuro, quae nobis sit sanctissima et immutabilis pro semper.

2. *De obligatione populi sustentandi sacerdotes.* Schematis *de sacerdotibus* nn. 11-12 quam recta est indicatio de remuneratione clericis praevidenda.

Sed ea remuneratio dependet non solum de bona voluntate et benignitate episcopi ac organisatione « massae communis » (n. 12) — sed praesertim de benignitate *populi* manifestata oblationibus ad hoc necessariis. Adsunt hodie in certis regionibus Ecclesiae fideles, praesertim recentioris hominum catholicorum generis, qui minime volunt sese obligatos esse ad oblationes sub formis diversis in favorem *sacerdotum,* etsi vere se putant esse catholicos.

Propositio: Incumbit episcopis gravis obligatio totius dioecesis populum interdum et in tempore de hac re suavi sed gravi et claro modo *monere,* eo magis, quod mutatis pristinis conditionibus socialibus, oeconomicis multi modi acquirere redditus iam evanuerunt, cuius rei permulti catholici non sunt conscii, ideoque non tamen edocendi, monendi sed etiam educandi sunt ad sustentationem sacerdotum. Dico — episcopis incumbit haec obligatio — ii enim facilius et efficacius huic rei providere possunt.

Conclusio: quod inserendum est aut textui schematis: *de pastorali munere episcoporum* aut *de sacerdotibus* n. 12.

N. B.: Malim haec in aula proferre sed rigorosa norma « Ordinis in aula » expostulans « LXX » nempe Patres id reddit impossibile. Invanum expectabam in aula vocem Patrum « de lapsis », quapropter haec scribo.

71

Exc.mus P. D. PHILIPPUS POCCI
Episcopus tit. Jerichuntinus

Lo schema sembra al sottoscritto assolutamente inadeguato alla importanza dell'argomento. Egli pertanto si permette di presentare le seguenti brevissime osservazioni:

1. In un Concilio, del quale si è ripetutamente sottolineato il carattere *pastorale,* non si può dimenticare che nessuna azione pastorale sarà possi-

bile senza i sacerdoti, che ne costituiranno sempre il perno fondamentale e che sempre saranno i principalissimi collaboratori del Vescovo.

2. In tempi in cui, in molti paesi, è purtroppo diffusa una mentalità materialista e paganeggiante, non si guarda più al sacerdozio con occhio soprannaturale. Occorre richiamare i fedeli a considerare la sublime grandezza del sacerdozio ed il privilegio della vocazione sacerdotale. È facile constatare come le vocazioni sacerdotali siano più numerose nei paesi in cui esiste questa stima del sacerdozio, e dove i genitori sanno apprezzare e favorire le vocazioni che il Signore suscita nelle loro famiglie.

3. Sembra anche opportuno che in forma più ampia si inviti il clero a corrispondere generosamente alla immensa grazia ricevuta e a rendere più profondo il proprio spirito ecclesiastico, condizione fondamentale per la fecondità dell'azione sacerdotale. (Abbondanti spunti offrono le Esortazioni al clero degli ultimi Sommi Pontefici e i discorsi pronunciati dal Papa Giovanni XXIII al Sinodo Romano).

72

Exc.mus P. D. IOANNES B. PRZYKLENK
Episcopus Ianuariensis

Pag. 7, lin. 3 totus et completus titulus decreti *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia* citetur.

Lin. 5. Non placet illud « declaravit », praesertim cum quis de declarationibus cogitet, quae in Concilio propositae fuerint. Loco « declaravit » dicatur: « *elucidavit et extulit* ».

Lin. 20. Displicet latinitas « huius regni dignior »; potius dicatur « *hoc regno* dignior »; nec ambiguitas oriri poterit ob ablativum comparationis; contextus ambiguitati locum non dat.

Pag. 8, lin. 10. Num latinitas sit recta: « Missus non ut ministretur *ei* »? Loco « ei » magis placet « *sibi* ».

Linn. 29-30. Quid magis placet « animo ab immodico amore rerum temporalium soluto... » an « animo ab immodico amore rerum temporalium *soluti* eluceant... »? Altera versio mihi magis placet.

Linn. 31-32 dicatur: « Sint pauperes spiritu, *scientes* et necessaria habere... ».

Linn. 33-36: Si quaestio est de evitanda specie vanitatis in vestibus, in titulis, in honoribus, cur non etiam species vanitatis in habitatione commemoratur? In quibusdam Europae regionibus species vanitatis in habitatione non raro inveniri posse videtur. Propono: « ... omni specie vanitatis in vestibus ferendis, in titulis vel honoribus quaerendis, in ceteris quibuslibet vitae provinciis ». *Ratio*: non est cur monitum de vitanda specie vanitatis ad casus enumeratos restringatur. Monitum generalius magis placet, licet expresse fiat sermo de casibus frequentioribus.

Pag. 8, lin. 39, habetur: « ... qui sacrum caelibatum... Dei confisi *voverunt,* toto... ». Ne dicatur « *voverunt* », sed « *suscepere* ». *Ratio*: inter auctores bonae notae disputatur, utrum caelibatum subdiaconi voto an lege suscipiant. Ne autem quid hac in re dicatur, nisi Concilium clarius quaestionem dirimere malit.

Pag. 9, linn. 33-34, dicatur: « intime ac perfecte actionem et *vitam interiorem* coniungant ». Sane, classica est bipartitio « actio - contemplatio », etiam nuper in litt. encycl. *Ecclesiam suam* inventa. At, contemplatio *nunc* sensum quoque classicum prae se fert cui non respondet id vitae spiritualis in sacerdotibus communiter requisitae. Ut in linn. 36-37 verbum « vitae interioris » adhibetur, ita etiam in linn. 33-34. Ne intentio variandi expressiones nos inducat in tentationem adhibendi vocabula classica minus apta.

Lin. 38, dicitur: « ... aliaque huiusmodi pietatis opera, ... ». Propono hanc emendationem: « ... aliaque *id genus* opera, ... ». *Ratio*: de traditionalibus subsidiis ad vitam interiorem fovendam agitur, uti patet linn. 36-37. Cotidiana mentalis oratio in exemplum affertur (linn. 37-38). Sed ad numerum traditionalium subsidiorum vitae interioris fovendae non tantum alia opera pietatis pertinent, sed etiam alia opera, puta examen conscientiae, quod secundum relationem non excluditur. Dubito, utrum de omnibus traditionalibus subsidiis ad vitam interiorem fovendam propositio adiecta dici possit « (nempe) quae quidem spiritu liturgico informentur oportet »; utique de operibus pietatis dici valet; at sunt opera, traditionalia subsidia quae operibus pietatis accenseri nequeunt.

Pag. 10, linn. 28-29, legitur: « ... ut partem cum episcopis habeant in praedicatione verbi salutis et in cura animarum ». Praedicatio verbi salutis pars absque dubio principalis dicenda est curae animarum. Unde malo dicere: « ... partem cum episcopis *habeant in cura animarum, cumprimis in praedicatione verbi salutis* ». Etenim cura animarum in genere, et praedicatio verbi salutis in specie rationes sunt validae promovendi studiositatem in sacerdotibus.

Lin. 33, dicitur « ... ut bene noscant... ». Sequentem praefero lectionem: « necesse prorsus est ut sibi persuasum habeant... ».

Pag. 12, linn. 11-12, laude digna est idea condendi peculiares dioeceses vel praelaturae personales, dummodo vere sint personales, absque ullo territorio proprio. Timeo autem, ne illius ideae matrina sit praelatura sic dicta Missionis Galliae quae tamen territorio, etsi minimo, non caret. Estne possibile ideam supra enunciatam clarius exprimere? Fiat, fiat!

Ceterum propositiones non displicent, licet earum necessitas vel magna utilitas post schema *de Ecclesia* non adeo appareat. Immo quae in numeris 8, 10, 11, 12 continentur, quamvis elementa quaedam maximi momenti comprehendant vix alibi exprimenda, per se magis ad Commissionem Codici reformando indictam pertinent.

73

EXC.MUS P. D. PASCHALIS QUAREMBA

Episcopus Gallipolitanus

1. Pag. 6: *In prooemio* explicite declaretur quod de *sacerdotio sacramentali* agitur, non de *sacerdotio generico.*

Insuper sacerdotii dignitas ac sanctitas melius in lucem ponatur, addendo quod de dignitate ac sanctitate episcoporum dictum est; sacerdotes enim dignitatem episcopalem aliquomodo attingunt.

2. In pag. 8, n. 2, *clarius* dicatur utrum caelibatus tantum *lex ecclesiastica* sit vel etiam *votum.*

3. In pag. 9, n. 3, lin. 38, post verba « mentalis oratio » addatur « confessio frequens, recitatio divini officii etc. ».

4. In pag. 11, n. 8, agitur *de cleri distributione apte fovenda.* Normae in textu indicatae nimis generales sunt, ita ut nihil novi dicant. Humiliter propono ut in praxi haec habeantur: a) *inamovibilitas* sacerdotum *in propria dioecesi* aboletur; b) *inamovibilitas* in *eodem officio* aboletur, ita ut unusquisque sacerdos in officio aliquo non plus quam *quinque* annos permanere deberet, et inde ad aliud officium promoveatur. Quando sacerdos omnia propriae dioecesis officia adimplevit, ad aliam dioecesim transeat. Experientia docet quod inamovibilitas in dioecesi aut in aliquo officio animum relaxat, inertiam fovet, amicitias periculosas contrahere facit, populo ac ipso sacerdoti gravamen est; dum mutatio quinquennalis spiritum renovat, zelum semper vivum servat et actuosius sacerdos adlaboravit. Quid male fecit, sacerdos ille, qui tota vita stare debet in pago aliquo maxime parvo, in cacumine montis posito, *solo,* absque ulla consolatione, cum impossibilitate etiam confitendi etc.? Si ei affertur spes relinquendi locum illum post quinque annos, taedio non afficitur et eius spiritus non relaxetur.

5. In pag. 9, 10, 11, nn. 3, 4, 5, 6, 7, sacerdotum *munera* tantum indicantur, parum de eorum *iuribus* dicitur. Humiliter addere propono:

A) Sacerdotes facultatem habeant Missam celebrandi et confessiones audiendi in toto orbe terrarum, dummodo a proprio Ordinario adprobati sint, absque aliorum Ordinariorum adprobatione; sufficeret ut « Pastor bonus » rectori Ecclesiae demonstretur. Idem dicatur de eorum potestate docendi, i. e. praedicandi.

B) Sacerdotes muneri pastorali episcopi regendi dioecesim participent, *consilium dioecesanum,* ab ipsis sacerdotibus quotannis electum, constituendo.

C) Canon Capitulum Cathedrale ut consilium episcopi statuens, aboletur: omnes sacerdotes dioecesani ius habent consilium dioecesanum statuendi et quotannis ab ipsis electione renovandi.

D) Clare dicatur quomodo sacerdotes in rebus politicis agere debent.

E) Optandum quod sacerdotes, quotannis, exercitiis spiritualibus vacent, *graviter onerata eorum conscientia.*

6. In pag. 13, n. 12, agitur *de massa communi constituenda.* Optima res, sed perfectionanda est constitutio illa. Omnia bona singularum dioecesium sufficientia non sunt, praesertim si dioeceses parvae et pauperes sunt. Bonum erit si massa communis nationalis vel regionalis fiet, potius quam dioecesana, ita ut a conferentiis nationalibus vel regionalibus illa massa administretur. Ad eam constituendam non solum provenientia ex fidelium oblationibus conferri deberent, sed etiam alii redditus provenientes a stipendiis gubernii, privatorum, a donationibus pro legatis, etc. Distributio fiet officii administrativi dioecesani ope.

[*Subscripsit etiam*] Secundum Tagliabue, ep. Anglonensis-Tursiensis.

74

Exc.mus P. D. ALEXANDER RENARD
Episcopus Versaliensis

Je souhaite qu'au n. 13, pag. 23, ligne 24, avant « simul a Deo » il soit ajouté « priant la Sainte Trinité, officiellement, en union avec le Christ et au nom de l'Eglise qui comptent sur eux ». *Raison*: la prière a une valeur d'amour et d'adoration par elle-même, avant d'être source d'efficacité pour l'apostolat et la vie.

Au n. 15, pag. 25, ligne 15, il soit ajouté: « la chasteté parfaite du prêtre à l'exemple de celle de l'évêque, est l'expression la plus évidente et la moins illusoire du don total de la personne, cœur et corps, au Christ seul, en réponse à son appel apostolique: " Et quittant tout, ils le suivirent " ». *Raison*: le célibat du prêtre est d'abord une réponse totale à l'appel du Christ pour le Royaume: « Il en est qui restent vierges pour le Royaume de Dieu; que celui qui peut comprendre comprenne ».

Au n. 15, pag. 27, ligne 23 il soit ajouté: « les prêtres dans le diocèse pratiqueront d'abord l'obéissance envers l'évêque, chef et père, qui a la charge de l'évangélisation et de la sanctification de tous ses diocésains, et de qui les prêtres reçoivent sacerdoce et mission; sans obéissance filiale et intelligente et confiante, il n'y a pas de possibilité de presbyterium, ni de témoignage d'unité, ni de pastorale diocésaine ». *Raison*: les motifs suivants sont surtout d'ordre moral et ascétique.

75

Exc.mus P. D. FELIX ROMERO MENJIBAR
Episcopus Giennensis

Schema *de vita et ministerio sacerdotali* multa continet bona quae ministerium sacerdotale efficaciter promovere poterunt, multa quoque quae sacerdotum tendentiam ad perfectionem apte fovere valebunt.

In specie valde placet, quod relate ad sacerdotes, spiritus evangelicus ideoque consilia unius magistri nostri ad perfectionem, *consilia* nempe sic dicta *evangelica* in sua debita luce ponantur. Sunt enim consilia *irrecusabilis* magistri ad perfectionem, Iesu Christi Domini nostri.

Iam vero, *vota consiliorum,* ut specialis via ad evangelicam perfectionem adquirendam etiam sacerdotibus patere poterit, quamvis, ut par est, non omnibus imponi potest nec debet. Vocationes enim in Ecclesia sunt diversae; diversae quoque gratiae a Spiritu Sancto oblatae.

In schemate, sub n. 2, textus quidem non opponitur ut, si quos sacerdotes dioecesanos Spiritus Sanctus moveat ad vota consiliorum nuncupanda, id approbantibus episcopis, fieri possit.

Episcoporum enim est, utpote magistrorum et iudicum in Ecclesia, motiones Sancti Spiritus attente examinare, sincere dignoscere, bonum spiritum fidelium seu sacerdotum approbare necnon et fideliter obsecundare.

Hoc autem problema votorum consiliorum apud sacerdotes effugere non possumus, cum sit realitas quaedam in pluribus dioecesibus, ubi non pauci sacerdotes dioecesani, iique saepe ferventiores, haec vota suo modo et proprio instituto emiserunt.

Commoda quae inde oriri possunt si quoquomodo haec via etiam iuridice aperta insinuaretur sponte volentibus, videntur sequentia:

1. Votum natura sua *firmat voluntatem* in bono quod Deo promittitur. Ergo praeter honorem Deo tributum ex hoc actu virtutis religionis, voluntas sacerdotum voventium firmabitur.

2. Sacerdotes dioecesani, vocati et volentes, non est cur destituantur hoc subsidio fortissimo ad hanc perfectionem adquirendam, quo facilius propriis vitae sacerdotalis exigentiis respondere valeant.

3. Associationes quae inde facile oriri possent inter sacerdotes et eorum confraternitates proculdubio mutuum inter eos iuvamen et validum remedium adversus depressivum sentimentum solitudinis afferrent.

4. Optimi fructus qui ex experientiis hucusque habitis orti sunt, demonstrare videntur hoc accidisse movente Spiritu Sancto qui non vult sacerdotes dioecesanos privatos fore hisce adminiculis in vita Ecclesiae traditionali usu sancitis.

5. Sic etiam vota consiliorum amplectendi opportunitas praeberetur sa-

cerdoti qui vitam dioecesanam degere vellet nec alia ex parte ad statum religiosum se vocatum iudicaret.

Quare, humiliter propono, id quod commode fieri posse videtur, ut ad finem n. 2 addantur sequentia verba: « Haec autem evangelica vivendi forma ut facilius obtineatur Sacra Synodus non solum licere edicit sed etiam laudat vota consiliorum evangelicorum nuncupare sacerdotes qui Spiritu Sancto movente et episcopo approbante id exoptent ».

76

Exc.mus P. D. ERNESTUS SENNA DE OLIVEIRA

Archiepiscopus-episcopus Conimbricensis

Si tempus, sanitas... et latinitas mihi satis suppeditarent non pauca dicere cupiebam circa memoratum schema.

Attamen mentem meam aperiam saltem circa aliqua quae, praesertim *practice,* magni momenti mihi videntur esse. Et sic:

1. Quoad n. 9 (circa fines ad quos bona in Ecclesia destinantur). Oportet, ut puto, clare distinguere inter ecclesiam v. g. paroecialem, dioecesanam etc. et munera quae stabiliter collata sunt alicui clerico (v. g. parocho, episcopo etc.) in finem spiritualem exercenda in tali ecclesia.

Bona quae determinatae ecclesiae, v. g. paroeciali, dioecesanae, etc. destinantur in favorem illius ecclesiae impendi debent ut fines suos prosequi possit, et huiusmodi bonorum clericus ecclesiae praepositus, est mere administrator quin ei liceat, salva speciali concessione a superiore competenti ob rationales causas facta, ipsa in proprium commodum vel usum convertere.

Sed bona sive ecclesiastica proprie dicta, sive quae, occasione exercitii cuiusdam ecclesiastici officii, clericus sibi comparat (et a fortiori quae ipsi auferre licet v. g. docendo in scholis) ad suam honestam sustentationem et eorum, qui quomodolibet ipsum adiuvant in munere suo adimplendum, destinari possunt et debent, etsi manente, ut oportet, officio morali superfluum impendendi erga causas pias et pauperes etc.

Si haec non clare distinguuntur oriri possunt et certo orientur magnae confusiones et abusus vel saltem magnae anxietates et non parva scrupula.

2. Circa n. 10 (Officiis ecclesiasticis princeps locus in iure tribuendus). Relinquatur utique vetus systema sic dictum beneficiale. Sed mihi videtur necessarium ut loco beneficii erigatur nova persona iuridica quae, ut mihi videtur, ipsum officium esse potest.

Hucusque etenim, in unaquaque paroecia et in unaquaque dioecesi, duae saltem personae iuridicae non collegiales semper habentur: *a*) in paroecia: ecclesia vel fabrica paroecialis quae possidet ut propria bona quae ad cultum et ad alias plurimas necessitates paroeciae destinantur et quorum administrator est ipse parochus, una cum consilio fabricae, sub auctoritate Ordinarii; beneficium paroeciale (quod in futuro potest esse officium) quod pos-

sidet ut propria bona quae destinantur honestae sustentationi parochi qui est simul administrator et usufructuarius talium bonorum, inter limites a iure praescriptos. *b*) Similiter dicendum est de dioecesi in qua hucusque duae personae iuridicae distinguuntur: dioecesis proprie dicta, quae possidet, tamquam propria, bona quae in ipsius varias necessitates impendi debent et quorum administrator est Ordinarius cum Consilio administrationis et Capitulo cathedralis; domus episcopalis quae possidet tanquam propria, bona ecclesiastica destinata congruae sustentationi episcopi et eorum qui ipsum quomodocumque adiuvant vel inserviunt in complexa gubernatione dioecesis.

Si tales personae iuridicae uno vel alio modo et nomine non conservarentur, magnae confusiones et abusus facile exsurgent, immo non paucae anxietates et scrupula.

Certo princeps in iure dari debet locus officiis ecclesiasticis, sed hoc non obstat quominus talia officia sistant tanquam personae iuridicae.

Secus quorum essent illa bona quae fines tam diversos respiciunt et quae, certo certius, tribui non possunt ipsi personae physicae parochi vel episcopi?

3. Circa nn. 11 et 12 (« Aequa remuneratio clericis providenda » - « Massa communis bonorum in singulis dioecesibus constituenda »): Quae intenduntur sunt, absque dubio, optima, sed sat difficilis executionis ut in praxim reduci queant.

Quid faciendum, v. g. quando, ob penuriam cleri, eidem clerico conferri debet munus professoris in seminario, quod tantum parvam mercedem illi dare potest, et simul munus professoris religionis in athenaeis et scholis publicis, ubi ille idem sacerdos amplissimam mercedem a Statu obtinet?!

Numquid potest episcopus (et, si posset, conveniens esset?) tali sacerdoti officium imponere ut in favorem massae communis tradat maiorem partem mercedis suae ut ipsius conditio esset plus minusve aequalis conditioni aliorum sacerdotum qui sunt tantum professores in seminario vel alio modo tantum Ecclesiae inserviunt et ideo minorem mercedem accipiunt?

Idem dicendum de conditionibus parochorum quorum aliqui, etsi rari, saltem in quibusdam dioecesibus, aliquid plus quam stricte necessarium accipiunt ad suam congruam sustentationem.

E contra alii sunt qui accipiunt tantum quantum sufficiens est ad ipsorum congruam sustentationem, qui verba apostoli sua facere possunt: « habentes escam et quibus tegamur, iis contenti sumus ». Estne practicum et conveniens aliquid ab iis auferre qui tantum *parum* supra id quod necessarium est habent, in favorem illorum qui tantum habent quantum aliis necessarium est ad suam congruam sustentationem?

Diversimode res haberentur in dioecesibus ubi aliqui parochi modo evidenti nimis reciperent ad suam sustentationem, nam, in hoc casu, contribuere deberent ad illam massam communem constituendam. Sed generatim loquendo hi casus rari sunt.

Ex alia parte, oportet memorare quod generatim fideles erga proprium parochum facile dant quod ei necessarium est. Si vero ipsis impositum esset officium ut in Curiam remitterent determinatas praestationes ab ipsa Curia distribuendas, cum certa aequalitate inter varios parochos, nihil vel fere nihil dedissent et esset nova conditio parochorum peior priore.

Notare item oportet seminaria in pluribus dioecesibus, magna ex parte vivere ex generositate fidelium quos episcopus saepe saepius exhortari debet ut largiter concurrant ad collecta quae pro ipsis instituuntur.

Si praeterea deberet eosdem fideles exhortari ad concurrendum pro massa communi in favorem cleri constituenda, magnum detrimentum pati deberent seminaria, et pro clero in genere considerato, fideles minus generose sese ostenderent, ut passim accidit cum collecta in favorem clericorum pauperum instituta.

Ideo mihi videtur valde laudandum quod prudenter et magna cum cautela in his numeris dicuntur, relinquendo conferentiis episcoporum et in quibusdam casibus etiam singulis episcopis ut agant modo quo ipsis aptius videatur ratione habita locorum et temporum.

Optandum igitur est ut Concilium his in rebus valde generatim loquatur ne conditio oeconomica cleri, saltem in quibusdam regionibus, in peius deveniat et forsan cum non pauco detrimento pro pace et caritate inter ipsos clericos. Parcite mihi si minus recte hoc dico.

77

Exc.mus P. D. LAURENTIUS IOSEPH SHEHAN
Archiepiscopus Baltimorensis

Hoc documentum velim submittere tanquam observationes meas super schema propositionum *de sacerdotibus* vel *de vita et ministerio sacerdotali.* Ad hoc documentum exarandum quando eram membrum subcommissionis hac de re, auxilium maximum mihi praestavit rev. James A. Laubacher, sacerdos Societatis S. Sulpitii, peritus apud Concilium, qui Romae habet habitationem Grand Hôtel. Eius habitatio permanens est St. Mary's Seminary, Baltimore Maryland USA.

* * *

De vitae sacerdotalis perfectione seu sanctitate.

1. (*Prooemium*). Sacerdotes Novi Testamenti sanctitati vitae obligantur primarie virtute sacerdotii ipsius quod revera est participatio Sacerdotii Aeterni Christi, Dei Sancti et deinde virtute munerum sanctorum illius sacerdotii, quorum praecipua sunt: Sanctum Sacrificium Missae offerre, Sacramenta Sancta administrare, fideles ad sanctitatem dirigere ceterosque resti-

tuere aut convertere ad sinum Sanctae Ecclesiae cuius missio propria est omnes Adae filios ad sanctitatem assequendam perducere.[1]

Hanc doctrinam a Doctore Angelico bene enucleatam[2] et in canonibus Codicis Iuris Canonici in forma legis expressam[3] Ecclesia ab initio, constanter et per saecula tradidit.[4] Apte verba Tridentina hic meminisse iuvabit: « Nihil est, quod alios magis ad pietatem et Dei cultum assidue instruat, quam eorum vita et exemplum, qui se divino ministerio dedicarunt. Cum enim a rebus saeculi in altiorem sublati locum conspiciantur, in eos tamquam speculum reliqui oculos iniiciunt, ex iis sumunt quod imitentur ».[5] Novissimis autem diebus de sanctitate sacerdotali frequentius et vehementius in suis hortamentis disseruerunt Summi Pontifices qui in perfectione quae requiritur in sacerdotibus remedium invenerunt salutare ingruentium illorum malorum quae ab eo qui in Evangelio « princeps tenebrarum, princeps huius mundi » appellatur tamquam a fonte derivari videntur.[6]

Haec Sacrosancta Synodus eo tendit potissimum ut vita in toto orbe christiano renovetur ac roboretur. Cum sanctitas sacerdotalis inter praecipua media ad hunc finem attingendum annumeretur, omnibus, sed praesertim sacerdotibus, maxime commendamus supralaudata hortamenta Summorum Pontificum quae tantae auctoritatis et tantopere ad rem pertinentia sunt, nempe: S. Pii Papae X,[7] Pii XI,[8] Pii XII,[9] Ioannis XXIII.[10]

Ex his aliisque fontibus auctoritativis, Patribus huius Sacrosanctae Synodus expedire videtur proponere: A) conceptum verum et authenticum sanctitatis christianae; B) fundamentum principale exigentiae sanctitatis sacerdotalis; C) characterem specialem sanctitatis sacerdotalis; D) difficultatem nostris temporibus peculiarem in hac sanctitate attingenda; E) officia et munera quibus sanctitas sacerdotalis nutriatur et crescatur; F) auxilia quibus sacerdotes uti debent ad sanctitatem sacerdotalem attingendam.

2. (A. *Conceptus sanctitatis christianae verus et authenticus*). Conceptus fundamentalis sanctitatis unus idemque est tam pro sacerdote quam pro religioso et laico. Omnis enim ascesis seu systema pro vita christiana vivenda necessario ad finem ultimum et unicum tendit, sc. unionem cum

---

[1] *A.A.S., Vol.* 43, p. 28.

[2] *Summa Theologica,* II-II, q. 184, a. 6, 8.

[3] *C.I.C.,* can. 124-127.

[4] Cf. P. Veuillot, *The Catholic Priesthood.* Papal Documents from Pius X - Pius XII, Dublin, Gill et Son, 1957, et *The Catholic Priesthood according to the Teaching of the Church,* Dublin, Gill et Son, 1958.

[5] Conc. Trid., Sess. XXII, Decr. *de Reform.* C. 1.

[6] Ioannes XXIII, Allocutio 25 ian. 1959 ad Cardinales in Urbe: *A.A.S.,* Vol. 51, p. 65.

[7] Pius X, *Haerent animo,* 4 aug. 1908: *A.S.S.,* 41 (1908), pp. 555-577.

[8] Pius XI, *Ad Catholici Sacerdotii*: *A.A.S.,* 28 (1936), pp. 5-53.

[9] Pius XII, Adhort. Ap. *Menti Nostrae*: *A.A.S.,* Vol. 42, p. 657.

[10] Ioannes XXIII, *Sacerdotii Nostri Primordia*: *A.A.S.,* Vol. 41, p. 545.

Deo Trino per Iesum Christum, Unicum Mediatorem in Ecclesia a Christo constituta. Porro haec unio efficitur per participationem filialem et adoptivam vitae divinae per gratiam Christi qua operatur amor in Deum tum uti in seipso est tum uti ipse invenitur in proximo. Haec est sanctitas christiana.

Hic conceptus fundamentalis vitae christianae oritur e revelatione voluntatis divinae salvificae quae mysterium Christi vocatur.[11] Hoc mysterium revera invenitur in hoc quod Pater Caelestis ab aeterno intendit homines salvos et sanctos fieri per dilectum Filium suum, Iesum Christum, Mediatorem,[12] in Ecclesia, Corpore Christi, Spiritus Sancti, eiusdem mystici Corporis Animae, operatione.[13]

E contemplatione mysterii Christi revelati,[14] eruitur haec conclusio summi

---

[11] *Eph.* 1, 3-23; 3, 4-6; 4, 1-16.

[12] *Tim.* 2, 5.

[13] PIUS XII, Litt. Encycl. *Mystici Corporis*: *A.A.S.*, Vol. 35, p. 193.

[14] E contemplatione revelationis divinae de mysterio Christi plene evidens fiat quomodo Deus ab aeterno velit homines sanctificare (cf. *Eph.*, 1, 3-23; 3, 4-6; 4, 1-16).

a) Aeterni Patris voluntate electi sumus ut simus sancti, ut per Christum, qui simul est frater noster et Filius dilectus et unigenitus Dei omnipotentis, fiamus et nos Dei filii adoptivi, naturae divinae participes. Iesus Christus, Deus-Homo, Dei et hominum Mediator, ad hanc unionem cum Deo, actu in Seipso et pro nobis, per mysteria Incarnationis, Mortis et Resurrectionis suae consecutus est. Per haec enim mysteria nos redemit a peccato et stipendio peccati, morte. Per haec mysteria in novam vitam Christi, a mortuis resurrecti, sumus restaurati et vitae Christi Dei Filii, divinae et sanctae participes fiamus.

b) Propter suum pro hominibus amorem, Deus omnia restauravit in Christo, quem constituit Caput novi populi Dei, Ecclesiae, quae est communitas fidelium et Corpus Christi. Iesus Christus, Mediator et Pontifex, in Corpore suo mystico quod est Ecclesia, nobis est unicus ad Patrem aditus. « Ego sum via, veritas et vita » (*Io.* 14, 6). Per unionem cum Christo ipsam unionem cum Deo consequimur quae obiectum et finis est vitae Christianae et sanctitatis.

c) Exinde sequitur omnia opera vitae christianae sive ea quae Deum sive ea quae proximum immediate respiciunt, in mysterio Christi, vel, magis praecise, in unione cum Christo in Ecclesia perfungi debent.

i. Christus Mediator est quoad Religionem et Cultum nam solummodo per Ipsum, cum Ipso et in Ipso digne et iuste adorandus, laudandus et colendus est Pater Omnipotens. « Per Ipsum, cum Ipso, et in Ipso est tibi Deo Patri Omnipotenti omnis honor et gloria » (Canon Missae). In hoc fundatur vita liturgica Ecclesiae praesertim Sacrificium Missae, Officium Divinum et, revera, omnis eius vita orationis (cf. PIUS XII, Litt. Encycl. *Mediator Dei*: *A.A.S.*, vol. 39, p. 251).

ii. Christus ut Mediator pro nobis hominibus unicus est auctor salutis et gratiae salvificae. Quidquid nos homines a peccato liberat, quidquid donationis gratiae per Sacramenta Ecclesiae a Christo per Spiritum Sanctum, nobis datur (Litt. Encycl. PII XII, *Mystici Corporis*). In hoc invenitur significatio profunda vitae Ecclesiae sacramentalis nam Christus vivens in Ecclesia revera per Sacra-

momenti, nempe: sanctitas christiana sive in vita sacerdotis vel religiosi sive in vita laici christiani esse debet: « *theocentrica* » quia Deum Trinum uti obiectum et finem habet; « *Christocentrica* » quia Christum tanquam unicam viam ad Patrem habet; « *ecclesialis* » seu in Corpore Christi mystico, Ecclesia, centrum suum habens quia operatio Christi qua Mediatoris in Ecclesia virtute Spiritus Sancti praesertim per Sacramenta continuatur.

3. (B. *Fundamentum principale exigentiae sanctitatis sacerdotalis*). Ratio ultima et fundamentalis mensurae abundantioris sanctitatis sacerdotum [15] identidem in mysterio Christi quaeri debet. Muneri proprio in hoc mysterio, quod sacerdoti pertinet, respondet forma sanctitatis christianae. Natura ipsa et charactere sacramentali haec forma definitur vel determinatur.

Sacerdotes per sacramentum Ordinis et characterem sacerdotalem non tantum instrumenta efficiuntur Christi in cuius persona agere possunt, verum etiam et singulariter Christo configurantur et de ipsius sacerdotio unico, modo sibi peculiari participant. Exinde in ipsa mediatione Christi participant. Christus enim cum unicus sit mediator Dei et hominum, unicus sacerdos intelligitur. Essentialiter Christus pons et pontifex est nam in Verbo Incarnato Deus et homo unitur. Venit in mundum ut per ipsum fiat voluntas Dei: ut homines fiant populus electus, segregatus, a Deo acquisitus et sanctus. Christus, ergo, mediator et sacerdos factus est ut homines per unionem cum Deo sanctos faceret. Sacerdotes, qui Christi sacerdotii mediationis sunt participes, identidem, exsistunt ut homines sint sancti per unionem cum Deo per Christum in Ecclesia Christi. Sacerdotium ipsum ergo sanctitatem in sacerdotibus postulat.

4. (C. *Character specialis sanctitatis sacerdotalis*). Character specialis seu forma et figura sanctitatis christianae sacerdotibus peculiaris ex eo eruitur quod sacerdotes participes sunt sacerdotii Christi Mediatoris. Ut revera sint mediatores Dei et hominum, sacerdotes simul Dei homines et homines apud homines esse debent. Vocatio tam sublimis praecipit sanctitatem cui propria est duplex fidei conscientia: ad Deum ac ad alios tamquam fratres dedicationis.

E conscientia talis ad Deum consecrationis sequitur quod tentamen super omnia primarium debet esse magis de magis actu se identificare cum illo

---

menta operatur quae sunt eius actiones et gestus efficaces (S. AUGUSTINI, *In Ioannis Evangelium,* 6, 7; *Corpus Christianorum* 36, 57. Cf. etiam *Sermonem* S. AUGUSTINI 227, *PL* 39, 1099).

iii. In Christo invenitur non modo omnium virtutum exemplar verum etiam et fons. Per imitationem Christi virtutum (quibus homines divinitus trahuntur) et per participationem vivificantem in Christi mysteriis (de quibus fluit gratia divina) homines Christo inhaerunt, unionem cum Ipso et per Ipsum cum Deo attingentes. « Nemo venit ad Patrem nisi per me » (*Io.* 14, 6; cf. etiam Cap. 15 eiusdem Evangelii).

[15] *C.I.C.,* can. 124; cf. etiam *Summa Theologica,* II-II, q. 184, a. 6, 8.

cuius imago esse vocatur. « Praecipuus, quo sacerdotis animus moveri debet impulsus eo contendat ut cum Divino Redemptore arctissime coniungatur... ».[16] « Sacerdotalis vita, ut a Christo oritur, ita nullo non tempore ad eum omnino dirigatur necesse est ».[17] Hanc arctam cum Christo unionem sacerdos attingit et sustinet primarie per orationem quae a fide viva procedit sub inspiratione et gratia Spiritus Sancti. Per orationem autem sacerdos Christum intuitur, eiusque Spiritum haurit, seipsum Christo totum et totaliter committit ac tradit et sensim quidem sed non sine sensu clarius intelligit opera sui ministerii a se, tamquam Christi instrumento, esse perficienda.[18] Per talem orationem illae floreant virtutes quibus modo speciali in sacerdote imago Christi: reverentia quoad Patris voluntatem, humilitas, oboedientia, castitas, spiritum paupertatis et indifferentiae vel abnegationis quibus fiat ut sacerdos « piacularem Divini ipsius Redemptoris vitam participat ».[19]

Simul ac sacerdos sentit se Deo esse consecratum etiam sentire debet se aliis hominibus uti fratribus esse dedicatum. Per suam ad Christum consecrationem sacerdos non auferatur ab hominibus sed potius inter eos directe adferatur. Propter suam consecrationem, sanctitas personalis sacerdotis non modo ad eius sanctificationem ordinatur verum etiam ad salutem omnium hominum. Sacerdos per suam unionem personalem cum Christo ad homines dirigitur quia per apostolatum ad fratres unitatem cum Christo in praxi inveniet et in seipso imaginem Christi producet.

5. (D. *Difficultas nostris temporibus peculiaris in sanctitate sacerdotali attingenda*). Conceptus sanctitatis sacerdotalis quae suam propriam formam et figuram inveniet in sacerdote tamquam mediatore concipiendo quaeque floreat in vivaci sensu tum consecrationis ad Deum tum dedicationis ad homines, opportunum fundamentum offert pro solutione problematis huius temporis quod « haeresis actionis » appellatum est[20] et quod procedit e difficultate in conciliatione orationis cum activitate, vitae interioris cum apostolatu ad extra. E sensu enim consecrationis ad Deum et dedicationis ad homines orietur aliquid unum si vita sacerdotalis respiciatur sub specie imaginis Christi, quam sacerdos in seipso producere contendit in omnibus suis operationibus tum ad intra tum ad extra, — eiusdem Christi Mediatoris qui dixit « pro ipsis sanctifico meipsum ut et ipsi sint sanctificati in veritate ».[21]

---

[16] PIUS XII, Litt. Encycl. *Menti Nostrae*: *A.A.S.*, Vol. 42, p. 661.

[17] PIUS XII, Litt. Encycl. *Menti Nostrae*: *A.A.S.*, Vol. 42, p. 661.

[18] PIUS XII, Litt. Encycl. *Menti Nostrae*: *A.A.S.*, Vol. 42, p. 675 et cf. *1 Cor.* 3, 7.

[19] PIUS XII, Litt. Encycl. *Menti Nostrae*: *A.A.S.*, Vol. 42, et passim per Litt. Encycl.

[20] PIUS XII, Litt. Encycl. *Menti Nostrae*: *A.A.S.*, Vol. 42, p. 676.

[21] *Io.* 17, 19. Secundum exegetas hodiernos, verbum « sanctifico » divitias locutionis Christi minime exprimit. Melius fortasse haec phrasis vertitur uti:

6. (E. *Offcia et munera quibus sanctitas sacerdotalis nutriatur et crescatur*). Sanctitas sacerdotalis nutritur et crescitur officiis et muneribus sacerdoti propriis quae in unione cum Christo Mediatore sunt perfuncta.

a) *Oblatio piissima sacrificii eucharistici.* Sacerdos, ut percipiat nutritionem et auctionem sanctitatis e cotidiana oblatione sacrificii eucharistici, altari Dei adire debet cum vivaci sensu *mysterii fidei.* Exinde sentiat se agere non modo ut ministrum Christi qui principaliter offert, verum etiam ut ministrum Ecclesiae, sponsae Christi, cui Christus suum sacrificium unum et unicum reliquit.[22] Sacrificium Missae fons uberior pietatis fiet sacerdotibus quorum revera non modo consecrationem ad Deum et unionem cum Christo sacerdote et holocausto exprimunt ritus externi verum etiam dedicationem ad apostolatum et salutem hominum. Meminisse debent « sacrificium Dominicum legitima sanctificatione non celebrari, nisi oblatio et sacrificium nostrum responderit passioni ».[23]

b) *Dignum et cotidianum sacrificium laudis seu oblatio Divini Officii.* Sacerdos ut mediator horas Divini Officii orat primo in nomine populi Dei, Ecclesiae, ut in unione cum intentione divina Christi ipsius, Mediatoris pro populo et Ecclesiae Capitis, laudes eius populique a terris ad Deum ascendant. Huius generis adoratio et laus digne, attente ac devote oblata insignem habet potestatem sanctificationis etiam pro ipso sacerdote qui e sincero corde in orationibus suis sanctitatem Dei magnificare contendat seipsum humiliet et suam cum Deo unionem foveat.

c) *Administratio sacramentorum ut fons sanctitatis.* Administratio sacramentorum sanctitatem fovet, ad minimum et modo quasi negativo, quia requiritur ut sacerdos qui sacramenta ministrat nullius gravis peccati sit conscius ne aliud peccatum et quidem sacrilegum ea ministrando committit. Modo positivo, administratio sacramentorum sanctitatem fovet quia in his officiis sacerdotalibus perfungendis virtutes exerceantur: oboedientia quoad Ecclesiam, iustitiam quoad animas pastorali curae sacerdotis commissas, abnegatio et indifferentia sancta, patientia et caritas pastoralis. Summopere autem per administrationem sacramentorum sanctitas in sacerdote fovetur quia sacerdos sacramenta non modo administrat sed etiam *celebrat.* Sacramenta enim non tantum signa sunt quae gratiam efficient et dona divina hominibus data, verum etiam sunt mysteria fidei, actus cultus, pars liturgiae.[24] Per dignam ergo celebrationem sacramentorum, sacerdos in seipso

---

« Pro ipsis meipsum Deo consecravi et dedicavi ut victimam ». Cf. *New Testament Reading Guide* n. 13, « *The Gospel of St. John* » p. 82 et F. X. DURWELL, C.SS.R., *In The Redeeming Christ,* Sheed et Ward, p. 4.

[22] CONC. TRID., Sess. XXII, cap. 1, D.B. n. 938.

[23] S. CYPRIANI, *Ep.* 63; *PL* 4, 380; cf. etiam S. AUGUSTINI, *Civitas Dei,* ubi dicitur Missam esse Sacramentum quotidianum oblationis Calvariae et omne sacrificium visibile invisibilis sacrificii signum esse.

[24] PIUS XII, Litt. Encycl. *Mediator Dei*: *A.A.S.,* Vol. 39, p. 521.

fovet spiritum fidei, sensum admirationis pro Dei mirabilibus quae per suas transeunt manus. Exinde sacramenta celebrantes actus religionis et unionis cum Deo sanctificante vere personales perfungunt.

d) *Ministerium verbi divini praedicationis.* Ministerium verbi divini etiam est fons sanctitatis pro sacerdote siquidem praedicando sacerdos suam ad Deum consecrationem et ad populum Dei dedicationem in actum deducat.

Ut propheta Altissimi [25] missus a Christo ad homines evangelizandos,[26] ipse sacerdos non humanae sapientiae verba praedicat sed ea quae a Christo recepta sunt:[27] Mysterium Christi, evangelia salvationis.[28] Verbum Dei in fide acceptum salutiferum et sanctificans et efficax est quasi ex opere operato secundum analogiam cum Sacramentis.[29] Non modo in commodum eorum qui audiunt verum etiam eorum qui Evangelium praedicant verbum divinum efficaciter operatur. Praedicare enim non mere est verbum Dei transmittere quasi per aquaeductum,[30] sed idipsum confiteri et celebrare et testimonium de eo praehibere. Ne nihil maius sit quam « aes sonans vel cymbalum tinniens »,[31] antequam verbum divinum praedicaverit et celebraverit, sacerdos debet idipsum in se recipere per orationem: « contemplari et contemplata aliis tradere ».[32]

e) *Omnia alia officia et munera ministerii pastoralis.* Omnia alia munera ministerii pastoralis siquidem perficiantur cum sensu dependentiae a Summo Sacerdote et Mediatore, sacerdotem ipsum sanctificabit. Cum enim sacerdos munera et officia pastoralia perficit, virtutes etiam exercet quae in ipso propter consecrationem ad Christum, omnium virtutum exemplar, et dedicationem ad fratres quibus speculum esse debet, requiruntur.[33]

---

[25] *Mal.* 2, 7.

[26] *1 Cor.* 1, 17.

[27] *1 Cor.* 11, 23; 3, 2; 3, 15.

[28] *Eph.* 1, 13.

[29] *Heb.* 4, 12; *Thess.* 2, 13. Meminisse iuvat secundum mentem Ecclesiae ministerium Verbi intimatim cohaerere cum ministerio Altaris et Sacramentorum. Homilia ut pars liturgica Missae aestimari debet (cf. *C.I.C.*, can. 1344, n. 1 et *Imitatio Christi,* Lib. 4, Cap. 11) et munus praedicandi cum vita sacramentali Ecclesiae coniungitur: « Sacerdotem oportet offerre, benedicere, praeesse, praedicare et baptizare » (*Pont. Rom.*, « *De Ordinatione Presbyterorum* »). Christus misit Apostolos suos (*Mt.* 29, 19; *Mc.* 16, 15) non mere ad praedicandum sed ad homines per fidem introducendos in mysterium baptismi quod est mysterium identificationis cum Christo, mortuo et resurrecto, mysterium participationis in vita ipsius Sanctae Trinitatis. Baptisma est remissio peccatorum. Praedicatio Apostolica cum poenitentia intime connectitur (cf. *Lc.* 24, 48; *Io.* 20, 21-23).

[30] S. BERNARDI *in Cant. Serm.* 18 quod invenitur in praeclaris Litt. Encycl. BENEDICTI XV, *Humani Generis,* de Verbo Dei praedicando: *A.S.S.*, Vol. 9, pp. 305-317).

[31] *1 Cor.* 13, 1.

[32] *Summa Theologica,* II-II, q. 188, art. 7.

[33] *1 Pt.* 5, 4.

Quamquam omnes virtutes necessariae sint in sanctitate christiana, eae tamen huic Sacrosanctae Synodo speciali notatu dignae esse videntur quae in vita Christi qua Sacerdotis et Mediatoris maxime effulgeant et quae exinde summopere requirantur in vita sacerdotis qua Mediatoris:

i) *Humilitas*: Sacerdos per virtutem humilitatis revera particeps debet esse divitiarum humilitatis Christi. Illa profunda reverentia erga Patrem imbutus, in qua Doctor Angelicus invenit radicem humilitatis.[34] Verbum Incarnatum « exinanivit seipsum » « propter nos et propter nostram salutem ».[35] Item sacerdos, de illa reverentia erga voluntatem divinam et gloriam Patris participans seipsum exinanire debet in servitium sanctum et sanctificans pro populo Dei. Et prae oculis habens verba Salvatoris nostri, « sine me nihil potestis facere »[36] sacerdos meminisse debet suum ministerium cum dependentia a Christo cuius ipse sit instrumentum semper esse exercendum ad aedificandum Corpus Christi,[37] numquam autem ad suipsius gloriam aut emolumentum.

ii) *Oboedientia*: Ex illa profunda reverentia erga Patrem, in qua humilitas consistit, oritur spiritus omnimodae dependentiae a Deo quae oboedientiae fundamentum sit. Oboedientia sacerdoti propria revera non est nisi participatio oboedientiae Christi qui, tum in sua Incarnatione, tum, modo analogo et ineffabili, etiam ut Persona, a Patre Aeterno dependet.[38] In huiusmodi oboedientia invenitur principium illius quae desideratur solidaritatis inter Ecclesiae ministros.[39] Hoc spiritu dependentiae imbutus, secundum exemplar ipsius Verbi Incarnati, sacerdos oboedientiam manifestare debet erga Deum, Patrem Omnipotentem, cuius voluntatem Christus Mediator semper et in omnibus perfecte sequebatur;[40] erga Ecclesiam quam regit Christus, Mediator et Caput;[41] erga Summum Pontificem, Vicarium Christi in terris; erga proprium episcopum, apostolorum successorem, quibus Christus officium ac potestatem commisit docendi, regendi et sanctificandi gregem suum et cuius sacerdos in ministerio[42] est adiutor; erga omnes denique legitimos superiores tum civiles tum ecclesiasticos.

Sacerdos deinde ne decipiatur ab iis qui amore licentiae potiusquam verae libertatis capti, libertatem filiorum Dei expostulantes et onus oboedientiae allevare quaerentes, in fine notionem oboedientiae pervertant ipsamque virtutem de medio tollant. Meminerit sacerdos libertatem germanam inve-

---

[34] *Summa Theologica,* II-II, q. 16, art. 6.
[35] *Phil.* 2, 6.
[36] *Io.* 15, 5.
[37] *Eph.* 4, 11-17.
[38] *Io.* 5, 26, 30; 7, 28; 8, 16, 19; 4, 31; 19, 29.
[39] Pius XI, Litt. Encycl. *Ad Catholici Sacerdotii*: *A.A.S.,* Vol. 28, p. 5.
[40] *Io.* 8, 28.
[41] *Eph.* 1, 22.
[42] *Pont. Rom.,* « *De Ordinatione Presbyterorum* ».

niri posse solummodo ubi Spiritus Domini habitat [43] Spiritumque Christi esse dependentiae et oboedientiae usque ad mortem crucis.

iii) *Castitas*: Propter consecrationem sacerdotis ad Christum qui animae sacerdotis sponsus est et propter eius dedicationem Ecclesiae, novo Dei populo, castitas sacerdotalis melius intelligitur si concipiatur uti elementum fundamentale in matrimonio spirituali sacerdotis cum Christo et in Christo cum Ecclesia, dilecta sponsa Christi. Meminisse iuvabit quoties in Sacra Scriptura dilectio Dei in populum electum repraesentetur tamquam sponsalitia. Castitas revera sacerdotalis fundatur in amore virili ipsius sacerdotis erga Christum. Talis porro amor moveat sacerdotem ut seipsum Christo totaliter tradat et missioni Christi et Ecclesiae se devoveat. Secundum traditiones et praecepta sui cuiusque ritus audiat sacerdos S. Pauli exhortationem: « Obsecro itaque vos fratres per misericordiam Dei ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum. Et nolite conformari huic saeculo, sed reformamini in novitate sensus vestri: ut probetis quae sit voluntas Dei bona, et beneplacens, et perfecta ».[44]

iv) *Caritas*: Cum sanctitas christiana, unio cum Deo Trino per Iesum Christum Dominum nostrum et mediatorem, in Ecclesia, principaliter operatur per caritatem, virtutum omnium reginam et vinculum perfectionis, in vita sacerdotis effulgere debet ipsa virtus caritatis qua Christus Patri perfecte unitus sit et exinde uti Pastor Bonus saluti hominum se perfecte devoverit. Per caritatem sacerdos, quamquam imprimis eos fideles prosequitur qui curae suae peculiariter sint commissi, attamen secundum caritatem ipsius summi sacerdotis *omnes* quidem homines amplecti debet. Neque studium exiguae et privatae utilitatis nec aemulatio nec avaritia nec ambitio nec distinctio personarum propter diversitatem generis vel ratione divitiarum aut familiae, quae omnes sunt fontes tanti odii, caritatem sacerdotis infirment vel inanem reddant. Caritate compulsi quae ad omnes tendit et quae vere est pastoralis cum sit participatio caritatis Christi, sacerdotes uniuntur cum Christo diligenter laborantes in « omnibus apostolatus formis... quae hodie, ob peculiares christiani populi necessitates, tanti momenti sunt tantaeque gravitatis ».[45]

1) Per doctrinam qua docetur et per exemplum quo ducitur, sacerdos « impense promoveat » [46] *apostolatum liturgicum* quo novus Dei populus tam efficaciter Patri cultum dignum et debitum reddat.

2) Per laborem diligentem in *catechetica instructione*, tum per se tum per alios, praesertim laicos, adducat pueros et adulescentes in Divini Magistri scientiam, amorem et servitium.

---

[43] *2 Cor.* 3, 17; *Phil.* 2, 6-11.

[44] *Rom.* 12, 1-2.

[45] PIUS XII, Litt. Encycl. *Menti Nostrae*: *A.A.S.*, Vol. 42, p. 674.

[46] *Ibidem.*

3) Collaborantes cum laicis bene eruditis foveant sacerdotes ea instituta *apostolatus socialis* quae nostris diebus requiruntur et quae eo tendunt ut restaurentur omnibus hominibus et pro posteris protegantur aequalitas iurium et dignitas quae personis humanis et filiis Dei sunt debitae.

4) Sacerdos eos etiam sua caritate universali amplecti debet qui pastoribus careant et *laboret ac sine intermissione oret pro vocationibus* ad sacerdotium et ad vitam religiosam. Semper sit promptus ad semina vocationis perspicienda eaque perspecta nutrienda in adulescentibus quos sapienter dirigat et quibus auxilia necessaria praebeat ut operarii multi et digni in messem mittantur non modo patriae verum etiam aliarum regionum.[47]

5) Caritas sacerdotalis vera et germana item ad *confratres sacerdotes* cuiusvis aetatis praesertim eiusdem dioecesis. Propter illam caritatem fraternam et sacerdotalem sollicitus sit sacerdos modo speciali pro *sacerdotibus infirmis,* imprimis decumbentibus, quos visitet, consolans, quibus sacramenta administret atque auxilia spiritualia et, si casus ferat, temporalia suppeditet. Denique propter suam erga confratres sacerdotes caritatem, curam habeat sacerdos illorum *sacerdotum infelicium poenis ecclesiasticis innodatorum* etiamsi ab Ecclesiae communione vel a Fide defecerint. Exinde sacerdos lapsorum confratrum fiduciam excitet ac roboret, apte et prudenter viam reditus disponendo verbis dilectionis ac sollicitudinis, solacium in adversitatibus et auxilium etiam materiale in necessitate praebendo.

7. (F. *Auxilia quibus sacerdotes uti debent ad sanctitatem attingendam*).

a) Aliqua auxilia specialia annumerare remanet quae pro sacerdotibus obligatoria vel ab Apostolica Sede valde commendata sunt ad spiritum sacerdotalem Christi inculcandum et fovendum, ac spiritum mundanum reprimendum, et ut expeditius floreat sanctitas sacerdotalis: cotidiana oratio mentalis et lectio spiritualis; pia erga Sanctissimum Sacramentum et Beatissimam Virginem Summi Sacerdotis Matrem devotio. Praeterea Ecclesia semper commendavit cotidianam conscientiae discussionem, frequentem peccatorum sacramentalem confessionem, directionis spiritualis usum, studium sacrarum scientiarum continuum. *Vita communis,* quamquam in forma qua utuntur religiosi neque necessaria neque apta sit sacerdoti dioecesano, in alia figura tamen qua pericula varia et multa vitentur quae a solitudine nociva oriuntur et qua sacerdotes vinculo caritatis fraternae, orationis, cooperationis pastoralis necnon recreationis uniantur, hodie et generaliter paene necessaria videtur ut sacerdos vitam sanctam et proprie sacerdotalem degat.

b) Haec Sacrosancta Synodus aestimat consilia sequentia quae sacerdotalem sanctitatem nutriant et protegant speciali mentione digna:

i) Cum uniuscuiusque animus, sacerdotali etiam non excluso, obnoxius est inertiae et acediae qua Satanas utitur ut cribret hominem, oportet

[47] *Mt.* 9, 37-38.

sacerdotem armis constantiae et industriae in operibus apostolatus, quibus in praxi zelus christianus manifestetur, se munire. Attamen in ministerio labores infructuosi interdum sacerdoti videantur, afflictiones interveniant et animi deiectio sequatur. In his tribulationibus sacerdos apostolatus crucem agnoscere sciat eamque cum gaudio amplectatur et Magistrum sequatur qui doloribus per suam agoniam nobilitatem contulit et mundum per suum in cruce sacrificium vitae redemit.[48]

ii) In hac autem oblatione suiipsius et ad Christi mentem, sacerdos caveat ne mundi illecebris et superbia corde captus, in discrimen ponat suam erga Christum consecrationem et ad populum Dei dedicationem; libenter potius et pleno corde se devoveat spiritui paupertatis et sanctae indifferentiae quoad res materiales. Hoc modo pecuniam et alia huiusmodi in eleemosynas et opera caritativa et apostolica Ecclesiae erogare possit. Ne sollicitudinibus nimiis hora mortis turbetur, prudenter et tempestive de pecunia ceterisque bonis vita durante disponat in favorem operum Ecclesiae veluti seminariorum, missionum ac institutionum caritativarum pro pauperibus et opportune decernat per testamentum ad legis patriae praescripta exaratum de iis quae supersunt bonis et de quolibet patrimonio quod forsan ei pertineat.

iii) Prae oculis habens illud in homine sic dictum « dualismum » de quo S. Paulus loquitur cum de luctatione « carnis » adversus « spiritum », verum etiam actualem unitatem personalem eius qui « ex hominibus assumptus... in iis quae sunt ad Deum », haec Sacrosancta Synodus magni momenti aestimat deinde notare quod, cum supponatur et perficiatur a supernaturali vita ea quae naturaliter bona sunt, facultates humanae et habitus omnes suum habere influxum in sanctitatem sacerdotalem eiusque constantiam et crescentiam adiuvando vel impediendo. Exinde ut perseveret in sua consecratione erga Christum et ut sit efficax in sua missione ad populum Dei sacerdos debet esse *indole fortis et constans, maturus ac moderatus in motionibus passionibusque animi* et quoad totam suam personalitatem integer. Contendere etiam oportet sacerdotem ut acquirat et perficiat eas *animae et corporis qualitates* quae in hominibus excitent fiduciam tam necessariam pro sacerdote qui alios ducat ad sanctitatem, finem ultimum ipsius ministerii. Inter qualitates et virtutes huius generis memorari possunt comitas, simplicitas, sinceritas in rebus agendis, modestia et serenitas in aspectu, munditie ac decor personae et vestium, gestus atque aspectus dignitas quae decent viro urbano qui etiam sublimem gerat characterem sacerdotalem. In verbo illud S. Pauli consilium ut suum teneat: « Quaecumque sunt vera, quaecumque iusta, quaecumque sancta, quaecumque amabilia, quaecumque bonae famae, si qua virtus, si qua laus disciplinae, haec cogitate... haec agite ».[49]

---

[48] IOANNES XXIII, *Primordia Nostri Sacerdotii*: *A.A.S.*, Vol. 51, p. 545.
[49] *Pont. Rom.*, « *De Prima Tonsura* » et *1 Io.*

8. *Conclusio.* His denique verbis prolatis de natura sanctitatis sacerdotalis atque de mediis quibus ea attingi possit, haec Sacrosancta Synodus in votis ardentibus est ut sacerdotes omnes vivide sentientes suam ad Deum consecrationem necnon dedicationem ad populum Dei, homines quidem inter homines at pro hominibus in iis quae sunt ad Deum, per sic dictum matrimonium faustum contemplationis et actionis, laboris et orationis, ad exercendam illam caritatem pastoralem festinent quae tum seipsos tum alios sanctificet in unione cum Christo, Summo Sacerdote et Mediatore.

Ita perseverantes veluti dominicae gregis servi, post hanc in terris peregrinationem ineant omnes sacerdotes una cum agnis sibi commissis in plenitudinem beatissimae sempiternaeque unionis cum Deo, Patre et Filio et Spiritu Sancto.[50]

78

EXC.MUS P. D. RADULFUS SILVA SILVA

Episcopus tit. Eudoxiadensis, aux. Rancaguensis

1. *Aparezca* ante el Clero y fieles la visión relevante del Sacerdote de nuestra epoca y evitese hacer del esquema una piadosa exhortación sobre el sacerdocio. Hay *un tipo de sacerdote* que necesariamente deberá existir, aunque el sacerdocio del cual participa el sacerdote es uno solo, el de Cristo.

2. Cualidad o virtud del Sacerdote ha de ser « *adaptarse* ». Necesidad de adaptación a los tiempos, lugares, ministerios, hombres, medios, etc.

3. Requiere ser el *hombre de fé,* el hombre de Dios. « In laboribus plurimis », solo, incomprendido, recargado de trabajo, sometido a las exigencias de cuantos lo asedian y muchas veces murmuran, el Sacerdote no quiere consejos; necesita apoyarse en Dios y que se le ayude a buscar a Dios, en medio de las dificultades.

4. El Sacerdote está llamado a ser « sal » y a ser « luz », pero, no menos requiere las *cualidades humanas* que hagan aceptable y fructífero su ministerio, por parte de los cristianos y aún de los no cristianos. Está constituido para ayudar a los hombres a encontrar a Dios.

5. Todas las *formas de unión* deben promoverse en favor del *presbyterium*; de la santidad de la vida sacerdotal, del éxito apostólico y de florecimiento de las *vocaciones*. La caridad es el vínculo de la perfección.

6. Nunca debe el *Obispo aperecer* como el « *Protector* » de sus sacerdotes ni espiritual ni materialmente. Quiera *ser* simplemente el « *Padre* », como decía Jesucristo: « Pater maior me est » y aúnque se refería a Dios, como Hombre, siempre veia en El a Su Padre. Así el Sacerdote no puede ser como el protegido, ni el menor de edad al cual se le custodia para que no sufra daño. Si alguna diferencia cabe, por razón del ministerio, nunca

---

[50] *Phil.* 4, 8-9.

podrá ser la que existe entre subordinado y jefe, pues por su naturaleza no difiere el sacerdocio del Obispo y del simple Sacerdote. Insistamos más en ser « *Uno* », como el Padre y Cristo.

7. El Sacerdote, en la Liturgia, aparece en oposición al Obispo y confundido con los laicos. *Concédase Misa y Oficio a los Sacerdotes,* diferente de los *confesores no sacerdotes.*

8. *¿Qué es el Sacerdote ante el laico?* ¿Qué diremos a nuestros jóvenes del *ideal sacerdotal?* Sacerdote atrayante, jovial, comprensivo (no mundano ni liviano); sencillo, sin afectación; que transmite a Cristo y marca rumbos hacia Dios; que convive con la Comunidad cristiana; da lo que tiene y se entrega a sí mismo a los demás, donde halla a Cristo.

9. *El Celibato,* más que un requisito para ser Sacerdote, debe presentarse como *algo sublime,* adecuado a la naturaleza del Sacerdote, que no engendra hijos en el mundo, para servir única y totalmente a Dios.

10. La *nomenclatura* de Sacerdote « *secular y regular* » no corresponde a la manera de vida de hoy; muchos religiosos viven como el Clero y, además, el carecer de leyes no significa ser del mundo, como el laico.

11. Los *Religiosos no sacerdotes* no podrán formar la juventud ni lograrán hacer cristianos apostólicos, a menos que *de ellos algunos sean Sacerdotes.* Educar, de suyo no es un apostolado, es instruir; sería necesario que dichos institutos se abran al ministerio sacerdotal.

12. *Problema de Iglesia Universal* y no de una determinada Iglesia particular, cuya solución está pendiente, aunque se hacen algunos intentos para remediar esta difícil situación existente en el hemisferio sur, es la *urgencia de contar con Sacerdotes suficientes* para las necesidades mínimas de nuestras respectivas Diócesis.

79

EXC.MUS P. D. OTTO SPÜLBECK

Episcopus Misnensis

Inserantur in schemate noviter elaborando quaedam verba misericordiae pro sacerdotibus apostatis.

Liceat mihi ut exemplum sequentem propositionem afferre: « Sacerdotibus qui testimonium Christi obliti primam caritatem reliquerunt (cf. *Apoc.* 2, 4), Sacra Synodus in memoriam revocat Deum poenitentiam agenti misericordiam numquam denegavisse ac Sanctam Matrem Ecclesiam eos pietate commotam exspectare, sicuti Pater filium suum revertentem secundum parabolam Domini gaudens salutavit (cf. *Lc.* 15, 20) ».

80

Exc.mus P. D. RUDOLFUS IOSEPH STAVERMAN

Episcopus tit. Mosynopolitanus, vic. ap. Sukarnopuraensis

Pag. 7. *Prooemium*: post lin. 9 addatur: « praesertim, quia multae condiciones, uti sunt: renovata et dilatata conscientia Ecclesiae suiipsius, renovata cognitio missionis Ecclesiae in mundo moderno, nova visio relate ad significationem mundi per respectum ad Regnum Dei, necnon nova attitudo mentis oecumenica et missionalis, evocant multa problemata ad curam animarum, speciatim paroecialem. Quibus omnibus evenit, quod ministerium sacerdotale coarctari nequit ad ministerium verbi et sacramenti ». *Ratio*: oportet addantur novae dimensiones in quibus hodie ministerium sacerdotale intravit. Secus haec « propositiones » tantum aliqua communiter nota et iam practisata declarant et schema fit mere « moralisticum », dum de facto agitur de nova conditione pastorali totius vitae sacerdotalis. Insuper iuvat, ut in hoc ipso prooemio descriptio daretur munerum pastoralium sacerdotum.

N. 2, pag. 9, lin. 3: post verba « in Christo acquirant », addatur: « licet S. Scriptura, illuminante traditione, nullum nexum necessarium seu cogens inter caelibatum et sacerdotium demonstrat, indicat tamen intrinsecam aliquam aptitudinem et inclinationem sacerdotii, qua muneris ecclesiastici, ad sacrum caelibatum, ita ut Ecclesia hunc caelibatum, libere acceptatum, ut condicionem generalem vitae sacerdotalis urgere possit. Quodsi propter determinatas circumstantias matrimonio iuncti ad presbyteratum admittantur, in hoc Ecclesia ducitur rationibus praesertim pastoralibus, salvo manente lege caelibatus ». *Ratio*: Concilio non licet silere exceptiones quas de facto Ecclesia fecit. Insuper non sufficit dicere quod Ecclesia « etiam iubet » (pag. 8, lin. 38) sacrum caelibatum, sed oportet honeste indicetur quod iure divino tantum « nexus inclinationis » seu « nexus idealis » adest inter sacerdotium et caelibatum, quo ratio reddi potest tam legi ecclesiasticae iubenti caelibatum quam exceptionibus et dispensationibus a tali lege.

N. 4, pag. 10, lin. 24: addatur: « Haec quidem confraternitas praesertim etiam in ipso apostolatu sacerdotali manifestetur oportet, v. g. in « planificatione communi », duce episcoporum, activitatis pastoralis, in qua quidem sacerdotum cum laicis conversatio (de qua n. 1) locum suum habere potest convocatione laicorum in sua provincia peritorum ad commune concilium « planificationis » pastoralis. Hoc faciendo forsan obsoletae structurae curae pastoralis derelinquentur, spatiumque daretur experimentis pastoralibus novis ». *Ratio*: 1) Confraternitas, de qua agit n. 4, fere unice videtur in linea ascetica et morali, et non in ipso ministerio sacerdotali. Cooperatio ministerialis, iam necessaria ipsi activitati pastorali, non rare plus adiuvat confraternitatem sacerdotalem quam confraternitas ascetico-moralis de qua n. 4. 2) Insuper quaeri potest, utrum sub hoc n. 4 nihil dicendum sit de confraternitate cum sacerdotibus, qui munus suum sacerdotale una aliave ratione dereliquerunt.

81

EXC.MUS P. D. ILDEFONSUS M. SANSIERRA
Episcopus tit. Oriensis, aux. S. Ioannis de Cuyo

Ad n. 4, in pag. 10: schema Propositionum *de vita et ministerio sacerdotali,* quamvis mihi videatur nimis arctum et non bene connexum nihilominus, placet, has ob rationes:

1. Quia stylo pio et pastorali exaratum ac saepe textibus Sacrae Scripturae fundatum.

2. Eo quod non semel, sed iterum iterumque vitam communem sacerdotibus commendat hac de causa quia in ea omnia percipient, tam spiritualia quam materialia quae difficile habentur si sacerdotes seiunctim vitam suam ducunt.

3. Etiam placet quia in luce ponitur ratio eorum qui providi sunt ordinis episcopalis cooperatores.

4. Quia ad efficaciorem fraternitatis manifestationem, verbo et veritate, sacerdotes impellit.

Attamen submisse propono ut ab hac sacerdotali et supernaturali fraternitate sacerdotes apostatae ne seiungantur nam: non est opus valentibus medico sed male habentibus; et etiam: quis vestrum infirmatur et ego non infirmor?

Propterea textus schematis perficiatur quoad n. 4 in pag. 10, hoc vel simili modo: « Insuper, episcopi et sacerdotes ne obliviscantur eorum fratrum qui, plurimis de causis, pro dolor, immemores fuerunt verborum Salvatoris nostri Iesu: Nemo mittens manum suam ad aratrum, et respiciens retro, aptus est regno Dei; et cotidie enixe orent ut misericordiarum Pater eos ad rectam viam et gratiam perducat. Et instanter, serio ac peramanter adlaborent ut his sacerdotibus apostatis omne auxilium generose praebeant ».

[*Subscripsit etiam*] E. Pechuán, ep. Crucis Axeatae.

82

EXC.MUS P. D. HENRICUS TENHUMBERG
Episcopus tit. Tiburnicensis, aux. Monasteriensis

N. 3, pag. 10, linn. 2-3. Loco « cultum Sanctissimae Eucharistiae » dicatur: « adorationem Christi sub speciebus eucharisticis praesentis » vel simile quid. *Ratio*: « Cultus Eucharistiae » posset significare « liturgiam eucharisticam », sicuti de facto intelligitur expressio « cultus Eucharistiae » e. g. in schemate *de divina revelatione* n. 26, pag. 46, linn. 19-20 vel in Encyclica *Mediator Dei*: *A.A.S.*, 39 (1947), p. 523.

Sed in nostro contextu agitur de adoratione Iesu Christi sub speciebus

eucharisticis (cf. Relationem de n. 3, pag. 20, lin. 1: « devotio erga Sanctissimam Eucharistiam »). Evitetur expressio impersonalis: non colitur « Eucharistia » (i. e. verbotenus: « gratiarum actio »), sed ipse Christus.

Vox « cultus » insuper ad res sat diversas applicatur: « cultus capillorum » (*C.I.C.*, can. 136) cultus humanitatis (cf. *C.I.C.*, can. 1361). In sensu venerationis christianae propter saporem paganum vitatur a Biblia Vulgata, a Patribus latinis et a constitutione *de sacra Liturgia.*

* * *

Pluribus in terris episcopi magna cum cura animadverterunt vocationes sacerdotales ad statum religiosum nimis incongruenter esse numerosiores quam vocationes ad presbyteratum dioecesanum, ita ut saepe saepius etiam hic in Europa sacerdotes religiosi, muneribus peculiaribus abalienati, paroecia et munera parochorum suscipere tenentur. Curiosum e. g. et etiam dolendum est, si in aliqua Congregatione sacerdotali pro missionibus fundata plus quam dimidium, immo duo fere ex tribus partibus, certe variis ex causis, sed etiam propter deficientem numerum sacerdotum in patria manentes vocationem suam peculiarem et indolem propriam congregationis vel ordinis vix indirecte in actum deducere possunt. Rationes autem, cur vocationes pro clero saeculari relate ad clerum regularem decrescunt, certe sunt variae, una autem ex iis secundum multorum peritorum experientiam et persuasionem in eo exstat, quod nostris temporibus indoles et idea presbyteratus dioecesani propria et originalis minime est evoluta, vix conscia et relate ad spiritualitatem peculiarem sat imperfecte a moderatoribus et professoribus est culta. Ideo nostro schemati addatur paragraphus, in qua de hac natura speciali presbyteratus dioecesani eiusque spiritualitate originali et peculiari tractetur. *Elementa principalia autem indolis et naturae propriae sacerdotii dioecesani,* e quibus et spiritualitas specialis emanare possit, inter alia esse videntur, quae sequuntur:

1. *Communio cum episcopo et participatio specialis missionis et munerum episcopi* per Ordinis gratiam, qua sacerdos dioecesanus immediate ad episcopum suum est ordinatus; ideo in formatione spirituali sacerdotis mysterium Christi, in episcopo eiusque muneribus praesens, principalem locum obtinere debet. Paternitati episcopi pietas filialis sacerdotis et paternitas sua erga fideles correspondere debet. Haec communio et participatio per liturgiam, praesertim in celebratione eucharistiae realizatur, renovatur, repraesentatur. Ideo concelebratio episcopi cum presbyteris suis est significatio eminens huius communionis.

2. Participatio specialis missionis et munerum episcopi realizatur etiam *incardinatione in dioecesim* episcopi. Ordinatio sacerdotis dioecesani ergo non solum relationem personalem episcopum inter et sacerdotem secumfert, sed etiam dedicationem pro distincto territorio, i. e. pro ecclesia partiali utpote membri partialis totius Corporis Christi mystici. Ergo momentum theolo-

gicum et pastorale huius incardinationis per professores et moderatores studiorum in clariorem lucem esset exponendum. Mea humili opinione e. g. incardinatione sacerdotis in distinctam dioecesim quaedam filialis, sed vere solidaris responsabilitas sacerdotum dioecesanorum cum episcopo pro territorio circumscripto exprimitur. Antiqua consuetudo Ecclesiae, nempe ut presbyteratus alicuius dioecesis in eligendo novo episcopo aliquo modo saltem per repraesentantes cooperet, in ista dedicatione et mancipatione sacerdotis dioecesani pro dioecesi sua fundamentum theologicum habet, et consuetudo ista, ubi non iam viget, instaurari optandum est. Certe nostris temporibus sacerdotes saepe saepius nimis se sentiunt ut cooperatores individuales vel solummodo ut instrumenta episcopi et quivis modus mere impersonalis inter episcopum et sacerdotes, necnon inter curiam episcopalem et pastores hanc notionem nimis angustam indolis sacerdotis dioecesani fovet.

3. *Presbyteratus ergo uniuscuiusque dioecesis sub episcopo et una cum episcopo in solidum responsabilitatem,* certe distinctam et iure ecclesiastico circumscriptam, pro tota Ecclesia dioecesis exercere debet. Ex ista communione cum episcopo et cum toto presbyterato — ergo ex fundamento theologico — novae formae et methodi actionis communis inveniri possunt. Conditio, sine qua non, pro talibus operibus solidarietatis et actionibus cooperativis in clero dioecesano haec est: ut in seminariis maioribus spiritus communitarius super hoc fundamento theologico excitetur et nutriatur. Spiritum fraternitatis in suo clero episcopus tum paternitate sua tum agnitione dignitatis et responsabilitatis presbyteratus in sua dioecesi fovere teneatur.

4. Denique sacerdos dioecesanus per communionem cum episcopo suo *paterno munere boni pastoris erga totum populum Dei in distincta regione gaudet.* Dum clerus regularis generatim apostolatum specialem colit, presbyter dioecesanus quasi universali modo pro omnibus indigentiis totius populi Dei fungitur. Iuvenes et senes, parentes et liberi, divites et pauperes, boni et mali, viri et feminae, homines cuiuslibet ambitus ei sunt commendati. Elementum speciale ergo spiritualitatis suae haec cura universalis et munus paternum boni pastoris esse debet, in quo munere paternitatem Dei et episcopi hominibus significat et praestat.

Conclusio. Breviter saltem in schemate nostro elementa principaliora indolis propriae et spiritualitas peculiaris presbyteratus dioecesani enucleatur oportet, e. g. saltem hoc vel simili modo (forsan in propria paragrapho): Indoles propria et spiritualitas peculiaris presbyteratus dioecesani fundatur in speciali communione cum episcopo et participatione missionis eius, in incardinatione in Ecclesiam dioecesanam, in fraterna responsabilitate cum presbyteratu dioecesano, in paterno et universali munere pastorali pro toto populo Dei in regione sibi commissa.

83

EXC.MUS P. D. BERNARDUS IOSEPH TOPEL
Episcopus Spokanensis

Liceat mihi duo indicare quae in schemate *de vita et ministerio sacerdotali* praesertim emendanda videntur:

1. Instauratio et « aggiornamento » sanctae Matris Ecclesiae, quae finis primarius huius Concilii Oecumenici iam a Summis Pontificibus Ioanne XXIII et Paulo VI definita est, in actum conducetur *principaliter* mediantibus sacerdotibus nostris. Sed de hoc facto schema actuale fere nihil dicit. Quare schema supplendum videtur sequentibus elementis: *a*) declaratio expressa eventum felicem novae instaurationis pendere a cooperatione volenti animo sacerdotum; *b*) indicatio mediorum principalium a sacerdotibus adhibendorum ut cooperationem plenam et efficacem exercere valeant.

2. Munus et momentum oboedientiae in exercendo apostolatu expresse doceri debet in schemate, ad evitanda damna quae iam in clerum universae Ecclesiae irrumpere inceperunt, eo quod munus et momentum verae oboedientiae a nonnullis coryphaeis cum multorum applausu publice et de industria parvipenditur. Quod iam quasi communiter apud episcopos Statuum Foederatorum Americae Septemtrionalis et multorum aliorum locorum causa anxietatis est. Revera in clero iam diffusa est opinio nullum obligatum oboedientia esse nisi prius ipse motivum legis vel praecepti superiorum cognoverit et approbaverit. Quare in textu schematis clare doceri debet quid sit vera oboedientia quaenamque beneficia eius. In schemate actuali conceptus clarus vel implicitus omnino deest. Doceri debet quid sit agere *ex oboedientia* tali modo ut relatio huius oboedientiae ad vocationem ad sanctitatem in Ecclesia perspici possit. Expresse applicari debet verus conceptus oboedientiae sanctae exercendae ad activitatem sive alumnorum in seminariis sive illorum qui iam in sacris ordinibus constituti sunt. Doceri debet saltem implicite hanc oboedientiam exercendam non esse conceptu seu radicaliter diversam ab illa quam sodales religionum profitentur per votum canonicum.

84

EXC.MUS P. D. ANTONIUS VALENTE DA FONSECA
Episcopus Villaregalensis

Schema *de vita et ministerio sacerdotali* generatim placet.

Propono autem ut sub n. 2, pag. 9, lin. 1, loco « in hoc igitur statu recte ac fortiter procedant » dicatur « in hoc igitur statu laeto ac fidenti animo perseverantes simulque humiliter orantes et indesinenter decertantes ne ab eo decidant, recte ac fortiter semper procedant... ».

Item ut in pag. 13, lin. 21, post « et » addatur « si possibile ».

85

EXC.MUS P. D. ANTONIUS HENRICUS VAN DEN HURK
Archiepiscopus Medanensis

Loquens nomine episcoporum Indonesiae, super schema *de vita et ministerio sacerdotum,* haec animadvertere liceat:

1. Valde placet quod aliquod schema confectum est de sacerdotibus, qui in cura animarum operam praestant. Ipsi enim aestum diei et pondus portant, dum sedula ac fidelis cooperatio eorum maximi momenti esse, omnes attestamur.

Praeterea ipsi praesertim difficultates experiuntur in adaptando curam animarum ad conditiones huius temporis tam velociter mutantes. Quapropter speramus ut documentum de sacerdotibus ita reformetur et perficiatur quod sacerdotibus in vita et in ministerio eorum fiat adiumentum, ut animum addat et in problematibus solvendis directionem ostendat.

2. Nam schema hoc, etiam in forma sua emendata, ad hunc finem nondum sufficit ideoque minus placet. Sine dubio habentur quaedam pulchra et optima sed complexus propositionum unitate et cohaesione caret, dum fratres et cooperatores nostri ab hoc Concilio exspectant verbum illuminans, movens et dirigens.

Etenim, si totum complexum harum propositionum conspicimus, quattuor tantum quaestiones tanguntur scil. vita spiritualis sacerdotum (nn. 1-4), studium continuandum (nn. 5-6), distributio cleri (nn. 7-8) et res financiariae (nn. 9-12). Iamvero omnino patet pauca illa vastum illum campum vitae sacerdotalis nequaquam complecti. Immo problemata maximi momenti, quae hodie sacerdotes premunt minime tanguntur. Nihil dicitur de modo quo sacerdotes varia et tam diversa munera inter se componere debeant. Nihil de momento, quod in opere suo tribuere debent singulis muneribus, uti sunt praedicatio Verbi ad catholicos et non-catholicos, administratio sacramentorum, adiumentum praestandum organizationibus laicorum, administratio pastoralis et temporalis. Nihil dicitur quomodo labores suos hodie tam fatigantes et vires absorbentes componere possint cum vita interna.

Quapropter speramus ut schema antequam approbetur ad perfectiorem formam componatur. Quaedam propositiones, quamvis in se utiles, melius in aliis schematibus incorporari possint. E. g. nn. 10, 11 et 12 ubi agitur de officiis ecclesiasticis princeps locus in iure tribuendus, de aequa remuneratione clericis providenda et de massa communi bonorum potius ad munus pastorale episcoporum quam ad ministerium sacerdotum pertinent.

Quaedam adhuc ad singula observare volumus. Ad n. 1. Hic describitur conversatio cum laicis. Optandum esset quod explicite notetur quomodo sacerdotes aperto animo laicos audire debeant, ita ut consilio et auxilio eorum utantur et initiativa et responsabilitates laicorum libenter agnoscant.

Ad n. 2: loquens de necessaria oboedientia erga episcopum mentio etiam

fiat de filiali libertate qua sacerdotes initiativa assumere possunt eaque sine timore cum episcopo communicant. Oboedientia enim nunquam deberet impedire plenam cooperationem sacerdotum, qui uti viri adulti, spiritu apostolico moti, vires suos impendere cupiunt in bonum animarum.

Ad n. 8: revera speramus fore ut clerus aequius distribuatur, sed hac in re caute procedendum est.

Timendum est ne sacerdotes ad aliam dioecesim transeuntes illo auxilio careant quo fraternitas propriae dioecesis eos sustentat.

Quapropter haec statuenda videntur:

1. sacerdotes apti ad aliam dioecesim, praesertim longinquiorem, ne adeant singuli sed plures simul;

2. novae dioecesi addicti, saltem per quinquennium remaneant incardinati propriae suae dioecesi;

3. etiam postquam novae dioecesi incardinati sunt, ius habeant redeundi ad propriam suam dioecesim ratione infirmitatis vel senectutis, ubi fraterne recipiantur et ius habeant ad adiumentum et pensiones sicut ceteri.

Seminaria internationalia et dioeceses vel praelaturae personales de quibus in pag. 12, lin. 10 ss., non videntur multiplicanda. Timendum enim est ne oriatur clerus qui nullibi solide radicatus est et qui sibi non satis cohaeret.

Ad n. 12: placet quod massa communis constituatur ad sustentationem cleri, in quantum fieri potest. Sed minus placet quando huiusmodi massa etiam aliis dioeceseos necessitatibus destinatur. Unica massa ex qua pro omnibus necessitatibus hauritur, videtur peccare contra sanam administrationem oeconomicam.

86

Exc.mus P. D. LEONTIUS ALBERTUS VAN PETEGEM
Episcopus Gandavensis

Quae dicuntur in schemate emandato propositionum de sacerdotibus quod nunc inscribitur « de vita et ministerio sacerdotali » de officiis status sacerdotalis sub n. 5 (pag. 10) et de scientia pastorali pro locorum adiunctis acquirenda sub n. 6 (pag. 11), meo humili iudicio modo nimis unilaterali situationem christianitatis homogeneae ante oculos tenet et non satis rationem habet de situatione pluralistica in qua pastoralis activitas hodie exsequi debet.

Quare sequentia vel similia sublineanda esse puto.

Nostris praesertim diebus, cum communitas humana nondum est homogenea in fide catholica sed *pluralistica* in fere omnibus orbis terrarum regionibus, i. e. *divisa* in baptizatos credentes, baptizatos indifferentes-apostatas et non baptizatos, et *mixta* secundum diversas ideologias seu convictiones philosophicas et religiosas, oportet sacerdotes habeant *largam aperturam mentis et cordis*.

Ut idonei sint ad apostolatum in mundo pluralistico et aperto praestandum necesse est ut ad *maturitatem humanam et christianam* pervenerint. Praxi apostolica ab eis refutandum est illud praeiudicium valde sparsum apud non credentes dictam maturitatem humanam et christianismum esse incompossibiles.

In datis circumstantiis enixe exoptatur in sacerdotibus hodiernis peculiaris *capacitas ad dialogum salutis* de quo loquitur Summus Pontifex Paulus VI in Litteris Encyclicis *Ecclesiam suam* et qui gratia cooperante fidem generat. Dicit enim Apostolus Paulus: « Quomodo credent ei quem non audierunt? Quomodo audient sine praedicante?... Ergo fides ex auditu » (*Rom.* 10, 14-17); et alibi: « Placuit Deo per stultitiam praedicationis salvos facere credentes » (*1 Cor.* 1, 21). Bene proinde noscant ipsi sacerdotes mysterium salutis et sese exerceant in loquendo verbum salutis, quod denique tandem est prolungatio efficaciae ipsius Verbi Incarnati.

Sacerdotes *apostolatum animatum spiritu humilis servitii* praestent. Abstineant a convictione se sub omni respectu esse optimos, suas institutiones esse in omnibus praestantiores, ac proin se esse magistros universales. Sint Christi cooperatores ad modum B. Mariae Virginis sese pauperes servos Domini aestimantes. Ne inspirentur desiderio conquerendi vi et coactione sed desiderio serviendi — iuxta verba Christi: « Non veni ministrari sed ministrare » (*Mt.* 20, 28) — cum fide et fiducia Dominum Iesum et Spiritum eius foecunditatem suorum conaminum esse assecuraturos secundum placita divinae providentiae.

Praesupposita formatione supernaturali fundamentali illa elementa formationis pastoralis videntur requiri exigentiis situationis hodiernae communitatis humanae.

87

Exc.mus P. D. PETRUS VEUILLOT

Archiepiscopus tit. Constantiensis in Thracia, coad. c.i.s. Parisiensis

Optaretur ut, in recognitione schematis propositionum « de vita et ministerio sacerdotali »:

1. Incorporaretur omnis substantia *Nuntii ad sacerdotes,* in ipso schematis textu. Documentum quidem conciliare est magis sobrie, stabile et facile consultando, quam folium « Nuntii » unius diei.

2. *Sonaret* textus schematis, non ut piissima exhortatio, sed sicut *positiva* et constructiva argumentatio.

3. Initio iam schematis referretur, et modo explicitiori, ad *theologiam sacerdotii,* sicut in constitutione *de Ecclesia* inchoata est. Ex dictis, sacerdos considerari debet in primis ut « cooperator ordinis nostri », cum omnibus consequentibus defluentibus.

4. Spiritualis *paternitas* sacerdotis, una cum paternitate episcopi (cf. *1 Cor.* 4, 15: « ... non multos patres... ego vos genui) affirmaretur ante

eius fraternitatem cum hominibus. Presbyter enim cum episcopo intime consociatur tum in sacrificio eucharistico, tum in muneribus « Capitis » ad aedificationem Corporis Christi, quod est Ecclesia.

5. *Indoles apostolica* et missionaria ministerii sacerdotalis explicite evolveretur.

Sacerdotes schemate confirmarentur in eorum vocatione coram *mundo hodierno* (« incroyance », atheismo... etc.).

Simulque sacerdotes induantur ad habitualem cooperationem cum laicis et ad eorum apostolatum fulciendum.

6. *Spiritualitas* sacerdotibus commendata religaretur prius ad fundamentales exigentias sanctitatis sacerdotii, ad secundarie solum ad exercitia et virtutes.

Sacramentum Ordinis presbyteros constituit ut offerant Deo, in Christo, sacrificium salutis, et ut, in Eucharistia, homines qui sunt dispersi congregent in unum.

Spiritualitas sacerdotis simul amplectitur suam vocationem apostolicam ac sui ipsius sicut et hominum Deo consecrationem.

N. B.: Limitaretur schema vitae et ministerio sacerdotali *in genere* spectato, et non extenderetur ad ministeria in specie, v. g.: vicarii cooperatoris, magistri, capellani... etc. (quae indicantur in schemate *de episcoporum pastorali munere*).

[*Subscripserunt etiam*] Adrien Gand, év. coad. Lille; J. Le Cordier, aux. Parisiensis; Gérard Huyghe, év. Arras; A. Fougerat, év. Grenoble; Jean Guyot, év. Coutances.

88

Exc.mus P. D. HELLADIUS VICUÑA ARÁNGUIZ
Episcopus Chillanensis

In disceptatione istius schematis optarem ut vox ipsorum sacerdotum in hac aula audiretur, nam censeo nos episcopos permulta discere posse a nostris presbyteris, quos « providos cooperatores Ordinis nostri » in die ordinationis appellavimus.

Inter ea quae certe praetermittere non possumus est spiritus « dialogi » inter presbyteros et eorum episcopum. Multa sunt et pastoralia, et ascetica et liturgica officia sacerdotum; sed non videtur tota vita sacerdotalis officiis tantum constare. Ex ipsorum arcta necessitudine cum populo Dei, magna exsurgit experientia, quae sub nonnullis respectibus, maior quam nostra interdum esse potest. Exinde, ut arbitror, profluit ius eorum, forsitan in sacris canonibus non sancitum, sed in ipsa rerum natura fundatum, ad experientias et ad opiniones nobis libere et fraterne manifestandas. In capite IV schematis *de Ecclesia* ius opinionis laicorum apertis verbis, et iure quidem, agnovimus. Num quod laicis agnovimus sacerdotibus denegare audebimus?

Ministerium nostrum diximus esse servitium; dedecet, quaeso, servitoribus rationes conservorum patienter et attente audire ac ponderare? Et si quis dicat hoc modo auctoritas minui, non timebo eidem respondere quod magis amatur humilis auctoritas pastoris ad audiendum parati, quam reveretur potestatis exercitium in superiore dialogum renuente et prae se ferente quandam speciem, ut ita dicam, infallibilitatis personalis in agendo.

Pateant ergo ianuae nostrae domus omnibus sacerdotibus; pateant et aures nostrae ad eorum rationes, ad eorum problemata et poenas; pateat praesertim cor nostrum, vere paternum et fraternum, omnibus sacerdotibus nobiscum in vinea Domini laborantibus.

Valde placet quod in numero quarto dicitur de desiderio instaurationis vitae communis sacerdotum saecularium. Attamen hoc non semper possibile evadit, praesertim in nostris dissitis regionibus Americae Latinae, ubi non raro una paroecia ab alia per quinquaginta et amplius kilometra distat. Opto ut aggregetur unum verbum de coetibus seu « equipos », gallice « équipes » sacerdotalibus, quorum fructus iam in pluribus nationibus percipiuntur.

Denique, vellem, maxima quidem cum reverentia, verbum facere de titulis honorificis de quibus loquitur in numero secundo nostri schematis. Loquitur paragraphus, et bene quidem, de ambitione in hac re coercenda. Hoc a sacerdotibus postulamus. Bene. Sed, quaero: non melius esset ut humiliter postularetur a Summo Pontifice quod hi tituli deinceps amplius non concederentur? Experientia teste, hi tituli persaepe causa sunt et iniustitiae, et divisionum, et invidiarum, et vanitatis. Potius quam de talibus effectibus loqui, efficacius esset causam supprimere.

Parcite mihi, Fratres dilecti, si ex imo corde haec coram vobis locutus sum. Abhinc quindecim annos episcopus sum, sed antea et presbyter et parochus fui et bene recordor omnium quae in ministerio sacerdotali expertus sum.

89

REV.MUS P. D. LEO VOLKER

Superior generalis Missionariorum Africae

[*Cf. pp. 572-576, n. 27*].

90

EXC.MUS P. D. IOSEPH BRENDANUS WHELAN

Episcopus Owerriensis

Inter prooemium et par. 1 inseratur novus numerus de dignitate sacerdotis. Ibi tractetur de sacerdote ut instrumento et ministro Christi. Citetur textus S. Augustini: « Sacerdos baptizat, Christus baptizat... ». Applicetur conceptus causae ministerialis etiam sacerdoti ministro Christi in offerendo sacrificium Missae.

91

Exc.mus P. D. IOSEPH ZAFFONATO

Archiepiscopus Utinensis

I. Congruum est ut clarius enuntietur utrum schema universos sacerdotes respiciat, sive saeculares sive religiosos, an saeculares tantum qui alicui dioecesi addicti sunt. Hoc in casu rectius schematis titulus verbis « De sacerdotibus dioecesanis » videtur proponendus.

II. Conveniens quidem, immo et necessarium videtur aliqualem « spiritus dioecesani » definitionem et descriptionem configurare. « Spiritum dioecesanum » vocamus attentionem et intentionem illam omnium sacerdotum virium in bonum dioecesesos cui unusquisque inservire debet et inservit. Spiritus iste non tantum exsurgit ex concreta determinatione sive materiae sive formae dioecesanae societatis vel melius Ecclesiae, in qua presbyteri adlaborant, sed aliquid amplius comportat. Ad materiam quod attinet, haec est dioecesis proprium territorium et pressius animae omnes sunt — sive fidelium servandae et alendae, sive non fidelium in regnum Dei cooptandae — necnon media omnia et instrumenta, tam generalia quam particularia, et institutiones singulis dioecesibus propriae, quibus utendum est in pastorali ministerio. Huic subiacenti materiae omnium presbyterorum spiritus attendere debet, hanc materiam accurate agnoscere, ut pastoralis actio ordinata et functionalis evadat. Norunt omnes, etenim, alias et alias esse dioeceses, peculiari vultu sive materiali sive spirituali distinctas, diversis problematibus et difficultatibus onustas, non eisdem dotationibus et capacitatibus vel oeconomicis vel spiritualibus praeditas, traditione et mente et exigentiis difformes: insuper aliae et aliae sunt, hic vel illic, fidelium educatio et necessitates, immo alia et alia est psychologia illorum qui a fide sunt longinque vel a fide plus minusve divertunt necnon aliae et aliae sunt causae quibus illa longinquitas vel diversio innititur. Quomodo possunt recte et efficaciter operarii evangelici messi insudare, si campum non agnoscant eique attente non studeant, iuxta temporum adiunctorumque evolutionem?

Ad formam vero quod spectat, sive illa consideretur in capite, hoc est in auctoritate episcopi, determinatae dioeceseos Patris, Magistri ac Pastoris, sive illa respiciatur in membris, hoc est in necessaria concordia et coalescentia animorum, spiritus dioecesanus exigit ut unitas mentium, cordium et operum ab unoquoque sacerdote non attendatur neque vigilanter servetur neque firmior in dies exstruatur in abstracto, sed in concreto, nempe cum illo episcopo et simul cum illis consacerdotibus qui tunc temporis et ibi loci ponuntur et adsunt.

« Spiritus dioecesanus » vero non expletur in hac concreta et perfecta adhaesione sive materiae sive formae dioecesanae societatis; sed ulterius postulat ut omnium sacerdotum corda in bonum dioecesis suae succendantur: illam ament, eius splendorem concupiant eumque dynamice operentur.

Ita ut singuli presbyteri vere fiant, in unitate spiritus et sub uno episcopo, suae dioecesanae ecclesiae constructores.

Hoc pacificum est pro saecularibus sacerdotibus.

Hoc pacificum habeatur a religiosis presbyteris.

Non agitur enim de quadam praetensa reformatione institutorum religiosorum, sed de actuanda, meliori quo fieri potest modo, religiosorum sacerdotum inhaerentia in illa dioecesi in qua pro nunc ad exercendum ministerium vocati sunt. Unusquisque utique secundum sui instituti formam et disciplinam, non tamen quasi hospites et advenae, sed ut concives dioecesanae civitatis. Hinc oportere videtur ut sacerdotes religiosi, cum in novam dioecesim cohabitatione et ministerio cooptentur, huius dioecesis cognitionem adipiscantur eiusque amorem vivius persentiant ac episcopi eiusque presbyterii sollicitudini participent.

Breviter, aliquod optandum videtur ut fortior efformetur in religiosis sacerdotibus « spiritus dioecesanus ». Sciant se gloriosius ipsi suo instituto deservire, si dioecesi secundum propriam formam corda et opera commodent.

Haec inhaerens unio religiosorum sacerdotum cum episcopo et clero dioecesano, quo est pulchrior et utilior, eo est urgentior ac magis necessaria, et ubique gentium ac in omnium votis « essentialis » habita et requisita.

III. Nostrum non est vexatam quaestionem dirimere de relatione inter statum perfectionis religiosorum vitae proprium et illum qui a sacerdotibus saecularibus requiritur. In concreto experientia scimus unde et quales oriantur, maxima ex parte, vocationes ad sacerdotium in saeculo et vocationes ad statum religiosum. Historia vero docet utrobique sanctitatem floruisse, utrobique etiam corruptionem serpuisse. Non ignoramus religiosos evangelica consilia persequi. Caelibatus autem sacerdotalis inviolabilior extat, castitatemque sacerdotum minorem defensionem habere maioresque difficultates oppetere notum est omnibus. Etsi vero sacerdotes saeculares paupertatem non vovent, nonne saepe propter Dominum gravissima paupertate dolent? Si autem oboedientia saecularium sacerdotum multis adminiculis non tenetur, quis dubitat stricte et auguste eam non ligare Ecclesiae et episcopo? Fortasse dicendum est saeculare sacerdotium diversum habuisse pro temporibus tenorem: nostris diebus vero nemo erit qui dicat illud gravissimam perfectionem non exigere.

Quidquid est, absolutum videtur sedulo vitandum esse ne saecularium sacerdotum statum perfectionis « inferiorem » quis dicere praesumat. Satis est illum dicere « alium » a statu perfectionis vitae religiosae.

« In domo Patris mei mansiones multae sunt » dixit Dominus: his verbis dominicis contenti simus.

Dioecesanorum sacerdotum est ipsas vocationes ad religiosae vitae statum dignoscere et fovere, ipsorum est animas religiosorum quoque institutorum, regere, absolvere, excitare, sublevare, in vias Domini erigere.

Est in sacerdotio aliquid quod nulli alii statui subiici potest; certe pote-

statis, tamen etiam responsabilitatis, ergo et virtutis. Cavendum est ne distinctiones humanae illi assumptioni quid derogent, qua sacerdos a Deo ipso ab hominibus assumitur et pro hominibus constituitur in iis quae sunt ad Deum.

Nobis ergo videtur summopere instandum esse in affirmanda obligatione sanctitatis propriae sacerdotali statui, sive sacerdotium in mundo sive in claustris exerceatur, quin detrimentum subeat religiosae vitae perfectio. Deus est qui facit sacerdotes, votum autem religiosos.

IV. Denuo, non tantum utile, sed necessarium videtur dioecesanos sacerdotes exhortandos et favendos esse in vitae communis experimentis et consuetudine, cuius perpulchra iam dantur exempla. Utique ut sacerdotalis circulo bonum culturale augeatur et experientia pastoralis melius ad invicem communicetur; verum etiam ad facilius oeconomicas difficultates superandas. Sunt et hodie sacerdotes qui solo Iesu Christi amore et confratrum caritate omnia sua in unum conflant, primitiam Ecclesiae apostolicae renovantes. Sic vitam communem viventes, periculosam et aerumnosam vitabunt solitudinem, praesertim in parvis paroeciis, quod mediis faventibus modernis nihil nocet ministerii pastoralis exercitio et residentiae spiritui non obstat. Sic viventes, praeclarum praebebunt exemplum fidelibus et non fidelibus. Sic viventes, Christo Domino placebunt ac sibi inaestimabilem praesentiam illius merebunt qui dixit: « Ubi duo vel tres in nomine meo congregantur, illic in medio eorum ero ».

92

Exc.mus P. D. VINCENTIUS FAUSTINUS ZAZPE
Episcopus Raphaeliensis

Schema non placet. In Concilio, tantummodo, res dignas praesentari possunt et schema actuale, certe dignum non est Concilii, neque materiae de qua agitur: vita sacerdotalis.

1. Caret connexione cum schemate centrale totius Concilii: *De Ecclesia,* et cum schemate decreti *de pastorali episcoporum munere,* propter quod apparet sine fundamento theologico.

2. Textus schematis videtur ignorare divitiam biblico-theologicam, quae quidem postremis annis, ad veram maturitatem pervenit.

3. Schema non considerat novas formas vitae sacerdotalis, quae sunt consequentia exigentium pastoralium mundi hodierni.

Hodie, nullo modo, potest tantummodo loqui de parocho, de vicario cooperatore vel de nosocomii capellano. Sunt in Ecclesia hodierna, novae — ut ita dicam — figurae sacerdotales, quae praeteritis annis ignoscebatur, v. g.: sacerdotes laborantes in ambitu instrumentorum communicationis socialis, scil., cine, radio, televisio; alii, vero, inter operarios; immo pervenerunt ad ipsa loca laboris; alii vivunt suum sacerdotium, sub conditionibus

persecutionis religiosae, etc. Hae omnes formae vitae sacerdotalis et illae quae, evolutio huius novi mundi creabit, exigunt, non quasdam normas morales, sed plenam visionem theologicam sacerdotii. Sacerdotium est participatio ontologica sacerdotii Christi, quod est aeternum, unicum, sine successoribus. Haec participatio, quae fit per viam sacramentalem, est plenitudo in episcopo, qui eam accipit in contextu collegii episcopalis et descendit ab episcopo ad presbyterum qui, sacerdotium accipit in contextu Ecclesiae dioecesanae.

Quia est participatio sacerdotii Christi — ut Rex, Propheta et Sacerdos — sacerdotium est mediatio ducens, mediatio illuminans, mediatio sanctificans. Sed mediatio inter Deum et homines, exigit altissimam intimitatem cum Deo et profundam intimitatem cum hominibus; i. e., experientiam personalem de Deo et cognitionem viventialem mundi huius temporis.

Quia sacerdotium recipitur in contextu Ecclesiae localis, tota vita sacerdotalis accipit signum huius contextus: spiritualitas communitaria et vita pastoralis, communitaria. Non est spiritualitas sacerdotalis, sine relatione ad episcopum patrem familiae dioecesanae; non est spiritualitas sacerdotalis, sine relatione cum aliis sacerdotibus, in viventia — ut ita dicam — fraternalis presbyterii; non est spiritualitas sacerdotalis sine relatione amicali cum fidelibus; non est spiritualitas sacerdotalis sine relatione cum mundo hodierno, animando, illuminando, promovendo.

Fides, spes, caritas, oboedientia, castitas, paupertas sacerdotii habent lineamenta verticalia quae uniuntur Deo, sed etiam lineamenta horizontalia quae uniuntur communitati in qua recepit sacerdotium et propter quam vivet eius sacerdotium.

Ergo propono: 1) redactetur novum schema; 2) suffultum in solida consideratione theologica sacerdotii; 3) cum connexione ad schemata *de Ecclesia* et *de pastorali episcoporum munere*.

93

Exc.mus P. D. BENEDICTUS ZORZI

Episcopus Caxiensis

Commissioni conciliari « de disciplina cleri et populi christiani » sequentes emendationes ad schema propositionum de vita et ministerio sacerdotali humiliter propono:

1. Pag. 8, n. 2, linn. 33 et ss.: ... tam in vestibus ferendis quam in titulis vel honoribus quaerendis... omittantur haec verba. *Ratio*: *a*) Si dicitur tantum « ab omni specie vanitatis fugiant », Sancta Synodus sacerdotibus commendat fugam quamcumque ab omni specie vanitatis, non tantum fugam in vestibus ferendis et in titulis vel honoribus quaerendis, ut textus videtur innuere. *b*) Ecclesia in renovatione sui ipsius forsan pro clericis non amplius usura est titulis et honoribus ut nunc, quod ego valde optarem, nam hi tituli

sunt res nimis humanae, plus sapiunt mundo quam Christo Crucifixo, et non raro inter clericos fons sunt invidiae et vanitatis, quod certo non est ad gloriam Dei et ad decorem Ecclesiae. *c*) Videtur quid puerile commendare fugam a vanitate titulorum et eodem tempore, aliquomodo, saltem practice, fovere eidem vanitati. Cur non ipsum sacerdotium altius extollitur? Nonne maximus titulus est? Redeamus ad simplicitatem evangelicam quae certo ducit ad sanctitatem sacerdotalem; quae sanctitas in mundo hodierno est titulus absolute necessarius.

2. Pag. 10, n. 3, linn. 2ss.: verbis « Magni tandem faciant cultum Sanctissimae Eucharistiae » addantur haec vel similia verba: devotionemque erga Sacratissimum Cor Iesu, fontem vitae et sanctitatis, et erga Beatissimam Virginem Mariam intense foveant et propagent. *Ratio*: Notum est devotionem erga Cor Iesu, sub hoc adspectu formaliter consideratum, devotionem esse specialissimam saeculi nostri et nostris fidelibus catholicis percaram et ab ipsa Ecclesia nostris temporibus promotam et valde commendatam.

In Corde Iesu exemplar habemus caritatis infinitae omniumque virtutum abyssum. Ex hac devotione sacerdotes, et per sacerdotes ipsi fideles, haurire possunt thesauros inaestimabiles vitae christianae et sacerdotalis, praesertim si a Concilio, licet paucis verbis, enixe commendetur. Sicque condemnarentur vanae illae et frigidae cogitandi et agendi rationes, ex quibus parvi fiunt et iam omittuntur traditionalia illa pietatis exercitia erga Cor Iesu et Beatissimam Virginem, divinae gratiae Matrem.

94

QUIDAM PP. CONCILIARES OCEANIAE

Ad recognoscendas propositiones « De vita et ministerio sacerdotali » vel forsan ad schema decreti statuendum de hac materia tractantis, sequentem rationem suggerimus:

1. Sacramento ordinis Deo consecratur sacerdos in participationem sacerdotii Christi. Qui Summus Pontifex « *pro hominibus* constitutus est in iis quae sunt ad Deum » et a Deo missus ut homines ad Patrem reducat ut omnes oves, etiam et praesertim errantes, in unum ovile congreget. Vi ergo sacerdotalis consecrationis presbyter, sicut et episcopus, partem habet in missione Christi ad *omnes* homines. Unde tria sequuntur: *a*) insignis catholici sacerdotii dignitas; *b*) varia munera ex eius missionali vocatione promanantia, et iuxta maiores evangelizationis necessitates ordinanda; *c*) illud inter haec munera praecipuum, ut sacerdotes apostolatum laicorum fraterne adiuvent, vias eius debita scientia illustrent, eiusque conatus proprio zelo et exemplo suscitent.

2. Ex hoc patet missionem sacerdotis in determinato loco ad *omnes* homines dirigi. Unde vere adimpleri coepit quando « pauperes evangelizantur », scil. cum non tantum illi homines qui plus minusve egent, sed

etiam quoquo modo miseri, et quavis potentia destituti, ad christianam spem verbo Evangelii effectivaeque caritatis adiutorio eriguntur. At nihilominus ampliora intendi debent, ut scil. verbum Christi illuminet quidquid pertinet ad promotionem humanam et ad futurae civitatis aedificationem secundum Dei propositum.

3. Ad homines missus sacerdos ita vivere ministeriumque exercere debet, ut hominibus *praesens* sit testis Christi; in talibus adiunctis versetur talique cultura polleat, non ut praeeminentia extraneus evadat, sed potius ut verum dialogum cum omnibus ineat et sustineat.

Ubi autem missionalis dialogus id exigit, excludi non debet possibilitas victum labore temporali ac etiam manuali lucrandi, secundum sancti Pauli exemplum. Quaestio utrum sacerdos operarius esse possit necne ex principio *missionis* solvi debet, cum consecratio sacerdoti detur ut Christum *inter eius oves* repraesentet, et non simpliciter ut segregetur ab hominibus.

4. Sicut episcopalis ordinatio ad collegium episcopale circa successorem Petri constitutum aggregat, ita presbyteralis ordinatio (ut ex eius ipso ritu patet) presbyterio circa episcopum constituto aggregat. Unde collegiali modo exercenda est missio sacerdotalis, sive praesertim in ipsa pastorali actuositate, sive in vita intellectuali et spirituali, sive in rebus oeconomicis.

5. Cum missio sacerdotalis sit missio Christi participata et in Spiritu Christi adimplenda, omnino necesse est ut ad fontem qui Christus est saepe redeant sacerdotes, tum seorsim, tum in communi; ut Christum quaerant et in ipsa sua actuositate, quae orationis incitamenta permulta praebet, et extra actionem, in mera et contemplativa oratione Sacris Litteris et Liturgia nutrita. Sicut enim, missione derelicta, sacerdotalis non esset oratio, ita etiam, gratuita oratione reiecta, actuositas mox a sacerdotali missione deficeret, Domino dicente: « Sine me nihil potestis facere ».

[*Subscripserunt*] Ludovicus Julliard, vic. ap. Novarum Ebudarum; Petrus Martin, vic. ap. Novae Caledoniae; Michael Darmancier, vic. ap. Wallis et Futuna; Leo Lemay, vic. ap. Insularum Salomon Septemtr.; Daniel Stuyvenberg, vic. ap. Salomon Merid.; George Pearce, vic. ap. Samoa et Tokelau.

95

Exc.mi PP. EPISCOPI AFRICAE SEPTEMTRIONALIS

Au moment où le schéma *de vita et ministerio sacerdotali* doit retourner à la commission pour refonte du texte, nous souhaiterions voir introduire les points suivants:

1. Le sacerdoce est de sa nature missionnaire.

2. Les fonctions du prêtre découlent de cette nature missionnaire du sacerdoce. Elles doivent tenir compte des urgences de la mission et de l'évangélisation.

3. L'évangélisation des pauvres est le signe que la mission s'accomplit pour tous.

4. Les conditions d'exercice du ministère doivent être telles qu'elles rendent le prêtre proche des hommes au milieu desquels il vit. Cf. S. S. PAUL VI, Enc. *Ecclesiam Suam* (éd. Vaticane, p. 57): « ... comment en même temps se rendre capable d'approcher tous les hommes pour les sauver tous, selon l'exemple de l'Apôtre: *je me suis fait tout à tous, afin de les sauver tous?* On ne sauve pas le monde du dehors; il faut comme le Verbe de Dieu qui s'est fait homme, assimiler, en une certaine mesure, les formes de vie de ceux à qui on veut porter le message du Christ; sans revendiquer des privilèges qui éloignent, sans maintenir la barrière d'un langage incompréhensible, il faut partager les usages communs, pourvu qu'ils soient humains et honnêtes, spécialement ceux des plus petits, si on veut être écouté et compris. Il faut, avant même de parler, écouter la voix et plus encore le cœur de l'homme; le comprendre et autant que possible le respecter et, là où il le mérite, aller dans son sens. Il faut se faire les frères des hommes du fait même qu'on veut être leurs pasteurs, leurs pères et leurs maîtres ».

5. Les tâches du diocèse sont divisées, selon les besoins de l'Eglise et les aptitudes diverses, entre tous les prêtres. Bien qu'accomplissant des fonctions diversifiées, ils sont, par leur ordination, solidaires pour le progrès du Royaume de Dieu, et ne forment qu'un presbyterium dont l'évêque est le centre.

[*Subscripserunt*] Leo Etienne Duval, arch. Alger; Georges Mercier, év. Laghouat; Paul Pinier, év. Constantine; M. Perrin; Gaston-M. Jacquier, aux. Alger; Bertrand Lacaste, év. Oran; L. A. Lerèvre, arch. Rabat.

96

QUIDAM PP. EPISCOPI INSULAE DE MADAGASCAR

N. 3, pag. 9, lin. 28: post verba « totam vitam impendant » addatur: Sacrificium laudis persolventes, attenta et devota recitatione propriam vitam spiritualem alant. *Rationes*: Sacrum hoc Concilium in constitutione *de s. Liturgia* in mentem omnium, et praecipue sacerdotum, revocavit momentum s. Liturgiae ad vitam spiritualem fovendam et augendam, et in specie momentum quod ad hunc finem habet recitatio divini Officii in qua mens cum labiis concordet. Peropportunum ergo videtur ut in hoc numero schematis, in quo indicantur media praecipua et propria sacerdotibus ut ad sanctitatem tendant, expresse commemoretur Officium divinum; eo vel magis quod expresse commendatur oratio mentalis et alia translaticia subsidia quae non sunt propria status sacerdotalis.

N. 4, pag. 10, lin. 14: post verba « confratribus suis », addatur: praesertim senibus et infirmis.

Lin. 24: post verbum « instaurent », addatur: Fratres in ordine sacer-

dotali qui extra viam errant peculiari caritate et sollicitudine prosequantur et reducere conentur. *Rationes*: sacerdotes quam propius accedere debent ad exemplar summi et aeterni sacerdotis, qui omnia omnibus factus est, sed praecipue curam habuit infirmorum et peccatorum; hoc peculiariter facere debent erga sacerdotes infirmos et lapsos qui ipsis sunt proximiores et Christo sunt cariores.

De sacerdotibus lapsis, qui problema magni momenti pro Ecclesia constituunt, nihil habetur in hoc schemate, neque, salvo errore, in aliis schematibus.

[*Subscripserunt*] C. Rolland, év. Antsirabé; F. Rajaonarivo, év. Miannarivo; A. Martinez, év. Tsiroanomandidy; C. Chilouet, év. Farafangana; J. Rakotomalala, év. Tananarive; A. Tsiahoana, év. tit. Abtugni; M. Canonne, év. Tulear; J. Wolff, arch. Diego-Suarez; G. Ramantoanina, arch. Fianarantsoa; A. Fresnel; F. Vollaro, év. Ambatondrazaka; J. Zimmerman, év. Morombe; Ad. Messmer, év. Ambanja; J. David, év. Majunga; F. Thoyer, arch. tit. Odesso; J. Puset, év. Tamatave.

APPENDIX

APPENDIX

I [5]

1. Schema decreti

DE APOSTOLATU LAICORUM *

PROOEMIUM GENERALE

1. Sacrosanctum Concilium Vaticanum II summopere vult Ecclesiam ipsam Spiritu Christi amplius informari et suo ministerio omnes homines « salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire » (*1 Tim.* 2, 4), atque « virtutem perennem vitalem divinam Evangelii in venas inicere eius, quae hodie est humanae communitatis ».[1]

Cum autem ad haec omnia feliciter consequenda laicorum apostolatus incrementum omnino requiratur, eiusdem principia pastoralia, formas et methodos, momentum et dignitatem dilucide explananda decernit, iuxta tractationem « De Laicis » eorumque apostolatum iam habitam in Constitutione Dogmatica « De Ecclesia ».

2. Ecclesia Christi est « populus Dei », quem Princeps Apo-

---

* *In initio fasciculi legitur*: Ss.mus Dominus Noster Ioannes Pp. XXIII, in audientia hac die infrascripto impertita, statuere dignatus est ut hoc schema, in Concilio Oecumenico Vaticano Secundo discutiendum, ad eiusdem Concilii Patres transmitteretur.

Ex Aedibus Vaticanis, die XXII mensis Aprilis, anno MCMLXIII.

Hamletus Ioannes Card. Cicognani
a publicis Ecclesiae negotiis

Notae, quae singulis schematis capitibus adiciuntur, schematis partem non efficiunt, sed a Commissione Conciliari ideo exaratae sunt, ut Patribus schema pervestigantibus essent subsidio. Verba autem, initio numerorum litteris inclinatis inter uncos [ ] posita, in redactione definitiva tollentur.

[5] stolorum « gentem sanctam » et « Regale Sacerdotium » appellat. Hoc in sancto Dei populo, alii vocantur ad statum clericalem, in quo regimini et servitio Ecclesiae speciali consecratione devoventur; alii ad statum « perfectionis » per viam trium consiliorum; alii vero ad Deo serviendum perfectionemque assequendam in communi christifidelium statu et in ordinariis plerumque condicionibus vitae familiaris et socialis.[2]

3. Totius Ecclesiae missio est opus Christi in terris continuare, non per solam Hierarchiam, sed per omnes etiam christifideles qui, vi insertionis Corpori Mystico et participationis missionis, praesertim Regalis Sacerdotii Christi, recipiunt ius, honorem et officium exercendi, modo sibi proprio, apostolatum eiusdem Ecclesiae; et sicut mysteria Incarnationis et Redemptionis divinam erga homines caritatem manifestant, ita omnia christifidelium opera in aedificatione corporis Christi hanc ipsam caritatem cum hominibus communicant eiusdemque testimonium praebent.

Licet nulla aetate defuerit laicorum apostolatus, nostris tamen
[6] temporibus, non sine peculiare Spiritus Sancti motione, in christifidelium animis et in ipsa communitate christiana vividior et profundior sensus Ecclesiae efficitur et clarior fit conscientia etiam laicos Ecclesiam esse et eius vitam participare ac de ea respondere.[3]

Progressus scientificus et technicus, hominum in dies auctus numerus, peramplium rerum profanarum dominium ac multiplicitas relationum socialium inter homines magis magisque dilatata sunt spatia quae laicorum praesertim exspectant apostolatum.

Huiusmodi autem apostolatus urgentior fit eo quod multi homines, in neopaganismo versantes, longe a Christo et Ecclesia vitam degentes, non possint nisi per vicinos laicos Evangelium audire et Salvatorem agnoscere, et eo quod multae provinciae ordinis temporalis absque debito reguntur respectu principiorum religiosorum ac moralium.

4. Sacrosancta proinde Synodus omnes utriusque sexus fideles ex laicorum ordine amanter et instanter hortatur ut, collatis viribus cum clericis et religiosis, una cum Hierarchia divinitus instituta, Spiritu Sancto animati, missionem suam pro Deo et propter Deum indesinenter expleant.

5. In primis ideo principia generalia ad apostolatum laicorum fovendum exponuntur; deinde rationes declarantur quibus par-

ticipatio laicorum missioni Ecclesiae ad effectum perducitur: nempe per collaborationem magis directam ad opus evangelizationis et sanctificationis, per actionem caritativam et per actionem in ordine temporali christiano afflatu perfusa.[4] [6]

NOTAE

[1] IOANNES XXIII, Const. Ap. *Humanae Salutis,* 25 dec. 1961: *A.A.S.,* 54 (1962), p. 6.

[2] In schemate nostro agitur de his ultimis, minime autem, ut patet, de Institutis Saecularibus, quorum competentia ad Commissionem de Religiosis pertinet.

Cum vero principia Pii Papae XII de Institutis Saecularibus hoc, peculiari ratione, in luce ponant membra scilicet horum Institutorum in saeculo vitam degere, quae hic de Laicorum Apostolatu dicuntur, iis etiam applicantur, nisi contextus, aliud innuat. Sicque palam est eos partem in organizationibus apostolatus laicorum habere. Ut tamen huiusmodi organizationes de Apostolatu Laicorum suam notam specifice laicalem servent, regimen earum, ad normam generalem, laicis commissum maneat.

[3] PIUS XII, *All. ad Cardinales,* 18 febr. 1946: *A.A.S.,* 13 (1946), pp. 101-103; *Sermo ad Iuvenes Operarios Catholicos,* 25 aug. 1957: *A.A.S.,* 24 (1957), p. 843. [7]

[4] Documenta quae a Commissione de Apostolatu Laicorum hic praebentur, fructus sunt laboris qui e duplici initio originem repetit: nempe ab opusculo cui titulus « Quaestiones Commissionibus praeparatoriis Concilii Oecumenici Vaticani Secundi positae » necnon ab Episcoporum « Votis ». Utrimque diversae concretae condicionis Ecclesiae resonantia audiebatur, cuius diversitatis a Membris et Peritis ipsis in discussionibus ratio habita est.

a) In tractatione nostra praeprimis notare voluimus, sive providentissimum Deum in christifideles maiorem responsabilitatis sensum in apostolatu infudisse, sive quanta effici possint pro regno Dei a christianis viventibus in mediis negotiis mundi huius celeriter ac penitus sese evolventis, cuiusque campi principiorum Evangelii expertes esse periclitantur.

Tunc apostolatus laicorum in tota sua extensione enituit, iuxta multiplices et varias operositates; absque dubio tamen cum in Sacramentis Baptismi et Confirmationis fundamentum habeat, maxima apostolicorum officiorum pars tum clericis tum laicis communis est; nec facile saepe distingui potest quid reapse ad clericos, quid vero ad laicos pertineat.

Ceterum vero, diversos campos considerantes in quibus laici apostolatum exercent, non semper adeo facile erat percipere sub quonam aspectu religioso aut sociali, res potius scrutari oporteret; determinata via nobis eligenda fuit.

b) Praesentium Ecclesiae condicionum consideratio laboribus nostris viam adaperuit atque stravit: in Prima Parte tractare voluimus ergo de principiis generalibus ad apostolatum laicorum fovendum, in tota sua amplitudine consideratum, scilicet: De diversis modis quibus apostolatus laicorum

[7] ad effectum deduci potest (i. e. ab omnibus et singulis ac consociativis formis), De recto ordine in apostolatu laicorum (i. e. de relatione ad Hierarchiam et de mutua coordinatione), De quibusdam peculiaribus sollicitudinibus Ecclesiae circa apostolatum laicorum in praesentibus vitae condicionibus, et in fine, postquam breviter de quibusdam campis apostolatus laicorum, de laicorum formatione ad apostolatum.

c) Insuper, ob diversas pro diversis nationibus condiciones, impossibile fuit, prout nunc res iacent, maiorem conceptuum acclarationem et magis determinatam terminologiam exhibere. Quapropter optimum nobis visum est, documenta exarare quae sollemne ad actionem invitamentum atque incitamentum essent, ac simul principia directiva generalia proponerent nostris aptata temporibus: quo magis vero haec omnia praesentes rerum condiciones minime negligant, principia haec ulterioribus necessariis progressibus viam pandunt.

[8]

PARS I

DE APOSTOLATU LAICORUM IN GENERE

TITULUS I

DE DIVERSIS MODIS QUIBUS APOSTOLATUS LAICORUM AD EFFECTUM DEDUCI POTEST

CAPUT I

DE APOSTOLATU AB OMNIBUS ET A SINGULIS EXERCENDO

6. [*Multiformis apostolatus individualis*]. Omnium baptizatorum, cuiusvis aetatis, sexus aut condicionis, ius, honor et officium est cum Christo collaborare ad salutem confratrum suorum.

Sedulo colant *orationem apostolicam*; quos autem divina gratia ad intimiorem orationem et contemplationem in mediis saeculi negotiis colendam invitat, huic gratiae humiliter et generoso animo cooperentur ad suam sanctificationem Ecclesiaeque aedificationem, minime praetermissa officiorum suorum fideli adimpletione.

Christo patienti sese conforment eius passionem in suis corporibus perpetuantes voluntariis paenitentiis, laborum, aerumnarum vitae et in primis infirmitatum tolerantia; *vitae cohaerenti cum fide* testes sint Christi, etiam cum non catholicis forsan conviventes; numquam negligant *apostolatum verbi* doctrinam ab Hierarchia auctoritative propositam verbis et scriptis profitentes, de-

fendentes atque diffundentes; opibus suis *opera caritatis missionesque* libenter *sustentent* et Ecclesiae necessitatibus cum gratiarum actione subveniant (cf. *Phil.* 4, 6). [8]

7. [*Irradiatio apostolica*]. Ut cohaerentia vitae cum fide christifideles veluti centra radiationis spiritualis fiant, requiritur ut tali rectitudine morali se gerant, etiam in negotiis mere profanis, et tali professionali idoneitate gaudeant, ut omnes quibuscum versantur ad veri bonique amorem, et ad ipsum Christum et Ec- [9] clesiam attrahantur.[1]

Insuper satagant ut in variis societatis campis paulatim condiciones ambitusque vitae creentur, in quibus homines adiuncta favorabilia pro vera vita christiana invenire possint.[2]

8. [*Apostolatus in proprio ambitu*]. Apostolatus « ambitus » primario *a simili* exercendus est *erga similem,* scilicet ab illis qui in iisdem condicionibus vitae vel occupationis versantur vel eas ultro amplectuntur iuxta illud « primi et proximi opificum apostoli opifices sint oportet ».[3]

Qui in eodem ambitu vivunt, *etiamsi diversis condicionibus* vitae vel professionis, bene noscant et comprehendant oportet legitimas aspirationes, adiuncta vitae et adversas fortunas eorum qui cum ipsis vivunt vel opus faciunt.

Apostolatus in proprio ambitu complectitur quotquot ibi inveniuntur *sive domestici fidei sint sive non*; nec ullum excludit bonum, spirituale vel temporale, quod eis facere fas est, siquidem christianorum est promovere « quaecumque sunt vera, ... quaecumque iusta, quaecumque sancta » (*Phil.* 4, 9).

In diversis formis apostolatus ambitus, spectata diversitate condicionis et habilitatis, omnes sua faciant problemata proximorum tamquam fratrum et efficaciter conferant ad ipsa solvenda etiam principiis christianis opportune suggestis, et data occasione, ne negligant verbum Dei cum aliis communicare.

9. Praeterea, conscii suae condicionis membrorum societatis temporalis, laici active sese impendant — lumine fidei ducti et coniunctim cum aliis — ad bonum commune promovendum, progressu condicionum vitae et institutionum iuxta ordinem a Deo conditum et leges cuique proprias, ita ut huius temporis « civilitas » conformis reddatur ordini vere humano et spiritui Evangelii,[4] et, demum, ut ad ultimum perveniatur finem a Deo constitutum: « instaurare omnia in Christo » (*Eph.* 1, 10).

[10]

Caput II

DE CONSOCIATIVIS APOSTOLATUS FORMIS

10. [*Actio consociata*]. Singulorum apostolatus, semper quidem frugifer, et quibusdam in adiunctis unice aptus, saepe tamen plenam suam efficaciam non consequitur nisi christifideles in coetibus coadunati in unum conspirent. Consociatio enim non solum praesefert speciem unitatis Ecclesiae, sed et sua membra tuetur, sustinet et ad apostolatum format, eorumque activitatem apostolicam sic praeparat, coordinat et moderatur, ut multo uberior exinde sperari liceat fructus quam si singuli separatim agant. In praesentibus vero adiunctis, pernecesse est ut in omni ambitu activitatis laicorum consociata et organizata forma apostolatus roboretur; etenim arcta virium unio sola valet omnes apostolatus hodierni fines plene consequi, simulque perniciosas pressiones collectivas valide repellere.

11. [*Formae variae*]. Magna invenitur varietas inter apostolatus formas iuxta historicam earum originem, nationum indolem, temporum ac locorum adiuncta, et praesertim iuxta diversos fines apostolicos, quos laici ipsi sibi proposuerunt vel eis ecclesiastica indicavit Hierarchia.[5]

12. [*Associationes apostolatus aestimentur*]. Associationes apostolatus magni habendae sunt, praesertim eae quas Ecclesia speciali modo laudaverit vel commendaverit.

Associationes vero, quas ecclesiastica auctoritas tamquam obligatorias in dioecesi vel paroecia instituendas decreverit, pariter ac a sacerdotibus et a religiosis, a laicis speciali modo aestimandae et secundum modum uniuscuiusque promovendae sunt. Immo ipsi curent earum finem et spiritum agnoscere atque attente perpendant utrum ad ipsas a Deo vocentur.

13. [*Libertas et unitas*]. Salva debita cum auctoritatibus ecclesiasticis relatione, libertas laicorum in associationibus organizandis, et praesertim in adhaesione eis danda, agnoscatur; nec liceat uniformitatem sub specie unitatis statuere et Spiritum cohibere. Sub alio vero respectu, quantumvis multiplicitas formarum apostolatus consociati signum sit fecunditatis Ecclesiae, vitanda

tamen est virium dispersio, quae fit praesertim promovendo sine [11] ratione sufficienti associationes et opera.[6]

14. [*Associationes fidelium in iure condito et condendo*]. Quoad associationes de quibus agit Codex Iuris Canonici in canonibus 700-725, etsi non omnes immediate finem habent apostolicum, curent Ordinarii ut spiritum vere apostolicum in eorum membris excitent et forment, et ad opera apostolatus individualis ac socialis exercendum ea stimulent. Curent etiam ut huiusmodi associationes sint adiutorio sibi invicem atque variis apostolatus inceptis.

Insuper Sacrosancta Synodus mandat, ut Commissio ad Codicem Iuris Canonici recognoscendum ea, quae de consociativis apostolatus laicorum formis in hoc Decreto dicuntur, in ius condendum recipiat, et ea quae de associationibus fidelium in iure iam statuuntur apostolatus Ecclesiae hodiernae necessitatibus adaptet.[7]

NOTAE

[1] Unusquisque necessario insertus vivit in aliquo ambitu sociali a quo multiplici ratione afficitur, et quem ipse vicissim sua vita et activitate meliorem vel deteriorem efficere potest. Noverint igitur christifideles laici, se divinae Providentiae consilio positos esse in determinatis adiunctis, tamquam divinum fermentum ad ea reformanda et elevanda. Etenim, per ipsos, pleno iure laborantes in utroque regno, caelesti scilicet et terrestri, facilius se reddere valet Ecclesia principium vitae humanae societatis (cf. Pius XII, *Alloc. ad PP. Card.*: *A.A.S.*, 38, p. 149). Laicus igitur, christiane agat oportet non solum in familia ecclesiali paroeciae cui adscriptus est, sed etiam in societate saeculari in qua vitam degit: hi duo ambitus non possunt ab invicem seiungi, cum mutuo se compleant et sint singulis necessarii.

Hunc apostolatum « ambitus » oportet hodie, varias ob causas, suos olim suetos fines geographicos et sociologicos omnino excedere, et intensitate plurimum crescere. Etenim materialis progressus et efficaciora socialis communicationis instrumenta iam late induxerunt tales condiciones generales et exigentias quales omnino limites domicilii superant. Frequens mutatio loci, sive laboris sive animi relaxationis causa, populorumque migrationes, quae homines a suo solito domicilio pastorumque cura subtrahentes in media pericula plerumque proiciunt. Sed et ipsis propriis in domiciliis viventibus, condiciones sive laboris sive recreationis aliarumve activitatum humanarum tales sunt quae facile eos ab omni vita spirituali avocent. Haec autem omnia laicorum apostolatui novas possibilitates praebent urgentioraque officia imponunt.

[2] Pius XII, *All. ad II. Conventum Universalem Apostolatui Laicorum provehendo,* 5 oct. 1957: « Pour éduquer le jeune homme à ses responsa-

[12] bilités de chrétien, il importe de garder son esprit et son cœur dans une atmosphère saine. On pourrait dire que les institutions doivent être tellement parfaites, qu'elles puissent par elles seules assurer la sauvegarde de l'individu, tandis que l'individu doit être formé à l'autonomie du catholique adulte, comme s'il n'avait à compter que sur lui-même pour triompher de toutes les difficultés ».

[3] Cf. PIUS XI, Litt. Encycl. *Quadragesimo Anno,* 15 maii 1931: *A.A.S.,* 23 (1931), pp. 225-226.

[4] Cf. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Mater et Magistra,* 15 maii 1961: *A.A.S.,* 53 (1961), p. 256.

[5] Ad acclarandam terminologiam circa varias organizationes in quibus laici ad Regnum Dei provehendum adlaborant, Commissio de Apostolatu Laicorum exhibet titulum ipsum, quem Apostolica Sedes huic Commissioni dedit, ut « genus proximum » pro omnibus supradictis consociationibus.

Sub hac vero denominatione comprehenduntur, veluti « specificae differentiae » eae quae, aut ab ipsa Sede Apostolica pro universa Ecclesia, aut ab Ordinariis pro sua Dioecesi, utpote characterem apostolatus laicalis, agnoscantur.

[6] « Illud vero etiam atque etiam commendandum, ut initae consociationes non modo felici vivant concordia, verum aptissime ad unum copulentur: sodalicia nempe paroecialia, dioecesana consiliumque nationale dirigens, omnia congruenter vincta atque contexta sunto. Ut membra scilicet corporis unius, ita invicti exercitus cohortes. Virium compactio non dissipatio; non fortuitus quidam operum concursus, sed ordinata ad commune bonum conspiratio, non singularum partium sponte egerminantis florentisque vitae compressio, sed progrediens artuum viriumque auctus, ita ut decor et venustas cum apta membrorum compositione in toto corpore eniteant » (PIUS XI, *Quamvis Nostra*: *A.A.S.,* 28 [30-4-1936], pp. 160-161; Ad Em.mum Sebastianum Leme de Silveira Cintra, Archiepiscopum S. Sebastiani Fluminis Ianuarii, atque ad ceteros RR. PP. DD. Archiepiscopos et Episcopos Brasiliae De Actione Catholica aptius provehenda).

[7] Hic numerus est summula alicuius studii facti de Associatonibus fidelium, a Commissione quadam mixta, composita ex Commissione de Disciplina cleri et populi christiani et ex Commissione de Apostolatu laicorum.

TITULUS II [13]

DE RECTO ORDINE IN APOSTOLATU LAICORUM SERVANDO

CAPUT I

DE RELATIONE AD HIERARCHIAM[1]

15. [*Diversae ad Hierarchiam relationes*]. Apostolatus laicorum, sive ipsi singuli, sive consociati agunt, quoad Hierarchiam varios relationis modos admittit, ratione obiecti, vel iuxta diversas eiusdem apostolatus formas.

Sacrae Hierarchiae est laicorum apostolatum fovere, principia, spiritualia subsidia et praecepta pro rei opportunitate afferre.

16. [*Incepta apostolica a laicis instituta*]. Plurima inveniuntur in Ecclesia incepta apostolica, quae laicorum libera electione constituuntur et eorum prudenti iudicio exercentur, praesertim cum agitur de ordine temporali christiane animando, salvo tamen Hierarchiae iure invigilandi.[2]

17. [*Adnotatio catholicitatis*]. Nullum autem inceptum nomen catholicum sibi vindicet, nisi implicite vel explicite consensus accesserit legitimae auctoritatis ecclesiasticae.

18. [*Approbatio vel laus*]. Aliquando a Sacra Hierarchia quaedam laicorum apostolatus formae instituuntur vel agnoscuntur aut commendantur.

19. [*Mandatum*]. Est et alius actus quo ecclesiastica auctoritas propter necessitates boni communis Ecclesiae, specialem directionem et responsabilitatem assumit alicuius incepti apostolici laicorum, sive quoad singula sive quoad coetus, in finem spiritualem intenti. Ita Hierarchia apostolatum laicorum, iuxta adiuncta diversimode ordinando, suo proprio apostolatu arctius coniungit, servata tamen propria natura et mutua distinctione utriusque, neque laicorum ablata necessaria facultate sua sponte agendi. [14] Huiusmodi actus mandatum appellatur.[3]

20. [*Missio canonica*]. Ecclesia consuevit laicis munia quaedam committere, quae proprie ad ipsam Hierarchiam pertinent.[4]

[14] Vi huiusmodi missionis quae canonica appellatur laici ipsius Hierarchiae apostolatum suo modo participant, et, quoad muneris collati exercitium, plene subduntur superioris ecclesiastici moderationi, et eorum apostolatus officialis in Ecclesia fit.

21. [*Pastores et apostolatus laicorum*]. Semper meminerint Episcopi, parochi, ceterique sacerdotes utriusque cleri officium exercendi apostolatum esse proprium omnibus fidelibus sive clericis sive laicis, et in aedificatione Ecclesiae laicos speciales habere partes, ita ut alii in eorum locum substitui non possint, saltem sine magno incommodo. Quapropter laicorum dignitatem et responsabilitatem in Ecclesia agnoscant; una cum laicis operandum esse in Ecclesia et pro Ecclesia semper in mente habeant; eorum apostolatum impense promoveant; magnam curam praestent laicis in apostolatu militantibus; libenter eorum consilio iuxta propriam competentiam utantur; cum fiducia eis in servitium Ecclesiae munera committant; illis in proprio ambitu pro rei natura, agendi libertatem et spatium relinquant, immo eos ad actionem et ad sua sponte agendum excitent.

22. [*Munera sacerdotum in apostolatu laicorum*]. Episcopi magna cura seligant sacerdotes apostolatui laicorum idoneos. Qui huic ministerio vacant, vi missionis ab Hierarchia acceptae, illam repraesentant in sua actione pastorali, aptas laicorum relationes cum ipsa foveant, quam maxime cordi habeant ut fidelitas doctrinae et spiritui Ecclesiae necnon praeceptis et principiis directivis auctoritatis ecclesiasticae servetur; seipsos in educanda vita spirituali et sensu apostolico christifidelium sibi commissorum impendant; eorum apostolicae operositati sapienti suo consilio adsint atque incepta foveant; una cum laicis ipsis attente inquirant quaenam sint formae ad efficaciorem reddendam apostolicam actionem; unitatem spiritus in consociationibus ipsis et earum cum aliis promoveant.

Religiosi tandem, sive fratres sive sorores, qui operibus apostolatus laicorum se devovent, munera sacerdotis sustinere, adiuvare, complere curabunt.

Caput II [15]

DE MUTUA COORDINATIONE

23. [*Necessitas coordinationis*]. Ad « unitatem spiritus in vinculo pacis » promovendam inter multiplices et varias organizationes, ut fines communes maxima efficacia obtineantur ac perniciosae aemulationes vitentur caritasque splendeat fraternitatis, apta exigitur mutua aestimatio earumque coordinatio, servatis uniuscuiusque organizationis indole et cuique propria ad Hierarchiam ecclesiasticam relatione.

Quod maxime convenit, cum peculiaris actio pastoralis requirit coordinationem et harmoniam apostolicae operositatis cleri, sive saecularis sive regularis, religiosorum omnium et fidelium.

24. [*Instrumenta mutuae coordinationis*]. Hierarchiae sollicitudini commendatur opportunorum constitutio centrorum in ambitu paroeciali, dioecesano, nationali et Ecclesiae universalis, ut variae associationes et incepta apostolica convenire inter se et communicare possint, et, salva uniuscuiusque indole et autonomia, operam suam mutuo coordinare.

25. In qualibet natione, Episcopi ut omnes apostolatus laicorum operae mutuo coordinentur ultro studeant, institutis etiam ad rem una vel pluribus commissionibus, ad quas etiam sacerdotes et laici ordinaria ratione pertineant suadetur.[5]

26. Valde opportuna insuper iudicatur constitutio apud Sanctam Sedem cuiusdam particularis et sui iuris officii seu secretariatus in servitium et impulsum apostolatus laicorum, tamquam centrum quod aptis mediis et adlaborantibus, una cum sacerdotibus, etiam delectis laicis in hac re versatis, informationes de variis inceptis apostolicis laicorum suppeditet, investigationibus de hodiernis quaestionibus in hac provincia exsurgentibus studeat, arctiorem in dies participationem laicorum ad apostolatum Ecclesiae promoveat atque aptiorem foveat collaborationem inter opera apostolatus laicorum — praesertim quoad foederationes aliaque instituta catholica internationalia —, iuxta tamen indolem ac particulare genus relationum ipsarum cum ecclesiastica auctoritate.[6]

[16] NOTAE

[1] Cf. *Acta et Documenta Concilio Oecumenico Vaticano II apparando,* Series I, Appendix Vol. II, *De laicis,* p. 761, nn. 39-40.

Ecclesia Corpus Mysticum est, in quo « officia membrorum dispertita sunt, sed unus spiritus continet omnia. Multa iubentur, multa fiunt: unus iubet, uni servitur » (S. AUGUSTINUS, *Sermo 268,* in die Pentecostes: *PL* 38, 1232). Nam, ut ait S. Paulus, Christus « dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero evangelistas, alios autem pastores et doctores; ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi » (*Eph.* 4, 11-12).

Haec autem diversitas et hierarchicus ordo ministeriorum non inficit fundamentalem aequanimitatem et mutuam coniunctionem omnium membrorum Ecclesiae. Unde Augustinus: « Custodimus enim vos ex officio dispensationis, sed custodiri volumus vobiscum. Tamquam vobis pastores sumus, sed sub illo Pastore vobiscum oves sumus. Tamquam vobis ex hoc loco doctores sumus, sed sub illo uno Magistro in hac schola vobiscum condiscipuli sumus » (*Enarrationes in Psalmos,* 126, 3; *PL* 37, 1669). « Ubi me terret quod vobis sum, ibi me consolatur quod vobiscum sum. Vobis enim sum Episcopus, vobiscum sum Christianus. Illud est nomen suscepti officii, hoc gratiae; illud periculi est, hoc salutis (*Sermo 340,* in die Ordinationis suae II: *PL* 38, 1483).

Cum igitur Ecclesia familia sit, cuius membra « iam non (sunt) hospites et advenae, sed (sunt) cives sanctorum et domestici Dei » (*Eph.* 2, 19), sua ipsa natura arctam unionem et concordem operam omnium membrorum suorum exigit.

[2] Cf. S. C. CONCILII *Rescript. circa Societatem S. Vincentii a Paulo,* 13 nov. 1920: *A.A.S.,* 13 (1921), pp. 137-140.

[3] Ad distinguendos conceptus mandati et missionis canonicae sequentia notanda sunt:

Mandatum de quo hic iuxta nominis acceptionem a Summis Pontificibus ac plurimis Episcopis nostris hisce temporibus adhibitam agitur, est actus auctoritatis ecclesiasticae quo ipsa, assumens specialem directionem et responsabilitatem alicuius formae organizatae apostolatus laicorum in finem spiritualem intentae, suam quoque missionem ei impertit, sic integrans apostolatum laicorum apostolatui Hierarchiae velut unum continuum cum eo, servata tamen propria natura et mutua distinctione eorum.

Missio Canonica in nostro contextu est actus auctoritatis ecclesiasticae quo laicis committuntur aliqua munera quae ex se ad clerum pertinent. Non agitur de delegatione potestatis sive ordinis sive iurisdictionis, sed solum de usu laicorum ad aliqua munia clericalia sive ob defectum copiae clericorum, sive ob maiorem competentiam laicorum in aliqua determinata sphera actionis. Hisce in casibus laicus agit tamquam instrumentum auctoritatis ecclesiasticae, vere participat apostolatum hierarchicum, sed, cum agatur de activitate ad laicum non pertinente, plene dependet ab auctoritate delegante in exercitio sui muneris. Haec activitas dicitur apostolatus laicorum non ratione obiecti, sed solum ratione subiecti, sc. quia laicus exercet. Huiusmodi participatio laicorum principaliter versatur circa:

a) *Actus Liturgicos*: Plures functiones liturgicae quae Ordines Minores spectant actu delegantur laicis Sacristis et Acolythis. In terris Missionum amplius dantur concessiones hac in materia. Ubi vero persecutio grassatur, ipsa facultas SS. Eucharistiam administrandi laicis facile conceditur, uti factum est pro Tonkin anno 1881 et pro Mexico anno 1927. [17]

b) *Verbi Dei praedicationem*: Ad doctrinam christianam publice tradendam requiri missionem canonicam colligitur ex Const. Ap. « Deus Scientiarum » art. 21 (*A.A.S.*, 23 [1931], p. 251). De obligatione Parochi ad aggregandos sibi etiam laicos si opus fuerit ad catechizandos pueros, vide *C.I.C.*, n. 1333, § 1. In missionibus vero verbi Dei praedicatio maxima ex parte Catechistis committitur.

c) *Curam animarum*: Hic agitur de cura animarum proprie dicta, sc. cura pastorali quae a S. Hierarchia exercetur. De necessitate curae animarum partes laicis selectis committendi in ipsis nationibus catholicis, vide Pii XII nuntium radiophonicum ad Congr. Cath. Magonzae (*A.A.S.*, 40 [1948], pp. 419, 420). In terris missionum vero laici Catechistae canonica missione muniti, sunt velut pastores animarum qui omnia munia pastoralia exercent solis exceptis iis quae ordines sacros exigunt.

d) *Administrationem bonorum temporalium ecclesiae*: Ad hoc officium laici speciali modo praeferendi sunt tam propter eorum maiorem competentiam in hoc genere negotiorum, quam ob necessitatem Clerum liberiorem reddendi ad munia directe spiritualia exercenda.

In hoc differt *mandatum* a *missione canonica,* quod, dum per missionem canonicam laicis committuntur actus clericales circa quos ipsi nullam habent competentiam propriam, per mandatum Hierarchia sibi unit activitates apostolicas proprie laicorum quas ipsi possunt sponte sua exercere. Mandatum ergo datur non ut ipsi possint agere simpliciter et proprio nomine — quae facultas eis semper est — sed ut possint agere etiam nomine auctoritatis ecclesiasticae et coniunctim cum ea.

In hac utriusque apostolatus integratione, Hierarchia necessario exercet illud minimum saltem activae directionis sine quo ipsa non posset assumere responsabilitatem activitatis laicorum, sed ceterum relinquit ipsis maximam libertatem in suo apostolatu; dum laici ex sua parte ita suas activitates apostolicas menti Hierarchiae sponte accommodare contendunt ut apostolatus eorum vere sit complementum ipsius apostolatus hierarchiae.

Sed mandatum non se extendit ad omnem campum apostolatus laicorum, sed solum illas formas apostolatus respicit quae ipsae in finem spiritualem tendunt, quia in ordine pure saeculari Hierarchia non agit auctoritative, nec assumit responsabilitatem activitatis laicorum in eo; eos tamen adiuvat suis principiis directivis et sua vigilantia protegit.

[4] S. C. de Prop. Fide, 21 iul. 1841: Collectanea SCPF, I, n. 928, p. 521; et Ad Episcopos Mexicanos, 23 dec. 1927.

[5] Cf. Benedictus XIV, *De Synodo Dioecesana,* L. III, cap. IX, n. VII. - *Acta et Documenta* etc., Series I, Appendix Vol. II, p. 760, n. 38.

[6] Cf. *Acta et Documenta* etc., Series I, Appendix Vol. II, p. 381 sqq., nn. 9, 22.

[18] TITULUS III

DE QUIBUSDAM PECULIARIBUS SOLLICITUDINIBUS ECCLESIAE CIRCA APOSTOLATUM LAICORUM IN PRAESENTIBUS VITAE CONDICIONIBUS

CAPUT I

DE APOSTOLATU LAICORUM IUXTA VARIAS VITAE CONDICIONES

27. [*A - De iuvenibus*]. Sacrosancta Synodus momenti ac gravitatis apostolatus apud iuvenes conscia, omnes quibus quovis modo cura iuventutis incumbit, vehementer hortatur ad quaestiones de iuvenibus attente considerandas et praesertim ad eorum in apostolatu possibilitates et munera recte aestimanda. Etenim nova condicio orta est qua adulescentes et iuvenes, citius quam antea, sui iuris fiunt, a familia arcentur et ab auctoritate alienantur. Iuvenes insuper huius temporis saepe ad novam condicionem oeconomicam et socialem celerius transeunt, exigua habita vel saltem non sufficienti praeparatione ad novam vitae rationem suscipiendam. Ad munera tandem vitae publicae exercenda saepe maturius quam antea iuvenes accedunt ita ut eorum pondus in societate et in re publica administranda magis magisque invalescat.

Magni momenti sunt ad apostolatum iuvenum fovendum associationes iuveniles, in quibus iuvenes activam responsabilitatem sumant ad seipsos efformandos ad apostolatum etiam per ipsam actionem, sibi intime persuadendo Ecclesiam indigere sua ipsorum opera, iuvenum nempe ut iuvenum, ad suam missionem apostolicam explendam. Parentes filios hortentur, ut eiusmodi associationibus nomen dent.

28. [*B - De viris*]. Omnia quae de laicorum apostolatu a Sacrosancto Concilio commendantur, viri catholici peculiari modo pro seipsis prolata aestiment; ipsi enim, propter dotes virorum proprias, propter maturitatem aetatis et experientiae, ac propter munera responsabilitatis in familia, in societate civili et in organi- [19] zationibus et operibus apostolatus ingentem influxum in progressu eventuum humanorum exercere valent.

Viris nempe, qui per laborem et per professionem exercitam,

civitatis terrestris aedificatores sunt, convenit munus praecipuum [19]
adlaborandi, ut structurae societatis spiritu vere christiano imbuantur; insuper etiam fidei et vitae christianae testimonium ferre debent, quia testimonium virorum maturae aetatis et efficaciae peculiares fructus apostolicos consequitur; denique, secundum adiuncta particularia uniuscuiusque, ad homines Christo alliciendos sive ut singuli sive ut consociati se vocatos esse sentiant.

29. [*C - De mulieribus*]. Quae dicta sunt de viris, suo modo pertinent etiam ad mulieres. Ad apostolatum speciatim ab istis exercitum quod attinet, Sacrosanctum Concilium commemorat momentum eius, haud raro tamen neglectum, huic nostrae aetati omnino peculiare: sive quia mulieres fere omnes convictus humani campos ingrediuntur, sive quia humanum consortium ipsum magis ac magis, in hodiernis praesertim adiunctis, animi et ingenii dotibus indiget quibus mulieres, Creatore donante, speciali modo praeditae sunt.

Proinde, Ecclesia activitatem apostolicam mulierum magnifaciens, ab ipsis novum ardorem in apostolatu secundum earum possibilitates peculiares exspectat, simulque vehementer hortatur omnes ut diffundere satagant doctrinam Ecclesiae de muliere, praesertim de eius dignitate et responsabilitate personali ac sociali, de iuribus et officiis quoad virum et societatem domesticam, religiosam ac civilem; foveant condiciones vitae aptas ad plenam et ordinatam acquisitionem valorum naturalium et supernaturalium suae personalitatis, necnon ad rite componendum exercitium apostolatus cum muneribus praesertim familiaribus.

30. [*D - De familia*]. Sacrosanctum Concilium laudibus extollit familias christianas quae, inter difficultates nostrae aetatis, tota vita sua Evangelio cohaerentes ac matrimonii Novae Legis excellentiam ostendentes, maximi momenti testimonium coram mundo Christo afferunt. Revera Regni Christi propagatio postulat ut ipsae familiae non solum apostolicae actionis Ecclesiae bona recipiant, sed etiam, ratione sua propria, eiusdem apostolatus adiutrices et redemptionis instrumenta fiant.

Vi ipsius matrimonii sacramenti uterque coniux munus et officium habet ut erga alterum gratiae sit cooperator, necnon caritatis Christi et Ecclesiae testis; et ambo munus habent christiane [20]
educandi filios, ipsos adiuvandi in vocatione Dei circa eos dignoscenda et genere vitae libere eligendo, et in eis spiritum apostolatus fovendi.

[20] Tota insuper christiana familia particeps est apostolatus Ecclesiae; et suum munus apostolicum extendat oportet ad omnes consanguineos, eos praesertim qui in senectute veneranda vitam suam perficiunt, erga adiutrices et adiutores domesticos, necnon affines atque vicinos.

Peculiari modo apta est societas coniugalis et familiaris ad quaedam apostolica exercenda opera e quorum genere sunt, ut in primis sponsos ad matrimonium praeparent, coniugibus et familiis in angustiis moralibus vel materialibus versantibus, vel iis qui familia eiusque bonis carent, auxilium ferant, advenas et peregrinos secundum facultatem suam hospitio excipiant.

Ad sustentationem spiritualem ac materialem, ad defensionem quoque iurium familiae, et ad auxilium in ipsa activitate apostolica mutuo praestandum, opportunum esse potest ut familiae in quosdam coetus congregentur.

31. [*E - De laicis qui speciali titulo servitio Ecclesiae addicuntur*]. Materna prorsus cura, Ecclesia amplectitur laicos, sive caelibes sive matrimonio iunctos, qui perpetuo aut ad tempus in servitium institutionum et operum eius seipsos, sua competentia professionali, exhibent.

Eidem autem magni gaudii est quod in dies numerus laicorum augetur, qui proprium ministerium praebent associationibus et operibus quae magis directe apostolatui inserviunt, sive intra fines suae nationis sive in ambitu internationali sive praesertim in catholicis communitatibus missionum.

Locorum Ordinarii hos laicos grato animo et paterne recipiant, curent ne eorum condicio iuridica indefinita relinquatur neve ipsi careant necessaria institutione, spirituali solamine et incitamento, et subsidiis ad honestam sui et familiae sustentationem, iuxta postulata iustitiae, aequitatis et caritatis.

Clerus autem et populus christianus qua par est observantia ac favore eos prosequantur.

32. [*F - De apostolatu in condicionibus peculiaris difficultatis*]. Apostolatus singulorum atque familiarum peculiare momen-
[21] tum accipit in regionibus ut aiunt diasporae catholicorum, vel ubi prima Evangelii sparguntur semina.

Maxima vero necessitate hic apostolatus urgendus est grassante persecutione vel graviter impedita Ecclesiae libertate. Laici enim vices prout fieri potest sacerdotum supplentes, eos qui circa

se sunt christianam doctrinam docent, ad vitam religiosam ac [21] mentem catholicam instituunt, ad pietatem praesertim eucharisticam colendam inducunt. Insuper, cum actio pastoralis impeditur et institutiones ecclesiasticae deformantur, familiae christianae manent ultima Corporis Mystici munimenta: parentes enim, tamquam Ecclesiae tramites, liberis provident primaria salutis subsidia, baptismum nempe et fidei traditionem; in illis familiis, quasi in catacumbarum perfugio, Ecclesia vitam degit circumscriptam sane, sed pulcherrimorum sanctitatis fructuum capacem.

CAPUT II

DE QUIBUSDAM CAMPIS APOSTOLATUS LAICORUM IN PRAESENTIBUS MUNDI CONDICIONIBUS SPECIATIM COMMENDANDIS

33. [*A - In campo operis faciendi*]. Universae operandi rationes nostra aetate penitus raptimque mutantur, eo quod methodi rationabiliores applicantur, ampliores in dies hominum coetus, etiam mulierum, eis subiciuntur; eo quod impenso studio homines saepe quasi absorbent, totum cogitandi vivendique modum afficiunt personarum, familiarum, coetuum societatis humanae. Hunc progressum crescens comitatur conscientia opificum suae suique laboris dignitatis et votum aequius participandi omnia vitae socialis iura atque officia. Quae omnes evolutiones virtute Evangelii in variis mundi regionibus non sufficienter attinguntur.

Labor vero humanus non solum ut subsidium ordinarium ad propriam vitam et vitam suorum sustentandam a Deo humiliter et digne accipiendus est, sed in primis tamquam munus quo creationis opus melius experiendo cognoscitur et ad perfectionem perducitur, in servitium hominum rebus creatis vere dominantium. Est insuper bonorum et culturae multiplex fons pro genere humano; instrumentum proprias ingenii vires evolvendi, necnon exercendi virtutes et coniunctionem cum Christo ad propriam aliorumque redemptionem et sanctificationem; testimonium amoris erga fratres et generosae cooperationis ad civitatem vere [22] humanam constituendam.

Hanc christianam laboris notionem et aestimationem laici non solum in ambitu propriae professionis vivendo comprehensam habeant, sed etiam, fortiter et suaviter simul, profiteantur, eidemque quantum eis datum est, socios sui laboris concilient.

[22] Modi et formae laboris exercendi tales sint ut, sine corporis et animae detrimento, iuvenum praesertim et mulierum, ad evolutionem propriae personalitatis conferant in usu sui ipsius responsabilitatis et conformes evadant dignitati filiorum Dei.

Ad hoc multum iuvabit si formae laboris in societate, cooperantibus praesertim fidelibus in respectivis associationibus, ita evolvuntur, et a singulis, attenta propria vocatione, eliguntur quae semper melius unicuique facultatem tribuant sibi et suis necessaria procurandi, perfectionem acquirendi ac societati inserviendi et tempus magis magisque suppeditent ad vitam religiosam, familiarem, culturalem et socialem fovendam.

34. [*B - In campo ingenii culturae*]. Culturae profectus in omnibus coetibus et campis humanis, praesertim sub scientifico ac technico aspectu necnon suis instrumentis divulgationis uberrimis, res mirabilis est huius nostrae aetatis, et maximi interesse debet laicorum catholicorum. Hoc eo magis, quia fructibus huius evolutionis non tantum quidam electi, sed omnes cuiuscumque condicionis homines fruuntur.

Cultura, utpote fructus dominii intelligentiae humanae in res creatas, est bonum ex Deo promanans, et ad Eum hominem perducere valens. Unde Ecclesia eam magni aestimat eiusque progressui praesto est per suos christifideles rerum peritos et in servitium hominum se devoventes.

Necesse ergo est ut haec cultura quoquo versus humana atque christianis principiis ac moribus adaperta sit, quinimmo evangelicis veritatibus ac legibus informata. Ad hanc culturam promovendam laicorum actio omnino necessaria est.

Exculti laici triplici praecipue sensu actionem operamque suam praebere possunt:

a) ad culturam hanc genuinam apud omnes diffundendam sedulo adlaborent; ad hunc finem assequendum, neque influxum artium neque temporum subsecivorum et ludicrorum certaminum parvi faciant;

[23] *b*) suis sodalibus, subditis atque clientibus praesto sint ut et ipsi notionem christianam culturae adipisci valeant;

c) diversos culturae campos mutuo componant et ad unitatem redigant; recte aestiment varios gentium humanos civilesque cultus et ea quae in eis bona sunt aperto animo amplectantur; commercia cum culturis nondum christianis ineant.

35. [*C - De ambitibus materialismo infectis*]. Cum inter [23] varios coetus, materialismus sive practicus sive theoreticus, sive individualis sive collectivus, immo totalitarius in dies latius invalescat, Sacrosanctum Concilium monita quaedam particularia tradere cupit, quibus iuvantibus christifidelium apostolatus apud illos efficacior evadat.

Christifideles qui ad hunc apostolatum operam conferunt comparium suorum condiciones vitae atque legitimas aspirationes ad eorum humanam promotionem vere et sincere participent oportet, cohaerentiam vitae christianae ostendendo non tantum quasi agatur de doctrina abstracta, sed vitam, re et veritate personaliter susceptam et ad vitam socialem hodiernam aptatam.

Prae oculis semper habeant in hoc potissimo campo apostolatus requiri intimam cum Deo coniunctionem quae sacramentorum frequentia, vita orationis et mortificationis studio foveatur.

Ut a materialismo securius se praeservent et eum efficacius superent, laici ad hoc adlaborent ut sua actio ex communibus conatibus oriatur.

In eorum formatione pastorali:

a) instituantur laici de variis christianis doctrinis quae ab hodiernis materialistis in dubium vocantur;

b) edoceantur de doctrinis et de mentis habitu, necnon de modo ratiocinandi et agendi materialistarum, ita ut possint melius ab erroribus sese defendere, immo veritatem efficacius aliis illustrare et cum iis communicare;

c) moneantur denique iudicium mere negativum non sufficere: cum enim vix ullus error alicui veritati non sit commixtus necesse est laicos educari ad recte decernendum inter bonum et malum, quae iusta sunt agnoscendo at simul pericula sedulo detegendo ac superando.

36. [*D - De sensu morali et de publicis moribus*]. Summopere gaudet Sacrosanctum Concilium eo quod nonnulli valores morales, veluti iura personae humanae, sensus iustitiae et communi- [24] tatis gentium, magis in dies aestimantur et universalem consensum accipiunt ratione saltem theoretica; qui omnes valores nuntio evangelico perficiuntur. Attamen laici conscii fiant periculi, quod in praesentis vitae rerumque condicionibus saepe saepius gravis quaedam offuscatio sensus moralis deprehenditur, ita ut aestimatio eventuum et directio actionum non fiat secundum principia

[24] legis moralis naturalis et evangelicae. Unde consequitur ut notabiliter mores publici labantur magno cum scandalo animarum gravique perturbatione boni communis.

Satagant ergo christifideles ut ambitus vitae generalis magis ac magis sensu morali christiano imbuatur:

a) Constanti fidelitate et forti animo se gerant secundum principia legis moralis, in vita tam privata quam publica, etiamsi hoc incommoda exigat ac sacrificia.

b) Ad hunc finem cum omnibus hominibus, qui agnoscunt valorem legis christianae vel saltem legis moralis naturalis, collaborent.

c) Sedulo operam dent ut in dies christiana rerum et eventuum aestimatio agnoscatur atque diffundatur, recte efformata opinione publica, adhibitis etiam instrumentis communicationis socialis.

d) Suadeant omnes, ad recte vivendum necessariam esse gratiam Christi, cui homo libere cooperare debet.

e) In gremio humani societatis ambitus quosdam efficiant sensu morali christiano penitus inspiratos et omnibus plene apertos.

37. [*E - De apostolatu laicorum in vita publica*]. Christifideles, singuli pro condicione sua, ad verum et genuinum bonum commune promovendum ut actuose res publicas participent se obligatos sentiant et satagant ut intra ordinis moralis fines exerceatur civilis potestas. Qui autem speciali aptitudine praediti et ut decet formati in fide sunt, christiana caritate moti, laudabiliter se dedicant civitatis et reipublicae regimini, et sciant se tali actione Evangelio viam sternere.[1]

Iura civium in efformanda opinione publica et in negotiis publicis decernendis opportune vindicent; in omnibus insuper electionibus, e quibus speciatim pendet fortuna reipublicae, meminerint quanti momenti sit suum ius recte exercendi.

Omnibus enixe commendatur in his rebus honestas, sensus
[25] iustitiae, pietas in patriam ac fraterna cooperatio cum civibus bonae voluntatis.

Caveant christifideles ab omni forma suae regionis vel nationis nimio studio, ut apte promoveatur universale familiae humanae bonum.

38. [*F - De apostolatu laicorum in ambitu internationali et supranationali*]. Cum in dies humanae familiae vincula arctiora fiant, fideles laici ita cum variis inceptis internationalibus actuose cooperentur ut in ipsis bonum commune efficaciter foveant simulque testes Evangelii exsistant. Hoc fieri potest, ut saepe saepius Sacra Hierarchia significavit, sive individualiter sive apostolatum consociatum Organizationum Internationalium Catholicarum participando, sive in sinu Organizationum internationalium officialium. [25]

Laicis, qui aut exercitio professionali aut personali quadam vocatione se devovent activitatibus in internationali ambitu, indesinenter curae sit:

a) ut spiritum christianum colentes etiam congruentem pro sua condicione cognitionem sibi acquirant quaestionum et solutionum, sive doctrinalium sive practicarum, quae in vita internationali oriuntur; praesertim quoad gentes quae maturescunt;

b) ut iuvenes vocatione praedicta donati, debita instruantur praeparatione.

Actio Organizationum Internationalium Catholicarum, maximi momenti hisce nostris diebus, eo efficacior evadit quo magis voluntate collaborationis animatur, et quo magis ab omnibus catholicis sustentatur opibus.

Insuper oportet ut pastoralibus subsidiis fruantur laici qui in organizationibus internationalibus adlaborant.[2]

39. Praeter varias provincias hoc in capite tractatas, aliae nonnullae requirunt actionem apostolicam laicorum: velut traditio nuntii evangelici per activitatem catecheticam, opera educationis, actio ad unitatem christianorum fovendam, missiones ad exteros, vel in campo instrumentorum communicationis socialis. Alia Decreta Sacrosancti Concilii amplius de iis quaestionibus tractant.

Meminisse iuvat, alia ex parte, has varias provincias actionis requirere conatus communes et in unum coeuntes apostolatus iuvenum, adultorum et familiarum.

NOTAE [26]

[1] IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Pacem in terris,* 11 apr. 1963.

[2] Ad vitam internationalem hodiernam spiritu christiano efficaciter imbuendam perutile est ut promoveantur conventus et habeantur atque

[26] foveantur organizationes internationales catholicae, quarum actio tamen apte coordinata erit ad pleniorem vim obtinendam.

Hac autem instantia, quae in dies magis magisque animadvertitur et sentitur, factum est ut, Sede Apostolica approbante et favente, orirentur quaedam institutiones ad mutuam earum organizationum conspirationem assequendam.

Inter has in primis adnumerantur « Coetus Permanens ad Conventus internationales pro Apostolatu laicorum promovendos » (COPECIAL) atque « Consilium Organizationum Internationalium Catholicarum » (Conférence des O. I. C.); harum institutionum prior finem habet mutuam notitiam et collaborationem in apostolatu laicorum fovere et promovere in universo mundo, per conventus internationales vel regionales, diffusionem et profundiorem cognitionem genuini apostolatus laicorum; altera vero concordem actionem inter proprie dictas organizationes internationales catholicas promovere ita ut maiorem vim exercere possint in institutis officialibus internationalibus apud quas partes catholicas agunt.

[27]

TITULUS IV

DE LAICORUM FORMATIONE AD APOSTOLATUM [1]

40. [*Formationis spiritualis necessitas*]. Ut laicus ad apostolatum aptus fiat multiplici et integra formatione indiget. In primis haec efformatio spiritum apostolicum penitus excitare debet. Ut laicus evadat homo vere apostolicus in Ecclesia Sancta, ipsius animum sensu Dei imbui oportet. Satagat igitur lumine fidei omnia iudicare et aestimare, praesertim homines, res et eventus sui temporis ac suae vitae quotidianae; spe corroborari, quae suum laborem continuo sustineat et stimulet certa exspectatione gratiae Dei et fructuum suo tempore colligendorum; in caritate Dei vivere, qua, Patrem in omnibus et super omnia et homines tamquam fratres in Christo diligens, cupiat impendi et superimpendi pro corporum et animarum salute.

Ad hoc facilius assequendum quam maxime colat probitatem, sinceritatem, fortitudinem, humanitatem et alias virtutes naturales, sine quibus nec vita christiana, nec testimonium caritatis efficax esse potest.

41. [*Actio veluti redundantia communionis interioris cum Deo*]. Actio in servitium Ecclesiae patrata velut redundantia interioris communionis cum Deo in caritate esse debet; recolant

igitur christifideles actionem hanc accendi, illuminari, foveri per [27] continuam, crescentem communionem cum Christo Domino, qui ignem venit mittere in terram.

42. [*Formatio doctrinalis*]. Cum missio christiana eo contendat ut omnes homines Deum cognoscant et diligant, educatio laicorum ad apostolatum exigit ut progrediantur in scientia Dei, in sapida cognitione Christi eiusque Ecclesiae.[2]

Ad hoc oportet ut ipsi, praecipue ii qui in associationibus et inceptis apostolicis congregati sunt, congrua propositione doctrinae christianae, prout diversa aetas vel capacitas vel praevia praeparatio postulat, instituantur; in eorum formatione menti imprimis obversetur necessitas laicos instituendi in doctrina sociali Ecclesiae et in cognitione ingruentium quaestionum quae [28] ad eius vitam et nostra tempora spectant.

Maximi momenti est ut in educatione et praeparatione ad apostolatum laici conscii fiant adiunctorum ambituum in quibus vitam degunt et operantur.

43. [*Formatio ad actionem*]. Ut efficaciter apostolatum exercere possint requiritur in fidelibus laicis peritia probatorum instrumentorum usu acquisita. Praeter propriam artem eas quoque noscant quae sociae sint. Discant res recto ordine componere, doctrinam christianam propagare ita ut alii vere attingantur et sibi concilientur.

44. [*Formationis modus*]. Erudiantur laici ut primo circumspiciant quae sit condicio rerum; ut deinde ad eas diligenti iudicio principia christiana applicent; ut inde agant pro temporum locorumque adiunctis quod agendum est.[3]

Gradatim quidem et discrete, sed inde ab initio suae formationis, admittantur laici et ipsi libenter ingrediantur in operosum servitium Ecclesiae, memores etiam per actionem se educari ad actionem ad ipsamque vitam spiritualem plenius efformari.

Haec methodus in scholis, collegiis, Seminariis aliisque educandi institutis et formis adhiberi poterunt.[4]

45. [*Formatio progressiva*]. Cum formatio primaria una cum instructione catechetica generatim non sufficiat, aliis modis supplenda est, v. g. idonea lectione librorum et periodicorum, exercitiis spiritualibus, aliisque aptis subsidiis.

[28] 46. [*Formationis continuatio*]. Educatio haec incipere debet a prima christiana puerorum institutione: ipsi enim inde ab usu rationis sunt in Ecclesia responsabiles.

Peculiari autem modo curandum est ut ad apostolatum praeparentur adulescentes et iuvenes, ita ut illo spiritu eorum imbuatur ratio cogitandi et vivendi, quae radicitus hac aetate efformatur.

Educatio vero ad apostolatum numquam intermittenda erit, aptata quidem uniuscuiusque aetati et condicioni, speciatim autem cum quis novum aliquod momentum vitae ingreditur vel novam responsabilitatem assumit.[5]

Talis educatio peculiari modo necessaria est in regionibus in
[29] quibus sacerdotes quacumque ex causa desunt. Magni momenti est ut multi apti laici ad eos substituendos, prout fas est, exquirantur et opportune praeparentur.

47. [*Quibus officium educationis et formationis incumbat*]. Iis ad quos spectat educatio christiana, ex ipsa natura rerum officium quoque institutionis ad apostolatum incumbit; inter quos praecipuum locum obtinent parentes vel tutores, sacerdotes, catechistae, magistri et, pro suis membris, ipsae associationes. Quae de formatione ad apostolatum in communi praecepta sunt, etiam in collegiis et institutis sedulo perficiantur.

48. (*Formationis centra*]. Ad laicos efformandos penitius in apostolatu apta centra habeantur quae variis efformationis necessitatibus sufficiant.

NOTAE

[1] Ecclesiae officium est, ex missione « docendi omnes gentes » (*Mt.* 28, 18) divinitus accepta, hanc educationem apostolicam impertiendi. Hodierna vero adiuncta undique Ecclesiam premunt ad officii huius condiciones ac methodos diligenter denuo perpendendas, ad eiusque iterum perfunctionem pro viribus urgendam.

Haud pauci inveniuntur quorum christiana educatio, circumvadentis individualismi causa, apostolico careat afflatu. Sunt nempe qui putant se sibi soli vivere posse propriamque animam salvare, proximorum salute neglecta, Domini praecepto atque exemplo posthabitis, qui ait: « In hoc cognovimus caritatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit et nos debemus pro fratribus animas ponere » (*1 Io.* 2, 16). Simulque mos invaluit christianam vitam ac religiosa officia a privatis ac publicis muneribus prorsus seiungendi separandaque censendi.

Exinde oritur necessitas recte ordinatam ac sedulam educationem Ecclesiae membris impertiendi, eo quoque fine ut laici iis respondere possint gratiis quibus Divina Providentia ad Regnum Dei diffundendum eos ditavit. [29]

Huiusmodi educatio hoc intendit, ut unusquisque laicus, vocationis et participationis ad Ecclesiae apostolatum conscius, hoc officium, pro adiunctis reapse impleat.

[2] Opportunum videtur ut laici, maiori in dies numero, studiis quoque sacrae theologiae vacent eisque hunc ad finem apte obtinendum, congruarum praelectionum praebeantur opportunitates.

[3] Cf. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Mater et Magistra,* 15 maii 1961: *A.A.S.,* 53 (1961), p. 455.

[4] Cf. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Mater et Magistra*: *l. c.,* p. 456.

[5] V. g. tempore praeparationis ad Confirmationis Sacramentum suscipiendum et ad Sacram Synaxim primo adeundum; occasione ascensus ad studia ulteriora aut initio vitae laboris et professionis vel praesertim tempore novae familiae instituendae, necnon occasione migrationis vel mutationis domicilii et paroeciae. [30]

Peculiari nota signanda est necessitas educationis ad sensum et opera apostolatus pro laicis qui Ecclesiae inceptis et associationibus nomen dant, praecipue si directionis munus in eis susceperint vel suscepturi sint.

PARS II [31]

DE APOSTOLATU LAICORUM IN SPECIE

TITULUS I

DE APOSTOLATU LAICORUM AD REGNUM CHRISTI DIRECTE PROVEHENDUM [1]

CAPUT I

DE APOSTOLATU LAICORUM IN VARIIS ECCLESIAE COMMUNITATIBUS

49. [*Apostolatus laicorum in intima communione cum Ecclesia exercetur*]. Sicut vita spiritualis singulorum christifidelium in Communionem Sanctorum inserta alitur, ita et eorum activitas apostolica totius « Populi Dei » apostolatui adiungatur indeque vim hauriat oportet.

Sacrosanctum proinde Concilium omnes enixe hortatur ut, praetergressi individualisticam mentem vel quidquid particularismum — qui dicitur — sapit, conscii fiant sui muneris et officii in communitatibus Ecclesiae.

[31] 50. [*In paroeciis*]. In paroeciam, territorialem vel personalem, quae est communitas Ecclesiae, laici christifideles immediate inseruntur et per eam parocho, ut proximo et ordinario magistro et sacerdoti, adhaerentes, cum suo Episcopo coniunguntur.

In ipsa communitate paroeciali, circa altare Sacrificii, fideles citra omnes divisiones et differentias cultum liturgicum participant, suam vitam sacramentalem vivunt, verbum Dei audiunt et caritatem christianam exercent.

Omnes ergo, etiamsi ad opera pertineant e religiosis communitatibus pendentia, maximi faciant hanc beneficam institutionem curaeque animarum praestitam. Sollicite participent, secundum uniuscuiusque modum, non solum vitam spiritualem paroeciae, sed eius etiam multiplicia opera apostolica, tam ad intra
[32] quam ad extra, ita ut paroecia, signum proximum et ordinarium ipsius Ecclesiae pro multis, tamquam communitas missionaria revera sese gerat, suum salvificum influxum non sibi ipsi angusta mente retinens, sed quoquo versus diffundens ad omnes animas salvandas, quas attingere valet.

Ad hoc oportet ut unusquisque velut fermentum spirituale in medio suorum efficiatur, et eos qui a vita paroeciae longe absunt, caritate sua et prudentia, ad pastorem et ad fervidiorem vitam christianam reducere satagat.

51. [*Fraterna hospitalitas*]. Paroecialis communitas, sicut familia christiana, sensu hospitalis acceptionis praedita sit, ut eo accedentes solatium inveniant et germanum familiae comitatem, secundum mentem Apostoli dicentis: « Caritas fraternitatis maneat in vobis, et hospitalitatem nolite oblivisci... » (*Hebr.* 13, 1-3; cf. *Rom.* 12, 10).

52. [*Sensum colant diocesanum*]. Cum vero paroecia cellula, ut dicitur, tantum sit principalioris illius corporis, dioecesis scilicet, laici operam suam producant ultra fines paroeciae et maiori huius Ecclesiae parti deserviant. Filiali obsequio et confidentia cooperentur cum legitimo suo pastore; immo, iuxta monitum S. Ignatii Antiocheni, « nihil sine episcopo » agant.[2] Sicque sensum colant dioecesanum, religiosas territorii vel coetus traditiones honorent, atque muneribus saepe peculiaribus in ambitu apostolatus universalis attendant.

53. [*Ultra fines dioeceseos et in Ecclesia universali*]. Sciant [32] apostolica opera paroeciae aut dioeceseos finibus minime circumscribi, ac praesertim in nostri temporis condicionibus, incepta apostolica interparoecialia, interdioecesana, nationalia et internationalia, ab Hierarchia promota vel commendata, maximi momenti esse, quibus laici omnes, pro modulo quisque suo, collaborare satagant, quippequi ad bonum commune Ecclesiae procurandum vocati sint (cf. *Eph.* 4, 15-16).

Res et condiciones Ecclesiae ubique gentium diffusae prae oculis et in corde semper habeant, intentionibus ac principiis directivis apostolatus, Supremi praesertim Pastoris, obsequi semper parati sint.

CAPUT II [33]

DE VARIIS FORMIS APOSTOLATUS CONSOCIATI AD REGNUM CHRISTI DIRECTE PROVEHENDUM [3]

54. [*Multiplicitas formarum apostolatus consociati*]. Necessitates apostolatus Ecclesiae consociatas laicorum agendi formas in praesentibus adiunctis, ad efficacius animarum salutem ac Mystici Corporis Christi aedificationem directe promovendam, expostulant.

Quibus necessitatibus satisfacere cupiunt associationes, sive veteres sive recentiores, quarum aliae Ecclesiae finem generalem simpliciter sibi proponunt, aliae vero fines particulares, velut alicuius doctrinae spiritualis incrementum, catechistarum formationem, infidelium conversionem, cultus liturgici profectum, devotionis marianae diffusionem, opera christianae educationis, institutionem ad doctrinam socialem catholicam enucleandam et diffundendam, hisque similia.

55. [*Variae relationes cum Hierarchia*]. Hae variae formae apostolatus diversis possunt relationibus cum Hierarchia coniungi, nempe: aliae magis directe cum paroecia et dioecesi conectuntur; aliae alicui Ordini vel Congregationi religiosae adstringuntur; aliae demum solummodo sub generali vigilantia Hierarchiae constituuntur.

56. [*De peculiari quadam apostolatus laicorum forma*]. Abhinc non pauca decennia, pluribus in nationibus, laici, magis in dies apostolatui sese devoventes, variis formis actionum et

[33] consociationum sese congregarunt, quae, arctiorem cum Hierarchia coniunctionem servantes, fines immediate et proprie apostolicos prosecutae sunt.

Inter has vel etiam similes antiquiores institutiones, eae praesertim commemorandae sunt quae, etsi diversam rationem operandi sequebantur, tamen per omnes fere orbis catholici regiones latissime propagatae, uberrimos fructus, una cum aliis apostolicis inceptis pro Regno Christi, protulerunt, quaeque a Summis Pontificibus et multis Episcopis merito commendatae atque promotae, saepe ab eis nomen Actionis Catholicae accepe-
[34] runt, harum notarum concursu et cumulata acceptione constituuntur:

a) Finis immediatus huiusmodi organizationum generalis finis apostolicus ipsius Ecclesiae est, tum quod ad singulorum hominum evangelizationem et sanctificationem, tum quod ad Corporis Christi Mystici aedificationem attinet;

b) Laici, collaborantes iuxta modum proprium cum Hierarchia, suam experientiam afferunt et responsabilitatem assumunt in harum organizationum moderamine, in condicionibus perpendendis, in quibus actio pastoralis Ecclesiae exercenda sit, in elaboranda et exsequenda ratione agendorum;

c) Laici agunt non solum singuli, sed uniti quoque instar organici corporis, ita ut aptius Ecclesiae communitas exprimatur et efficacior evadat apostolatus;

d) Laici, sive sponte sese offerentes, sive invitati ad actionem et directam collaborationem in apostolatu hierarchico, agunt sub superiore moderamine ipsius Hierarchiae. Hierarchiae autem est hanc collaborationem per explicitum mandatum de apostolica opera sancire.

Organizationes in quibus hae notae simul sumptae iudicio Episcoporum re vera inveniuntur, sive nomen Actionis Catholicae habeant, sive aliud, secundum locorum ac populorum exigentias, varias structuras assumere possunt; etenim non videtur opportunum formas quae in aliqua natione instituuntur, ad alias sine discrimine transferre.[4]

Optandum tamen est ut hae organizationes, uti existunt, inter se cohaereant, in ambitu dioecesano, nationali et internationali, in dies melius sese accommodando organizationi et necessitatibus Ecclesiae.

Sacrosanctum Concilium has institutiones, quae necessitatibus

apostolatus Ecclesiae, apud multas gentes, certo respondent, enixe commendat, sacerdotes et laicos qui in ipsis adlaborant invitat, ut notas supra commemoratas magis magisque ad effectum adducant, et cum omnibus aliis apostolatus formis semper fraterne in Ecclesia cooperentur. [34]

57. Episcoporum est formas consociatas apostolatus laicorum promovere, quae, spectatis adiunctis suarum regionum, aptiores sibi videntur.

NOTAE [35]

[1] Generalioribus notis de Apostolatu Laicorum delibatis, Sacrosancta Synodus rationes praecipuas declarat, quibus participatio laicorum missioni Ecclesiae ad effectum perducitur; id est collaboratio ad operam Ecclesiae magis directe ad opus evangelizationis et sanctificationis pertinentem, actio caritativa, actio in ordine temporali christiano afflatu perfusa.

Hi tres diversi aspectus ita in unitate vitae christianae et actionis apostolicae copulantur, ut non semper facile ab invicem distingui possint nec debent in actione concreta. Revera, tempore renovationis vitae catholicae saeculo praeterito, una simul devinciebantur et quandoque confundebantur in inceptis diversarum organizationum quae ad christiana principia affirmanda et defendenda ordinatae erant.

Auctis tamen in dies, in communitate christiana, et specializationis instantia et conscientia de diversitate finium ac rationum agendi, clarius munera distinguebantur inter diversa incepta et consociationes, quae distinctio a Summis Pontificibus, praesertim inde a Benedicto Papa XV, probata est (Sermo in Festo Nativitatis Domini 1918 et Litterae Circulares Consociationis cui titulus « Unione Popolare Italiana », mense ianuario 1919, quae eundem sermonem ad effectum deducebat: unde distinctio inter Actionem Catholicam et Actionem Catholicorum).

Hierarchia immo, dum laicos hortabatur, ut in rebus mere humanis propria industria et inceptu, et qua par est autonomia, operarentur, simul sub pleniore sua responsabilitate quasdam apostolatus formas sibi assumebat, uti Actionem Catholicam et organizationes huic similes, quae magis directe ad evangelizationis et sanctificationis opus sese impendunt.

Eodem tempore et huius progressionis causa, aliae in operibus apostolatus laicorum proficuae fiebant immutationes; praevalens defendendae fidei propositum in desiderium efficacis penetrationis convertebatur; necessitas et exercitium vitae interioris instabant et progrediebantur ac simul adauctum desiderium sese impendendi ad principia christiana in res mere humanas afferenda; laicorum in apostolatu adlaborantium nexus arctior cum propriis pastoribus efficiebatur; laici ipsi in Ecclesia tamquam in domo propria se felices senserunt, crescente in ipsis conscientia se membra viva Ecclesiae esse, una cum desiderio plenioris participationis non ad actionem tantum, sed ad universam vitam Ecclesiae praesertim liturgicam.

[35] Insuper apostolatus necessitudines ad alias etiam institutiones diffundebantur, quae ad hunc proprie finem ortae non erant; simulque in universa communitate christiana vitae interioris desiderium erumpebat.

Sacrosanctum igitur Concilium ad illas imprimis apostolatus formas mentem intendit, quae magis directe et penitus in promptu sunt, ut ubique effundantur summa bona, quae Christus Ecclesiae suae concredidit.

At dum distinctionis necessitatem revocat, laetanter percipit christifideles plures generose diversis in campis opus conferre; hortatur tamen omnes, in quibusvis adlaborent campis (religioso, caritativo, sociali), ut uno apostolatus animo sese compleant ac fraterne ad ultimum apostolatus finem, ad gloriam scilicet Dei et mundi salutem, indesinenter conspirent.

[36] [2] Cf. S. Ignatius Antiochenus, *Epistula ad Trallianos,* 2, 1: *MG* 5, 676.

[3] Hoc caput tractat de omnibus formis organizatis apostolatus quae ad Regnum Christi directe promovendum instituuntur. Initium sumit ex facto diversitatis condicionum locorum et ex necessitatibus apostolicis uniuscuiusque nationis: ab isto magna diversitas organizationum fluit, sive ex initiativis fidelium, sive ex erectione Hierarchiae, ut magis his necessitatibus respondetur. Huic diversitati varietas quoque relationum cum Hierarchia ipsa oritur.

Dependentia strictior cum Hierarchia dat characterem specialem, praeter alias, associationibus Actionis Catholicae. Pars centralis capitis ergo describit, initium sumens ex historia et adiunctis praesentibus Ecclesiae, hanc formam particularem apostolatus laicorum, ab ultimis Summis Pontificibus et nonnullis Episcopis commendatam et promotam. Absque dubio in numerosis nationibus desunt organizationes Actionis Catholicae; in aliquibus nequidem ipsa expressio placet. Sed in consiliis et votis Episcoporum circa Concilium, magna copia Episcoporum quaesivit praecisationes de ipsa Actione Catholica (cf. *Acta et Documenta* etc., Series I, Appendix Vol. II, pp. 774-784; 790-792). Capitulum istud his votis respondit, inquantum quattuor notas characteristicas attente enumerat, secundum praesentem doctrinam Hierarchiae. Una vel alia nota certe invenitur in aliis associationibus; sed in Actione Catholica cumulatim acceptae habentur.

Alia ex parte, notandum est quod in aliquibus regionibus, « Actio Catholica » modo *unitario* in quattuor ramis (viri, mulieres, iuventus masculina, iuventus feminina) organizatur; in aliis nationibus habetur Actio Catholica *generalis,* scilicet in variis communitatibus Ecclesiae secundum aetatem et sexum distincta, et *specializata* iuxta diversos sive vitae sive operum campos (tamen sic specializatae huiusmodi organizationes tamquam finem immediatum ipsum finem generalem apostolicum Ecclesiae servare pergunt). Item in aliis nationibus Actio Catholica *foederativa* instauratur, in qua singulae associationes, earum nomina propria servantes, ita congregantur, ut ipsa foederatio nomen Actionis Catholicae accipiat. Notandum videtur denique multas nationes adesse, in quibus *nomen* Actionis Catholicae non invenitur, tamen institutionibus antiquioribus vel novis erectis « mandatum » a Hierarchia nationali datur; in istis nationibus magis terminus « Apostolatus laicorum » adhibetur, tamen adsunt associationes in

quibus quattuor notae Actionis Catholicae inveniuntur. Insuper in ambitu internationali quoque magis terminus Apostolatus laicorum viget, quia in organizationibus internationalibus catholicis praeter vel simul associationibus Actionis Catholicae multae aliae coniunguntur. [36]

Quodsi pro Actione Catholica specialis quaedam attentio data est, pro rationibus quidem supradictis, capitulum concludit exhortatione ut illae formae apostolatus consociati promoveantur, quae ab ipsa Hierarchia pro necessitatibus et condicionibus locorum magis apta iudicantur.

[4] Cf. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Princeps Pastorum,* 10 dec. 1959: *A.A.S.,* 51 (1959), p. 856.

TITULUS II [37]

DE APOSTOLATU LAICORUM IN ACTIONE CARITATIVA

PROOEMIUM

58. [*Momentum actionis caritativae inter opera laicorum apostolatus*]. Quamvis opera apostolatus omnia a caritate procedant, tamen inter ea praeclarum locum obtinent, iuxta exemplum et mandatum Christi, opera misericordiae, quibus auxilium hominibus in necessitate constitutis praestatur. Haec enim opera amorem erga Deum et hominem clarius manifestant, evangelici apostolatus propositum fovent, fidei semitam expediunt, miro modo amicitiae necessitudinem et societatem vitae instaurant, caritatis quam Ecclesia in Sacramentis et in Liturgia, praesertim eucharistica, celebrat, sunt perspicuum documentum.

59. [*Instantia actionis caritativae hoc tempore*]. Instrumentis expeditioribus factis, distantiae inter homines ita quodammodo evictae sunt, ut mundi universi incolae membra unius familiae se habeant. Actio igitur caritativa christifidelium, universos fines attingens, omnes homines amplecti debet, ut qui cibo potuque, vestitu, domo, medicinis, opere, instructione, vitae vere humanae ducendae facultatibus carent, aerumnis vel infirma valetudine cruciantur, exilium vel carcerem patiuntur, reficiantur et, praestitis auxiliis, leventur.

Itaque, nostra haec aetas actionem caritativam, ad quam exercendam Ecclesia a Conditore suo ius inalienabile et munus praeclarum accepit, et quam, decursu temporum, eadem egregie promovit, urgentiorem facit et in immensum prolatam.[1]

[37] 60. [*Dignitas et necessitas caritatis et iustitiae*]. Cum a christiana doctrina non minus alieni sint qui, perfectione ordinis iuris supposita, caritatem superfluam reddere autumant, quam alii, qui actionem caritativam, neglecta iustitia, extollunt, Sacrosanctum Concilium omnes christifideles admonet, ut utriusque virtutis et dignitatem et necessitatem et earum in rebus humanis ordinandis indissociabilem coniunctionem agnoscant et foveant.
[38] Ideo ne caritas iustitiam negligat, in ipsa actione caritativa quidquid iustitiae est, e contrario urget, indesinenter puritatem, integritatem, perfectionem iustitiae promovens, in altero homine alterum ego secundum praeceptum Domini et etiam ipsum Christum respiciens (cf. *Mt.* 5, 43; 25, 40).

CAPUT I

DE NATURA ACTIONIS CARITATIVAE

61. [*Actionis caritativae opera*]. Fideles omnes caritatem in cordibus suis, per Spiritum Sanctum diffusam (cf. *Rom.* 5, 5) ad actionem perducere studeant « opere et veritate » (*1 Io.* 3, 18; cf. *Iac.* 1, 2). Actio caritativa complectitur praesertim ea, quae Dominus, in novissimo iudicio, sese requisiturum esse praedixit, nempe: esurientes pascere, sitientes potare, nudos vestire, hospites suscipere, infirmos visitare, captivos redimere (cf. *Mt.* 25, 35-45), iuxta hodierni temporis adiuncta condiciones et methodos aptata. Alia iure addidit traditio christiana opera misericordiae his similia, quibus proximum diligimus ut in Deo sit.[2]

62. [*Opera adsistentiae socialis naturalis ordinis iuvanda*]. Supernaturali sua ratione actio caritativa elevatur supra ordinem naturalis adsistentiae, quae ex humano vel sociali impulsu procedit; actio caritativa, nedum illi impulsui adversetur, eum assumit, suscitat et promovet; qua propter fideles actus et incepta adsistentiae socialis, quae ad naturalem ordinem pertinet, ne a priori contemnant nec impugnent, sed potius, iuxta merita, agnoscant, eisque, collato opere pro viribus, foveant.[3]

63. [*Quilibet proximus in necessitate constitutus adiuvandus*]. Ad actionem caritativam omnes, suarum facultatum ratione habita, vocantur ubi quilibet proximus in necessitate constitutus occurrat, ita quidem ut ordo servetur caritatis, scilicet

et coniunctionis suae rationem cum eo quem iuvat et bonorum [38] quibus iuvat et necessitatis propter quam iuvat.[4]

Proximi necessitatibus adesse impensius oportet, cum periculum moralis et spiritualis ruinae proximo instet ob materialem vel socialem indigentiam.

64. [*Speciale in operibus caritatis munus laicis incumbit*]. [39] Laici opera caritativa participant praesertim eo quod bonorum suorum et temporalium laborum sociale munus attendentes, utriusque generis bona cum egenis communicant; quod varias suas naturales et acquisitas facultates, scientias et artes eorum iuvamini applicant; quod denique multiplicis adsistentiae institutis evolvendis et animandis assidue cooperantur.

Haec insuper munia laicorum magnopere laudantur: operam ad constituendam legislationem socialem conferre; indesinenter perquirere, quae sint necessitates, pro quibus opera caritativa non habentur, et eadem excitare; item denique fines se subsidia operum catholicorum iam exsistentium necessitudinibus temporum aptare.

Qui autem responsabilitatem habent in operibus caritativis moderandis, animo magno ipsis sese devoveant, memores exempli S. Vincentii a Paulo qui pauperes « dominos suos » vocabat.

65. [*Dignitas humana in actione caritativa observanda*]. Dignitatem personae, libertatem conscientiae, imaginem Dei et Christum in proximo praesentem christifideles, dum perficiunt ministerium caritatis, observent, in omni humanitate et fraternitate. Caveant igitur ipsi, ne eos quos adiuvant vel opera quibus adiuvant quasi dominandi adminicula habeant vel mera instrumenta fidei propagandae.[5]

Caput II

DE VARIIS FORMIS ACTIONIS CARITATIVAE

66. [*Quae servanda sint in exercitio caritatis individualis*]. In exercenda caritate individuali, quae omnes obligat et qua homo homini vere proximum se praebet, curandum est, urgentioribus necessitatibus primarie sublevatis, ut praecipue illa praestentur, quae humanae personae maxime conveniunt, qualia sunt: proprias facultates personarum et coetuum suscitare, ita

[39] ut sibimetipsis valeant opportune consilia praebere et laborem suppeditare, atque in primis, quae intimum hominis animum attingant, fovere.

67. [*Caritatis opera collectiva*]. Hominum egestas hodier-
[40] na die ita singulorum hominum facultates excedit, ut omnino necessarium sit, ad maiorem efficacitatem actionis caritativae unitis viribus procedere, prout ceterum ipsa socialis hominum natura exigit.

68. [*Omnes christifidelium communitates caritatis consociationes se considerent*]. Omnes universae Ecclesiae communitates veluti consociationes caritatis spiritu animatas sese considerent: quem spiritum Ecclesiae tam universalis quam particularis ad effectum operibus sibi congruis perducat.

69. [*Operibus caritatis ab Ecclesia commendatis laici cooperentur*]. Libenter cooperentur laici illis caritatis operibus quae officia parochorum sunt.[6] His et similibus institutionibus caritativis nomina et subsidia dare parati sint. Laude digni sunt, qui operibus caritativis personalibus sese impendunt et qui, prouti mores diversarum regionum ferant, otii sui magnam partem, v. g. diem dominicam, tempus vocationum aut ab opere vacuum, pro curandis miseris, senescentibus, aegrotis vel aliter indigentibus sua sponte offerunt.

70. [*Episcopi iura et officia*]. Episcopi est pro sua dioecesi, intra limites iuris universalis, opera et incepta organizata efficaciter coordinare, immo praeordinare quae opportuna videntur, prouti adiuncta ferant, cooperantibus convenienter clericis, religiosis et laicis.

In qualibet natione curent Episcopi ut, quantum fieri potest, habeatur consilium quod in omnibus associationibus caritatis promotionem spiritus caritativi vere universalis foveat, eorundem coordinationi efficaciter provideat, prouti condiciones religiosae, politicae, oeconomicae, sociales postulent.

71. Si Summus Pontifex quoddam particulare et sui iuris officium de Apostolatu Laicorum constituerit, optandum est ut in eodem peculiaris instituatur sectio de actione caritativa.[7]

72. [*Institutio ad actionem caritativam*]. Laici in myste- [40]
rium caritatis Christi apte inducantur. Momentum et dignitatem
operum caritatis parentes et praeceptores, necnon moderatores
institutionum in paroeciis et dioecesibus, illustrent. Ii quorum
interest animarum salus, promoveant laicorum ad opera caritatis
institutionem methodologicam, novis semper adiunctis accom- [41]
modatam.[8]

73. [*Laici et institutiones caritativae a religiosis promotae*]. Cum inter opera caritatis quae in Ecclesia perficiuntur conspicua sint instituta nonnulla a familiis religiosis, operibus caritativis praecipue intentis, inita, haec ut magni faciant Sacra Synodus laicos hortatur, ad auxilium et patrocinium eis praestandum, etiam moderationem participantes, atque ad vocationes pro ipsis familiis religiosis fovendas.

74. [*Communio in activitate caritativa cum non catholicis*]. Communicatio in caritate et operibus viget non solum cum domesticis fidei, sed in unitate Christi etiam cum fratribus separatis, immo et cum omnibus hominibus. Hoc modo testimonium Christo redditur et unitas ipsius familiae humanae fovetur.

NOTAE

[1] Cf. *Acta et Documenta* etc., Series I, Appendix Vol. II, Pars II, pp. 707-709: « De actuositate Ecclesiae ».

[2] Cf. S. THOMAS, *Summa Theol.*, II-II, q. 25, a. 1.

[3] Cf. plures allocutiones Pii Pp. XII, praesertim vero illam ad « Pax Romana MIIC », die 25 aprilis 1957, habitam: *A.A.S.*, 49 (1957), pp. 298-299.

Ioannes XXIII, in suo sermone ad delectos viros qui interfuerunt Conventui Consilii *Food and agriculture Organisation* (FAO), Romae habito die 10 nov. 1959, aperte dixit Ecclesiam valde probare incepta eiusdem organizationis, gratulatus est cum omnibus iis qui in ea operam dant; immo appellavit ipsam FAO « immensam operam misericordiae, operam misericordiae quae universum mundum attingere conatur » (« Mais qu'est-ce que toute l'activité de la FAO, sinon une immense œuvre de miséricorde, une œuvre de miséricorde à l'échelle mondiale! »): *A.A.S.*, 51 (1959), pp. 865, 866.

[4] Cf. S. AUGUSTINUS, *De doctrina christiana*, I, 27: *PL* 34, 29.

[5] Cf. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Mater et Magistra*, 15 maii 1961: *A.A.S.*, 53 (1961), pp. 442-443.

[6] Cf. *C.I.C.* cc. 467, 468, 469.

[41] [7] Cf. Pars I, Tit. II, Cap. II, n. 26.

[8] Quare regulares cursus ad hanc institutionem comparandam pro laicis quibus officium est exercendi adsistentiam et beneficientiam, laudandi et commendandi sunt. Ergo, quae iam exstant ad hunc finem scholae catholicae foveantur, aliaeque opportune erigantur.

Qui vero apud studiorum universitates in doctrina sociali tradenda
[42] incumbunt, doctrinam catholicam de adsistentia sociali, ratione habita progressus scientiarum, quod attinet ad vitam sive individualem sive socialem, curent elaborare.

Laici autem illa institutione informati non modo in opera et instituta Ecclesiae sese impendant, verum etiam in associationibus omnibus perviis, necnon publicis adsistentiae socialis inceptis, arrepta occasione vel opportunitate, operam navent, christianae caritatis afflatu ea curantes animare.

[43]

TITULUS III

DE APOSTOLATU LAICORUM IN ACTIONE TEMPORALI

PROOEMIUM

75. [*Ordo temporalis in Christo instaurandus*]. Cum Deus omnipotens, factor caeli et terrae, universum mundum disposuerit ad gloriam suam in plenitudine Christi Filii sui, Verbi incarnati, consummandam, meminerint christifideles se vocatos quoque esse ad universalem temporalem ordinem in Christo perficiendum, secundum illud Apostoli: « Omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei » (*1 Cor.* 3, 23).

Quapropter apostolatus fidelium etiam ipsum ordinem temporalem attingit, pervadit atque informat, ita quidem ut, integer manens in sua natura, totus simul spiritu christiano imbuatur.

Nostris temporibus peculiare momentum et necessitatem obtinet actio socialis, cui proprium est legitima bona temporalia curare in ordine ad superiora bona spiritualia.

76. [*Libertas filiorum Dei erga hominum opera servanda*]. Hodiernae aetatis proprium est ut homo, doctrinarum et artium ingenti progressu in temporalibus ditatus, necnon bonorum omnis generis copia, aptior in dies appareat ad divinam suam circa mundum vocationem implendam. Altera tamen ex parte, his ipsis particularibus bonis seductus, haud parum periclitatur ne, universalis et integrae suae naturae sensum amittens, servus operum

quae ipse confecit magis inveniatur, quam regali illa filiorum [43]
Dei libertate erga res creatas excellens, ad quam mirabiliter conditus est et mirabilius reformatus (cf. *Miss. Rom.* ad Offertorium).

77. [*Progressus disciplinarum naturalium et artium doctrina christiana completur*]. Sacrosancta igitur Synodus fideles omnes hortatur ut disciplinarum naturalium et artium progressui libenter pro viribus operam dent, illumque compleant apta cognitione hominis « ad imaginem Dei » conditi (*Gen.* 1, 26), ordinis moralis, et Creatoris mundi. Studeant insuper ut divina illa Lux, quae est Christus « Imago Dei invisibilis » (*Col.* 1, 15), in quavis humani cultus regione resplendeat, et ab Ipsa tota veritas, in ordine sive naturali sive supernaturali, magis magisque scateat.[1]

78. [*Actio vero temporalis legi morali conformanda ac caritate perficienda*]. [44]
Christifideles pariter naturalis ordinis activitates et institutiones, cum eas ad normam principiorum ipsis inditorum intelligant et regant, simul semper morali legi subiciant. Cuius observantiam caritate quae finis ac plenitudo legis est (cf. *Rom.* 13, 10) informent, ita ut ordo temporalis totus in Christo perficiatur.

Caput I

DE LAICORUM ACTIONE IN ORDINE TEMPORALI CHRISTIANE PERFICIENDO

79. [*Munus proprium laicorum*]. Christianae ordinis temporalis instaurationi ac perfectioni totius Ecclesiae est operam dare. Iamvero, sacra structura quam Ei indidit Institutor eius postulat ut fideles, qui ad officia clericorum deputantur, etiam in ordine ad temporalia imprimis ut Divini Verbi praecones et divinorum mysteriorum dispensatores inveniantur (*1 Cor.* 4, 1); laici vero, dum et ipsi ea mysteria participant, rebus temporalibus ut proprio ordinario muneri incumbunt.

Quapropter laici, in temporali ordine ad Christi gloriam instaurando, maiores partes habent; et ideo responsabilitate propria agant oportet, etsi consociati.[2]

80. [*Seligendae formae quae simul christianis principiis et concretis adiunctis respondeant*]. Cum diversissimae inveniantur in variis populis et communitatibus condiciones religiosae, cultu-

[44] rales, sociales, politicae, fideles in actione temporali exercenda eas seligant formas et methodos quae universalia vitae christianae principia, concretis temporum et locorum adiunctis spectatis, melius et efficacius applicari possunt atque cum rerum natura consonant.

81. [*In varios coetus et institutiones congregati christifideles conferant ad bonum commune*]. Hac in re permagni momenti est ut christifideles variorum coetuum socialium et institutionum valores ipsis inditos spiritu Evangelii foveant.

In formis eligendis semper prae oculis habeatur, simul cum [45] singulorum coetuum utilitate, bonum commune publicae rei, communitatis gentium et Ecclesiae.

82. [*De cooperatione catholicorum cum aliis*]. Communis veritatum christianarum vel saltem naturalis legis agnitio permittere potest, locorumque et temporum adiuncta requirere queunt catholicorum participationem cum aliis in actionibus, vel etiam in organizationibus ad fines temporales honestos assequendos. Quod si fiat, formationem catholicam ad hanc operositatem congruis subsidiis sibi comparare laici ne omittant.

Caput II

DE RELATIONE LAICORUM AD HIERARCHIAM IN EODEM ORDINE

83. In universo temporali ordine instaurando christifideles, praesertim qui peculiari ornantur habilitate, propria industria et responsabilitate agant, ratione semper habita ordinis moralis evangelica caritate perficiendi.

Ordinis moralis principia authentice interpretari et enucleare munus est ecclesiasticae Hierarchiae, cui etiam fas est iudicare, omnibus rite perpensis et cum auxilio peritorum, de conformitate operum et institutionum ordinis temporalis cum principiis moralibus et decernere de eis quae ad ordinis supernaturalis bona custodienda et promovenda requiruntur.

Hierarchia in actione sociali laicorum generosa et efficacia incepta summopere laudat atque commendat, eosque in Domino invitat ut ea quae commendaverit prompto animo ad effectum deducant.

84. [*Consilia de actione sociali instauranda*]. Commendat Sancta Synodus ut pro dioecesibus aliquod de actione sociali christiana consilium instauretur, ex peritis sacerdotibus simul et laicis compositum, quod Hierarchiam in eius apostolico munere adiuvet. [45]

Pro universali autem Ecclesiae apostolatu simile consilium constituatur, quod sectio esse poterit illius officii seu secretariatus de apostolatu laicorum, si Summo Pontifici visum fuerit illud constituere.[3]

Caput III [46]

DE LAICIS AD ACTIONEM TEMPORALEM EFFORMANDIS

85. [*Praeparatio requisita*]. Ad actionem temporalem apte exercendam, laici praeparentur sub respectu technico, doctrinali, morali.

Institutio in doctrina sociali est pars necessaria integrae educationis et a pueritia, ut par est, iam incohetur oportet: parentes, magistri, catechistae et alii periti pueros et adultos modo idoneo eam doceant, ratione semper habita adiunctorum in quibus ipsi degunt.[4]

In institutis educationis principiis christianis perfusis, eadem doctrina socialis Ecclesiae, quae in ordine temporali maximi momenti est, tradatur a rite eruditis et probatis.

86. [*Erigantur scholae sociales pro laicis*]. Curandum est ut scholae vel instituta socialia erigantur, in quibus idonei laici in doctrina sociali catholica opportune erudiantur, ita ut, etiam gradibus academicis ornati, approbentur ad ceteros doctrinam socialem docendam.

Insuper instituta erigantur ad formandos congruenti competentia in rebus oeconomicis et socialibus eos qui actioni sociali incumbunt.

87. [*Educatio concreta, actione acquiritur*]. Educatio concreta, vitae personali et socialibus condicionibus aptata, ipsa mediante actione acquiritur.

Laici mente et affectu ad illam sui ipsorum activam formationem dirigantur oportet, qua accurate muniti, adminiculum non neglegendum ad ipsam doctrinam elaborandam afferre poterunt.

[46] Ad hoc iuvabit influxus quem vicissim exercent consociationibus, praesertim christianis, et etiam in coetibus apostolatus laicorum ad hanc educationem apostolicam in actione et in vita ordinatis.

88. [*Fraterna caritas in actione temporali*]. In inceptis ordinis temporalis rite exercendis, fraterna caritas ad omnes extendatur, qui viis etiam disparibus ad eundem finem tendunt, suppositis immo iudiciis nonnumquam discrepantibus, ubi, citra veritatis certitudinem, amplissimus liberae opinioni remanet locus.

Caveant christifideles studiosissime ne vires suas crebris ex-
[47] tenuent contentionibus, neve, per speciem quaerendi id quod sibi videatur optimum, illud interea praetermittant quod revera efficere possint atque ideo efficere debeant.[5]

89. [*Modus operam praestandi cum acatholicis*]. Catholici, cum in muneribus exsequendis, ad res oeconomicas socialesve pertinentibus, homines attingunt, qui secus atque ipsi de vita sentiunt, sibimetipsis semper constent, neve ad ea media consilia descendant, e quibus aut religionis aut morum integritas aliquid detrimenti capiat. Pariter tamen aliorum sententiam aequa perpendant benignitate, et parati sint ad ea cum fide coniunctisque viribus efficienda, quae vel suapte natura sint bona, vel ad bonum adducant.[6]

CAPUT IV

DE APPLICATIONE DOCTRINAE SOCIALIS ECCLESIAE AD VARIOS CAMPOS NEGOTIORUM

90. [*De christiana ordinis temporalis informatione*]. Crescente in dies activa in Ecclesia laicorum generosa voluntate ad assumenda et praestanda propriae responsabilitatis munera, magis magisque in ipsa societate civili accrescit propensio, ut omnes, qui apti sunt, et personae et coetus, ad culturalis, socialis, politicae vitae participationem admittantur. Quae quidem collaborandi facultas christianis omnibus et ansam praebet et obligationem informandae totius humanae societatis principiis et spiritu christianae doctrinae socialis.

Quapropter Sacrosancta Synodus omnes laicos hortatur ut tantum sibi munus in omnibus ordinis temporalis campis commissum agnoscant et exsequantur, speciali ratione habita eorum ne-

gotiorum quae in Decreto « De praesentia efficaci Ecclesiae in [47] mundo hodierno » continentur.

91. [*Supernaturalis christifidelium perfectio*]. Opera temporalia exercentes secundum leges ipsis insitas ad fines earum proprios consequendos, fide et caritate christifideles agant, iuxta illud Apostoli: « Veritatem facientes in caritate, crescamus in illo, per omnia, qui est caput Christus » (*Eph.* 4, 15).

92. [*De caritatis efficientia in temporali operositate exercenda*]. [48] Meminerint christifideles, si cum fide et caritate temporalia opera compleant, eorum vim se non minuere sed potius augere, etiam ad id assequendum ad quod eaedem activitates natura sua ordinantur. Nam qui « lux in Domino » (*Eph.* 5, 8) facti sunt, atque « ut filii lucis » (ibid.) ambulant, tutiore iudicio percipiunt quid ex iustitiae normis sit agendum in variis humanae navitatis provinciis; et qui christiana caritate ducuntur efficacius agunt, apta methodo inspirati, cuiuscumque generis eorum operae sint.

CONCLUSIO

Formae apostolatus laicorum, diversimode collaborantium cum Hierarchiae apostolatu, quae omnes creaturas et gentes ad Iesum Christum in fide et caritate perducere sibi proponit, necessario distinctae sunt, habentes unaquaeque suam opportunitatem atque utilitatem.

Officium porro est Sacrae Hierarchiae, recte ab eisdem laicis certiorem factae de variis temporum et locorum condicionibus, directiones praefinire ipsorum apostolatui et inter eas delectum quemdam efficere, prout adiuncta rerum suadeant ac postulent.

Ordinarii proinde, necessitatibus suarum dioecesium per seipsos, vel regionum sive nationum collegialiter per conferentias episcopales attendentes, sic laicorum apostolatum dirigant, ut missioni Ecclesiae, quae ipsius Christi munus prosequitur, pretiosam operam naviter conferat, ad regni Dei in terra auspicatissimum adventum.

NOTAE

[1] Ioannes XXIII, Litt. Encycl. *Pacem in terris,* 11 apr. 1963.

[2] Ceterum efficax agendi opportunitas in diversis ordinis temporalis campis iis praebetur qui ordinarie ipsis incumbunt.

[48] [3] Cf. Pars I, Tit. II, Cap. II, n. 26.

[4] Enitendum est ut doctrina socialis Ecclesiae modis omnibus in vulgus emanet, quos recentior induxerit aetas.

[5] Cf. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Mater et Magistra,* 15 maii 1961: *A.A.S.,* 53 (1961), p. 456.

[6] Cf. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Mater et Magistra*: *l. c.,* pp. 456-457.

2. ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE
QUOAD SCHEMA DECRETI DE APOSTOLATU LAICORUM

A) *A die 1 iunii 1963 ad diem 9 decembris 1963.*

1

EM.MUS P. D. HENRICUS CARD. PLA Y DENIEL
Archiepiscopus Toletanus

Cap. II, tit. I, pars II, *de apostolatu laicorum in specie.*

In hoc capite videtur pressius loquendum « de Actione Catholica » et proinde n. 56 nova forma redigendus; quae ita proponitur: « (*De Actione Catholica*). In his ultimis decenniis, hortantibus Summis Pontificibus, ab episcopis condita est " Actio Catholica " quae proinde dependentiam strictiorem habet cum hierarchia, quae non ablata laicorum initiativa, tamen cum ipsi explicitum mandatum de apostolica opera a hierarchia accipiat, sub ipsius superiore moderamine actionem apostolicam exercere debent.

Sacrosanctum Concilium commendat ut *Actio Catholica* in omnibus nationibus et dioecesibus instituatur atque ut in conferentiis nationalibus episcoporum statuta generalia Actionis Catholicae, iuxta locorum conditiones, condantur.

In *Actione Catholica* possunt dari associationes specializatae iuxta diversos sive vitae sive operum campos, quae tamen ipsum finem generalem apostolicum Ecclesiae servare pergant ».

Etiam n. 57 videtur ita melius redigi posse: « Sacrosanctum Concilium commendat ut conferentia nationalis episcoporum in unaquaque natione instituat *Foederationem Nationalem omnium associationum de apostolatu laicorum,* cuius sit unus ex membris ipsa Actio Catholica, sub auctoritate hierarchiae ecclesiasticae ».

Commissio Conciliaris de apostolatu laicorum iudicabit utrum hae observationes sint in consideratione habendae necne in decreto conciliari *de apostolatu laicorum.*

2

EM.MUS P. D. PAULUS M. CARD. RICHAUD
Archiepiscopus Burdigalensis

In isto schemate, quod mirum conatum prae se fert de materia nunc maximi momenti, quoad n. 13, pag. 10, timeo quod redactio proposita nimiam libertatem praebeat laicis. Mihi humillime videtur necesse sit ut semper tum fundatio, tum organizatio novae associationis submittantur auctoritati dioecesanae. Episcopi sunt Apostolorum successores, ergo nihil sine episcopo in apostolatu, etiam a laicis.

De n. 14, pag. 11, valde optandum ut in Codice Iuris Canonici, tractetur ampliori modo, sed non nimis stricto, de hac re. Iam Pius XI, in primo tempore Actionis Catholicae, dolebat nihil in Codice quoad tales associationes laicorum.

N. 17, pag. 13, optime declarat quod associationes, ephemerides, et aliae operae a laicis institutae non possint nomen catholicum vindicare nisi consensu auctoritatis ecclesiasticae.

Quoad tit. II, cap. I, bene distinguitur inter « mandatum » et « missionem canonicam » quae vero spectat ad apostolatum directe et visibiliter spiritualem. De *mandato* autem optanda est quaenam alia distinctio in ipso textu schematis, dicendo quod mandatum a hierarchia posset conferri pro una associatione in genere in tali territorio sive nationali, sive dioecesano, et etiam nominatim pro quibusdam laicis inter duces et dirigentes talis associationis.

N. 21 et nn. 21-22 maximi momenti et accurate proponuntur. In pag. 14, in linn. ultimis (36 s.) opportunum est addere quod religiosi, fratres et sorores, in hac re pendent ab episcopo.

Valde laudandum atque approbandum exoptatio, significata in n. 26, pag. 15, de constitutione apud Sanctam Sedem aliquod *Officium seu Secretarium pro laicorum apostolatu,* tamen non plene sui iuris, sed quodam ligamine bene praeviso cum Sacra Congregatione quae deberet de apostolatu in genere, etiam pastorali ab episcopis et sacerdotibus adimpleto. Tale Officium vigilantiam atque impulsum exerceret, et ut in textu apparet, cum conferentiis episcopalibus nexum permanentem servaret.

In n. 27, pag. 18, forsan ampliora et bene determinata monitiones quoad *apostolatum iuvenum* exoptandae sunt, nempe relate ad castitatem efformandam, ad virilem indolem adquirendam, ad fidem ac pietatem progressive et modo adaptato augendam, etc.

In n. 28, aliquod primatum servandum est ad viros adultos in apostolatu, ut non se reducat ad pueros vel mulieres.

Omne quod dicitur in nn. 30 et 32 de praestantia familiae magna laude dignum, necnon optima argumenta in nn. 33, 34, 35.

Probabiliter in schemate de matrimonio et de castitatis regulis, agitur de moralitate morum externorum quae non attingit n. 36, et de qua tamen non pauca dicenda sunt.

Ad n. 64, bonum esset addere quemdam monitum ad sacerdotes ut clerus non se plane abstineat ab operibus caritativis, sicut aliunde bene dicitur in schemate *de clericis,* sed e contra libenter eas adiuvat, prudenter supernaturalem lucem praebendo laicis in huius modi actione deditis. Ne sacerdotes gubernaculum vel

administrationem operum caritatis assumant, sed impulsum saepe dare debent. Operae caritativae etenim inter actiones apostolatus veniunt, et completam independentiam in his non possunt cognoscere laici, ut bene statuit n. 70.

Perutilis est institutio, in n. 84 commendata, alicuius Concilii de actione sociali christiana in dioecesibus, atque etiam apud Sanctam Sedem ut sectio quaedam officii de apostolatu laicorum.

Satis opportuna est exhortatio, in n. 88 contenta, de caritate fraterna servanda in actione sociali ac praesertim de vitandis discrepantiis vel pugnis immoderatis inter classes, inter gentes, inter regiones.

Probabiliter tractabitur amplius in alio schemate, nempe *de praesentia efficaci Ecclesiae in mundo hodierno,* de tota doctrina sociali catholica. Aliquod compendium vel quaedam summa documentorum, tam mirabilium in hac re a Summis Pontificibus editorum, videtur necesse a Concilio Oecumenico promulgari. Atqui nihil de hac parte doctrinali nunc tam magni momenti, in schemate *de apostolatu laicorum,* cum laici potiorem actionem efficiunt in re sociali.

3

EM.MUS P. D. IOSEPH CARD. RITTER
Archiepiscopus S. Ludovici

I feel that a serious omission in pars I Titulus IV, « De laicorum formatione ad apostolatum » is the failure to specify the Liturgy as the most effective and continuing means of this spiritual formation.

4

EM.MUS P. D. FRANCISCUS CARD. SPELLMAN
Archiepiscopus Neo-Eboracensis

In praesenti schemate, multa pergrata dicta. Sine dubio, Concilium solemne invitamentum atque incitamentum ad apostolatum laicorum edere omnino debet. Attamen, fere semper etiam optimum incitamentum viam aliquibus excessibus aperire potest. In praesenti materia, ad huiusmodi excessus vitandos, multum adiuvet, mea opinione, duo puncta ex notis in ipso decreto includere, nempe, quod « non facile semper distingui potest quid reapse ad clericos, quid vere ad laicos pertineat » (nota 4, pag. 7) et quod « hi duo ambitus (ecclesialis et saecularis) non possunt ab invicem seiungi, cum mutuo se compleant et sint singulis necessarii » (nota 1, pag. 11). Quod propono, non ut decretum longius evadat dum e contra forma etiam brevior, si fieri potest, multum placeat, sed ut opiniones nimis exaggeratae et simplificatae ex parte tum clericorum tum praesertim laicorum evitentur.

Aliquae animadversiones particulares ad ipsum decretum. Ad pag. 33, n. 54 (vel alio loco apto): Intuitu verborum constitutionis *de scholis catholicis,* mentio fieri debet actionis laicorum in procurandis aequis subsidiis ex publico aerario pro alumnis in scholis non-statalibus. Item, mentio explicita desideretur actionis laicorum ad instruenda pro omnibus domicilia dignitati humanae et vitae christianae

idonea. Quae duo, teste experientia apud nostros, inter maxima problemata hodierna inveniuntur.

Ad pag. 40, n. 70: Tum officium dioecesanum tum consilium nationale pro operibus caritatis, teste experientia nostra, multum valent. In decreto mentio explicita officii dioecesani vere iuvet.

Ad pag. 44, n. 79, lin. 17: Verba « maiores partes » non placent. Melius videtur substituere « speciales » vel « peculiares ». De facto, verba « maiores partes » non bene concordant cum dictis sequentibus (pag. 45, n. 83).

Super schema decreti *de apostolatu laicorum* suffragium fertur *placet*.

5

Exc.mus P. D. ALOISIUS ALONSO MUÑOYERRO

Archiepiscopus tit. Sionensis

I. Adeo diffusum hoc schema apparet, ut, primo intuitu, reducendum esse videatur. Sed, si materiae quae in ipso continentur attente inspiciantur, non decretum conciliare, sed quoddam Regulamentum, vel Statutum, vel Instructio, vel tractatus de apostolatu laicorum proponi videtur. Descendit ad minutissima, quod quidem proprium Concilii oecumenici non apparet.

Videtur igitur quod schema reponi, et aliud confici debet. Immo, ni fallor, principia et normae praecipuae in schemate *de laicis* tractari deberent. Ad Sanctam Sedem pertinet normas concretiores, temporibus accommodatas, proferre.

II. Rem maioris momenti existimo, praesertim cap. II, tit. I, partis II, nn. 54-57.

In illo siquidem Actio Catholica quae a Pio XI, quasi divinitus inspirato, ut ipse dixit, fuit instaurata; illa Actio Catholica iam a Sancto Pio X adumbrata, a Pio XII commendata, quamque Ioannes XXIII vocavit « vitaliter necessariam » (Allocutio ad Actionem Catholicam Portogaliae, die 16 martii 1959); illa inquam Actio Catholica quae in Hispania et pluribus nationibus viget, capite dicto et in toto schemate negligitur, adeo ut ex innumeris documentis praedictorum Pontificum quae de illa egerunt, neque ullum verbum de illis fiat.

Desideratur recognitio iuris et officii episcoporum instaurandi associationes fidelium, quae parochis et episcopis in apostolatu hierarchico adiuvent, ipsis directe subordinatas.

Recognoscuntur notae peculiares Actionis Catholicae, in n. 56, sed auctores schematis non ausi sunt explicite recognoscere et proclamare ius et officium episcoporum ad illam Actionem Catholicam erigendam. Saepe saepius in schemate mentio fit de potestate et officio illorum ad promovenda et approbanda opera apostolica laicorum, ab aliis, sive religiosis, sive sacerdotibus, sive laicis instituta, praesertim ut curent ipsa opera coniungere in foederatione paroeciali et dioecesana; sed schema silentio premit illud fundamentale munus, quod ad intrinsecam potestatem episcoporum pertinet, iuxta satis cognitum dictum S. Ignatii Martyris: « Nihil sine episcopo ».

In n. 56, par. 20, et n. 57, iudicio episcoporum relinquitur quibus organizationibus illae notae conveniant (quae supponuntur non fuisse ab episcopo creatae), ut ipsas pro Actione Catholica habeant, immo et promoveant, si « spectatis adiunc-

tis suarum regionum, aptiores sibi videantur » (n. 57). In hunc finem, in paragrapho praecedenti, sacerdotibus et laicis commendatur ut illas notas curent ad effectum deducere in illis institutionibus in quibus adlaborent.

Attamen, si adeo necessariae sunt organizationes habentes notas Actionis Catholicae proprias, et si Actio Catholica « uberrimos fructus protulit » (n. 56), quare commendatur sacerdotibus et laicis ut illas notas addant organizationibus (quibus carent, iuxta statuta), et non clare et aperte commendatur episcopis ut ipsi instituant illam Actionem Catholicam? En contradictio, sed non sola. Aliquas exponere curabo.

a) Ex una parte, saepe in schematibus asseritur et intenditur potestas et dignitas episcopalis vindicanda; ex alia, ut vidimus, in associationibus apostolicis potestas episcoporum vix, ac ne vix, reducitur in schemate *ad libertatem laicorum agnoscendam* (n. 12), et ad promovendas, vigilandas, coniungendas, etc.; nihil vero est quod imponat servare illam Actionem Catholicam, quae « piana » solet appellari.

b) In schemate *de laicis,* intenditur inserere laicos in activitatibus et vita Ecclesiae; sed, quando agitur de Actione Catholica, cuius membra, ut Pius XI dixit, locum occupant qui proxime accedit ministerio sacerdotum, vi cuius laici intimius uniuntur hierarchiae iuris divini et parochis in apostolatu exercendo, nullum praeceptum nullaque indicatio hac de re inveniuntur de Actione Catholica promovenda.

c) In schemate *de episcopis,* n. 52, maxime necessarium esse dicitur « ut unitas foveatur et bonum commune in universa natione promoveatur ». Tamen, libertati et bono arbitrio episcoporum relinquitur, ut dixi, seligere quamdam associationem apostolicam, quae ab omnibus ut Actio Catholica habenda sit. Nemo non videt qualem anarchiam haberemus, v. g. in Hispania, et similiter in aliis nationibus. Res in conferentiis episcopalibus tractanda esset, ut quaedam uniformitas in negotio tanti momenti « ad rem catholicam in universo territorio... fructuosius et efficacius promovendam » adipisceretur (*de episcopis,* n. 19). Nihil tamen de hac re agitur in nostro schemate.

Loco Actionis Catholicae, iuxta schema, « Foederatio Associationum Apostolicarum » praevalebit, in ambitu paroeciali et dioecesano; cum detrimento efficacitatis muneris pastoralis episcoporum, siquidem interpositio personarum institutionum a quibus associationes directe dependent obstabit ut auctoritas episcopalis digne et semper suum propositum ad effectum deducat.

Praeter haec inconvenientia iam dicta, aliud magni momenti sequeretur ex schemate, si approbaretur, nempe diminutio aestimationis magisterii Romanorum Pontificum. Non frustra, tam cito in oblivionem mandantur praeclara et uberrima documenta Pii XI et Pii XII de Actione Catholica, quibus agnoscendis et diffundendis quamplurimi fideles, fortasse meliores utriusque sexus, per multos annos laborem impenderunt.

Multa alia velim dicere, sed de his, si casus ferat, in Concilio Vaticano II loqui fas erit.

III. *Nunc propono*:

1. Hoc schema Decreti multis partibus innecessariis et, ut mihi videtur, impropriis Concilii oecumenici, expolietur. Forsan opportunius erit ad schema *de laicis* ut caput quoddam transferre.

2. Qua maiore claritate possibile erit, sermo fiat de iure et officio episcoporum, ut antea dixi, circa Actionem Catholicam, sumendo principia ex documentis Pontificum praecedentium.

3. Normae magis explicitae, sed universales, dentur a Summo Pontifice feliciter regnante.

4. Normae concretiores unicuique nationi accommodatae, a conferentiis episcopalibus proferantur, cum exceptionibus quae convenientes videantur, approbante Sede Apostolica.

5. Associationes fidelium quae finem habeant apostolatus exercendi maxime promovendae et adiuvandae sunt, etsi a laicis vel religiosis fundatae vel rectae sint. Earum quidem fiat unio vel foederatio, ipsa Actione Catholica inclusa, iuxta normas et statuta in dictis conferentiis proposita, et a Sancta Sede saltem bene visa.

6

Exc.mus P. D. FERDINANDUS BALDELLI

Episcopus tit. Aperlitanus

A) *In generale.* Vi sono nello schema dichiarazioni troppo minuziose ed elementari. Sembra che lo Schema acquisterebbe di autorità ed efficacia se venisse ridotto ad alcune affermazioni veramente fondamentali e incisive, in un linguaggio chiaro e preciso, e con una maggiore linearità nello svolgimento del discorso.

B) *In particolare.*

1. *Prooemium generale,* n. 2: la divisione dei tre stati o gradi della Chiesa, non sembra esatta, almeno stando alla tradizione. Infatti coloro che « regimini et servitio Ecclesiae speciali consecratione devoventur » (stato clericale), possono appartenere allo « stato di perfezione *per viam trium consiliorum* » e quindi non si può distinguere o contrapporre — come nel testo dello schema: « alii... alii ». Da aggiungere, che non è ancora del tutto chiara la qualifica di « *stato* sacerdotale » accanto a « *stato* di perfezione » e a « *stato* comune dei fedeli », o quanto meno non è in senso *univoco,* stando alla dottrina classica, esposta specialmente da S. Tommaso (cf. II-II, q. 184, a. 6).

2. Pars I, tit. I, c. 1, nn. 6 ss.: l'attribuzione della denominazione e del valore di *apostolato* praticamente a tutta l'attività e preghiera cristiana, può portare a due conseguenze: *a*) l'attenuazione del senso gerarchico dell'apostolato, nel suo valore specifico e nelle sue competenze e facoltà proprie; *b*) una certa clericalizzazione — almeno nei riflessi psicologici, pedagogici, formativi — dell'attività e della preghiera dei fedeli, che hanno valore *personale* e *comunitario* (con vantaggio della Chiesa intera), indipendentemente dalla finalità dell'apostolato.

L'apostolato, nel suo significato tradizionale, include una missione specifica e gerarchica, che è propria della Gerarchia e da questa può essere partecipata ad altri (sacerdoti e laici), in *modi* caratteristici.

Per tale ragione il contributo che tutti possono dare all'avvento del Regno di Dio e alla crescita del Corpo Mistico, anche con la sola preghiera o l'offerta delle sofferenze, può chiamarsi apostolato *in senso analogico-metaforico,* utile

forse nel linguaggio e nella formazione di certi gruppi, ma che sembra meno opportuno in testi ufficiali e solenni.

3. Tit. II, cap. I, n. 21: idem come sopra, con una particolare attenzione da prestare all'affermazione così recisa e generale: « *officium* exercendi apostolatum esse *proprium omnibus* fidelibus *sive* clericis *sive* laicis... ».

4. Pars II, tit. II: *a*) Tutto ciò che riguarda *l'azione caritativa,* sembra mal posto nello Schema « De apostolatu laicorum », perché riguarda *tutta la Chiesa,* come comunità comprendente chierici e laici, e, in gran parte, il ministero stesso dei sacerdoti; *b*) lo stesso dicasi per le affermazioni dottrinali sulla natura dell'azione caritativa; *c*) la trattazione sulla carità avrebbe dovuto avere un posto più fondamentale e dominante in tutta la parte ecclesiologica del Concilio, con tutti gli sviluppi dogmatici, morali e pastorali conseguenti; *d*) al n. 71, la formulazione ottativa (come anche in altri punti), sembra meno adatta per il testo definitivo del Concilio, in cui il Papa firmerà e decreterà gli atti come Capo dell'Episcopato.

5. Pars II, tit. III: manca ogni accenno concreto alle condizioni imprescindibili a cui si può adoperare il nome di « cattolici » nei movimenti di ordine temporale. Manca pure la valutazione dei presupposti e delle implicanze dei cosiddetti « partiti di ispirazione cristiana », o addirittura « cattolici ».

7

Exc.mus P. D. CAROLUS BALDINI

Episcopus Clusinus et Pientinus

Observationes generales. In schemate desideratur unitas, claritas, brevitas.

1. *Unitas.* Deest tum in forma latina, tum in materia exposita. In prooemio, e. g., sub n. 1 habetur confusio etiam syntactica; dum in 2 parte lingua faciliori decurrit eloquio.

Quae in prooemio dicuntur, hic illuc repetita inveniuntur: e. g.: in n. 3 prooemii sub linn. 24-25, loquitur de « iure honore et officio » laicorum quoad apostolatum; idem repetitur in art. 6 iisdem verbis...

In art. 54 item, eadem dicuntur (forsan melius) quae in prooemio.

2. *Claritas.* Quis dicet clare sonare art. 6, in quo agitur de apostolatu individuali? Quid sibi velit « oratio apostolica » ad quam colendam fideles invitantur? Nonne omnia melius affirmantur in art. 49, II partis? Meo humili iudicio, clarius et efficacius idem art. 6 exponi posset sequenti modo: « Singuli christiani possunt ac debent communionis Sanctorum participare, eamque alere oratione, apostolatu dolorum, apostolatu verbi caritatis ac missionario, at praeprimis exemplo vitae ».

3. *Brevitas.* Integrum schema redolet repetitionibus, ut iam dictum est; singulae partes inter se, forsan aliae ab aliis exaratae, non bene unitae sunt. Brevius et clarius — at generalioribus principiis — proponi debet. E. g.: Quae dicuntur in prooemio sub nn. 1, 2, 3 usque ad lin. 29 possent enunciari sic: « Laici, i. e. Christi fideles, qui per baptismum Corpori mystico inseruntur, uti palmites in vite, quosque Apostolus gentem sanctam et regale sacerdotium vocat, recipiunt ius, officium et honorem exercendi apostolatum modo sibi proprio, qua membra

Christi viventia, et ad exemplum christianorum primaevae Ecclesiae de quibus loquitur Paulus " adiuva illas quae mecum laboraverunt in Evangelio ".

Licet nulla aetate defuerit laicorum apostolatus, nostris tamen temporibus profundior sensus Ecclesiae efficitur et clarior fit conscientia etiam laicos Ecclesiam esse et eius vitam participare ac de ea respondere, dum urgentior fit Christi fidelium praesentia, ut collatis viribus perfectius finis eius consequatur, salutem nempe animarum: defectus cleri in dies ingravescens; difficultas attingendi homines longe a Deo viventes; errores invalescentes materialismi ac edonismi; progressus scientificus et technicus, quo urgente progressus mundi velocior efficitur et actionem expostulat intensiorem ad bona a Christo data hominibus a tota humanitate participanda. Sacrosancta proinde Synodus... (ut in schemate n. 4 et n. 5)... ».

Tribus igitur articulis prooemium continetur totum.

In cap. I et sequentibus cur non resumuntur divisiones in canonibus 700 et 701 relatae, quaeque, etsi incompletae, integrum apostolatum respiciunt? Hoc modo art. 11 clarior evaderet.

8

Beat.mus P. D. IGNATIUS PETRUS XVI BATANIAN
Patriarcha Ciliciae Armenorum

Pag. 15, n. 26. Opportunum videtur ut cursus specialis instituatur, cura Sanctae Sedis, ad docenda quae ad apostolatum laicorum pertinere possunt.

Pag. 24. Opportune addi potest in fine: « Verbo et exemplo condemnent modernam moralitatis devastatricem haeresim « *La morale des situations* ».

Pag. 29, n. 48. Formationis centra necessaria videntur etiam pro ecclesiasticis.

Pag. 39, n. 65. ... Caveant praesertim ne ii quos adiuvant, religionem simulantes, sacrilegia committant.

Pag. 43, n. 75. Insistendum est circa impossibilitatem admittendi duplicem conscientiam in uno eodemque homine, ita ut alia sit christiani et alia mercatoris.

Pag. 46, n. 86. Erectio harum scholarum socialium pro laicis supponit quod iam existunt pro ecclesiasticis.

9

Exc.mus P. D. MAURITIUS BAUDOUX
Archiepiscopus S. Bonifatii

In genere. 1. Felicissimum est Concilium adhibere totum schema ad tractandum de apostolatu laicorum, et agnoscere maturitatem laicatus in Ecclesia coaetanea. Omnino probo modum quo schema profert apostolatum laicum ut *ius, honor, officium* (n. 3), eum effluentem demonstrans ex loco proprio laicorum in Corpore mystico Christi; schema clare confirmat « laicos Ecclesiam esse » (n. 3), eosdemque modo sibi proprio rationem suscipere, et in ea agere partes quibus nemo potest substituere (n. 3).

2. Meo iudicio, schema est summopere ad rem. Quamobrem paucissimi in eo inveniuntur loci infirmi aut praetermissiones; conspicuum est scriptores schematis nosse principia fundamentalia apostolatus laicorum eo quod pollent usu et expe-

rientia in re. Attamen deest ligamen internum; conceptus et principia praecellentia ibi reperiuntur absque ordine.

3. Relate ad rationem generalem tractandi de apostolatu laicorum mihi libet comperire haec:

1) Res maioris momenti bene in lucem prolatas esse.

2) Auctores conscios esse quod res afferentes ad apostolatum laicorum evolutionem peragunt; consequenter non exclusivos fuisse quoad quasdam formas apostolatus quae minus populares sunt aut minus vertentes origine et natura sua ad apostolatum.

3) Ibi inveniri curam oecumenicam sanam et laudabilem.

4. Opinor tamen adesse praetermissionem gravem. Declarari oporteret in hoc schema et non solum in *de cura animarum,* ad episcopum pertinere, in dioecesi, auctoritatem et munus pastorale relate ad populum Dei, et igitur, relate ad apostolatum. Hoc principium imponit rationem agendi concretam ex parte Ordinum religiosorum, quorum ministerium nequit sese extra ambitum ordinationum pastoralium ab episcopo prolatarum. Hoc sane potest inferri schemate *de apostolatu laicorum,* sed meo iudicio elationes concretae nusquam sufficienter explicite exprimuntur. Quod fieri posset sub pag. 13, n. 15 praesentis schematis.

In specie. Prooemium. Pag. 5, n. 2, linn. 15-20. Hic textus mihi melius sic conscribere videretur: « Hoc in sancto Dei populo omnes vocantur ad Deo serviendum sanctitatisque perfectionem assequendam: alii vocantur ad statum clericalem, in quo regimine et servitio Ecclesiae speciali consecratione devoventur; alii ad viam evangelicorum consiliorum, sive in vita canonice statuta, sive in vita saeculi; alii vero ad viam ordinariis plerumque condicionibus vitae familiaris et socialis communem ». *Ratio*: Sic vitaretur ex una parte consociatio verborum « status perfectionis », cuius proprium est ambiguitas, et ex altera parte exclusio fidelium in mundo degentium ex via consiliorum evangelicorum, denique aestimatio minus laudativa status matrimonii.

Pars I: De apostolatu laicorum in genere. Pag. 6, n. 4, linn. 16-20. Libet perspicere adesse in Ecclesia anxietatem certam circa rem temporalem.

Pag. 8, n. 6, post lin. 3. Addere oportet: « Omnibus baptizatis incumbit missio laborare, quisque in suo loco, transformationi universi creati iuxta vocationem primitivam promulgatam in libro Geneseos ut efficiatur Consilium Dei mysteriosum omnia instaurandi temporalia ac spiritualia in Christo (cf. *Eph.* 1, 10).

Pag. 8, n. 6, lin. 4. Scribendum esse, sentio: « Sedulo colant *orationem apostolicam,* cuius fons praecipuus est participatio actuosa ad Sacram Liturgiam; quos autem... ».

Pag. 8, n. 6, linn. 10-12. Dubito an ascesis collocanda sit in his adiunctis. Passionem ducere ad Resurrectionem clare ibi perspiciendum esset. Et profecto verba « voluntariis paenitentiis » melius collocarentur post verba « infirmitatum tolerantia ».

Pag. 8, n. 6, lin. 13. Scribere decet: « Testes sint Christi resuscitati (cf. *Act.* 4, 3) ».

Pag. 8, n. 7, lin. 20. Scribendum esset: « requiritur ut, sacramentis Eucharistiae et Paenitentiae frequenter refecti ».

Pag. 9, n. 9, linn. 15-20. Consentio cum firma hac oecumenica rerum visione,

i. e. secundum extensionem quia includit omnes homines, et secundum intensitatem significationis quia nullum ordinem rerum excludit.

Pag. 10, n. 11, linn. 17-18. Bonum est hierarchiam posse definire obiecta Apostolatus ut arceatur maior quam par est dispersio: obstaculum omnino vitandum.

Pag. 10, n. 12, linn. 19-27. Admitto quosdam motus apostolicos praeferri debere ceteris. Decet ergo addere sententiae in lin. 21 verba sequentia: « secundum temporum necnon et locorum necessitates ».

Pag. 11, n. 14, linn. 11-16. Sentio legislationem canonicam de apostolatu esse difficillimam, eo quod adest periculum decernendi de rebus adhuc in evolutione continua igiturque transitoriis. Meo iudicio legislatio canonica de hac materia prorsus generalis esse deberet. Pertinet omnino ad legislatorem localem statuere quoad singulas res attinentes ad apostolatum laicorum in Synodo aut Directorio.

Pag. 13, n. 15, post lin. 6. Hic addendum videtur: « Consequenter in apostolatu laicorum nihil faciendum est sine episcopo cui competit auctoritas et iudicium finale in his rebus (cf. *Act.* 20, 28).

Pag. 14, nn. 19-20. Felicissimum est notam tertiam sub pag. 16-17 declaravisse distinctiones lucidas in rebus de apostolatu in quibus confusio maxime est nociva.

Pag. 14, n. 21. Agnoscitur hic, verbis non aequivocis, in rebus de apostolatu « laici speciales habere partes, ita ut alii in eorum locum substitui non possunt, saltem sine magno incommodo » (linn. 12-14), et ex alia parte « eis agendi libertatem et spatium relinquant » (linn. 19-21). Haec clarificatio correspondet problemati reali de quo queruntur militantes devotissimi Ecclesiae.

Pag. 14, n. 22, lin. 24. Scribendum est « idoneos ac formatos ».

Pag. 14, n. 22, linn. 36-38. Credo hanc adnotationem esse tempestivam beneque formulatam, tum quia Actio Catholica eget constanter animari actione sacerdotali, et quia ex aliunde non semper est possibile ut sacerdos respondeat modo congruo omnibus exigentiis ministerii occurrentibus sibi.

Pag. 15, n. 23, linn. 3-5. Sine hac ordinatione, assecutio finium communium et caritas fraterna ambo serio in discrimine versantur, vulnerata plerique formatione spirituali militantium et causa Ecclesiae in loco dato.

Pag. 15, n. 26. Omnino probo hanc assertionem, dummodo hic secretariatus sit vere repraesentativus diversarum nationum neque se substituat hierarchiis localibus et relinquat laicis initiativam quae ad eos pertinet in his rebus.

Pag. 18-20. Multum deceret ordinem paragraphorum esse reficiendum ut sequitur: 30, 27, 28, 29. Nam familia christiana est simul cellula vitae christianae ultra paroeciam et dioecesim et prima cellula iuxta humanum ordinem. Insuper absque dubio hae paragraphi possent valde comprimi, nam continent optima quae locum magis idoneum invenirent in Directorio quam in Decreto.

Pag. 18, n. 27. Patet curam de iuvenibus adhibendam, sed maiorem curam adhibendam de adulescentibus.

Pag. 19, n. 30, linn. 38-39, pag. 20, n. 30, linn. 1-4. Hae lineae sensum valde infirmum exhibent quod spiritualitas vigore plena (dynamique) sacramenti et vitae matrimonii deest. Sacramentum matrimonii proferendum esset ut ex una parte consecratio, vi voluntatis Dei, maxime ex bonis temporalibus, scil. amoris humani, fontis vitae, ex altera parte ut principium initiale ligaminis spiritualis et temporalis in domuum secretis susceptum.

Pag. 20, n. 30, linn. 16-19. Omnino sentio promovenda esse incepta ex familiis consistentia. Vera problemata spiritualitatis familialis ac coniugalis ipsaque restau-

ratio sacramenti matrimonialis vigoris in inceptis familialibus inveniuntur, et ex maiore parte ab eis resolvuntur.

Pag. 21, n. 32, linn. 12-13. Supprimere decet « quasi in catacumbarum perfugio », eo quod est sine fundamento historico.

Pag. 21, n. 30, lin. 14. Cupio addere textum sequentem: « Quapropter Sancta Synodus valde exoptat quod paterfamilias, ne cultus in spiritu et veritate umquam domi desit, alicui domestico cultui lectione divina, orationibus e liturgicis libris sumptis necnon et congruis paraliturgiis constituto, praesidere non omittat ». *Ratio*: secundum normam est et optandum ut vita christiana familialis se exprimatur per cultum adaptatum et familiarem; sed in condicionibus peculiaris difficultatis de quibus hic agitur, ipse cultus domesticus peculiare momentum accipit. Ideo Concilio maxime fovendus est.

Titulus III: *cap. II. In Genere*. 1. Hoc caput singulare meritum prae se fert demonstrandi firmiter realitates quae de facto sunt constituentes veram frumenti farinam in quam oportet fermentum addi. Hoc caput mihi placet eo quod saepissime retinemur et distrahimur problematibus secundariis tam in ministerio sacerdotali quam in coetibus apostolatus laici.

2. Enumeratio sex finium diversarum in quibus apostolatus laicorum peculiariter est promovendus (i. e. nn. 33-39), problema *paupertatis* includi oporteret ut problema specificum et sentio locum idoneum esse in paragrapho speciali sub pag. 21, ante n. 35.

3. Totum ceteroquin hoc caput mihi videtur esse longissimum. Perutilissime comprimendum esset in formulas simpliciores et firmius exaratas, cum referentia ad Directorium.

Titulus IV: *De laicorum formatione ad apostolatum*. Totus textus sub titulo IV *non placet nisi iuxta modum*.

In genere. I. Hic textus indigentissimus est in toto schemate; nimis connectitur cum ordine naturae (cf. n. 41); non habet satis rationem ordinis crescentiae. Etiamsi nn. 43-44 satis exprimunt « possibilitates » laicorum, nimis connotat similitudinem cum formatione clericali. Insuper, conceptus qui facturam textus informavit hodie iam vetus videtur.

II. Quidquid sub hoc titulo enuntiatur, mihi igitur reficiendum videtur, ratione habita divitiarum quas apostolatus hodiernus acquisivit, adinventionibus psychologiae et catecheseos actualis adiuvantibus. Suadeo ergo ut de novo exstruatur ratione habita adnotationum sequentium:

1) Formatio apostolica laicorum non debet disiungi ab eorum institutione simpliciter christiana.

2) Non effici debet quasi in vaso clauso, sed in mediis relationibus ad vitam realem attingentibus.

3) Adaptari debet exigentiis coaetaneis et attingere simul *ordinem naturalem* (technica et professionalis habilitas, quae sunt vires quae favent praesentiae activae in mundo, mentique rerum incipiendarum capaci et auctoritatis assumendae); et in *ordine supernaturali* (scientia mysteriorum et penetrans cognitio rerum religiosarum, spiritualitas robusta vim ex fontibus essentialibus vitae christianae trahens: Scriptura, Liturgia, Historia et Magisterium Ecclesiae, cognitio genuina rerum necessariarum ad vitam christianam hodiernam).

4) Efficitur in familia, paroecia, domibus christianis educativis (dummodo imbutae sint renovatione catecheseos, liturgiae et orationis, voluntate acceptationis mundi hodierni, et hanc renovationem quasi ducem in via ferventer recipiant) et in inceptis apostolicis proprie dictis.

5) Sub oculis tenere debet fines paedagogicos definitos (formatio radices sumens in realitate problematum vitae ut hodie vivitur, dedicatio actuosa [engagement], numquam disiungens actiones in servitium Ecclesiae ab actibus ad bonum proximi tendentes, ita ut desiderium Dei maiusque vitaliter assurgat in omnibus).

In specie. Pag. 27, n. 42, lin. 25. Conveniret scribere « ... exigit ut pro condicione sua, progrediantur... ». *Ratio*: Ne haec sententia existimetur esse quasi thesis theologica prolata in aliquo Seminario.

Pag. 28, n. 45, linn. 22-25. Mentem optimorum catechistarum meam facio cum affirmant necessitatem formationis in inceptis apostolicis, ad maturitatem fidei procurandam. Sed instructio catechetica non debet fieri per iuxtapositionem formationi apostolicae progressivae, sed partem eius integram constituere. Propono insuper ut ultima linea conscribatur sic: « exercitiis spiritualibus et actione apostolica, aliisque aptis subsidiis ».

Pars II: De apostolatu laicorum in specie. In genere. Conservata est appellatio « Apostolatus directus » sed derelicta est appellatio « Apostolatus indirectus » cui substituta est consociatio verborum « De apostolatu laicorum in actione temporali ». Censeo hoc feliciter factum est praesertim ratione habita praestantia quam schema attribuit actioni laici in re temporali (cf. pag. 44, n. 79, linn. 13-15). Insuper formula « Apostolatus indirectus » apud laicos connotat aliquid inferius.

In specie. Pag. 31, n. 50, lin. 17. Supprimendum videtur verbum « suam », nam laici non vivunt suam tantum parvulam vitam sacramentalem sed participant vitae magnae sacramentali Ecclesiae, quae ipsa non est vita aliena a vita christiana.

Pag. 33, n. 54, linn. 6-13. Recte enumerati sunt hi et illi coetus, dummodo invigiletur ut omnes sint praediti robore actuoso et vivaci.

Pag. 33, n. 55, linn. 14-18. Necesse est huic textui substituere sequentem: « Licet hae diversae formae apostolatus semper religari debeant hierarchiae loci in quo laborant, tamen gubernantur ab ea diversis modis, nempe: aliae magis directe cum paroecia et dioecesi connectuntur; aliae alicui Ordini vel Congregationi religiosae committuntur; aliae demum solummodo sub generali vigilantia hierarchiae constituuntur ». *Ratio*: sic definitius declaratur principium fundamentale secundum quod apostolatus ab episcopo committitur religiosis, sed ab ipsis non assumitur ex iure nec exercetur modo independenti.

Pag. 33-34, n. 56. Hoc loquendi modo, discreto sed satis clare, indicatur tractandum esse hic problema coetuum de quibus quidem laici et sacerdotes, saepius non iniurie, dixerunt illos coetus non esse coaptatos nostro tempori. Anxietatis huius de hac re particeps ego quoque sum, et assentio exigentiis novis quas his coetibus adnectere speratur.

Titulus II. In genere: Electio verborum « actio caritativa » ad designandam hanc formam actionis apostolicae vere felix est. Recte assignata est sectio sche-

matis huic generi actionis ex eo quod problemata de quibus agitur sub hoc titulo iam ingressa sunt in conscientiam ecclesialem. Magis mihi schema placeret si magis explicite loqueretur de necessitate suscipiendi hanc actionem nonnisi propter rationes ordinis supernaturalis. Ex alia parte magni est momenti exprimere in schemate abyssum grandem vigentem inter populos qui gaudent abundantia rerum et eos qui fame pereunt.

In specie. Pag. 40, n. 72, linn. 33-35. Libenter hanc exhortationem ordinis pastoralis approbo: nostris in regionibus Americae Septemtrionalis bene est ut fideles anxii reddantur relate ad populos minus fortunatos.

Pag. 45, n. 83, linn. 14-19. Magni est momenti in lucem proferre partes pertinentes ad hierarchiam cum agitur de loco inveniendo suo relate ad actionem laicorum in re temporali, nam experientia docet existere complexus difficultatum qui necessarios reddunt nexus (contacts) cum hierarchia.

Pag. 45, n. 84, lin. 25. Convenit scribere textum ut sequitur: « ... pro dioecesibus, regionibus et ditionibus aliquod... ».

Pag. 47, n. 90. Opto ardenter ut textus sequens efformet adlineam intermediarem inter linn. 21 et 22. « Inceptum cooperativum considerandum est ut medium praecellens informandum ordinem socialem coaetaneum principiis iustitiae et caritatis socialis ». *Rationes*: incepta cooperativa continent et sustinent virtutes (valeurs) humanas eximias et progressum civilizationis promovent (cf. pag. 47, n. 89). Est quidem schola practica spontaneae implicationis in ordinem temporalem. Insuper, cooperativae possibilem reddunt directam applicationem principiorum socialium institutionibus socialibus et oeconomicis coaetaneis. Suppeditant etiam opportunitatem collaborationis inter homines bonae voluntatis ubicumque terrarum, et peculiariter in populis evolutionem oeconomicam peragentibus et qui maxime indigent commodis provenientibus ex cooperatione oeconomica (cf. IOANNES XXIII, *Mater et Magistra*: *A.A.S.*, 53, pp. 456 s.).

Conclusio. Pag. 48, linn. 11-25. Utiliter hic notandum videtur collaborationem cum hierarchia, in formis apostolatus laicorum, magis fieri et melius a personis particularibus quam a coetibus ipsis.

10

EXC.MUS P. D. CONSTANTINUS CAMINADA
Episcopus Ferentinus

Ad 8. Parochi instare deberent, opportune et importune, ut veri christiani — maxime catholicis consociationibus adscripti — semper et ubique accusationibus contra religionem et vitam christianam respondeant. Multi enim, unice propter animi defectum, minime respondent. Sic conferunt, indirecte sed realiter, ad errorum evulgationem. Christiani veri debent, praesertim hodiernis temporibus et praesentibus circumstantiis, esse fideles Iesu Christi testes.

Ad 36. Grave laicorum officium est lectura et evulgationem actorum diurnorum catholicorum.

11

EXC.MUS P. D. ALOISIUS CIVARDI
Episcopus tit. Thespiensis

1. Pag. 8, lin. 13: sostituire *etiam* con *praesertim.*

2. Pag. 11, Notae: la prima parte della prima nota starebbe meglio nel testo, a mio parere.

3. Pag. 14, linn. 36-38: queste tre righe toccano un argomento assai importante, e distinto. Ritengo opportuno farne un numero a parte (il n. 22 bis), che potrebbe essere così formulato: *De auxilio a religiosis praestando*: « Religiosi utriusque sexus, quantum possunt, favere debent associationibus et operibus apostolatus laicorum in auxilium sacerdotum, qui operibus illis adsident. Religiosae praesertim, quae apte instructae sint, utiliter operam navant in excolendis feminarum consociationibus ad complendam perficiendamque sacerdotis adsistentis operam, quae quidem prudentiae causa certis limitibus circumscribatur oportet » (cf. *Synodus Romana,* 1960, art. 642).

4. Pag. 15, lin. 5: dopo la parola coordinatio aggiungere: *quoad fines communes.*

5. Pag. 28, n. 43: penso che questo numero abbia bisogno di un'esposizione più chiara. Che significa: *Praeter propriam artem eas quoque noscant quae sociae sint?*

6. Pag. 33, lin. 33: ritengo che si debba sopprimere *saepe,* perché dalle parole precedenti appare che si tratta dell'apostolato che va sotto il nome di *Azione Cattolica.*

7. Pag. 41, Nota 8: in questa nota si parla di *assistenza* e *beneficenza,* senza spiegarne la differenza. Ritengo opportuno che, non in nota, ma nel testo, ci sia un numero apposito su quest'argomento, data l'importanza che va sempre più prendendo l'*assistenza sociale,* nella varietà delle sue forme. Suggerisco questo testo, che può essere inserito come n. 69 bis: « *De adsistentia sociali eiusque momento.* Hodiernis temporibus praeter usitatam beneficentiam, quae in ferendis hominibus egentibus auxiliis consistit, magis magisque vigescit adsistentia socialis, quae proximo indigenti gratuita praestat officia ad assequenda iura, legibus vel institutionibus publicis comprobata, in bonum quorundam peculiarium hominum coetuum.

Quapropter Sancta Synodus clerum et laicos magnopere adhortatur ut consociatam alacremque opem ferant universis adsistentiae operibus et inceptis, quae, christiano spiritu imbuta, magna beneficia et commoda sive materialia sive spiritualia praebent omnibus qui auxilio indigent.

8. Pag. 45, linn. 20-24: in questo capoverso si parla dell'*azione sociale* senza averne prima illustrato il concetto (come s'era fatto in precedenti edizioni dello schema). Si propone pertanto di sostituire il capoverso con un numero a parte (n. 83 bis), che può essere formulato così: « *De natura actionis socialis.* Ad instaurandum ordinem temporalem, principiis christianae doctrinae consentaneum, hodie maxime necessaria est actio illa socialis quae finem proximum habet utilitati servire et iura tueri coetuum civium, praesertim tenuiorum, ut sunt operariorum classes.

Sacra igitur hierarchia summopere laudat atque commendat universa incepta et opera, quae laicorum catholicorum ordo provehit, votaque facit ut huiusmodi incepta et opera usque augeantur et magis magisque crescentibus temporum necessitatibus accommodentur ».

9. Un obiettivo fondamentale dell'azione sociale è, oggi, la *sicurezza sociale*, di cui non c'è parola esplicita nello schema. Si propone pertanto di far seguire al numero precedente sulla *azione sociale*, un numero sulla *sicurezza sociale*, così formulato: N. 83 ter: « *De securitate sociali.* Actio socialis catholicorum hoc sibi sumere debet consilium: videlicet operam dandi ut instauretur illa securitatis socialis ratio seu forma, in qua quilibet civis habere possit omnia quae ad vitam sunt necessaria, sive cum opus facit, sive cum ipse non voluntarius ab opere vacat.

Huiusmodi securitatis formam ipsaemet iustitiae et caritatis rationes expostulant: etenim si caritas est subvenire indigentiae pauperum, melior et perfectior est caritas eiusdem indigentiae causas auferre ».

10. Pag. 47, linn. 9-12: l'affermazione contenuta in queste quattro linee ha bisogno, a mio parere, di essere esposta più chiaramente, e quindi più ampiamente.

11. Nello schema manca un cenno sul *turismo* e sullo *sport*, che sono due argomenti assai interessanti per l'apostolato dei laici. Alcuni schemi furono preparati in proposito. Propongo che siano inseriti, seppure in forma succinta.

Propongo anche che si dica una parola di riprovazione di alcune forme di pugilato, che normalmente costituiscono un pericolo per l'incolumità fisica dei lottatori, e quindi sono in contrasto coi principi della legge naturale.

12

Exc.mus P. D. VILLELMUS CONWAY

Episcopus tit. Nevensis, vic. cap. Armachanus

Velim ut initio huius decreti, brevis daretur synthesis de fundamento dogmatico apostolatus laicorum, nempe de momento, pro hoc apostolatu, sacramentorum Baptismi et Confirmationis necnon doctrinae Corporis mystici Christi. De hoc fundamento dogmatico tractabitur quidem in constitutione dogmatica *de Ecclesia*, sed, meo iudicio, omnino desiderandum est ut, per modum summarii vel recapitulationis, brevis expositio eiusdem doctrinae praeponatur huic decreto.

13

Exc.mus P. D. IOSEPH ANTONIUS DAMMERT BELLIDO

Episcopus Caiamarcensis

En general considero que la doctrina está bien, pero la redacción del texto presentado es difusa y el texto muy largo: sería conveniente una redacción más concisa con supresión de algunos números accidentales.

14

Exc.mus P. D. REMIGIUS IOSEPH DE ROO

Episcopus Victoriensis in Insula Vancouver

Schema in genere placet iuxta modum. Aliqua verba dicere velim circa principia generalia ut apostolatus laicorum perfectius in luce ponatur.

Apostolus Paulus in ep. ad Col. declarat: « in ipso (scil. Christo) condita sunt universa in caelis et in terra... omnia per ipsum, et in ipso creata sunt: et ipse est ante omnes, et omnia in ipso constant » (1, 16-17). Unde apparet quod propositum Dei in ipsa creatione nullo modo in umbra religatur per propositum suum salvificum; affirmandum est potius quod duo decreta in ipso Christo concrete uniuntur, in quantum ipse est insimul fons et auctor salutis atque culmen totius creationis.

Quia Ecclesia est corpus Christi, et ab eo recipit missionem propriam in eius opere pergendi, illi duo aspectus propositi divini in ipsa quoque Ecclesia necessarie inveniri debent, et quidem in unum coalescentes.

I - Ex quo eruitur omnes christianos duplicem vocationem habere:

1. Fundamentalis ac primordialis singulorum hominum vocatio, in quantum homines intellectu praediti sunt, in operositate tendit ad creationis completium et ad universi perfectionem. Ad imaginem autem Dei creati sunt. A Deo accipiunt munus et officium universum mundum dominandi, intelligentia hoc permittente, et proinde in ambitu laboris opificae, oeconomiae, educationis, scientiae, technicae, etc., maxima dignitas et verae responsabilitates oriuntur.

2. Per hominum aggregationem ad populum Dei, mediante fide, et per missionem quam in baptismo et confirmatione Christus illis confert cooperandi cum ipso ad omnium restaurationem secundum propositum Patris, vocatio illa humana elevatur usque ad dignitatem apostolatus (cf. *Offertorium Missae romanae*: « qui humanae substantiae dignitatem mirabiliter condidisti, et mirabilius reformasti... »; et *Rom.* 8, 20-23: « omnis creatura ingemiscit... et ipsi intra nos gemimus adoptionem filiorum Dei expectantes... »; et *Eph.* 1, 10: « instaurare omnia in Christo, quae in caelis, et quae in caelo sunt... »).

Hi duo aspectus, scil. naturale et supernaturale, inseparabiles exstant in ipsa concreta et existentiali omnium christianorum vocatione ad eorum tanquam laicorum apostolatum, nam hoc modo tantum fit omnium rerum assumptio a Christo et in Christo ad gloriam Patris.

II - Sicut vocatio laicorum duplex est, etiam finis apostolatus laicorum duplici modo consideratur, nempe: Regnum Dei annuntiare, et universum mundum ad finem et perfectionem suam conducere.

1. Populus Dei in totalitate sua responsabilitatem tenet quoad expansionem verbi et quoad adventum regni Dei.

Ad laicos autem quod attinet, ut mirabilis haec responsabilitas in actum deducatur, variae formae collaborationis cum hierarchia requiruntur. Laicorum est ministerium sacerdotale praeparare, adsistere, prolungare. Modus initiativae et responsabilitatis, quibus tunc laici frui debent, proportionantur gradui intimitatis et nexus cum missione essentiali hierarchiae. Nam ultima responsabilitas quoad

spiritualem ordinem hierarchiae est, eo quod habet munus ducendi universam Ecclesiam in viam Regni Dei.

2. Quoad instaurationem universi ut ad Dei gloriam tendat, munus laicorum maximi momenti est. Etenim, quilibet apostolatus qui ad spiritualem seu « pneumaticam » transformationem universi non ducit, in quoddam vacuum et frustra adlaborat. Ordo temporalis ipsius creationis et immo totus universus restaurantur oportet ad hoc ut significationem suam authenticam, i. e. christianam attingant, et finem suum divinum reapse consequantur.

In hac restauratione iacet fundamentalis et singularis laicorum apostolatus, quia *a*) in ea sistit authenticus et specificus laicorum apostolatus, qui a hierarchico vere distinguitur; *b*) ab apostolatu laicorum seiunctus, hierarchicus apostolatus reapse non potest naturalem neque supernaturalem universi instaurationem efficaciter perficere, immo infructuose evadet; *c*) a solis laicis perfungi potest, quia illi soli a vocatione sua in structuris sic dicti ordinis temporalis plene et proprie vivunt, immo et cum illis identificantur; *d*) apostolatus in ordine creationis se habet ut fundamentum et conditio sine qua non authentici aut efficacis apostolatus in quocumque altero ambitu. Clare apparet quod impossibile est verum christianum progressum adesse quin consequentias suas habeat in ambitu conditionis naturalis hominis et universi.

III - Prototypus apostolatus in ordine temporali ille est quod apud opifices instituitur. Quia autem propositum Patris in creatione et propositum suum salvificum de facto coalescunt, paupertas materialis, indigentia operariorum, miseria hominum, etc. ut malum ex defectu recti amoris et ex egoismo oriuntur, quod quidem pessimum peccatum dici debet. Ideo, laicorum dedicatio, « engagement » ut aiunt, in ordine temporali, ad promotionem fratrum suorum qui ibi adlaborant, non unice sistit in aliqua sphaera superficiali sic dicta « humanitaria », sed reapse ad radices divini propositi pertingit. In hoc campo problema magni momenti hodie est problema transformationis trium conditionum, scil.: *a*) laboris humanae transformatio, quae labor magis consonare debet cum dignitate humanae personae. Societas authenticam christianam conceptionem de dignitate personae, quae hodie valde deperdita est, denuo invenire debet; *b*) contextus laboris transformatio, ut aiunt « milieu du travail », « environment », in quo vivunt classes laboriosae, et transformatio socialium structurarum ex ista situatione orientium. Dimensio valde inhumana sic dictae « mass production » est elementum primarium atque fundamentale istius problematis; *c*) coetuum hominum laborantium transformatio. Iam dixit olim Summus Pontifex Pius XI: « L'Eglise a perdu les masses ». Et hoc problema bene illustravit Monsignor Cardijn in ultimo opere suo *Laïcs en premières lignes* (Editions Universitaires, 1963).

Sine illa triplici transformatione humana universi, quod nonnisi gratia divina perfici potest, sed cuius instrumentum efficax et aptatum solummodo in laicatu inveniri potest, « consecratio mundi » indefinite retardaretur. Nam vires materialisticae progressum suum victoriosum prosequuntur, et influxus populi Dei, pusillus grex iam cum sit, magis magisque diminuitur si comparatur ad incrementum populationis mundi, i. e. ad sic dictam « population explosion », « explosion démographique ».

IV - Exinde sequitur quod in Ecclesia existere debet et de facto existit apostolatus specifice laicorum, qua laicorum, quod a toto caelo differt ab apostolatu

hierarchico in sensu stricto. Apostolatus ille optime concipitur ut complementum apostolatus hierarchiae, immo velut pars integralis ipsius universalis apostolatus populi Dei tenendum est. Est enim apostolatus qui ab uno laicatu perfici potest, et a nullo alio. Sine illo, apostolatus hierarchicus inefficax remanet. Si Ecclesia missionem suam instaurandi totum universum adimplere cupit, illud usque ad regnum Patris adducendi, apostolatus laicorum omnino essentiale et ut structurale in illa apparet.

V - Denique, affirmare oportet quod singuli christiani apostoli esse debent secundum bifariam suam vocationem, naturalem scil. et supernaturalem, et etiam quia responsabilitatem sumunt erga bonum ordinis et temporalis et spiritualis. Quae ambae reapse inseparabiliter coniunctae sunt in una et universali vocatione christianorum ad apostolatum.

Ipsa Ecclesia in legislatione sua omnes christianos veluti personas, i. e. iuris et officii capaces, agnoscit (*C.I.C.*, c. 87). Et Summus Pontifex Pius XII in memoriam revocavit: « dans le royaume de la grâce tous les hommes sont majeurs » (febr. 1946).

VI - Apostolatus et servitium (diaconia). Affirmare licet quod in apostolatu hierarchico laici ad servitium exstant hierarchiae, in quantum cum ea collaborant et eae submittuntur.

Attamen, factum magni momenti hodie magis proclamandum est, nempe quod in relatione ad universalis populi Dei apostolatum, ipsa hierarchia in servitio laicorum stat.

Longe a nobis mens sit quod hierarchia ad suos proprios fines laicatu simpliciter uteretur in quantum apostolis laicis concederentur functiones vel munera quae propter circumstantias hierarchia per seipsa perfici non posset.

Positis ponendis, tam specificus apostolatus laicorum, qua talis, quam ipse apostolatus hierarchiae, ad populi Dei perfectionem necessarii sunt.

Consuetum est Summus Pontifex ipse summum officium suum denuntiare sub titulo « Servus Servorum Dei ». Sic, hierarchiae auctoritas propria, quae vere necessaria et essentialis est ad bonum commune totius populi Dei, est auctoritas non dominationis vel potentiae, sed servitii.

Proinde hierarchia multimode in servitio laicorum sistit spirituales necessitates illorum providens; formationem illorum assumens, evolutionem integram potentiarum apostolicarum illorum perficiens, in luce Verbi Dei illos ad dialogum cum universo creato ducens, sapienter per illos et cum illis et ab illis auscultans voces mundi, cuius redemptionem insimul facere debent.

Corollaria:

1. De apostolatu et organizatione. Hodierna socializatio mundi, velox mundi versus unitatem evolutio, apparitio coetus permagnae sic dictae "society of collective man", « société de masses », qua peculiares mentalitates et reactiones oriuntur, requirunt veluti conditione sine qua non organizationem apostolatus laicorum in scalas et modos stricte parallelos illorum societatis civilis, a plano stricte locali usque ad internationalem. Hoc modo tantum Ecclesia in universis campis societatis humanae praesens esse poterit.

Hoc modo tantum voces ex omnibus universi campis exortas Ecclesia poterit audire.

Hoc modo tantum laicis suis Ecclesia dare poterit veram protectionem, authenticam et modernam apostolicam formationem, et ut aiunt « training in apostolic teamwork », « esprit d'équipe », quae omnia necessaria sunt ad competentem dialogum cum humana societate ducendum et ad influentiam veram in campos organizatos humanae societatis perficiendam.

2. Laici non solum « auditores » sed « auditi ». Soli laici, inserti cum sint et vere identificati cum ordine temporali, competentiam perfectam habent ad hoc quod, primo, vox mundi ad Ecclesiam clare et plene perveniat, et secundo, quod vita divina ab Ecclesia ad temporalem ordinem efficaciter communicatur. Exinde duplicem titulum habent ut ab Ecclesia interrogentur et in omnibus punctis magni momenti relate ad universalem finem apostolatus Ecclesiae audiantur.

3. De presbyterorum et laicorum consociatione in labore apostolico et de formatione. Consociatio fraterna presbyterorum et laicorum pars esse debet integralis ministerii sacerdotum, in seminariis inculcanda, sed specialiter in ministerio concreto exercenda, ubi optimus magister istius collaborationis est experientia ipsa.

Praeoccupatio principalis pastorum hoc in campo formationem laicorum spiritualiter vere adultorum esse debet.

Vita liturgica paroeciae aptari debet exigentiis apostolicis laicorum. Nam unice per sacram liturgiam et in liturgia laici sacerdotium suum regale et spirituale perfecte exercere possunt. Solummodo per liturgiam expansionem personalitati christiani dare, nutrimentum et fortitudinem ad exercitium apostolatus recipere, et insimul vitam suam et fratrum transformare possunt, in communione passionis, mortis et glorificationis Christi.

Conclusio. Optamus ergo ut in schemate clarius fulgeat et usque ad praxim deducatur veritas illa quod apostolatus specificus laicorum, ut laicorum, pars integralis et immo imperative est ipsius missionis Ecclesiae.

[*Nomine aliquorum episcoporum*].

15

Exc.mus P. D. ZACHARIAS DE VIZCARRA
Episcopus tit. Eressiensis

Schema istud decreti conciliaris *de apostolatu laicorum,* et praecipue, humili meo iudicio, eius cap. II, tituli I, partis II, nn. 54-57, gravissimo vulnere sauciat et proximae morti exponit illam *Actionem Catholicam,* quae merito vocari potest « *Piana* », utpote cum eo nomine a S. Pio X instaurata, a Pio XI ferventi amore delineata et propagata, et a Pio XII luculenter illustrata, cum suis ramis, consiliis et centris generalibus ac specializatis, in ambitibus nationalibus constitutis, pro extensione apostolatus laicorum ad omnes Ecclesiae fines hierarchiae directioni commissos, prout usque adhuc viguit in pluribus mundi nationibus, inclusa imprimis Italia, et recentissime confirmata est iterum pro Hispania, sub Ioanne XXIII felicis memoriae, postquam recognita fuerant a Sancta Sede vigentia « Statuta Actionis Catholicae Hispaniae ».

Iam vero, si schema istud, sine seria emendatione, approbetur a Concilio Vaticano II, timeri potest ubique abolitio memoratae Actionis Catholicae Pianae,

eiusdemque substitutio ingenti quadam congerie inconnexarum ac diversissimarum consociationum in schemate descriptarum, tum dioecesanarum et paroecialium, tum regularium vel congregationalium, tum etiam privatarum, quae, ut ibi dicitur, « *solummodo sub generali vigilantia hierarchiae constituuntur* ».

Profecto, praedictum cap. II, in n. 54, distinguit primum duplicem classem formarum consociatarum apostolatus laicorum, quas possunt episcopi pro suis dioecesibus eligere, nulla facta mentione alicuius conferentiae episcopalis, quae possit consulere alicui mutuae intelligentiae, ad procurandam faciliorem collaborationem nationalem in rebus apostolatui nationali omnium concivium communibus, et illae classes ita enuntiantur:

Classis A), quam constituunt consociationes quae « Ecclesiae finem generalem simpliciter sibi proponunt »;

Classis B), cui adscribuntur illae consociationes quae sibi proponunt « fines particulares, velut alicuius doctrinae spiritualis incrementum, catechistarum formationem, infidelium conversionem, cultus liturgici profectum, devotionis marianae diffusionem, opera christianae educationis, institutionem ad doctrinam catholicam enucleandam et diffundendam, hisque similia ».

Praeterea, iuxta n. 55, inter consociationes huius duplicis classis, subdistinguuntur tres aliae classes, quae tres relationes diversas habent cum hierarchia:

Classis 1): « aliae magis directe cum paroecia et dioecesi connectuntur »;

Classis 2): « aliae alicui Ordini vel Congregationi religiosae adstringuntur »;

Classis 3): « aliae demum solummodo sub generali vigilantia Hierarchiae constituuntur ».

Hinc sequitur, in futura Actione Catholica ab isto schemate adumbrata, fore valde complexas relationes episcoporum cum hac tanta varietate formarum consociatarum, dupliciter et tripliciter inter se discriminatarum, praesertim si comparentur cum relationibus directissimis, facillimis et efficacissimis ab hierarchica structura Actionis Catholicae Pianae oblata, ad nominandos consiliarios ecclesiasticos et dirigentes laicos, ad impertiendam directionem pastoralem, ad consignanda opera apostolica principaliora vel urgentiora, etc.

Habetur praeterea novus fons confusionum, in n. 56, pag. 34, linn. 20 ss., ubi relinquitur particulari iudicio episcoporum decernere cuinam ex plurimis et diversissimis consociationibus competat qualitas Actionis Catholicae pro sua dioecesi, quocumque nomine vocetur et quacumque structura constet, quia, ut ibi dicitur, « *varias structuras assumere possunt* ». Ita, unaquaeque dioecesis potest habere suam peculiarem Actionem Catholicam, a nationali et a ceteris dioecesanis distinctam vel in oppositum vergentem. Mira certe varietas, sed mira etiam confusio et virium apostolicarum dispersio.

In hoc generis humani momento, in quo omnes mundi nationes maximam suarum virium collaborationem et unionem persequuntur, schema hoc videtur favere maiori dispersioni virium apostolicarum, et claudit citatum cap. II, in n. 57, cum hoc generalissimo principio, tanquam colophone disiunctivo: « Episcoporum est formas consociatas apostolatus laicorum promovere, quae, spectatis adiunctis suarum regionum, aptiores sibi videntur ».

Nonne oporteret definire modum et extensionem huius generalissimi principii?

Conclusio. 1. Schema hoc submittendum videtur seriae cuidam et substantiali revisioni, ad captum etiam militantium laicorum.

2. Brevianda videtur nimia eius diffusio, et perpolienda magis conceptuum fundamentalium exacta enuntiatio.

3. Praeclara forma Actionis Catholicae Pianae reponenda esset clarius in debita luce et aestimatione, atque enixe commendanda, ut corpus apostolicum compactissimum et universalissimum, signis nostri temporis maxime congruens et generali Ecclesiae bono in omni ordine apostolico apprime conveniens.

16

EXC.MUS P. D. SALMON FERRAZ

Episcopus tit. Eleuthernensis

1. Hoc in schemate, opportunum, et dato climate oecumenico etiam necessarium videtur aliquid attingere de sacerdotio regali omnium christianorum. Haec allusio ad ipsum fundamentum cuiusvis actionis catholicae in Ecclesia, summopere placeret ipsis fratribus separatis, qui, erronee, iudicant Ecclesiam romanam, vel negare vel spernere huiusmodi doctrinam, dum e contra a Sanctis Patribus et a Romanis Pontificibus, passim, tradatur.

2. Admittenda videtur maior participatio laicorum in ipsa Ecclesiarum localium administratione, exemplo desumpto ex fratribus separatis, in quibusdam omnino efficaciter exercita, et, etiam, dandum videtur quibusdam laicis selectioribus ius ad eligendos vel saltem informationes dandas circa designationem quorundam superiorum ecclesiasticorum.

3. Ad n. 33 in pag. 21. Iuverit, quid attingere de « Syndicatibus » catholicis, sive pro opificibus sive pro ruricolis, ut actio quae, in hac re, a quibusdam episcopis exercetur, et stimuletur magis, et exemplo fiat pro aliis, qui nihil de hac re in suis dioecesibus decreverunt.

Non esset absonum quod aliqua, etiam, dicantur de patronibus, quibus generatim deest comprehensio et acceptio documentorum Summorum Pontificum de re sociali, christiano modo exercenda.

4. Ad optimos cooperatores laicos efformandos, valde omnino iuvabit, Instituta Culturae Superioris Religionis vel, alia denominatione, Instituta Superiora Culturae Religiosae, adaperire, in quibus, de re dogmatica, de re biblica et morali, ampliori et modo scientifico illae res tractentur, prae oculis habitis specialibus loci et temporis condicionibus, et doctrinis, sive dissidentium, sive Ecclesiae vel cuiusvis religionis hostium. Hisce institutis, late pateat accessus iuvenibus in Universitatibus Gubernii inscriptis, necnon viris professionibus liberalibus addictis, qui apud scholas laicas efformati, magna ignorantia vel erroribus religiosis laborant.

5. Ad n. 84 pag. 45 dicatur *de re sociali et oeconomica.* Temporibus hodiernis, necesse omnino videtur seligere inter laicos catholicos rei oeconomicae expertes, assessores qui episcopis dioecesanis et ipsi Sanctae Sedi, in rebus temporalibus, assistant, sive in ordine ad administrationem patrimonii Ecclesiae, sive in ordine ad iudicium emittendum, securius in quaestionibus oeconomicis cum morali connexis, et hoc speciatim quando fit aliqua pronuntiatio nomine totius episcopatus alicuius nationis.

17

EXC.MUS P. D. DOMINICUS SENYEMON FUKAHORI
Episcopus Fukuokaensis

Mihi placet hoc schema, etsi est forsan nimis longum seu potius nimis prolixum.

Optatur ut veritas centralis seu cardo totius materiae huius schematis magis appareat. Haec veritas centralis est: « Sacerdotium regale populi christiani ». Etenim, populus christianus, sicut Christus ipse, quamvis subordinate, dependenter, partialiter, etc., triplex officium habet in Ecclesia, scil. officium seu munus regale, sacerdotale et propheticum. « Missio » ad apostolatum faciendum, quam laici recipiunt, non est nisi participatio officii prophetici Salvatoris nostri.

18

BEAT.MUS P. D. ALBERTUS GORI
Patriarcha Hierosolymitanus Latinorum

Necessitas huius apostolatus evidens est. Sed organizatio eius practica adhuc incerta difficilisque remanet. Nam:

a) *Laici* non ubique adhuc ad adultam mentalitatem christiani apostolatus pervenerunt.

b) *Clerus* etiam mentalitati « clericali » quae autonomiam debitam laicorum admittat non ubique valedixit.

c) *Fundamentum theologicum* apostolatus laicorum nondum clare elaboratum est.

Unde, stadio actuali speculationis et praxis de laicorum apostolatu, opportunius videtur si Concilium sequentia admitteret:

a) In nostra humili opinione opportunum nondum videtur doctrinam et legislationem definire in materia quae, ex evidentia, adhuc in fieri est speculative et practice.

b) Tamen Concilium urgere deberet ut doctrina et legislatio quam citius elaborentur in materia tam evidentis ac urgentis necessitatis.

c) Ut optatur in schemate, institui deberet organismus internationalis sedem in Urbe habens, ut elaboretur doctrina et status talis apostolatus laicorum.

d) Praedictus organismus seu secretariatus, semel institutus et conveniente auctoritate praeditus valeret methodos communes proponere, conatus omnes et initiativas locales impellere et inspicere.

19

EXC.MUS P. D. CAROLUS GRECO
Episcopus Alexandrinus

Generatim placet, sed nimis longum est.

20

Exc.mus P. D. CAROLUS HERMANNUS HELMSING
Episcopus Kansanopolitanus - S. Ioseph

The emphasis in the Schema upon the role of the laity, e. g. of the entire People of God, in the mission of Christ is to be commended highly.

There is, however, an insufficient emphasis upon the liturgy as an exercise of the Apostolate and as the primary source of the Apostolic Spirit (C.F. Part I, Title I, Chapter I, Page 8-9 and Title 4, Pages 27-29).

21

Rev.mus P. D. IOANNES B. JANSSENS
Praepositus generalis S.I.

In genere laudandum est hoc schema, quod de re nova optime agit. Nonnulla crediderim brevius contrahi posse, cum emolumento claritatis et efficacitatis.

Mitto sat multa et non adeo neglegenda menda typographica, quae quandoque sensum obscurant.

Prooemium generale, nn. 1-5, optatur brevius.

N. 6, pag. 8, linn. 16-17: videtur textus innuere inter Ecclesiae necessitates praecipuas esse opera caritatis et missiones. De qua re dubitari potest. Praeponantur potius « Ecclesiae necessitates » peculiaribus operibus in gratiam pauperum et missionum.

Nn. 6 et 9: hoc cap. I optimum est; sed omnia postea iterum dicentur et quidem ratione minus stricta et magis prolixa. Videtur potius extendendum hoc caput primum, contrahenda ulteriora in titulo III, pag. 18 ss.

N. 14, pag. 11, lin. 11: libentius dixerim « commendat » loco « mandat ». Periculosum est velle in coetu tam numeroso « imponere » ea quae in futuro Codice dicenda sint.

N. 31, pag. 20, lin. 30: dicatur potius « Ordinarii » quam « locorum Ordinarii ». Eadem enim commendatio valet de religiosis; immo hi facilius et saepius tales laicos operibus suis devotos habent.

N. 32, pag. 21, linn. 1-2: addatur « ubi desunt sacerdotes ». Cogito v. g. de certis partibus Americae Latinae, quae non sunt « diasporae » nec « ubi prima Evangelii sparguntur semina », ubi soli zelantes laici fidem servandam curant, idque cum bono successu.

N. 35, pag. 21: prima paragraphus, linn. 15-24, omittatur. Enuntiat enim res nimis notas quam ut a Concilio repetantur.

N. 35, pag. 23, lin. 33: « cum vix ullus error alicui veritati non sit commixtus »; dicatur « cum *nullus* error... »; in omni enim errore, continetur aliquid veri; intellectus humanus nulli rei adhaerere potest nisi sub specie veri.

N. 36, pag. 24, linn. 24-26: frustra conatus sum sensum huius sententiae assequi.

N. 50, pag. 31, linn. 20-21: non intellego sententiam « maximi faciant hanc beneficam institutionem *curaeque animarum praestitam* ».

N. 50, pag. 32, lin. 7: « qui a vita paroeciae longe absunt »; suppono sensum esse « qui a vita christiana longe absunt »?

N. 51: ne insistatur in illa notione « Paroecialis communitatis »; in maioribus civitatibus, in quibus magna pars christianorum convenit, ille sensus communitatis « paroecialis » saepe utopicus est. Plures sunt aliae « communitates » (officii, laboris, studiorum...) quibus homines alligantur, ita ut « paroecia » sit saepe secundaria et multis ignota. In talibus foveatur oportet ante omnia sensus communitatis « christianae » seu « catholicae », etiamsi sensus « paroeciae » satis desideretur.

N. 52, lin. 21: monitum S. Ignatii Antiocheni haud feliciter hic appellatur. Tempore enim S. Ignatii, prorsus diversus erat rerum status, cum tota vita esset exclusive « localis ». Multi fideles nunc, ex ipsis adiunctis vitae, magis afficiuntur erga « Ecclesiam » quam erga « dioecesim ». Est aliquid anachronisticum in nimio cultu paroeciae vel dioeceseos. Hoc rectissime confirmat n. 53.

N. 56, p. 34, lin. 21: loco « episcoporum » dicatur potius etiam hic « hierarchiae ». Nam contigit ut ipse Summus Pontifex de tali re iudicium protulerit.

N. 57: pariter loco « episcoporum », ob eamdem causam dixerim potius « hierarchiae ».

Titulis II et III, pag. 37 et ss. Crediderim hic accentum non bene poni, si ita loqui fas est. Plurimum enim insistitur in « actionem caritativam », quasi haec esset maioris momenti; brevius et minore vi agitur de actione sociali, quae absconditur quasi in titulo de actione « temporali » laicorum.

Iamvero, maior caritas christiana exercetur non ab iis qui opitulantur infirmis, orphanis, senibus, pauperibus illis « quos semper habebimus nobiscum » ut dicit Dominus, sed ab iis qui *causas* paupertatis *plerorumque* hominum ad laborem aptorum de medio tollere nituntur. A. v., ut per exemplum procedam, magis urget caritas erga 300.000.000 incolarum Indiae qui sibi, non obstante valetudine et bona voluntate, providere non possunt, quam erga 10.000 egentium qui Calcuttae ne tectum quidem habent. Opera « socialia », quae causas paupertatis tollunt, maioris caritatis sunt quam opera « caritativa » quae paucorum miseriae laudabiliter opitulantur.

Inde crediderim opportunum fore magis insistere in actionem illam per quam sors maximae partis generis humani (extra Americam Septemtrionalem et partem Nord-Occidentalem Europae) in melius mutatur, quam in opera illa sanctissima in gratiam senium, debilium, derelictorum. Minus proinde insistatur in opera caritativa erga singulos, multo magis in opus caritatis erga plurimos, immo erga massam generis humani, de quo in praesenti schemate brevissime, per transennam et quasi aliud agendo sermo fit.

22

Exc.mus P. D. IOANNES IOSEPH KROL

Archiepiscopus Philadelphiensis Latinorum

In genere. Hoc schema studio amplissimo variarum apostolatus laicorum formarum feliciter effectum est. Mutationibus hodiernis bene perpensis, schema in luce ponit Ecclesiam laicorum apostolatu nunc vere indigere; quales esse campos in quibus christifideles apostolice adlaborare possint; atque necessitatem instruc-

tionis tam spiritualis quam technicae ut collaboratio laica cum apostolatu hierarchico frugifera evadat.

Christifidelibus verum solatium est illa schematis pars quae hortatur omnes cleros ut laicorum dignitatem et responsabilitatem in Ecclesia agnoscant; una cum laicis operandum esse in Ecclesia et pro Ecclesia semper in mente habeant, magnam curam praestent laicis in apostolatu adlaborantibus; et cum fiducia laicis in servitium Ecclesiae munera committant.

Schema genus dicendi clarum accuratumque possidet. Sunt paucae animadversiones faciendae aliqui errores typographici corrigendi.

In specie. 1. Pag. 10, lin. 24: loco « pariter ac a sacerdotibus », forsan melius scribendum « aeque a sacerdotibus ».

2. Pag. 15, lin. 24: loco « una cum sacerdotis », legatur « una cum sacerdotibus ».

3. Pag. 18, lin. 4: loco « consideranda », legatur « considerandas ».

4. Pag. 19, lin. 27: loco « aquisitionem », legatur « acquisitionem ».

5. Pag. 24, lin. 39: loco « commendatur », legatur « commendantur ».

6. Pag. 28, lin. 24: loco « v. g. » (sine commate), legatur « v. g., » (cum commate).

7. Pag. 32, lin. 12: loco « germanum », legatur « germanam ».

8. Pag. 32, lin. 17: « dioecesis » in casu genitivo scribitur, sed eadem pagina, lin. 26, « dioeceseos » adhibetur. Nonne melius esset si uniformiter aut solum vocabulum « dioecesis » aut « dioeceseos » in utroque loco adhiberetur?

9. Pag. 33, lin. 16: loco « conectuntur », legatur « connectuntur ».

10. Pag. 34, lin. 37: loco « suorum », legatur « suarum ».

11. Pag. 37, lin. 16: loco « domo », forsan melius scriberetur « domicilio ».

12. Pag. 37, lin. 17: loco « vita », legatur « vitae ».

13. Pag. 27, linn. 18-19: loco « refician-ut et », legatur « reficiantur et ».

14. Pag. 40, lin. 16: loco « v. g. » (sine commate), legatur « v. g., » (cum commate).

15. Pag. 40, lin. 17: loco « vocationum », legatur « vacationum ».

16. Error typographicus in notis habetur pag. 29, nota 1, lin. 4, ubi loco « djligenter » legendum est « diligenter ».

23

Exc.mus P. D. STEPHANUS LÁSZLÓ

Episcopus Sideropolitanus

A. *In genere.* Placet: 1. ut de hac materia in Concilio et quidem summatim, i. e. de tota actione laicorum tractetur; 2. ut schema non tantum expositionem theoreticam sed etiam considerationes practicas contineat; 3. ut schema in duas partes, i. e. in unam partem generalem et postea in partem specialem dividatur; 4. ut schema se positive convertat ad hodiernum mundum et hunc pro apostolatu laicorum libenter accipiat.

Minus aut non placet: 1. ut schema non ab una manu exaratum sit (ut notum est, plures subcommissiones hanc materiam exaraverunt); 2. ut non satis rationem habeat ad schema *de Ecclesia* (quod ultimis temporibus tantum recepimus); 3. ut

nimis ample de hac materia tractet; 4. ut non satis fontes biblicae exhauriantur; 5. ut conceptus de laico et apostolatu laicorum in schemate non inveniantur.

Nihilominus schema in genere placet et pro disceptatione in congregatione generali commendari potest.

(Nolo reticere votum alicuius episcopi, quod mihi transmisit et ita sonat: « Schema propositum non placet. Nam moralistae potius tractatus est quam Concilii enuntiatio. Abundantia propositionum et usus locorum communium et tritorum evitentur oportet. Schema, ut in formam conciliarem redigatur, post prooemium brevissimum doctrinam de ratione et modis exercendi apostolatum laicorum concinnam et deinde paucos articulos fundamentales ad modum canonum compositos praebeat (cf. Conc. Trid., s. 6, 13. 14. 21. 22. 23. 24; Conc. Vat. I, s. 3. 4. »).

Ut schema exspectationibus nostris magis correspondeat, in genere proponere audeo: 1. ut ab una manu exaretur; 2. ut rationes meliores habeat ad alia schemata, imprimis ad schema *de Ecclesia*; 3. ut tota materia magis concinne elaboretur; 4. ut melius et largius respectivae fontes S. Scripturae adhibeantur; 5. ut conceptus de « laico » et de « apostolatu laicorum » etiam in hoc schemate « De apostolatu laicorum » recipiantur.

B. *In specie.* Pag. 5, n. 3, linn. 24-25 et pag. 5, n. 6, lin. 2. In textu tantum sermo fit de iure, honore et officio laicorum ad apostolatum, non autem etiam de eorum vocatione. Praeprimis autem dici debeat omnem fidelem, i. e. ad Christum venientem et baptizatum, vocatum esse, ut saltem aliquam partem etiam in opere salutis habeat.

Pag. 6, n. 5. Tantum in nota (4) sermo est de confirmatione ut fundamentum pro apostolatu laicorum. Melius esset, ut ista res in textum schematis recipiatur.

Pag. 7, nota 4 a. Verba « maxima apostolicorum officiorum pars tum clericis tum laicis communis est; nec facile saepe distingui potest quid reapse ad clericos, quid vero ad laicos pertineat » aut similia forte potius exprimi possint sequentibus, nempe: « nos, qui Ecclesia Christi sumus, clerici et laici... ».

Pag. 8, n. 6, linn. 10-18. Non esset melius verba de pecunia omittere, quia hoc officium non tantum laicis, sed etiam clericis incumbit?

Pag. 8, n. 7, lin. 20. Loco verborum « requiritur ut tali rectitudine morali se gerant » ponantur « requiritur, ut secundum vocationem suam vivant ».

Pag. 11, n. 14, lin. 3. Qui textus non organice cum alio textu schematis connexus esse videtur, sed in praeiacenti forma, ut mihi videtur, a Commissione coordinationis desideratus est.

Pag. 14, n. 20, lin. 4. Loco verborum « quae proprie ad ipsam hierarchiam pertinent » ponatur « quae membris Ecclesiae ex se non competunt ». *Ratio* est: missio canonica non membro Ecclesiae qua tali convenit, sed potius functionem officialem ei confert et ideo ab hierarchia oriri debet.

Pag. 14, n. 22, lin. 36. Expressio magis generalis ibi desideratur, ne videatur, religiosos generatim ad clerum adnumerandos esse.

Pag. 15, n. 26, linn. 21-32. Quod officium seu secretariatum ad Sanctam Sedem condendum attinet, generatim haec propositio placet. Sed ab aliquo episcopo sequentia observantur: « Tale Centrum apostolatus opportunum sane esse poterit, si indolem instrumenti studiorum, informationis aptaeque coordinationis induet, integra manente autonomia singularum Consociationum et Operum. Licet coope-

ratio inceptorum apostolatus hoc modo commendari queat, ut opera singulorum efficacius ad finem dirigantur, omnino tamen evitari debebit falsus centralismus, ita ut Centrum condendum revera quasi novum Dicasterium Curiae Romanae fieret. Praeterea clare indicetur, quinam sodales in hoc Centrum supremum vocentur et quis eos vocet vel mittat ».

Pag. 18, n. 27, lin. 7. Verba « sui iuris fiunt » deleantur. *Ratio*: verba et de sociali et de iuridica autonomia intellegi possunt.

Pag. 18, n. 27, linn. 11-12. Verba « saepe maturius quam antea » deleantur. *Ratio*: historia praebet exempla contraria.

Pag. 20, n. 30, lin. 1. In toto numero 30 verbum « parentes » deest. Loco verbo « ambo » ponatur ergo verbum « parentes ». Ad lin. 4 addantur praeterea sequentia verba: « Quod momentum ut plenius agnoscatur, Ecclesia parentibus dat ius benedicendi filios proprios et quidem tamquam sacramentale quod efficax est vi operantis Ecclesiae ».

Pag. 22, n. 34, linn. 26-27. Potestne dici: « Cultura, ... est bonum ex Deo promanans... »? Cultura habet benedictionem divinam, quia correspondet mandato divino: « Replete terram et subiicite eam » (*Gen.* 1, 28). Alia expressio ergo melior esset, ne ista verba « ex Deo promanans » forte male intellegantur.

Pag. 28, n. 44, lin. 21. Loco « poterunt » ponatur « poterit ».

Pag. 29, n. 46, lin. 2. Forte melius esset, non loqui de substitutione sacerdotum per laicos, quia haec expressio multis laicis non placet.

Pag. 29, n. 47, lin. 7. Loco « sacerdotes » legatur « pastores ». *Ratio*: hic agitur de munere pastorali.

Pag. 31, n. 50, linn. 10 et 15. Paroeciam ut « communitatem Ecclesiae » et ut « cellulam » (pag. 32, n. 52, lin. 16) non omnes canonistae admittunt et ideo haec expressio melius evitetur.

Pag. 31, n. 50, lin. 12. Quae difficultas ut supra etiam adhaeret conceptui « parocho ut ... ordinario magistro ». Quae expressio ordinarie pro episcopo adhibetur et ideo hoc loco melius evitetur.

Pag. 31, n. 49, lin. 4. Verba « Populus Dei » ponantur absque signis citativis. *Ratio*: populus Dei est descriptio Ecclesiae usitata.

Pag. 34, n. 56, lin. 16 resp. pag. 48, n. 92, lin. 11. Estne distinctio inter collaborationem « *cum* hierarchia » et « collaborationem *in* apostolatu hierarchico »? Quare haec diversitas in locutione, quae facile male intellegi possit?

Praeterea expressio: « Collaborantium cum hierarchiae apostolatu quae omnes creaturas... ad Iesum... perducere sibi proponit » ita sonat, ac si « creaturas ad Iesum perducere » tantum ad hierarchiam pertineat et laici ad hoc opus tantum cum hierarchia collaborare possint. Etiam ibi ergo expressio magis exacta necessaria erit.

Pag. 37, n. 58, lin. 9. Deleantur verba « in sacramentis et ». *Ratio*: confectio et dispensatio sacramentorum ipsae sunt actus liturgici.

Pag. 38, n. 61, linn. 6-15. Deleatur. *Ratio*: non placet, quia iste numerus potius ad tractatum de re morali pertinet, quam ad constitutionem de apostolatu.

Pag. 41, n. 72, lin. 1. Pro verbo « methodologicam » dicatur « methodicam ». *Ratio*: agitur de institutione practica.

Pag. 41 post n. 73. Post n. 73 novus n. 73e addatur cum sequentibus aut similibus verbis: « Praesertim autem commendatur actio caritativa pro nationibus

evolvendis. Singulae Ecclesiae enixe invitantur ut sese huic operi omnibus quas habent viribus dedicent » (vide Encyclica *Mater et Magistra*).

Pag. 43, n. 75, lin. 1 usque ad pag. 44, n. 78, lin. 7. Quae in hoc prooemio habentur, brevius ac magis concinne dicantur.

Pag. 44 ante n. 79. In inscriptione cap. I loco verbi « christiane » dicatur: « secundum principia christiana ».

Pag. 44, n. 79, lin. 17. Deleto verbo « propria », ponatur: « et ideo unusquisque sua responsabilitate... ». *Ratio*: ita sensus textus clarior evadit.

Pag. 45, ante n. 83. In inscriptione cap. II, loco verbi « eodem », dicatur « temporali ».

Pag. 45, n. 84, lin. 31. Deleatur ultimum incisum « si Summi ... constituere ». *Ratio*: hoc incisum non exhibet stylum conciliarem.

Pag. 46, n. 85, lin. 9. Deletis verbis « In institutis ... perfusis », dicatur « In scholis catholicis ». *Ratio*: claritas textus et comparatio terminorum cum schemata de scholis catholicis desideratur.

Pag. 46, n. 88, linn. 33 s. Non placet. *Ratio*: numerus iste potius ad tractatum moralistae pertinet quam ad Constitutionem Conciliarem (cf. supra ad n. 61).

Pag. 47, n. 90. Post lin. 26 sequentia aut similia addantur: « Commendantur praesertim motus opificum et patronum. Spes enim affulget ex mutuo eorum contactu solutiones sociales gigni posse, quae fini Encyclicae *Mater et Magistra* plene congruunt » (vide *Mater et Magistra*).

Pag. 48, n. 92, linn. 1-25. Quae hic habentur opportune in prooemium inserenda videntur.

24

Exc.mus P. D. EMMANUEL LLOPIS IVORRA

Episcopus Cauriensis-Castrorum Caeciliorum

Universale schema ac eius praecipue cap. II, tit. I, pars II, nn. 54-57 denuo considerari aestimo, necnon validam emendationem facere ante ipsius approbationem. *Rationes*:

1. Schemate, sicut proponitur, serio gravatur et morti proximam tradit nobilissimam illam prae ceteris formam apostolatus laicorum quam, a Summis Pontificibus, huius nostri XX saeculi, nomine Pii insignitis — X, XI et XII —, Actionem catholicam *Pianam* omnes cognoscunt et merito vocant.

2. Actio Catholica Piana pro viribus fovet ac facit laicorum apostolatum, sicut ipsis nempe laicis, sacra hierarchia ecclesiastica commendat: adhuc, meritis plena, in Italia est ac in Hispania, necnon in pluribus mundi nationibus; immo, nostris temporibus, iterum est pro Hispania a Ioanne XXIII solidata, post inspectionem, recognitionem ac affirmationem vigentis Statuti A. C. Hispanae.

3. Decreti admissio, ut nunc litteris constat, luem significat et forsan abolitionem memorabilis nostrae A. C. Pianae; et, pro dolor, eius substitutio aliqua inconnexarum ac diversissimarum consociationum in schemate descriptarum congerie, quia, ut illo loco notatur, « solummodo sub *generali* vigilantia hierarchiae constituuntur »: quod imperfectius quam illud bene videtur.

4. N. 54 matura consideratio monstrat « valde complexam relationem episcoporum fore » cum Actione Catholica, in se ipsa divisa ac tanta formarum consociationum varietate partita ut in hoc numero apparet; facillimae ac efficacissimae hodie perstant relationes quas sacrae hierarchiae Actio Catholica Piana offert, praesertim ad seligendos confirmandosque Consiliarios Ecclesiasticos ac Dirigentes laicos; ad consignanda etiam opera apostolica principaliora aut urgentiora, necnon ad directionem pastoralem impertiendam, quae quidem omnia maximi, nostris istis diebus, momenti iudicanda sunt.

5. Si n. 56, pag. 34, linn. 20 ss. ut nunc est approbaretur, laudandam illam apostolatus unitatem in varietate invalidaremus; ex quo disgregatio et maxima dispersio finis uniuscuiusque associationis oriretur, et in praxi earum omnium vim ac efficacitatem periclitaret: ibi, enim, proprium censetur episcoporum stimare et iudicare cuinam conveniat, ex diversis consociationibus, nomen ac qualitates Actionis Catholicae pro suo territorio seu dioecesi, quia dicitur eae « varias structuras assumere possunt ». Unde dioecesis quaedam habere posset suam Actionem Catholicam a nationali distinctam ac ceteris dioecesanis oppositam.

6. Insuper, denique: peropportunum censeo iterum modum et extensionem illius generalissimi principii definire, quo cap. II, in n. 57, clauditur: « Episcoporum est formas consociatas apostolatus laicorum promovere, quae, spectatis adiunctis suarum regionem, aptiores sibi videntur ». Tunc, de unius arbitrio ac libera voluntate, congeries incommoda in dioecesi esset, virium apostolicarum favens dispersioni.

Quae quidem omnia iudicio vestro superiori submitto; placeret attamen *a*) iterata totius huius schematis redactio ac denua consideratio; *b*) ut brevius eius diffusio fiat atque exacta magis et accurata sit conceptuum fundamentalium exaratio; *c*) repositio, ad mentem Summorum praecedentium Pontificum, nomine Pii, nobilissimae formae Actionis Catholicae Pianae, omnium cum debita aestimatione, unde Ecclesiae Dei bonum proveniat, per amplissimum corpus apostolicum, nostris diebus maxime conveniens.

25

Exc.mus P. D. STANISLAUS LOKUANG
Episcopus Tainanensis

1. Lingua latina in toto schemate hoc non fluide currit neque semper gaudet claritate necessaria. E. g. nn. 27, 33, 38, 51, 52, 66, 79, 82, 87.

2. In multis articulis adest defectus verbositatis. Melius erit si sensus paucis et claris verbis exprimitur in nn. 8, 26, 27, 30, 32, 33. Nam hoc decretum legi debebit etiam a fidelibus loci missionum; idcirco pro versionibus faciendis desideratur claritas quam maxima in textu originali.

3. Cap. II partis II multa repetit quae inveniuntur in cap. II capitis I. E. g. n. 54 repetit n. 10; n. 55 repetit n. 11.

4. N. 4. « una cum hierarchia divinitus instituta » dici debet « sub ductu hierarchiae divinitus institutae ».

In toto hoc schemate ordo inter hierarchiam ecclesiasticam et apostolatum

laicorum non est clarus. Apparet timor affirmandi auctoritatem hierarchiae ecclesiasticae quominus iniuriam faciant laicis. Sed apostolatus in Ecclesia in quacumque forma ab auctoritate hierarchiae ecclesiasticae dependere debet.

5. N. 13 « vitanda tamen est virium dispersio, quae fit praesertim promovendo sine ratione sufficienti associationes et opera » dici debet « vitanda tamen est virium... promovendo sine ratione sufficienti associationes *novas* et opera ».

6. N. 15 non est clarus et est deficiens. Relate ad laicorum apostolatum sacrae hierarchiae non est tantummodo fovere et principia, subsidiaria et praecepta afferre; sed etiam vigilare et dirigere iuxta diversas eiusdem apostolatus formas.

7. N. 17 « nisi implicite vel explicite consensus accesserit auctoritatis ecclesiasticae ». Tollatur verbum « implicite » et sit « nisi explicite consensus... », quia pro quocumque incepto quod nomen catholicum habere vult, debet accedere explicite consensus auctoritatis ecclesiasticae.

8. N. 33 multa repetit quae inveniuntur in schemate de doctrina sociali.

9. N. 34 *c*) « Diversos culturae campos mutuo componant et ad unitatem redigant » addatur « ad harmoniam cum principiis christianis ».

26

EXC.MUS P. D. CORNELIUS LUCEY
Episcopus Corcagiensis et Rossensis

De apostolatu laicorum. Pag. 5, linn. 7-10. Lege: « ... laicorum simul ac religiosorum et clericorum collaboratio omnino requiratur — quae revera semper a tempore Christi et apostolorum sub variis formis extitit — eiusdem laicorum apostolatus principia... Ad hodiernas conditiones magis accommodatas explanare placuit iuxta tractationem... ». Nec laici nec alii a se soli possunt apostolatum adaequatum exercere. Laicorum apostolatus non est aliquid omnino novum; erat ab initio Ecclesiae. Quod requiritur est renovatio et amplificatio apostolatus.

Pag. 5, linn. 15-18. Propono sic: « ... alii vocantur ad perfectum Dei servitium in statu clericali...; alii ad publicum statum perfectionis...; alii vero ad perfectionem item assequendum per Dei servitium in communi... ». Status religiosus, quamvis status perfectionis, non est proponendus ut sola via ad personalem perfectionem aut ad serviendum Deum.

Pag. 6, lin. 16. Legatur: « ... non possint vel non velint nisi... ». Quia quae possunt non semper homines velint facere.

Pag. 6, lin. 18. Loco « una cum » lege « sub regimine hierarchiae... ». Missio laicorum non est independens.

Pag. 6, linn. 22-23. Lege: « ... quibus specialis participatio laicorum in generali missione Ecclesiae... ». Quia laici *sunt* pars Ecclesiae.

Pag. 8, lin. 8. Lege: « ... minime praetermissa principali illa obligatione status sui, scilicet officiorum... ». Ne parvipendantur.

Pag. 10, linn. 28-29. Lege: « Salva Ordinarii loci auctoritate quoad omnia opera apostolica in suo territorio exercenda, iis non exceptis quae a religiosis etiam exemptis promoventur, libertas generalis laicorum in associationibus moderandis, et praesertim in... ». « Relatio » non sufficit; requiritur ut *auctoritas* episcopi in re agnoscatur.

Pag. 11, lin. 2. Addatur: « vel retinendo ultra vitam utilem associationes sive methodos olim forsan idoneos ». Ratio patet.

Pag. 14, lin. 24. Lege: « ... sacerdotes apostolatum laicorum adiuvando idoneos... ». Munus sacerdotis non est nisi supplementare.

Pag. 18, lin. 15. Lege: « ... indole, et rationabili autonomiae gradu ». Associationes non sunt absolute autonomae.

Pag. 15, lin. 17. Lege « ... Episcopi invigilent ne vires per vanam multiplicitatem disperdantur, sed ut associationes non amplius idoneae aut ad actuales necessitates quamprimum adaptentur aut tandem supprimantur; insuper ut omnes... ». Oportet ut non quasi-aeternae vel immutabiles considerentur.

Pag. 18, lin. 7. Lege: « ... sui iuris fiunt, et nisi prudenter ac amanter tractarentur timendum est ne a familia potius arceantur... ». Pessimismus nimius est vitandus quando loquimur de iuvenibus.

Pag. 19, lin. 35. Lege: « ... non solum de apostolica actione Ecclesiae beneficia percipiant, sed etiam... ». Sic forsan clarius.

Pag. 20, linn. 6-7. Lege: « ... munus apostolicum incipere oportet apud consanguineos, extendens praesertim ad eos qui in... ». Illic solum incipit, sed non finitur.

Pag. 20, lin. 14. Lege: « ... bonis carent, sicut infantibus derelictis, illegitimis vel quoad fidem periclitantibus, sive per adoptionem legalem sive aliter auxilium ferant... ». Ad recolenda quaedam opera valde necessaria.

Pag. 20, lin. 21. Lege: « ... speciali honore et commendatione in Ecclesia digni sunt laici... ». Nimia poesis est vitanda; nonne laici ipsi partim Ecclesiae?

Pag. 21, linn. 1-2. Melius si sic: « ... vel in terris missionariis ».

Pag. 22, linn. 12-13. Lege: « ... Ad hoc, et praesertim ad graviora otii, seu laboris privationis, mala vitanda, multum iuvabit si opportunitates laborandi in societate sufficienter multiplicentur, et si formae laboris ipsae, cooperantibus... ». In multis locis, etiam his temporibus, otium (anglice "unemployment") est problema maximum.

Pag. 22, lin. 28. Lege: « ... Unde decursu saeculorum Ecclesia magni aestimavit... ». Aestimatio culturae in Ecclesia non est aliquid hucusque inauditum.

Pag. 24, lin. 22. Lege: « *d*) Suadeant omnes, ad constanter recte vivendum necessarium esse non modo ut homo gratiam Christi recipiat sed etiam ut cum ea libere cooperetur ». Quaedam opera naturaliter bona poni possunt sine gratia.

Pag. 24, lin. 27. Lege: « Christifideles, in mentem revocantes illa S. Pauli verba, " non est enim potestas nisi a Deo: quae autem sunt, a Deo sunt " (*Rom.* 13), singuli pro conditione sua, ad verum et genuinum bonum commune promovendum, debitam aestimationem et cooperationem erga officia et quidem officiales ipsos Gubernii civilis pro pietate exhibeant; et insuper actuose... ». Obligationes nostrae ad Statum a civibus persaepe praetereuntur cum magno detrimento ordinis publici.

Pag. 27, linn. 2-3. Lege: « ... aptus fiat, formatione generali tamquam catholicus " integralis " indiget ». Haec formatio non debet exhiberi ut aliquid aliis denegatum.

Pag. 28, linn. 7-8. Lege: « ... peritia tam innata quam acquisita, et quidem theoretica simul ac practica... ». Forsan magis praecise.

Pag. 28, lin. 29. Lege: « ... ut catholici vere " apostolici " fiant adulescentes

et iuvenes... ». Opera apostolica proponenda sunt ut pars normalis vitae catholicae.

Pag. 29, lin. 11. Lege: « Ad laicos efformandos pro peculiari aliqua in apostolatu responsabilitate gerenda, apta... ». Apostolatus tractandus est ut aliquid normale pro laico.

Pag. 31, lin. 11. Lege: « quae est fundamentalis communitas Ecclesiae... ». Ut recte aestimetur.

Pag. 31, linn. 19-21. Lege « ad opera pertineant vel Ecclesias frequentent e religiosis... praestitam; ad quem finem curent religiosi omnes ut devotiones et opera ab ipsis pendentia sincere cum inceptis paroecialibus componantur, tamquam complementaria, nunquam vero in oppositione. Sollicite... ». Ut praebeatur remedium malis infeliciter non fictis.

Pag. 33, linn. 16-18. Lege: « ... alii magis directe...; alii mediante collaboratione alicuius ordinis...; aliae demum per personas aut associationes solummodo... ». Ne dubitetur quod omnes cum regimine hierarchiae coniungi debent.

Pag. 37, lin. 14. Lege: « ... familiae se esse perspiciant ». De facto unica familia sunt.

Pag. 37, lin. 21. Lege: « ius inalienabile et quidem officium ineluctabile habet, et quam... ». Apologetice melius est officia potiusquam iura vindicare Ecclesiae.

Pag. 39, lin. 22. Lege: « vel mera instrumenta proselytos indigno modo faciendi ». Sic clarius.

Pag. 41, linn. 9-10. Lege: « ... atque ubi vocationes ad ministerium pastorale sufficienter abundant ad vocationes etiam pro ipsis... ». Multo magis pluribus in locis requiritur sacerdotes pastorales potiusquam sacerdotes religiosi.

Pag. 46, linn. 2-3. Lege: « ... laici integra catholica formatione professionali vel technica, doctrinali et morali indigent ».

Pag. 46, lin. 13. Lege: « ... erigantur, vel facultates in existentibus universitatibus creentur, in quibus... ». Ut pluribus prostet.

27

EXC.MUS P. D. PATRICIUS FRANCISCUS LYONS
Episcopus Saliensis

Ad mentem litterarum Eminentiae Suae rev.mae card. Secretarii Status Sanctitatis Suae die 30 aprilis 1963 editarum, quibus Patres conciliares rogati sunt eorum animadversiones, observationes, consilia et emendationes de schematibus pro Oecumenico Concilio Vaticano II propositis secretario generali eiusdem Concilii intra hunc iulii mensem mittere, ego subsignatus episcopus Saliensis vellem emendare schema decreti *de apostolatu laicorum* modo sequenti.

Valde dolendum est, meo iudicio, schema *de apostolatu laicorum* praesertim (*a*) ubi sermo est de variis talis apostolatus campis, e. g., « in vita publica » (37), « in ambitu internationali et supranationali » (38) et « de ambitis materialismo infectis » (35) atque (*b*) ubi loquitur « de applicatione doctrinae socialis Ecclesiae ad varios campos negotiorum » (pars II, tit. III, cap. IV) omnino tacere de communismo qui est, sine dubio, Ecclesiae et animis ubique terrarum infestissimus ac silere etiam de obligatione a parte laicorum talem pestem lethalem continuo ac strenuo oppugnandi.

Itaque, vellem *emendare schema* ita ut sequentia contineat:

A) « Inter incepta laicorum primaria, locum dari omnino oportet obligationi circumveniendi conata Communismi atheistici ad omnes et singulas nationes dominandas. Christifideles debeant ante oculos semper habere Monitum illum [1] quod Communismus est intrinsece malum quodque nemini qui cultum christianum vellet servare permittitur communismo ullo quocumque modo ferre auxilium ».

B) « Utrum methodum belli seditiosi sibi seligat an potius subtilioris sic dictae " exsistentiae pacificae ", certum est communismum finem sibi proponere totum mundum vincendi simulque libertatem sive civilem sive religiosam radicitus eliminandi ».

C) « Communismus conata sua ad potestatem civilem societatis constitutae arripiendam principaliter promovet per actionem in campo vere politico aut potius per medium operariorum vel agricultorum consociationum quae ad plebis coordinationem viam plus efficacem aperiunt. Quae cum ita sint, necessarium prorsus est communismo obviam venire eumque vincere in ipsis campis a se electis. Ideo, catholici eos caveant, omnino oportet, qui dicere auderent huiusmodi suam actionem, nimirum contra communismum, " mixtionem religionis cum re politica " constituere dum reapse nihil aliud sit quam et religionem et societatem civilem defendere contra istos qui armis politicis uterentur ad utramque, religionem scil. et rem politicam, pariter destruendam ».

28

Exc.mus P. D. OCTAVIANUS MARQUEZ TÓRIZ

Archiepiscopus Angelorum

Benignitatem tuam enixe rogo ut, ad commissionem competentem, sive ad commissionem generalem coordinatricem, transmittere velis sequentes meas humiles animadversiones circa schema *de apostolatu laicorum*:

1. Sine dubio apparet ut optimus tractatus de vita christiana, in ordine praesertim ad opera externa seu apostolatum. Unde in se omnino laudandum schema est. Sed pro Concilio Oecumenico, attentis normis a Summo Pontifice datis, summa cum reverentia dico, defectu gravissimo totum schema laborare: *nimia longitudine*.

Sufficit etenim comparationem statuere cum aliis schematibus, e. g.: schema *de matrimonii sacramento,* etiam cum aliis documentis, et spatiis interiectis, habet 20 pag.; *de Ecclesia,* pars II, 13 pag.; *de Ecclesiis orientalibus,* 12 pag.; *de Sacrorum alumnis formandis,* 12 pag.; *de scholis catholicis* (Universitatibus inclusis), 10 pag.; *de B. Maria Virgine,* 6 pag.

Et nemo est qui non videat praefata schemata argumenta maximi momenti in Ecclesia pertractare.

Porro schema hoc *de apostolatu laicorum,* saltem 35 paginas solius textus,

---

[1] Cf. Pius XII, Litt. Encycl. *Divini Redemptoris*.

notulis demptis, habet. Quod omnino inaequale et absque proportione evidenter apparet.

Unde, tantum propter rationem hanc, gravissimum periculum adest, ni fallor, totum schema a Concilio reiiciendum fore.

Mihi ergo videtur, antequam Concilii discussionibus subiiciatur, refundendum ex integro esse, scil., reducendum ad tertiam partem. Quod absonum non apparet, siquidem in prioribus titulis nimia prolixitate sermo fit de apostolatu in genere ac de vita christiana.

2. Ratione habita maximarum commendationum a Summis Pontificibus factarum, immo et iussionum, circa *Actionem Catholicam,* e. g. « absque dubio pertinet ad integritatem vitae christianae »; attentis ultimis allocutionis Sanctissimi Patris Nostri Pauli Papae VI circa momentum Actionis Catholicae — « non superata », « insubstituibilis », « intra ipsam vitam Ecclesiae iam constituta », etc. —, mirandum omnino est quomodo in schemate tantum caput unum parvum, quasi in fine et quasi cum timore, de Actione Catholica sermonem facit. Immo, mirandum est quomodo in tam sollemni schemate in notula pag. 36, lin. 16, asseritur quod « in aliquibus nationibus neque ipsa expressio (Actionis Catholicae) placet ». Ubinam oboedientia erga Summum Pontificem? Si revera est hoc, dolendum, sed non dicendum in schemate.

Unde mihi videtur totum schema refundendum esse, et ampliore sermone de Actione Catholica loqui schema debere, multis primis capitibus — ut dixi — in synthesim reductis.

Sic humiliter, sed coram Deo et in adimpletione officii mei, iudicavi.

29

Exc.mus P. D. EDUARDUS MASON

Episcopus tit. Rusicadensis, vic. ap. de El Obeid

1. Par. 21 huius schematis videtur mihi magni esse momenti: ideo postulo ut ei detur prioritas, praeeminentia et maxima divulgatio, quia fervor apostolatus laicorum magna ex parte pendet a studio (interesse) pastorum.

2. Bene erit si Patres suggerent ut mandetur clericis omnibus (sive seminaristis quam religiosis) ut instituantur theorice et practice in apostolatu laicorum.

3. Praeter par. 38 in schemate *de clericis,* mihi utile videtur si et in hoc schemate episcopi, parochi et praesertim communitates religiosae adhortentur ut foveant laicos, plures assumendo, loco clericorum pro negotiis omnibus ad quae parati sunt ita ut clerici ipsi instent in oratione, ministratione verbi et Sacramentorum.

4. Vellem ut inter activitates apostolatus laicorum, nominetur speciatim et consilia edantur pro apostolatu puerorum et puellarum, sive inter coaetaneos sive in familia vel in schola.

5. Licet et ab inimicis doceri; ergo discamus et a communistis methodos navitatis ipsorum: a) *cellarum* in opificiis, associationibus et institutionibus civilibus; b) *individuorum* (tutori e angeli custodi) praesertim pro opificibus et emigrantibus.

6. Rogo ut sacerdotes et laici ipsi qui incumbunt organizationi dioecesanae vel nationali apostolatus laicorum non graventur aliis officiis pastoralibus, sed se toti huic apostolatui devoveant.

30

EXC.MUS P. D. IOANNES CAROLUS McQUAID

Archiepiscopus Dublinensis

Schema eadem repetens divisionesque multiplicans videtur tractatus esse potius quam schema ita ut animi confusionem gignere possit. Nonne intra limites aliorum schematum modestos haec omnia consilia et praescripta coarctanda sunt.

Pars II, tit. II, cap. II, par. 70 et tit. III, cap. II, par. 84. Exacto sacrosancto Concilio Vaticano II, licet quaerere quot futura sint Consilia quae in dioecesi vel in patria episcopi debent constituere.

31

EXC.MUS P. D. FREDERICUS MELENDRO

Archiepiscopus Nganchimensis

Pag. 5. Titulus *de apostolatu laicorum.* Nomen « laicus », « laicatus »... minus placet.

a) Quia « laicus » in sua magis usitata significatione profanam, irreligiosam, exprimit ideam. V. g. schola laica, vir laicus, laicismus...

b) In Sacra Scriptura verbum « laicus » non invenitur.

c) In theologia Sanctorum Patrum et traditionali minorem habet usum.

d) Multi christifideles despectos se credunt cum « laici » appellantur.

32

BEAT.MUS P. D. PAULUS PETRUS MEOUCHI

Patriarcha Antiochenus Maronitarum

1. *Considérations générales.* Je voudrais, en louant ce schéma et ses auteurs, noter les points qui ont attiré mon attention:

a) L'Eglise est appelée « Peuple de Dieu ». Cette dénomination, désignant l'Israël spirituel, met une continuité entre l'Ancien et le Nouveau Testaments, et est plus scripturaire que la dénomination « Corps Mystique », consacrée par une tradition plusieurs fois centenaire (p. 5, ligne 13).

b) L'insistance sur le fait que les laïcs, entrant dans le Corps Mystique et insérés à ce Corps, participent à la Mission du Christ, à son Sacerdoce royal, et par là, peuvent exercer l'apostolat qui leur est propre (p. 5, lignes 21-25).

c) Dans le néo-paganisme d'aujourd'hui, l'importance de l'apostolat des laïcs qui, seuls parfois, peuvent atteindre les laïcs des milieux paganisés (p. 6, lignes 10-15). Par ailleurs, le schéma insiste, avec raison, sur l'apostolat du même

par le même (p. 9, lignes 6-24). Et à ce propos, il attire l'attention sur la création nécessaire des conditionnements nécessaires de l'action apostolique féconde (p. 9, lignes 3-5).

d) Pour réussir dans cet apostolat, le schéma requiert des laïcs une formation spirituelle intense faite de prière, d'amour du sacrifice et de témoignage de la foi, de la parole et des œuvres (p. 8, lignes 4-18).

e) Tout en affirmant la liberté des laïcs de créer des Associations (p. 10, lignes 28 sq.) (tout en évitant la dispersion mortelle), le schéma dit, avec force et avec raison, qu'ils doivent rester en contact avec la hiérarchie (pp. 13 et 14). Cette insistance nécessaire sur l'union avec la hiérarchie et sur la soumission des laïcs à ceux qui sont divinement institués par le Christ pour régir son peuple, maintient la différence entre le sacerdoce fonctionnel et ministériel et le sacerdoce baptismal, qu'on serait tenté de diminuer ou de supprimer (p. 34, lignes 15-20).

f) Le schéma insiste, avec raison, sur l'union des laïcs: sur la création d'un centre de coordination (p. 15, lignes 21-32), sur la coordination des œuvres des laïcs dans la paroisse (p. 34, lignes 12-14).

g) Ces laïcs doivent, pour donner valeur à leur action apostolique, avoir une vaste culture, des horizons larges, une ouverture sur les cultures étrangères (p. 22, lignes 37-40; p. 23, lignes 3-6). Ils doivent avoir le sens qu'il n'y a pas d'erreur absolue ici-bas, et qu'il faut chercher toujours à prendre contact avec les philosophies erronées, sans juger rapidement et négativement (p. 23, lignes 32-35). Enfin, les laïcs feront bien de s'adonner à la théologie, pour se donner une formation religieuse profonde (p. 29, note 2).

h) Les laïcs doivent développer en eux les vertus naturelles (p. 27, lignes 13-15).

i) Le schéma insiste, à juste titre, sur la paroisse et son importance, dans la vie chrétienne du peuple de Dieu. Autour d'elle, en elle, doivent prendre naissance et se développer les œuvres de rayonnement chrétien (pp. 31, ligne 29 à la page 32, lignes 1-5).

Tout en admettant que le bien est à faire par quiconque dans la vigne du Seigneur, il serait regrettable que les maisons religieuses, au lieu de se grouper elles-mêmes autour de la paroisse, centre naturel du rayonnement surnaturel, pour l'aider, accaparent une grande partie du travail apostolique de conquête. Les religieux, de par leur fondation, doivent être les auxiliaires-nés des paroisses.

j) D'autres points seraient à citer: respect de la personne à qui l'on fait la charité (p. 39, lignes 17-23), collaboration dans les œuvres de charité avec tous les hommes de bonne volonté (p. 41, lignes 10-14; p. 45, lignes 3-9), la manière de collaborer doit être imprégnée de foi et de soumission à la loi divine qui régit les mœurs (p. 47, lignes 4-12).

2. *Considérations particulières.* Il faudrait, me semble-t-il, appuyer, dans le présent schéma, sur les points suivants:

a) La profession et le métier sont bons en eux-mêmes et à revaloriser. C'est à travers eux, en effet, que le laïc trouvera la présence du Christ et doit être son témoin.

Par conséquent, il apparaît nécessaire que le prêtre doit, à son tour, y attacher un grand prix. Le prêtre doit sortir d'une certaine attitude moralisante et individualiste, pour comprendre que la foi du laïc est engagée dans les attitudes de sa vie profane.

b) Appuyer sur le fait que le laïc s'est éveillé à sa responsabilité apostolique sur le terrain profane. Cela exige du prêtre le respect de la mission propre du laïcat: découvrir et admettre la place du laïc dans la mission d'Eglise, découvrir et admettre aussi que, de la sorte, le laïc fait œuvre d'Eglise.

c) Appuyer sur le fait que le laïc en union avec la hiérarchie, dans l'œuvre apostolique, doit avoir une vie de foi adulte. D'où la nécessité, pour le prêtre, d'éveiller les laïcs à cette vie de foi, à une foi personnelle, et non de prendre des positions de conscience à leur place.

33

Exc.mus P. D. EDUARDUS NÉCSEY

Episcopus tit. Veliciensis, adm. ap. Nitriensis

Ad n. 1. (Quis laicus est). Ad hanc quaestionem ita respondeamus: In genere omnis christifidelis, qui sacramento baptismi insertus est Corpori Christi mystico, i. e. eius Ecclesiae.

In campo autem apostolatus *laicus* habetur ille fidelis, qui in missione Ecclesiae in hoc mundo *actuose* duce s. hierarchia partem habet.

Normae, quae hic sequuntur, praeprimis hos *laicos* respiciunt.

Ad n. 2. (Participatio laicorum munere Christi sacerdotali). Praeter ea iura et officia, quae sunt omnibus fidelibus-laicis communia, ut sunt ius ad sacramenta suscipienda et sacramentum baptismi in casu verae necessitatis sine solemnitate conferendi, ius et officium in s. Liturgia modo activo participandi, praesertim Sacrificium Iesu Christi immaculatum una cum sacerdote celebrante offerre, item praeter iura s. d. honorifica, ut est ius patrinorum, *laicus*-apostolus ius et officium habet a s. hierarchia collatum agere munus lectoris, commentatoris, choristae, cantoris et sub quibusdam conditionibus praesertim sacerdote deficiente etiam certas devotiones publicas celebrare decenti habitu ecclesiastico indutus.

Talis laicus ad hoc officium missionem canonicam ut accipiat necesse est, etsi tali modo ad statum clericalem non evehatur. Econtra clerici tonsurati, vel minoribus ordinibus initiati, si ad Ordinem maiorem non accedant, habentur *pro laicis*.

Clerici habentur tantum illi, qui ad Ordinem subdiaconatus promoti fuerunt.

Ad n. 3. (Participatio laicorum munere Christi prophetico). Quae in primis quatuor sectionibus de iuribus et officiis laicorum dicuntur, valent de omnibus fidelibus.

Pernecessarium est, ut christifideles omnes inde a primis annis pueritiae ad haec omnia inducantur, instituantur et semper huius sancti muneris conscii sint.

Illi vero laici, qui spiritu apostolico imbuti speciali modo regnum Dei, Ecclesiam nempe dilatare prompti sunt, missione canonica ad tale munus deputentur praemissa sane necessaria instructione. Hi ut catechetae-laici praesertim in regionibus penuria sacerdotum laborantibus omnino necessarii sunt.

Hodie iudicante Ordinario tale munus idoneis laicis etiam in ecclesiis abrogato § 2 can. 1342 potest committi.

Ad n. 4. (Participatio laicorum munere Christi regali). Primae sectionis ultima propositio: « Insuper si sacramento matrimonii recipiant ad statum et servitium particulare in Ecclesia evehuntur », non est sat clara. Verosimiliter sermo est hic

de laicis uxoratis, quibus tantum aliquod servitium particulare demandetur, ne suas obligationes in familia negligant.

Rectum habeo principium, ut munia in Ecclesia, quae laici adimplere possunt, his demandentur. Item assentio propositioni, ut paroeciae a Iure Canonico personae morales iuridicae agnoscantur ad instar familiarum religiosarum (ordinum, congregationum). Unaquaeque paroecia in certo sensu est familia, habet suum patrem spiritualem et omnes fideles habent determinata iura et onera.

Leges civiles plurium statuum communitatem fidelium in civitatibus vel pagis pro personis moralibus agnoscunt.

Puto, ad mutuum vivax studium parochianorum fovendum non parvum conferret, si scirent Ecclesiam eos utpote membra unius familiae ecclesiasticae cum statu iuridico personas morales agnoscere.

Ad n. 10. (Missio canonica). Propositioni, ut laicis in iure canonico bene versatis munus in tribunalibus ecclesiasticis committatur, annuo.

Ad n. 12. (Libertas innata sese sociandi). Non videtur opportunum inculcare vigilantiam legitimae hierarchiae, si laici associationes ad fines pure temporales assequendos ineunt. Ideo ad finem primae sectionis addantur verba: « si agitur de associationibus ad certos fines spirituales prosequendos ».

34

Exc.mus P. D. HENRICUS NICODEMO

Archiepiscopus Barensis

Pars I, tit. I, cap. I. Peropportunum videtur in hoc primo numero, et fortasse etiam in aliis numeris insequentibus, fundamenta biblica et theologica apostolatus laicorum indicare, ampliando, quantum ad fundamenta theologica attinet, ea quae habentur in prooemio, n. 3.

Pars I, tit. III, capp. I, II et III. Quae in his tribus capitibus habentur concisius et ordine magis accommodato dici possent. Sunt multa nimis generalia et communia.

Pars II, tit. I, cap. I. Verum est quod fideles immediate inseruntur in paroeciam, sed sunt activitates, quae, ex natura sua, exercentur in ambitu totius dioecesis. Censeo ergo non tantum agendum esse de sensu dioecesano colendo, uti habetur in n. 52, sed de dioecesi ipsa, hoc ordine: « in paroeciis » (hic dici posset de sensu dioecesano colendo); « in dioecesibus »; « ultra fines dioeceseos et in Ecclesia universali ».

Eadem Pars, idem tit., cap. II. Perpauca et sat vaga dicuntur de Actione Catholica. Post tot et tam conspicua pontificia documenta de Actione Catholica, amplior et accuratior hac de re tractatio a multis iure exigitur.

Si vero alicubi nomen « Actio Catholica » non est receptum, neque conveniens, ob locorum circumstantias, nomen istud videtur, hoc parum interest. Quaestio non est de nomine, sed de re. Et res est: sunt multae organizationes apostolatus laicorum. Sed organizatio, in qua inveniuntur notae de quibus in n. 56, litt. *a*), *b*), *c*), *d*), est inter omnes organizatio princeps et cum aliis convenit tantum in genere proximo, quod est sane apostolatus, sed non convenit in diffe-

rentia specifica, quae est « stricta, directa et immediata dependentia a sacra hierarchia ».

Puto hoc in Concilio sollemniter affirmandum esse et in iuridicas dispositiones traducendum.

Pars II, tit. II, prooemium. Non videtur absolute affirmari posse quod habetur in prima periodo huius numeri.

35

EXC.MUS P. D. ALFREDUS OBVIAR Y ARANDA

Episcopus tit. Linoensis, adm. ap. Lucenensis

Pars I, titulus IV: de laicorum formatione ad apostolatum: 40. Formationis spiritualis necessitas; 41. Actio veluti redundantia communionis interioris cum Deo; 42. Formatio doctrinalis; 43. Formatio ad actionem; 44. Formatio modus; 45. Formatio progressiva; 46. Formatio continuatio; 47. Quibus officium educationis et formationis incumbat; 48. Formationis centra.

Suggestio: religiosae instructionis normae clare determinentur ad laicos efformandos ut in apostolatu apti sint.

Pars II, titulus III, cap. I: de laicorum actione in ordine temporali christiane perficiendo: 79. Munus proprium laicorum; 80. Seligendae formae quae simul christianis principiis et concretis adiunctis respondeant; 81. In varios coetus et institutiones congregati christifideles conferant ad bonum commune; 82. De cooperatione catholicorum cum aliis.

Suggestio: normae etiam de re politica accurate condantur, ut in actione temporali exercenda, laici melius ad bonum commune publicae rei et Ecclesiae conferant.

36

EXC.MUS P. D. THOMAS LEO PARKER

Episcopus Northantoniensis

Could without doubt be profitably reduced or included in the proposed Schema concerning the Church today.

37

EXC.MUS P. D. PAULUS PHILIPPE

Archiepiscopus Heracleopolitanus

Prooemium generale. N. 2, lin. 17: « ad statum perfectionis ». Non est ratio cur vox « perfectionis » inter v. d. « virgolette » (guillemets) ponatur. Agitur enim de perfectione in sensu proprio. Status perfectionis est status eorum qui per professionem consiliorum evangelicorum ad perfectionem christianam tendunt.

Pars I. N. 6, lin. 4: « orationem *apostolicam* ». Neologismus iste est inutilis. Non est enim timendum, ne fideles, in oratione Deum sedulo quaerentes, a neces-

sitatibus apostolatus avertantur! Ideo simpliciter hortentur ut « sedulo colant orationem » et tollatur adiectivum.

N. 33, linn. 21-25. Notandum esset rei socialis incrementa (socialisation) non dumtaxat commoda suppeditare, sed etiam usui ac progressui verae libertatis personalis obstacula ponere, uti animadvertit Ioannes Pp. XXIII in Litt. Encycl. *Mater et Magistra.*

Quapropter in linn. 23-25, sequentia scribenda propono: « Quae omnes evolutiones, nec ab incommodis verae libertati personali officientibus satis eximuntur, neque virtute Evangelii in variis mundi regionibus sufficienter attinguntur ».

N. 34, lin. 26: « Cultura, utpote fructus dominii... ». Cultura describitur sub aspectu nimis practico et technico. Revera cultura est perfectio vitae proprie humanae, quae complectitur non solum incrementa ex dominio in res creatas promanantia, sed imprimis exercitium optimum facultatum humanarum in ordine intellectuali (scientiae), morali, politico et in artibus. In textu igitur res sic exprimi posset: « Cultura, utpote fructus exercitii optimi omnium facultatum humanarum... ».

Lin. 27: « et ad Eum hominem perducere valens ». Peto ut munus gratiae hic notetur, ideoque dicatur: « et, gratia adiuvante, ad Eum hominem perducere valens ».

N. 35, linn. 16-18. Latinitas hic est valde mendosa.

Pars II. N. 60, pag. 38, lin. 5. Opportunius citari posset textus *Mt.* 7, 12.

N. 77, lin. 25 « fideles omnes ». Uti patet, non omnes fideles vocantur ad promovendum progressum scientiarum et artium! Ideo dicatur: « Sacrosancta igitur Synodus, laicos omnes, unumquemque pro sua vocatione, hortatur... ».

N. 85, lin. 2. Melius diceretur: « ... laici praeparentur sub respectu doctrinali, morali, technico ».

38

Exc.mus P. D. ALEXANDER PONCET

Episcopus tit. Basilinopolitanus

Pag. 39, lin 18: In loco verborum « libertatem conscientiae » alia sufficienda, v. g. « Dignitatem personae, imaginem Dei et Christi in proximo praesentem, et etiam quae videntur iussa conscientiae christifideles... observent... ». *Ratio* huius emendationis: aegre videtur consilium libertatem conscientiae in proximo observandi conciliari posse cum damnatione a S. S. Pio IX in Encyclica *Quanta cura* huius thesis: « Libertatem conscientiae esse proprium cuiusque hominis ius ».

Cum autem etiam conscientia invincibiliter erronea sequi debet, aequum videtur in casibus ordinariis hanc invincibilem ignorantiam coniicere et proinde iussa huius conscientiae observare usquedum cessent, cum conscientia ex erronea fit recta.

39

Rev.mus P. D. EDUARDUS GABRIEL QUINT

Praefectus apostolicus Veihaiveiensis

On a parlé beaucoup des méthodes d'apostolat — surtout de la façon d'approcher méthodiquement, psychologiquement, pédagogiquement, sociologiquement les hommes de notre temps. On a même explicitement indiqué la façon des Jocistes: Voir, juger, agir! Or plus de 1000 Evêques, des Archevêques et Cardinaux, ont donné leur approbation et encouragement à la Légion de Marie, dans leurs diocèses. On sait l'efficacité extraordinaire de ce mouvement. Il me semble qu'on aurait pu en parler. Le card. Suenens serait l'homme, à mon avis, qui pourrait là donner un avis documenté et mesuré.

40

Exc.mus P. D. FRANCISCUS RENDEIRO

Episcopus Pharaonensis

De cooperatione cum acatholicis (pag. 41, n. 74, pag. 45, n. 82 et pag. 47, n. 89). Ad episcopum pertinere debet iudicium de convenientia huius cooperationis. Quamquam munus episcopi iam aliquo modo indicatum sit nn. 25 et 70, res clarius apparere debet.

41

Exc.mus P. D. IOSEPH RUOTOLO

Episcopus Uxentinus - S. Mariae Leucadensis

Expirante mense maio mihi pervenerunt undecim schemata Constitutionum et Decretorum, de quibus disceptabitur in proxima Concilii sessione.

Circa laicorum apostolatum, de quo in schemate X mihi videntur alia decernenda.

A) Nostro tempore plurimi laici evertunt veritates, quae depositum fidei constituunt et erroribus contra ipsam rationem adhaerent.

E contra alii laici doctrinam Christi defendunt scriptis et verbis vel singulatim vel collective in societatibus catholicis. Isti activi defensores regni Christi saepe formatione intellectuali et morali idonea satis carent. Unde necessaria videtur *institutionum novarum creatio,* in quibus tamquam in clericorum seminariis ipsi addiscant saltem per aliquem annum quae sunt necessaria doctrinae catholicae apostolatui.

Sicut in Concilio Tridentino seminaria instituta sunt pro clericis in hac sacrosancta Synodo utiliter videntur decernendae scholae superiores pro laicis, qui vitam communem agant aptam ad pietatem, disciplinam, studia et particulares virtutes assequenda.

B) *Nova Congregatio instituenda.* Ut laicorum formatio eorumque apostolatus in regno Christi directionem aptam habeant, optima videtur institutio specialis sacrae Congregationis, in qua moderatores ecclesiastici et laici sub Romani Pontificis auctoritate studia peragant et regulas aptas decernant.

Ad hunc finem obtinendum non videtur sufficiens officium secretariatus, de quo in n. 26 cap. II schematis *de apostolatu laicorum.* Nam ista instituta, aliquo modo seminariis similia, ratio studiorum, quae theologiam et philosophiam attingere deberet, arctior participatio laicorum ad apostolatum Ecclesiae, relationes inter foederationes laicorum et auctoritatem ecclesiasticam gravia onera et officia inducent.

C) *De vocationibus tardioribus.* Vox Domini moerore affecta: « Messis multa operarii autem pauci » nunc fere ubique, praesertim in locis missionum, diffunditur.

In nonnullis regionibus nunc est hora apta ad conversionem ethnicorum, sed desunt sacerdotes. Populi, qui nuper independentiam receperunt, libertatem concedunt religionis diffusioni, sed timent missionarios advenas et praeferunt sacerdotes indigenas, qui desunt vel sunt pauci et impares apostolatui in dies augenti.

Causae defectus vocationum sunt plures: *a*) maxima paupertas familiarum et ipsarum auctoritatum, quae ludus discendi etiam inferioris gradus non habent; *b*) difficultates vocationis curandae, quia raro familiae ad christianam religionem conversae visitantur ob dissita loca et viarum asperitates; *c*) corruptela morum, qua etiam iuvenes vitiantur et sanctitatis sacerdotalis consecutionem difficilem vel fere impossibilem putant.

Non desunt tamen qui in provectiore aetate ministerium sacerdotale pluris aestimant. Nam meditatio Evangelii, contactus frequentiores cum missionariis, vanitas voluptatum, timor Domini iudicii, vocationem sacerdotalem sub diversa et meliore specie repraesentant.

In nonnullis locis iam extant seminaria pro vocationibus tardioribus. Tamen ipsorum maxima pars sacerdotium non petunt vel ob difficultates studiorum vel potius ob vinculum matrimoniale ad quod saepe adstringuntur.

Difficultates studiorum possunt vinci ipsum programma coercendo et disciplinae vigorem minuendo.

Difficultas matrimonii gravior extat et hodie impedimentum insuperabile constituit. Castitas perfecta Ecclesiae ministrorum certo fovet Dei et proximi amorem, aptiorem sacerdotem reddit ad conversationem cum Deo et ad regnum Christi in mundum diffundendum. Exemplum missionarii catholici, qui consilia evangelica sectatur, validum exemplum virtutum affert, vitae integritate praelucet in societate hodierna, quae plurimum rebus mundanis indulget ob speciosa argumenta.

Historia Ecclesiae catholicae gloriosa apparet ob plura exempla castitatis perfectae, strenue defensae usque ad effusionem sanguinis.

Tamen nonnullae exceptiones in casibus particularibus nullum detrimentum afferent et potius regulam confirmabunt. De cetero poterunt facultates restringi pro vocationibus tardioribus, valido coniugio permanente. Similes sacerdotes nullum officium in Ecclesiae gubernio haberent, sed tantum in sacramentorum administratione et in verbi Dei praedicatione.

Hoc poterit verificari praesertim in locis missionum, ubi maior extat sacerdotum deficiens numerus.

Probabiliter neophytae, qui his exceptionibus gaudebunt, summo studio ad apostolatum vires et ipsam vitam dabunt post tot mala cognita in ethnicorum regionibus, magni existimabunt Ecclesiae catholicae maternam indulgentiam et exempla primorum Iesu Christi sectatorum sequentur in virtutum exercitio et in susceptis muneribus explendis.

Demum probabiliter hic modus novus agendi Ecclesiae catholicae Oecumenismo favebit, auferendo fundamentum opinioni praeiudicatae nimii rigoris disciplinae ecclesiasticae.

Haec omnia humiliter commissionibus expono, B. Virginem et S. Ioseph adprecando pro felici Concilii Oecumenici Vaticani II exitu ad maiorem Dei gloriam et ad animarum bonum.

42

EXC.MUS P. D. INNOCENTIUS ALFREDUS RUSSO
Episcopus tit. Pegaeus

Questo schema di decreto non solo mi piace, ma risponde a tutte le mie speranze, perché non poteva meglio enunciare tutti i principi teologici, su cui validamente si fonda il compito di tale missione. Da essi, i laici « recipiunt ius, honorem et officium exercendi, modo sibi proprio, apostolatum eiusdem Ecclesiae » (proemio, n. 3).

Tutto il proemio è ricco di motivi dogmatici e di ansie pastorali, i quali e le quali — contrariamente ad una prima impressione — giustificano l'estensione del trattato, la precisazione delle forme, le relazioni con la Gerarchia. D'altra parte il compito non è nuovo, ma oggi è fatto più vasto e più urgente, dato che « multi homines in neopaganismo versantes, longe a Christo et Ecclesia vitam degentes, non possint nisi per vicinos laicos Evangelium audire et Salvatorem agnoscere » (proemio, n. 3).

Nella parte I, al cap. II, n. 10, ottima, insostituibile la raccomandazione: « consociata et organizata forma apostolatus roboretur », e per la valorizzazione delle opere, e per respingerne le avversioni: « perniciosas pressiones collectivas valide repellere ».

Al n. 13, è detto con sapiente chiarezza e concisione quanto riguarda la *libertà* e l'*unità* in riguardo alle associazioni. Non bisogna tutto rendere uniforme in nome dell'unità, né in nome della libertà mettere su opere « sine ratione sufficienti ».

Di importanza evidente è il n. 21 (parte I, tit. II, cap. I) dove si vede che non solo l'apostolato è un dovere così del clero come del laicato. Anzi, si aggiunge: « in aedificatione Ecclesiae laicos speciales habere partes, ita ut alii in eorum locum substitui non possint, saltem sine magno incommodo ».

Parte I, cap. II, nn. 25 e 26. Ben necessarie la Commissione nazionale o le commissioni nazionali, raccomandate ai Vescovi, per la coordinazione dell'apostolato dei laici. E « valde opportuna... constitutio apud Sanctam Sedem cuiusdam particularis et sui iuris officii seu secretariatus in servitium et impulsum apostolatus laicorum ».

Alla parte I, tit. III, n. 32, dove si parla « de apostolatu in condicionibus peculiaris difficultatis », a confermare la completezza di questo schema e la sua opportunità, ecco il caso terribile della persecuzione, durante la quale « familiae

christianae manent ultima Corporis mystici munimenta; parentes enim, tamquam Ecclesiae tramites, liberis provident primaria salutis subsidia, baptismum nempe et fidei traditionem... ».

Nella I parte, tit. III, nn. 37 e 38. La partecipazione all'apostolato nella vita pubblica, tanto nazionale, che internazionale, è un dovere che nasce dalla stessa professione cristiana, e dal compito di tutti, che si giovano della Fede, a difenderla, a tutelarla, a inserirne gli insegnamenti negli istituti e nelle organizzazioni dove si svolge la loro attività.

Prezioso il titolo IV: *De laicorum formatione ad apostolatum,* per i principii dottrinali, risalenti alla interiore spiritualità; e per la metodologia nell'educarli: formazione tempestiva, attuosa, graduale, continua, aggiornata. A tanto sono chiamati i genitori, i tutori, i sacerdoti, i catechisti, le stesse Associazioni per gli Associati, e gli Istituti e i Collegi per i loro alunni (*passim* dal n. 40 al n. 48).

Nella parte II, tit. III, cap. III. Questo è un altro bel punto di tutto il decreto: « Ad actionem temporalem apte exercendam, laici praeparentur sub respectu technico, doctrinali, morali » (n. 85). Vi si dice: « Institutio in doctrina sociali est pars necessaria integrae educationis et a pueritia, ut par est, iam inchoetur oportet... ».

Utilissimi, normativi i punti 86, 87, 88, 89: Curandum est ut scholae vel instituta socialia erigantur. Educatio concreta, actione acquiritur. In inceptis ordinis temporalis rite exercendis, fraterna caritas ad omnes extendatur. Catholici, operam praestando cum acatholicis, sibimetipsis semper constent, neve ad ea media consilia descendant, e quibus aut religionis aut morum integritas aliquid detrimenti capiat. Pariter tamen aliorum sententiam aequa perpendant benignitate, et parati sint ad ea cum Fide coniunctisque viribus, efficienda, quae vel suapte natura sint bona, vel ad bonum adducant.

43

Exc.mus P. D. CAROLUS EDUARDUS SABOIA BANDEIRA DE MELLO
Episcopus Palmensis

Non est id quod exspectabamus. Sunt res bonae, immo optimae. Sed omnia iam in possessione pacifica christifidelium vivunt. Volebamus rationes altiores extendere actionis apostolicae laicorum. Sperabamus Concilium expansurum: firmam obligationem laicorum iuvandi in apostolatu; programma aliquod practicum pro hac actione; programma speciale de modo, quo laici pro scholis catholicis laborent; modum certum, quo Associationes catholicae in Actione Catholica operentur; delineationem certam Actionis Catholicae, ut dissensiones e medio tollantur; modum, quo Encyclicae sociales Paparum mentem et actionem laicorum occupent; quomodo agendum a laicis, practice, in rebus socialibus; idem, in rebus politicis; idem, in rebus civilibus; quomodo cooperandum sit in periodicis, in divulgatione notitiarum, in adhibendis mediis communicationis socialis; quomodo adiuvent in catechetica instructione; de instituendis praesidibus in unaquaque harum provinciarum; de remunerandis laboribus horum, qui hos labores tamquam professionem vitae suscipere tenentur.

44

BEAT.MUS P. D. MAXIMUS IV SAIGH

Patriarcha Antiochenus Melchitarum

Remarque générale. Ce schéma nous paraît un des meilleurs. Si on traitait les clercs d'une manière aussi virile, on aurait fait avancer considérablement l'Eglise. Dans le schéma « De clericis », on a l'impression d'avoir affaire à des mineurs. Ici on parle à des majeurs. Si ce schéma produit tout son effet, nous aurons, dans 50 ans, un laïcat qui sera de loin supérieur au clergé, auquel cependant il doit se soumettre. Il faut veiller à ne pas produire cette étrange inégalité.

La qualité du présent schéma vient sans doute de ce que, la question du laïcat étant une question neuve, on s'est adressé, pour la penser à des hommes conscients des besoins modernes, tandis que le « De clericis » et le « De religiosis » ont été faits par des praticiens qui ont répété des choses anciennes.

Observations sur le texte.

1. N. 26, p. 15. Dans ce numéro, il est question de créer un secrétariat central de l'Action Catholique à Rome. En soi, l'idée est bonne, mais le besoin général de l'Eglise étant maintenant de décentraliser l'administration, il vaudrait mieux, pour le moment, laisser dormir l'idée. En remplacement, on peut créer des secrétariats pour chaque nation.

2. N. 74, p. 41, lin. 11. Au lieu de « cum domesticis fidei », mettre « cum catholicis », car nos frères séparés de nous sont également « domestici fidei ».

Plus loin, à la ligne 12-13, au lieu de « cum fratribus separatis », mettre: « cum fratribus a nobis separatis ».

45

EXC.MUS P. D. ANTONIUS SANTIN

Archiepiscopus-episcopus Tergestinus et Iustinopolitanus

Pars II, tit. I, cap. II. Hodiernae condiciones consociationum apostolatus laicorum confusione laborant, quod efficacitatem earum actioni aufert. Quare pro quaque natione conferentia episcopalis nationalis eligat formam organizationis apostolatus laicorum ipsi nationi magis idoneam, quam solam omnes adoptent. Alia sodalitia, etiamsi consociationibus apostolatus aequiparata, pietati, spirituali formationi, praeparationi ad apostolatum destinentur.

Divisio damnum infert et actioni necessarium robur tollit.

Ad n. 29. Graviter mulieres christianis moribus et familiae unitati cessere; quare perutile erit instaurationis ordinem et rationem eis ostendere, quam Ecclesia ab eis exspectat, easque alte et fiducialiter vocare ad incepta, quae hunc finem habeant quaeque ipsis commissa sint.

Praeteritis temporibus, quando omnia corruere videbantur, mulieres quasi moles erant lapidum, quae fortes et perseverantes resistebant. Nunc multae misere ceciderunt.

46

Exc.mus P. D. PAULUS LEO SEITZ

Episcopus Kontumensis

Il semble que les rédacteurs de ce schéma n'aient pas disposé, comme base de travail, du schéma *de laicis,* dont on ne retrouve ni le style ni la densité. C'est peut-être un signe que les travaux ont dû être menés trop rapidement.

Le présent schéma manque de vigueur et de concision, et surtout de conceptions solidement définies et situées à la fois dans l'ensemble du schéma de l'Eglise et dans la ligne des préoccupations conciliaires. Outre un vocabulaire incertain qui gène la lecture, le schéma pèche par absence de table des matières.

Prooemium. Il y a d'excellentes choses dans ce prooemium, mais mal agencées et incomplètes.

On attendait en tête l'ordre de Jésus: « Allez enseigner toutes les nations », donné à tout baptisé, constitutif de la vocation et de la mission de l'Eglise.

P. 5, lignes 7 et 8: l'apostolat des laïcs est présenté comme un besoin, dans une formulation un peu chosiste. En fait il s'agit d'une exigence: exigence de l'état de baptisé, exigence interne de l'Eglise, Corps appelé à se développer jusqu'à atteindre sa stature de Plérôme.

§ 3, ligne 21: cela est fort bien dit, situe l'Apostolat dans la ligne de la mission du Christ, comme mission de toute l'Eglise, et situe en même temps la question des missions (on pourrait se demander s'il faut alors y consacrer un schéma à part, ou bien faire de la situation missionnaire de l'Eglise, de toute l'Eglise, un chapitre du *de Ecclesia*).

A ce niveau on ne peut que partager ce point de vue; on sera gêné dès que le schéma limitera le problème aux laïcs. Pour éviter des discussions et malentendus, il faudrait préciser dès ici ce que l'on entend par: laïcat, apostolat, action catholique, action temporelle, action sociale...

L'Apostolat n'étant pas propre aux laïcs, mais une situation missionnaire de toute l'Eglise, n'aurait-il pas été plus logique de parler de l'apostolat en général (ou de la mission, ce qui revient au même — c'est exactement le même mot, sous sa forme grecque ou latine) sur le plan théologique et de faire suivre cette « Constitution dogmatique » (chapitre du *de Ecclesia*) par deux décrets, en dépendant étroitement, l'un sur la fonction propre des laïcs dans cette situation missionnaire de l'Eglise, l'autre comme un Directoire de Pastorale d'ensemble de l'évangélisation?

P. 5, ligne 23, « vi insertionis »: l'expression est faible; la note 4 (p. 7, § a) contient une formule forte à incorporer au décret: apostolatus fundamentum habet in sacramentis baptismi et confirmationis. Par le caractère du sacrement, le chrétien participe à la nature du Fils, de l'Envoyé, et donc à sa mission; il est un signe de Dieu au milieu du monde.

§ 5: le plan est annoncé (mais il ne dispense pas d'une table des matières); il semble qu'il aurait mieux valu commencer par les fondements et passer ensuite aux principes de réalisation; d'ailleurs la partie qui traîte des fondements est très faible.

P. 8, § 6: peut-être trouverait sa place ici une affirmation de ce genre:

de par son baptême et en union avec l'Evêque, tout chrétien a le souci de la croissance de l'Eglise et le laïc notamment en raison de sa situation au contact du monde encore païen, cette disposition générale primant sur toute forme spéciale d'apostolat.

Ligne 12: « vitae cohaerenti cum fide »: on pourrait souligner davantage la gravité des contre-témoignages et notamment celui que peut donner la richesse.

Ligne 20: « centra radiationis »: l'unique centre de rayonnement est le Saint-Esprit; aux chrétiens de le laisser rayonner à travers eux par leur transparence, leur transformation progressive en Fils de Dieu, leur divinisation par le contact habituel de Jésus — ainsi l'exemple de leur vie donnera une forme visible à la sainteté évangélique.

P. 9, § 8: ce paragraphe n'envisage l'apostolat que sous la forme particulière de l'Action Catholique spécialisée;[1] pourquoi limiter ainsi la question dès le début. Cette limitation n'est pas à sa place dans la part I qui a pour titre: De apostolatu laicorum *in genere*.

On retrouve ici les slogans classiques de ce genre d'apostolat: apostolat du milieu par le milieu (ligne 7); voir (ligne 12), juger (ligne 20), agir (ligne 22). On se demande si on ne pourrait pas remettre en question cette structure admise de l'A. C. spécialisée, qui a porté ses fruits, mais nécessite rectification pour en porter de nouveaux et plus profondément. La rédaction de ce paragraphe reflète deux faiblesses du système:

a) « sua faciant problemata »: conception trop *intellectuelle*; Jésus a parlé, plus concrètement, de se laver les pieds les uns des autres;

b) « ne negligant verbum Dei cum aliis communicare »: j'ai peur de ne pas comprendre, car cela me semble *pélagien*. « Ne quand même pas négliger Dieu dans l'apostolat »: est-ce bien cela qu'on a voulu dire. Quand on a défini l'apostolat comme la mission de Jésus dans l'Eglise par les chrétiens, il découle que c'est justement la parole de Dieu qui en constitue l'essentiel et en est le gage d'efficacité. Dieu seul convertit, tout le reste n'est que recettes.

P. 10, § 10, lignes 3, 4: l'union, source d'efficacité, est à rattacher à l'identification des chrétiens à Jésus, comme il a été signalé plus haut.

Ligne 20: « Ecclesia »: l'Eglise c'est le peuple de Dieu; il ne convient pas d'employer ce mot, seul, quand on entend désigner la hiérarchie. Bien que le langage courant ait souvent assimilé Eglise à hiérarchie, il est temps de rectifier cette limitation indue.

P. 13: de relatione ad hierarchiam. Ce chapitre n'est pas satisfaisant; les laïcs n'y sont pas considérés dans l'esprit du schéma *de laicis*. La conception qu'on se fait là de l'Eglise est trop autoritariste (cf. confusion de langage signalée dans notre alinea supra).

Le paragraphe 19 soulève la question du Mandat; il aurait mieux valu n'en pas parler car: *a*) les documents du magistère (récent seulement) en font usage dans des acceptions différentes: soit mission en général, soit mandat particulier

[1] A noter que l'expression jure dans les termes « Action *Catholique spécialisée* ». Tout le vocabulaire récent de l'A. C. semble exprimer une redécouverte de la réalité de l'Apostolat traditionnel, mais comme sur une voie parallèle, avec un vocabulaire spécial. Ce mouvement, parti d'en bas, a été coiffé par le « mandat » de la Hiérarchie pour que celle-ci en garde la direction.

donné au mouvement d'action catholique ou bien au membre de ce mouvement, soit « missio canonica »; *b*) les théologiens ne l'ont pas encore suffisamment élaborée; *c*) la « missio canonica » mise à part, il semble, en saine théologie, tout à fait inutile de faire appel à cet élément nouveau du mandat pour authentifier l'apostolat des laïcs, celui-ci découlant des sacrements de baptême et de confirmation qui l'authentifient, en font un acte d'Eglise en liaison avec la hiérarchie, tout comme la participation des baptisés à l'action liturgique de l'Eglise. Tout baptisé a *ipso facto* le mandatum de l'apostolat, en dépendance de son évêque. L'évêque peut recommander telle forme d'apostolat comme particulièrement adéquate aux besoins de son diocèse, approuver le règlement de tel mouvement d'Action Catholique, rappeler à la totalité des fidèles le devoir strict de l'apostolat, mais non à les mandater à nouveau.

Ligne 24: « mutua distinctione »: je préfère la prudence de la note 4 *a*) p. 7, dans l'apostolat qui, en sa plus grande partie, est commun aux clercs et aux laïcs, il n'est pas facile de distinguer ce qui revient en propre aux clercs et aux laïcs.

P. 14, § 20: par contre la « missio canonica » exprime une réalité d'Eglise, de grande importance — mais ici on sort un peu du sujet, car, en ce cas, le laïc n'agit plus en tant que laïc mais que suppléant d'un clerc (il ne s'agit donc plus de l'apostolat des laïcs proprement dit).

La note 3 (p. 16-17) définit remarquablement le contenu de la « missio canonica » et, particulièrement, la fonction des catéchistes qui, dans des diocèses comme le nôtre, coopèrent à l'évangélisation avec l'évêque. Les évêques qui se trouvent en cette situation en auront remarqué la valeur et s'en serviront utilement pour composer un Directoire des catéchistes.

Au sujet de cette note, bien qu'il ne s'agisse pas du texte lui-même du schéma à discuter, notons toutefois des imperfections: « per mandatum hierarchia sibi unit... »: de par les sacrements de baptême et confirmation le fidèle est *uni* à l'évêque et son apostolat s'inscrit dans la mission de toute l'Eglise, dans celle du diocèse en particulier; « agere coniunctim cum hierarchia »: cela relève des sacrements de l'initiation chrétienne et non de quelque mandat supplémentaire; « solum illas formas apostolatus quae in finem spiritualem tendunt »: je me demande ce que serait un apostolat sans fin spirituelle! La formulation est, au moins, maladroite. Aucun acte de chrétien, même au niveau de l'action sociale ou temporelle, ne peut être sans fin spirituelle, étant donné que toute l'existence du chrétien est centrée et finalisée en le Christ Jésus.

P. 14, § 21: tout ce paragraphe est bon. § 22: il semble que le rédacteur ait en vue l'aumonier d'A. C. seulement. Or tout prêtre a cette charge de coopérer avec les laïcs et doit y être idoine.

Ligne 29: autorité et vie spirituelle: que le prêtre sanctifie d'abord les laïcs, leur donne Jésus plutôt que des ordres. Nous trouvons ici un reflet de cet esprit d'autorité signalé plus haut.

Ligne 33: « efficaciorem » — quid sit efficacitas? on peut toujours craindre un malentendu dans l'emploi de ce terme.

P. 15, ligne 3: id. (efficacia). Ligne 22: on aimerait voir mieux définie la compétence de ce secrétariat, son rapport notamment avec les O.I.C. Ceci fait, on pourrait lui confier l'élaboration d'un Directoire de l'apostolat selon les con-

ditions particulières d'existence et ainsi alléger ce Décret, notamment en son titre III.

P. 18 sqq.: verbeuses; les manuels d'Action Catholique disent tout cela et mieux. Je ne comprends pas l'opposition des deux paragraphes 28 et 29, d'autant plus que le rédacteur avoue que le problème est le même pour les hommes et pour les femmes... et on s'en doutait.

P. 20, § 31: cette approbation des Instituts laïcs est heureuse; on aimerait en voir l'existence reconnue dans le C.I.C. Tout le paragraphe 32 est bon.

P. 22, ligne 22: « res mirabilis est »: l'expression est naïve. Le progrès de la technique est dans l'ordre des choses et n'a rien d'étonnant. C'est le plan de Dieu, faisant collaborer l'homme à sa création continue, qui est admirable.

Lignes 35 sqq.: il conviendrait d'ajouter que la compétence et la conscience professionnelle des laïcs constituent des valeurs apostoliques.

P. 23, § 35: le style de tout le paragraphe est ambigu. Il serait bon de dire les choses plus nettement: le matérialisme qui est rejet du spirituel ne peut être efficacement combattu que par une invasion du spirituel, c'est-à-dire pratiquement par la présence en tout milieu de laïcs chrétiens rendant, par leur vie même, leur témoignage de Fils de Dieu.

Les lignes 19-21 sont à placer en tête de ce développement.

P. 24, ligne 13: « principia legis moralis », pourquoi ne pas dire « la loi évangélique »? ce n'est pas la même chose, et ici il s'agit bien de la loi nouvelle des chrétiens.

Lignes 31 sqq.: on attendait ici des directives plus précises en fonction de cette conjoncture.

P. 25, ligne 1: patriotisme, oui, mais ouvert; le danger est toujours grand d'un nationalisme allant à contre-courant de la planétisation que l'Eglise va assumer. Il est justement question de cela au paragraphe suivant.

P. 27, § 40: formation des laïcs — la nécessité en est affirmée, non établie. L'Apôtre est un envoyé, il doit donc connaître Qui l'envoie et ceux à qui il est envoyé.

§ 42: on aimerait que soit dit nettement: l'apostolat réclame de tout chrétien: une vie sacramentaire qui le fasse progresser, une connaissance solide de la doctrine, un esprit évangélique authentique informant tous ses actes.

Ligne 31: « imprimis » non point la doctrine sociale de l'Eglise *d'abord,* mais l'Evangile d'abord. Ce pragmatisme est indigne d'un Décret conciliaire.

P. 28, § 43: ce paragraphe est ambigu; de quoi s'agit-il? quelle efficacité cherche-t-on?

Le § sq. est plus inquiétant. « Circumspicere quae sit conditio rerum... agere quod agendum est... »: fallait-il vraiment un Concile Oecuménique pour nous remémorer la sagesse antique?

Quant à se former par l'action (ligne 18): il peut y avoir, sous cette apparence de « méthode nouvelle » d'éducation, une vieille tendance activiste et pragmatiste. On prend des habitudes d'action en agissant, mais ce n'est pas le tout de la formation; celle-ci comporte, à côté d'une action, une passion. Ces grands actifs qu'on été les Prophètes se sont formés par la contemplation; ces voyants se sont laissé modeler par l'Esprit créateur. Pour les apôtres d'aujourd'hui comme d'autre-fois, la liturgie qui est action et contemplation, est, à ce titre, la meilleure école de formation.

Il conviendrait d'ajouter encore ceci: la formation à l'apostolat fait partie de l'initiation chrétienne; il faut souligner la nécessité de cette formation au cours du catéchuménat pour ceux, de plus en plus nombreux, qui deviennent chrétiens par cette voie.

P. 31, pars II, de apostolatu in specie: ce schéma, que sa longueur a peut-être empêché d'être revu sérieusement, est mal construit. En fait, par son contenu, cette pars in specie s'oppose mal à la pars in genere, elle contient des redites ou sort du sujet en s'étendant outre mesure sur des questions qui ne relèvent pas de l'apostolat proprement dit

§ 52: déjà dit (pars I, tit. II).

§ 55: « cum hierarchia »: il est inutile de le répéter à chaque paragraphe (cf. encore ligne 23).

§ 56, ligne 32: « Action Catholique »: pourquoi canoniser cette expression, qui n'est ni heureuse ni admise dans tous les pays, au lieu de parler, avec toute la tradition, d'apostolat? Les notes filandreuses et embarrassées des pages 35 et 36 ne dissipent pas la gène. bien au contraire.

Bien que le titre du Décret soit *de apostolatu,* il semble que, surtout à ce moment du schéma, les rédacteurs n'aient pensé qu'A. C. spécialisée et voient tout en fonction de cela, ce qui crée une confusion.

L'expression « A. C. » met indûment l'accent sur l'« action » — et la pratique y a ajouté une nuance activiste — ce n'est pas équivalent à « apostolat » — le sens de cette dernière expression est à la fois plus étendu et plus précis: la contemplation peut être un apostolat (v. g., contemplatifs missionnaires), mais l'action temporelle n'en est pas nécessairement un.

« A. C. est source de difficultés et de mauvais jeux de mots (« action catholique » et « action des catholiques » vainement opposés) et facilite le glissement vers des notions étrangères à l'apostolat proprement dit (action temporelle, action sociale, action politique...).[1]

« Apostolat des laïcs » situe mieux ceux-ci dans l'Eglise, en rattachant *leur munus* au *munus de l'évêque*, mission divine, vocation à la sainteté (en particulier par l'action, mais pas par cela seulement).

A noter, en passant, une bonne formule de la note 1 (p. 35) qui devrait passer dans le corps du Décret: « ultimum apostolatus finem, scilicet gloriam Dei et mundi salutem ».

P. 37: dans la perspective signalée en note supra, l'action caritative relèverait de l'apostolat, mais aussi toute l'action de l'Eglise en ce monde (dont un aspect doit être traité en le schéma XVII). Il est difficile de délimiter le sujet du présent schéma (qui justement semble ne pas pouvoir s'arrêter, comme un discours qu'un orateur ne sait comment terminer). Ne pourrait-on pas faire un schéma unique pour: l'Apostolat des laïcs, la (ou les) Mission, et la présence de l'Eglise au monde?

P. 37, lignes 18-19: coquille typographique.

---

[1] « Apostolat » (ou « Mission ») exprime une certaine manière d'agir en tous ces domaines (politique, social, professionnel), dans une situation entre Dieu qui *envoie* et le monde auquel on est envoyé; c'est un état qui donne un style propre à toute action du chrétien.

Hors de cette perspective, les œuvres sociales et caritatives ne sont pas « Apostolat ».

A cette occasion j'exprime le vœu que, d'une manière ou d'une autre, les Pères conciliaires félicitent les typographes et correcteurs pour la qualité technique remarquable de tous ces schemata, faits dans des conditions de célérité dont on se doute.

P. 41, § 74: le titre certes ne fait pas partie du décret, mais révèle la pensée des auteurs. Ici les « non-catholiques » désignent à la fois les chrétiens séparés et « tous les hommes ». Il est inadmissible de les mettre ainsi sur le même plan.

Une action caritative est possible avec tous ceux qui portent le nom de chrétien, mais non avec les autres pour la bonne raison que là où n'est pas le Christ là n'est pas la charité. Chez les non-chrétiens on peut trouver de la philanthropie, non de la charité; cette philanthropie peut résulter d'un calcul politique ou être le fruit de pierres d'attente à amener à la charité, ou provenir des deux à la fois.

Tout cela est long, diffus, inorganisé. Pour en trouver la formulation adéquate il faudrait le repenser dans l'esprit de: « veni ministrare ». L'Eglise et le monde ont besoin de directives claires, fondées.

P. 43: il faudrait définir ce qu'on entend par « action temporelle »; ceci fait, le premier alinea du § 75 serait intelligible et heureux, à mettre davantage en valeur.

Ligne 12: « action sociale »: qu'entend-on encore par là?

P. 45, § 84: le titre est trompeur: au premier alinea il est bien question d'un Conseil d'action sociale sur le plan diocésain; mais au second alinea on parle d'un Conseil pour tout l'apostolat de l'Eglise (autrement dit: un Secrétariat pour la Mission de l'Eglise, comme une Propaganda Fide étendue?) avec une section réservée à l'apostolat des laïcs, et là il n'est plus question d'action sociale, alors que le présent chapitre ne traite que de cela. Cette suggestion est intéressante, mais on se demande pourquoi on l'a placée là...

P. 46, § 86: il revient bien à l'Eglise d'enseigner la doctrine sociale catholique; mais elle n'aurait à enseigner l'économie politique et la sociologie que par voie de suppléance, dans le cas où la Société manquerait de ces chaires d'enseignement — cela rejoint ce que nous avons dit au sujet des Universités.

La conclusion fait allusion à la mission de l'Eglise (p. 48, lignes 22, 23); faute d'avoir bien défini celle-ci, on n'a pas pu éviter imprécisions et confusions, ni situer comme il faut toute l'activité du peuple de Dieu par rapport à sa fin.

C'était difficilement évitable, vu la dispersion des schemata; le meilleur remède serait de réduire encore le nombre des schemata et de tout réorganiser sur une ecclésiologie à la fois dogmatique et concrète par rapport à laquelle se situe clairement le monde d'aujourd'hui et de demain.

47

Exc.mus P. D. LAURENTIUS IOSEPH SHEHAN

Archiepiscopus Baltimorensis

Hoc schema quamquam mihi placet, nimis extensivum ac indebite in res particulares intrare videtur. Melius esset si clare disseritur: 1. de essentiali apostolatu laicorum qui semper in Ecclesia invenire debent; 2. de peculiari momento

huius apostolatus pro tempore nostro; 3. de relationibus inter hunc apostolatum et hierarchiam; 4. de principiis maioris momenti quae hunc apostolatum regere deberet.

Explicatio in extenso rerum minoris momenti et particularium hac de re forsan in Directorio dari possit episcopis et presbyteris.

48

Exc.mus P. D. IOANNES SMIT
Episcopus tit. Paralensis

Schema decreti *de apostolatu laicorum* in compendium redigatur: pag. 5, deleantur linn. 10b-12; 26-29; pag. 6, deleantur linn. 21-26; pag. 8, deleantur linn. 1-22; pag. 9, deleantur linn. 1-5; 20-24; pag. 10, deleantur linn. 14-27; pag. 11, deleantur linn. 3-16; pag. 13, deleantur linn. 1-4; 7-11; 15-17; pag. 14, deleantur linn. 9-22; pag. 15, deleantur linn. 11-16; 24-32 et « tanquam » in lin. 23; pag. 18, deleantur linn. 5b-13; 19b-20; 23b-25; pag. 19, deleantur linn. 1-10; 20-29; 34b-39; pag. 20, deleantur linn. 1-15; 25-29; pag. 21, deleantur linn. 8b-14; 15-24 et « vero » in lin. 25; pag. 22, deleantur linn. 8-18; 26-34; pag. 23, deleantur linn. 19-24; pag. 24, deleantur linn. 7b-26; 35-38; pag. 25, deleantur linn. 10b-29; pag. 27, deleantur linn. 3-12; 27-31; pag. 28, deleantur linn. 1-11; 20-37; pag. 29, deleantur linn. 9-10; pag. 31, deleantur linn. 1-4; 15-23; pag. 32, deleantur linn. 1-5; 19b-24; 33-36; pag. 33, deleantur linn. 1-13 et verba « Hae variae » in lin. 14; 20-32; pag. 34, deleantur linn. 1-21 et in 21 addatur « Organizationes »; 36-38; pag. 37, deleantur linn. 5b-10; 24-30; pag. 38, deleantur linn. 1-5; 24-32; pag. 39, deleantur linn. 14-16; pag. 40, deleantur linn. 5-9; 24-36; pag. 41, deleantur linn. 8-9; pag. 43, deleantur linn. 1-7 et « Quapropter » in lin. 8; 14-23 et « igitur » in lin. 25; pag. 44, deleantur linn. 1-7; pag. 46, deleantur linn. 4-11; 23-29; pag. 47, deleantur linn. 24b-31; pag. 48, deleantur linn. 11-25.

49

Exc.mus P. D. BERNARDUS DIONYSIUS STEWART
Episcopus Sandhurstensis

Tit. III, cap. II, in pag. 45, lin. 11: post verbum *agant,* addantur verba: « atque in re temporali vel civili seligendo tum fines attingendos tum media ad istos fines obtinenda plena libertate gaudent... », deinde « ratione semper habita etc. etc. ». *Ratio*: si laici in re temporali et civili propria industria et responsabilitate agere debent, tunc eorum libertas actionis sive in campo operis sive vita publica, nationali vel internationali, sive in aliis campis ad Evangelio viam sternendam clare et explicite exprimi debet.

Quae vero laicorum libertas Ecclesiae praelatis est promovenda et laudanda.

50

EXC.MUS P. D. DOMINICUS VALERII
Episcopus Marsorum

Hoc schema mihi videtur indigere ulteriore lima et maiore claritate. Aliquot loci obscuri sunt. Non desunt, ni fallor, menda typographica. In ultima periodo pag. 14 mihi non videtur conveniens dicere: « munera sacerdotis... *complere* curabunt ». Meo humili iudicio, melius est dicere: « munera sacerdotis sustinere, adiuvare et, in casu necessitatis, quantum fieri potest, *supplere* curabunt ».

Post clara verba, nuper prolata a Summo Pontifice Paulo VI fel. regnante, mihi videtur aperte commendanda esse *Actio Catholica.*

51

EXC.MUS P. D. PAULUS YOSHIGORO TAGUCHI
Episcopus Osakensis

1. Hoc schema, ut ita dicam, propter ipsam existentiam laudandum est. Abhinc totum saeculum, dum societas magis magisque anticlericalem evadit, plurimi laici apostolatum complexi sunt ad veritatem et gratiam, verbis et actibus comprobantibus, inserendas in societatem. Quare quaestio orta est tantae rei mirabilis theologicae intelligendae ac practice ordinandae perficiendaeque.

Post validos et notissimos textus recentiorum Pontificum de Actione Catholica, schema sat feliciter quamdam proponit definitionem de natura istius Actionis Catholicae. Cf. pag. 34, linn. 1 ss. et pag. 36, notam 3.

2. His observationibus praemissis, mihi fatendum est hoc schema expositionis unitate et claritate non raro carentem videri, quod ab ipso auctore (vel auctoribus) admittitur in pag. 7, nota 4. Num hoc schema brevius atque clarius effici possit nescio. Sed mihi videtur meliorem elaborationem multorum, ceterum optimorum, documentorum, quaestioni intelligendae valde prodesse.

3. Nonnumquam non patet utrum de spiritualitate agatur vel de virtutibus laicorum, in quantum laici sint, e. g. societatis civilis partes, an de virtutibus laicorum, in quantum sub episcoporum auctoritate apostolatui intersint. Ut breviter dicam, quandoque non patet utrum quaestio sit de Actione Catholicorum an de Actione Catholica.

4. Quae dicuntur in pag. 16, nota 3 de mandato et de missione canonica ad idem problema pertinere videntur. Sed de his rebus brevis tantum fit explicatio, saltem quoad quaestiones practicas.

Quod attinet ad missionem canonicam, scil. ad munus quod ad clerum pertinet ex natura sua, sed laico permittitur, nonne maiores sunt possibilitates? Hoc certe pendet a differentium regionum adiunctis, sed tamen petitur clarior quaestionis explicatio quoad practicam. Idem fere dicendum est de mandato, quod dicitur « integrare apostolatum laicorum apostolatui hierarchiae ».

Mandatum bene clareque a missione canonica distinguitur. Sed in utroque casu, nonne apostolatus laicorum quaedam iuridica existentia definienda est, de

qua, nisi fallor, nulla in schemate fit mentio? Nonne publica promissio Ecclesiam serviendi ab istis laicis petenda est ita ut quemdam iuridicum statum in corpore habeant Ecclesiae?

5. Si agendum est de spiritualitate laicorum qua tali, pauca dicenda sunt de spiritualitate familiae et matrimonii. Nam apostolatus in familia est primo et semper laudandus. Non est autem praetereundum periculum valorem religiosae castitatis quodammodo minui a quibusdam qui valorem matrimonii christiani nimis extollant.

6. Mirandum est tam breve tantum mentionem fieri de opere catholicarum scholarum. Nonne opus est vehementer dicere scholarum opus quasi fundamentum esse et fore apostolatus laicorum, de quo agit schema?

52

Exc.mus P. D. RADULPHUS ZAMBRANO CAMADER

Episcopus Facatativensis

Como los religiosos que non son clérigos se reputan laicos, al hacer la distinción entre clérigos y laicos en el par. 79 del cap. I pag. 44 del esquema *de apostolatu laicorum,* no queda clara la misión de los religiosos laicales: a ellos se aplicaría también la frase: « rebus temporalibus ut proprio ordinario munere incumbunt »? Desde luego que no, entonces me parece que convendría referirse a ellos y asignarles oficio propio.

53

Exc.mus P. D. PETRUS ZUCCARINO

Episcopus Bobiensis

In omnibus campis nostrum omnium summopere interest ut apostolatus laicorum percelleat et vita sua virens ad caelestia semper peragat, memor hoc unum verum esse ut mortales ad spiritualia per materialia ducantur.

54

QUIDAM PP. CONCILIARES AFRICAE CENTRO-ORIENTALIS

I. *Notae generales.* Schema generaliter placet imprimis quia intentionem S. Synodo Vaticanae II a S. Pont. Ioanne XXIII f. r. datam speciali modo vindicat.

II. *Notae speciales.* 1. Divisio schematis obscura nimisque intricata est. 2. Pag. 5, n. 2: passus *recognoscantur quoad* divisionem et terminologiam et cum aliis schematibus, scil. de Ecclesia, et de statibus perfectionis adquirendae coordinentur. 3. Maiore cum vi nn. 34 ss. sermo sit de praesentia laicorum catholicorum in campo intellectuali et stricte scientifico-universitario. 4. Pag. 40, n. 69, lin. 16: emendetur « vocationum » in « vacationum ».

[*Subsignaverunt*] Adam Kozlowiecki, arch. de Lusaka; Francis Mazzieri, ep. de Ndola; Marcel Daubechies, ep. de Kasama; F. Courtemanche, ep. de Fort Jameson; C. Chitsulo, ep. de Dedza; Adolf Fürstenberg, ep. de Abercorn; R. Pailloux, ep. de Fort-Rosebery; J. L. Jobidon, ep. de Mzuzu; James Corboy, ep. de Monze; Nicolaus Agnozzi, ep. tit. Adramitti; Rupert Hillerich, praef. ap. de Solwezi.

55

QUIDAM PATRES CONCILIARES AFRICAE ORIENTALIS

1. *In genere*: schema propositum satis bonum esse videtur. Sed etsi multa et bona principia tradita sunt, nihilominus clara et distincta definitio apostolatus laicorum desideraretur.

2. Quia hoc in schemate materia nimis extensa ac longa proposita est, quam ut in aula conciliari disceptari possit, optamus ut corpus schematis una cum claro theologico fundamento apostolatus laicorum principia fundamentalia ac generalia contineat; cetera omnia in appendice ponantur.

3. Optatur ut in schemate discernatur utrum apostolatus laicorum in sacramento baptismatis vel confirmationis, vel simul in utroque fundamentum theologicum habeat.

[*Subsignaverunt*] Edgar Maranta, arch. de Dar es Salaam; Marcus Mihayo, arch. de Tabora; Guido Del Mestri, arch. tit. Tuscamiensis; James Holmes-Siedle, ep. de Kigoma; Victor Haelg, ep. tit. de Baia; Herman van Elswyk, ep. de Morogoro; Eberhard Spiess, ep. tit. Cemerinianensis; Edward McGurkin, ep. de Shinyanga; Eugene Arthurs, ep. de Tanga; Elias Mchonde, ep. tit. Adraenus; Renatus Butibubage, ep. tit. de Casio; Gervase Nkalanga, ep. tit. de Balbura; James Komba, ep. tit. Thignicensis; Vincent McCauley, ep. de Fort Portal; John Ogez, ep. de Mbarara.

56

CONFERENTIA EPISCOPORUM ARGENTINAE

Proposición: que se exponga en el esquema *de apostolatu laicorum* como base, el concepto Teológico de « apostolado » con sus diversas divisiones.

[*Subsignaverunt*] Vicente Zazpe, ob. Rafaela; Manuel Marengo; ob. Azul; Juan Carlos Aramburu, arb. Tucuman; Manuel Menéndez, ob. San Martín; Alberto Devoto.

Comentario al esquema « de apostolatu laicorum ».

Esta breve exposición del esquema *de apostolatu laicorum,* supone la lectura anterior. La misma brevedad concedida, hará que señalemos solamente aquellas observaciones que nos han parecido de mayor interés destacar a la Asamblea Episcopal.

Diremos, antes de entrar al detalle, que el esquema nos ha complacido en general aunque en algunas ocasiones descienda a las indicaciones propias de un Directorio.

Su proemio general, ubica ontológicamente al laico, en el ser mismo de la Iglesia y desde allí proyecta el quehacer eclesial en sus multiformas individuales y consociadas. Ese quehacer no es uniforme, porque la Iglesia —de la cual es irradiación— no es un organismo sencillo. Es el pueblo de Dios — con fisonomía sacerdotal— en autoridades y fieles; es el Cuerpo Místico de Cristo, con una misteriosa comunicación de vida. De ahí que, el esquema aborde el problema de las relaciones entre la Jerarquía y los laicos; la coordinación de las actividades apostólicas y las diferentes condiciones de vida que lo emarcan: la Juventud, la Familia, el campo laboral, la Profesión, la cultura, la vida pública, acondicionamientos sociales, sus perspectivas que transitan desde el ámbito parroquial al diocesano, nacional e internacional.

Este dinamismo apostólico abraza un campo variado e inmenso: desde el propio de la Jerarquía, que a través de la « missio canonica » se confiere al laico, al espiritual propio del laico, pero asociado a la Jerarquía, por un mandato explícito, hasta llegar a las formas autónomas encaminadas a la « consecratio mundi ».

Observaciones. 1. Nos parece importante destacar que en la revaloración actual, teológica y pastoral del laicado, no es fácil señalar con nitidez su propio ámbito. Así lo dice la nota 4 del proemio general.

2. En la nota 6, de la pág. 7, el esquema toma posición para declarar lo que entiende por apostolado, insinuando que es el derecho, el honor y el oficio de todo bautizado, de colaborar con Cristo en la salvación de los hermanos. Nos desconcierta mucho la aplicación que hace de este concepto a ciertas actividades, actitudes o instituciones, que hasta hoy no llamábamos apostólicas: soportar los sufrimientos, las enfermedades; la oración; la conformidad con Cristo paciente. En la pág. 19, en el n. 30, se considera apostólica la actitud de los esposos que se ayudan en sus penurias; la hospitalidad, y en el proemio de la pág. 43, se enseña como apostolado toda la actividad de los laicos en el mundo de lo temporal: cultura, política, técnica, etc.

No sería mejor titular el esquema: « De activitate laicorum » en vez de « De apostolatu laicorum »? No resultaba más clara, la distinción de S. S. Pio XII entre la « Consecratio mundi » y la evangelización directa?

Podría suceder que muchos fieles consideren cumplida su misión laical en la Iglesia, con la sola actividad temporal, ya que ella tendría una explicabilidad apostólica.

3. En la pág. 10, en el n. 12, al hablar de las asociaciones de apostolado recomendadas, alabadas o impuestas como obligatorias en la Diócesis o Parroquia, el término « Autoridad Eclesiástica nos parece ambiguo; sería mejor poner « Autoridad Episcopal ».

4. Señalamos como muy importante la doctrina contenida en la pág. 10, en el n. 13 como también lo enseñado en todo el Título II, desde la pág. 13 a la 17. Los laicos tienen libertad para organizarse o adherirse — salvada la debida relación con las autoridades— y debe reconocerse esta libertad.

En el apostolado, las relaciones con la Jerarquía pueden configurar varias formas, según el objeto e los modos de ese apostolado. Es el n. 15.

En el n. 16 los laicos tienen libertad para constituirse por propia elección en muchas actividades apostólicas, especialmente en la animación del orden temporal.

5. Debe señalarse la diferencia entre mandato y « missio canonica » que trae la nota 3 de la pág. 16.

Mandato es un acto de la autoridad eclesiástica, por el que asume una direcciòn y una responsabilidad especial, de alguna forma organizada de apostolado con fines espirituales, pero respetando la naturaleza laical y la responsabilidad propia de ese apostolado.

La « missio canonica » es también un acto de la autoridad eclesiástica por el que se encomienda a los laicos alguna actividad que pertenece de suyo, al clero. No hay delegación de potestad jerárquica, sino uso de los laicos como instrumento del apostolado jerárquico.

La diferencia es luminosa; no así los ejemplos que trae la nota, la cual da como cierto y seguro que la administración de los bienes temporales de la Iglesia y la predicación de la Palabra de Dios, son actividades propias del clero.

6. En la pág. 14, n. 21, es importante destacar la doctrina sobre las relaciones de los Pastores y laicos, por su repercusión en los campos de la teología y de la pastoral.

Reconozcan los Obispos, párrocos y sacerdotes, la dignidad y la responsabilidad de los laicos en la Iglesia; promuevan su apostolado; usen de su consejo, según la competencia propia; encomienden las responsabilidades con confianza; que obren con libertad de acción. Se les debe impulsar a que obren con espontaneidad.

En la pág. 34, *b,* en pleno campo de la A. C. los laicos deben asumir su propia responsabilidad.

En las actividades del orden temporal los laicos tienen el derecho a elegir las formas y métodes que crean convenientes. Así lo enseña el n. 80 de la pág. 44. Actúan con responsabilidad e iniciativa propia. A la Jerarquía corresponde enuclear e interpretar auténticamente los principios de orden moral, pero para juzgar la situación concreta, la misma Jerarquía debe pedir auxilio a los peritos.

Para una acción social en dimensiones diocesanas, el n. 84 recomienda establecer un Consejo compuesto de sacerdotes y laicos peritos.

7. Otro aspecto a señalar es la colaboración con los no católicos y los que solamente admiten la ley natural.

El n. 74 de la pág. 41 aprueba esta colaboración en la misma actividad caritativa. En varios lugares encarece esta colaboración en las actividades temporales. Así en el número 82 de la pág. 45 y en el 89 de la pág. 47.

La nota 3 de la pág. 41 recuerda las palabras de S. S. Juan XXIII referentes a la FAO, como inmensa obra mundial de misericordia.

8. También creemos oportuno destacar que el n. 44 lleva a señalar el método conveniente para una acción laical eficaz, tal como lo hiciera S. S. Juan XXIII en la Encíclica *Mater et Magistra* al referirse al Ver, Juzgar y Obrar.

El n. 47 indica que este método debe aplicarse en la formación general de los alumnos de los colegios.

9. El n. 56 de las cuatro notas que definen la Acción Católica: *a*) Su fin es la evangelización y santificación; *b*) La forma los laicos, que colaborando con la Jerarquía, según su propio modo laical, asumen también una responsabilidad propia; *c*) es una colaboración consociada; *d*) el mandato explícito de la Jerarquía es el acto que asocia la colaboración.

Las cuatro notas son necesarias para tener A. C.; no así la denominación, que como las estructuras pueden ser diferentes.

10. Es interesante señalar en el n. 65 que la caridad es fin en sí misma y que por lo tanto no puede encararse su ejercicio como mero instrumento de propaganda, ni como excusa para ejercer un dominio sobre los beneficiados.

11. Por último destaquemos la advertencia del n. 77 donde se enseña que los laicos para santificarse no deben huir del mundo, sino volverse a él para darse a su cristianización, aunque con las debidas cautelas para no ser aprisionados por su exigencias meramente temporales.

57

Exc.mi PP. DD. EPISCOPI PROVINCIARUM AQUENSIS ET AVENIONENSIS ET DIOECESIS MASSILIENSIS

I. *Animadversiones generales.* 1. Valde necessarium est schema dari de hoc argumento, dum a multis laicis expectetur.

2. Textus hic propositus multa continet, quibus plene consentimus. Attamen modus dicendi atque exponendi valde deficiens habetur, sermo est nimis diffusus, ideae non ordinatim procedunt ac aliquando inutiliter repetuntur. Saepe saepius notae clariores sunt quam textus ipse. Ergo antequam in Concilio de hoc schemate disputetur, opportunum videtur illud modo breviori ac clariori denuo scribi.

3. Deest praesertim inspiratio missionaria sat fortis. Sic v. g. situatio apostolica mundi hodierni in tota sua amplitudine non satis describitur (nn. 33-39).

4. Breviter sed explicite hoc schema cum suis divisionibus principiis in capitulo *de laicis* schematis *de Ecclesia* expositis aptare oportet. Prae omnibus dicendum est omnem apostolatum a missione Filii proflui, caritatem theologalem animam esse omnis apostolatus Ecclesiae. Insuper determinare oportet quae relatio inter apostolatum laicorum et apostolatum hierarchico invenitur.

5. Divisiones schematis *ex fine* omnis apostolatus desumi oportet, qui finis *Regnum Christi provehendum* existit. Sed media ad hunc finem assequendum inter se diversa sunt, dum haec *directe* ad hunc, illa autem tantum indirecte (cf. pp. 31, 43) conducant. Sic ordo temporalis finem proximum ex se constituit qui tamen ultimatim ad regnum Dei supernaturale ordinari debet. Cf. de hac re appendicem infra.

6. Inde ab initio (n. 12) responsabilitas hierarchiae affirmari debet (quod tantum sub n. 52 habetur), etiam quoad religiosos (cf. n. 55, pag. 33, lin. 17).

II. *Animadversiones particulares.* Pag. 5. *Prooemium generale.* N. 2, linn. 3 s. Haec divisio eadem esse debet in omnibus schematibus. Cf. praesertim schema *de Ecclesia.*

Linn. 18 s. Definitio laici est nimis negativa. *Communis christifidelium status* ad sacramenta baptismi, confirmationis et pro pluribus matrimonii referri debet.

N. 3, linn. 21-29. Textus non est sufficiens, cf. Animadv. gen., 4. Forsan nn. 15-22 de mutua relatione inter apostolatum laicorum et hierarchiam hunc in locum collocandi essent.

Pag. 10, n. 11, lin. 18. Referendo ad schemata *de Ecclesia,* c. II et *de episcopis,* determinandum esset quid sub voce *hierarchiae* venit: S. Pontifex pro Ecclesia universali, conferentiae episcopales, commissio episcopalis, episcopus pro dioecesi.

N. 12, lin. 22. Pro: *tamquam obligatorias* ambiguum: *tamquam urgentiores* vel tamquam *valde necessarias.*

Pag. 11, n. 14. Non opportunum esse videtur novum Codicem adnumerationem exhaustivam associationum continere. Item cavendum est ne ordo exponendi hierarchiam inter huiusmodi associationes insinuet.

Pag. 13-14, nn. 15-22, cf. animadv. ad n. 3, pag. 5 supra.

Pag. 14, n. 21. Plene approbamus has considerationes de re maximi momenti.

Pag. 15, n. 23. Affirmare oportet quod necessaria coordinatio ex fine sumitur, ex aedificatione scil. *unius* Ecclesiae.

N. 24, linn. 12-13: Magis explicite: *in ambitu paroeciali vel interparoeciali, dioecesano vel interdioecesano, nationali vel internationali,* ne ulla pastoralis exigentia omittatur. Cf. infra, pag. 32, n. 53.

N. 25. Mutua relatio inter has commissiones nationales et Conferentias Episcopales melius determinanda est. Item dicendum de earum competentia. Quod melius veniret sub n. 11, pag. 10.

Pag. 18-21, nn. 27-32. Haec nimis diffuse dicuntur. Nn. 27-29 ad unum redigi possunt, nn. 30-33 breviores reddere oportet.

N. 27. Distinguere oportet inter *pueros* et *iuvenes.* Hae omnes considerationes ad breviorem formam redactae inter nn. 7-8 supra inserantur.

Pag. 21-25, cap. II, nn. 33-38 denuo scribi debent. N. 33. Nihil dicitur de conditionibus oeconomico-socialibus opificum, ad mentem Encyclicae *Mater et Magistra.* Oporteret saltem ad capitulum *de ordine sociali* schematis XVII quoad hoc referre.

N. 34. Notio culturae hic adhibita nimis simplex esse videtur.

Pag. 23, linn. 2, 6. *Notio christianae culturae, culturae nondum christianae,* tales expressiones nimia impraecisione laborant.

N. 35. Nullo modo convenit. 1) Forsan melius esset de hoc argumento in « de cura animarum » tractare. 2) Cf. animadv. general. 3 quoad defectus spiritus missionarii. 3) Vox *materialismus* inadaequata quantum ad multiforme phaenomenon moderni naturalismi evadit. 4) Novus textus haec praecipue affirmare deberet: Fides est initium salutis. At multa hodie exstruuntur obstacula quae fidem impediunt, imo quandoque destruunt. Haec obstacula ad tria principalia reduci possunt, quae sunt: a) *humanismus sic dictus anthropocentricus,* cuius formae extremae ad *atheismum* pertinent; b) *Dominatio terrae,* scientiae et technicae artis gratia, ad oblivionem Dei saepe saepius conducent, cum homines sive in modo vivendi sive etiam in rebus explicandis, tantum terrena sapiant, ita ut usque ad *materialismi* diversas formas perveniant; c) *negatio ordinis moralis superni* a Deo dependentis, ita ut homo sese uti normam boni et mali, falsae autonomiae praetextu, sese consideret.

(De hac re, cf. Littera Quaresimalis card. Montini, 1962, cit. in *L'Osservatore Romano,* 29 iun. 63, n. 149, p. 3).

Pag. 24, n. 36. Ad hoc ut ambitus sensu morali christiano imbuatur, oportet fideles numerosi iam adesse. Textus non ad omnes situationes sed tantum ad regiones christianas respicere videtur. Quid de regionibus ubi christiani perpauci

inveniuntur? Forsan ad instar Litterae Encyclicae *Pacem in terris,* melius esset initium sumere a lege naturali.

N. 37, linn. 36-38 deleantur. Sufficit principium enunciare: omnes scil. de re publica sollicitos esse oportere.

Pag. 25, n. 38. De hac re forsan melius esset sub tit. III, p. 43, tractare, vel in schemate XVII.

Pag. 27, n. 42. Formatio doctrinalis simul affirmari oportet ac formatio ex vita et in actione, de qua nn. 43-44, pag. 28. Haec complementaria sunt, quod clarius dici deberet.

Pag. 28, n. 44, lin. 15. Addere: haec formatio non tantum detur docendo, sed colloquiis inter laicos ipsos, quibus rerum conditiones observent, sub lumine Evangelii iudicent atque insimul solutiones quaerant.

N. 45, linn. 24-25 *exercitia spiritualia* primo loco ponantur.

Pag. 28-29, nn. 46-47, ad unum redigantur ac modo breviori.

Pag. 31-32. Melius esset prius de apostolatu in dioecesi (n. 52) quam in paroecia (nn. 50-51) loqui. Nam in dioecesi, cuius paroecia tantum cellula est, mysterium Ecclesiae elucet. Principium *nihil sine episcopo* primo loco ponatur.

N. 50, lin. 10. Loquendum est de responsabilitate episcopi. Sin, periculosum est aequali modo de paroecia territoriali et de paroecia personali loqui.

Pag. 32, n. 51. Haec exhortatio sine utilitate esse videtur. Simplex conclusio ad n. 50 sufficeret.

Pag. 33, n. 55, lin. 17. Quoad formas apostolatus directe alicui familiae religiosae adstrictas, oportet principium, sub n. 52, pag. 32, enuntiatum de auctoritate episcopi quantum ad apostolatum, denuo affirmare. Cf. *De cura animarum,* cap. III, pag. 21-23, nn. 38-46, et appendice V, pag. 91 s.

Pag. 37 et 42. Hunc titulum II multo breviori modo denuo scribi oportet.

Dum caritas, simul cum fide, sit anima omnis apostolatus (cf. pag. 5, n. 3, lin. 27) cavendum est ne exercitium caritatis ad sola opera misericordiae reducatur.

Pag. 37-39, nn. 58-65. Multo brevius sequentia tantum affirmentur: opera misericordiae per se valere ac instrumentum apostolatus magni momenti constituere, dummodo *a*) ad regnum Dei provehendum directe respiciant, ne cum activitate mere philanthropica confundantur (n. 58); *b*) nullum discrimen inter personas, nationes, stirpes, aut culturas faciant (n. 59); *c*) iustitiam socialem semper supponant (n. 60); *d*) dignitatem personae semper prae oculis habeant (n. 65).

Reliqua deleantur vel ad schema XVII committantur.

Pag. 39, n. 64, linn. 8-13 ad actionem temporalem proprie pertinent. N. 65, lin. 23, *proselytismi* pro *fidei propagandae,* quae totius apostolatus finis esse debet.

Pag. 39-41, nn. 66-74 etiam denuo brevius scribantur. Nam inutilis repetitio habetur principiorum generalium (cf. n. 10 et 67, n. 24 et 70). E contra nn. 71-74 conservari possunt.

Pag. 43-48, nn. 75 s. *Ordo temporalis in Christo instaurandus*: haec idea clarius exponi deberet. Autonomia ordinis temporalis eiusque a gratia sanatio necnon recta ordinatio ad ordinem supernaturalem affirmentur, ac simul dicendum hic agi de scopo quasi eschatologico, quia hoc plene non poterit dari, nisi Evangelio iam toto in orbe terrarum diffuso. Textus uti sonat tantum pro regionibus catholicis valet, dum pro omnibus christifidelibus Concilium loqui oporteret.

Pag. 44, n. 79, linn. 13-15, laici, qua baptizati, etiam proprie partem ha-

bent in missione Evangelii diffundendi. Itaque *munus proprium* laicorum sub diversis aspectibus melius describi deberet. Item *rebus temporalibus* explicetur: in rebus familiaribus, oeconomicis, politicis, ad culturam et otium pertinentibus.

Pag. 45, n. 83, linn. 20-23 deleantur. N. 84, lin. 25: saepe hoc non est possibile pro una dioecesi: *vel pro regione aut natione.*

Quoad ordinem inter numeros: n. 88 immediate post n. 81; nn. 82 et 89 ad unum redigantur; nn. 37-38, pag. 25, collocandi sunt post n. 81.

Appendix I. *I Pars: de apostolatu laicorum in genere.*

Titulus I. De apostolatu in Ecclesia.

1. De Ecclesia populo Dei, sancto, « regali sacerdotio »; de laicatu, de religiosis, de hierarchia (n. 2).

2. Apostolatus in Ecclesia qua operis Christi prolongatio: Christus, unicus Apostolus (*Hebr.* 31); de collegio Apostolorum; de apostolatu hierarchico, eiusque triplici munere, scil. prophetico, sacerdotali, regali. Episcopus qua primus apostolatus auctor. Pro unoquoque christiano, apostolatus promanat ex eo *a*) quod gratia corpori Christi mystico inseritur, cuius mysterii et missionis particeps efficitur (n. 3); *b*) quod actu hierarchia eum sibi quodammodo in apostolatu suo proprio consociat (nn. 19 et 20).

3. Finis apostolatus: regnum Dei provehendum. Opera et institutiones in tantum apostolica dicuntur quantum ad hunc finem ordinantur.

4. Conclusiones pastorales: officium apostolatus pro omni christiano (n. 3, 1. 30 et n. 4); officia hierarchiae: invigilare (16), consensum dare (17), fovere (15, 21, 22) vel mandatum aut missionem canonicam dare.

Titulus II. De diversis apostolatus laicorum formis.

1. Quantum ad finem intentum. *a*) Apostolatus directe ad regnum Dei provehendum ordinatus; *b*) apostolatus indirecte ad regnum Dei provehendum ordinatus: actio caritativa, quandoque; actio temporalis.

2. Quantum ad subiectum apostolatus. *a*) De apostolatu singulorum. Nn. 6-9. Tamen inter nn. 7 et 8, notare necessitatem hunc apostolatum diversis conditionibus aptandi, nn. 27, 33, praesertim n. 30; *b*) de consociativis apostolatus formis (nn. 10-14).

Apostolatus laicorum necessaria coordinatio (nn. 33, 36, 39).

II Pars. De apostolatu laicorum in specie. Haec pars eadem remaneat. Cf. tamen animadv. quoad particularia supra.

III Pars. De formatione laicorum ad apostolatum. 1) Normae generales (nn. 40-48). Cf. animadv. supra. 2) Normae particulares, quoad actionem caritativam (n. 72), quoad actionem temporalem (nn. 85-87).

Conclusio: p. 48, linn. 11 et sq.

Appendix II. N. 35, pag. 23, sequenti modo scribi poterit: Cum inter varios coetus, diversae formae naturalismi, materialismi, immo atheismi, in dies latius ac pressius invalescant, Sacrosanctum Concilium specialiter christifideles hortari cupit, ita ut apostolatus urgentiori ac efficaciori modo versus omnes qui misere Deum obliviscuntur, ignorant vel reiiciunt, dirigatur.

Primo, christifideles bene noscant quibus viis hodierni homines versus infidelitatem inclinantur. Homo quandoque, suae creatae conditionis immemor, hominem homini deum esse superbe proclamat. Nam, omnimodae autonomiae cupidus ex sese solo dependere ac sibimetipsi beatitudinem dare intendit. Ex hoc sensum religiosum destruere conatur, sub praetextum quod tantum miseram servitutem saeperet. Similiter normam moralem supernam agnoscere recusat, ac si esset plenae hominis libertati infensa. Tandem dominatio terrae, scientiae et technicae artis gratia, saepe saepius ad Dei oblivionem conducit, ita ut homines sive in modo vivendi sive etiam in rebus explicandis, tantum terrena sapiant ac ad diversas materialismi formas perveniant.

Nec praetermittendum hos falsos cogitandi ac vivendi modos quandoque a consociatis hominibus magna cum industria divulgari ac totalem ordinem socialem ac politicum, non sine gravi humanae personae iurium offensa inspirare intendere.

Certo hi errores tanto cum successu non increvissent si, deficiente ex parte christifidelium testimonio specialiter quoad paupertatem ac libertatis amorem, multi non persuaderentur se suis legitimis aspirationibus ad humanam promotionem satisfacere non posse, nisi reiectis Ecclesiae doctrina ac institutionibus.

Quapropter christifideles persuasum habeant hanc esse victoriam quae vicit mundum, fidem scil. vivam quae sine cohaerentia vitae christianae concipi nullo modo potest (cf. *1 Io.* 5, 4-5). Prae oculis semper habeant in hoc potissimo campo apostolatus requiri profundam fidei doctrinae cognitionem ac intimam cum Deo coniunctionem quae sacramentorum frequentia, vita orationis et mortificationis studio foveatur.

Ad hoc etiam ut apostolatus efficacior redditur, laicorum actio ex communibus conatibus prae posse oriatur. Laici insuper bene edoceantur de doctrinis, de mentis habitu necnon de modo ratiocinandi et agendi omnium qui fidem negant vel etiam destruere intendunt. Simul de doctrinae christianae responsis quantum ad quaestiones hodie agitatas plene informentur. At moneantur iudicium mere negativum non sufficere: cum enim vix ullus error alicui veritati non sit commixtus necesse est laicos educari ad recte discernendum inter bonum et malum, quae iusta sunt agnoscendo et simul pericula sedulo detegendo ac superando.

58

CONFERENTIA EPISCOPORUM PEDEMONTIUM

Notae generales. I. Saltem in prooemio clarior et magis extensa expositio desideratur quoad naturam et finem apostolatus laicorum.

II. Non raro utitur verbo « Ecclesia » indistincte et confuse, quatenus alio loco exprimitur ut hierarchia *aut* populus Dei (e. g. pag. 6, 4, 2 coll. et pag. 10, 20); alio loco « Ecclesia » significat populum Dei organizative sumptum, scil. populum *ac* duces (e. g. pag. 5, 13). Tandem aliquando sensus non est obvius, e. g. pag. 5, 2 « Ecclesiam ipsam ».

Saepe saepius et quidem laudabiliter verbum « Ecclesia » ecclesiastice sumptum substituitur quodam synonymo, uti: « Hierarchia, sacra hierarchia, hierarchia ecclesiastica »; nihilominus maior diligentia et uniformitas desideratur.

Notae speciales. Pag. 5, lin. 2: « Ecclesiam ipsam »: Quid significat? tota Ecclesia aut laici dumtaxat?

Pag. 6, nota 2: non videtur opportunum applicare Institutis saecularibus quae de laicorum apostolatu dicuntur. Sunt vero religiosi et non laici.

Pag. 13, lin. 14: videtur periculosum admittere principium de « implicito consensu auctoritatis ecclesiasticae » ut quisquam nomen catholicum sibi vindicet.

Pag. 13, lin. 6: omitti potest secunda pars n. 15, nempe: « Sacrae hierarchiae... » quae iam invenitur in n. 21.

Pag. 14, lin. 14: utilius adiungi potest: « ius » seu « laicorum dignitatem et responsabilitatem eorumque ius in Ecclesia agnoscant ».

Pag. 14, linn. 3-4: convenit singillatim adiungere, seu: « Ecclesia consuevit laicis munia quaedam committere, e. g. *in actibus liturgicis, in verbi Dei praedicatione, in cura animarum, in administratione bonorum temporalium Ecclesiae* » quae in nota pag. 17 habentur.

Pag. 22, lin. 18: valde opportunum videtur in mentem revocare obligationes laicorum agendi non solum uti personae sed praesertim cum sociis, una simul, ita ut structurae sociales sive opificii sive totius activitatis oecumenicae non impediant exercitium legis moralis in munere obeundo.

Nonne occasio praebet materia de qua disceptatur aliquid addendi circa vim ac necessitatem alicuius organizationis christianae quae opifices inter se iungat?

Pag. 23, lin. 25: necesse est ut laicus catholicus *prompte* ac serio agat cum quaestiones concretae exagitantur ne alii nullo spiritu christiano imbuti uti soli solutores rerum ac salvatores opificum appareant.

Pag. 24, lin. 15: adiungi potest utiliter quaedam exemplificatio circa collaborationem cum hominibus *qui agnoscunt saltem valorem legis moralis naturalis,* ut ambitus vitae generalis magis ac magis sensu morali christiano imbuatur.

Pag. 24, lin. 30: optime recognoscitur opus quod a christifidelibus in civitatis ac reipublicae regimine agitur *uti actio quae Evangelio viam sternere potest,* scil. vera et proprie dicta forma apostolatus in republica ac in regno Dei. *Valde convenit ut explicite haec exponantur ut viri politici cognoscant quid de ipsorum laboribus sentiat Ecclesia.*

Pag. 33: adiungi potest in titulo: « *et praesertim de Actione Catholica* ».

Pag. 37: agitur de « primatu caritatis ac praesertim de caritate materiali ». Paroeciae vero et organizationes catholicae non semper prae se ferunt huiusmodi primatum. Datur possibilitas explicandi in schemate et exponendi quamdam formam practice agendi ut caritas magis magisque elucescat?

Pag. 45, lin. 6: catholicorum participatio et cooperatio *cum aliis* in actionibus vel etiam in organizationibus ad fines temporales honestos assequendos, uti principium generale a Concilio expositum videtur valde periculosum. Facile evadit *extensiva interpretatio* inter fideles, nempe licitum esse nomen vel operam dare organizationibus vel partibus politicis laicitate imbutis, cum, inter alia, quaedam obiecta legi naturali conformia prosequantur, e. g. communismo.

Pag. 46, lin. 30: amplissimus locus datur liberae opinioni contra dogmatismum in rebus liberis. Sed *verba quae proponuntur in schemate nonne laicis praebent possibilitas nimis extendendi provinciam libertatis?*

59

CONFERENTIA EPISCOPORUM INDONESIAE

Tempore deficiente, hoc schema discussioni subicere non potuimus.

Saltem optamus, ut titulus immutetur. Quidquid enim sit de nomine laici, non placet quod vox « apostolatus » tantopere extendatur et extenuetur, ut omnem catholicorum actionem socialem et politicam comprehendat. De his laicorum officiis omnino in hoc decreto agendum est, sed non sunt dicenda « apostolatus ». Placet enim, ut vox « apostolatus » relationem suam retineat ad nomen « apostoli », quo proprie exprimitur officium evangelii annuntiandi et testificandi.

Usus improprius, qualis in titulo existente habetur, admirationem movet apud fratres separatos, et potest etiam obscurare quaestionem de proprio fine actionis catholicorum in ordine temporali.

Meliorem autem titulum, quo materia tam disparata subsumitur, suggerere non valemus.

* * *

Hoc schema tractat modo exhaustivo de omnibus aspectibus, qui relationem habent cum hac quaestione actuali, et quidem modo concreto et claro. Est igitur schema optimum.

Quia hoc schema adeo bonum est et quia penuria temporis premebat, iam non tractatum est de eo in conventibus nostris. Unus tamen ex archiepiscopis modo particulari duas observationes apponere velit.

I. In parte prima desideratur descriptio clarior et accuratior de quaestione quid sit apostolatus laicorum, et

II. Ea de causa in parte II « de apostolatu laicorum in specie » desideratur transpositio ordinis.

Ad I. De apostolatu laicorum in genere.

Apostolatum definire velimus: Activa operositas ad Christi Redemptionem in mundum introducendam, aut: instauratio mundi in Christo (tam mundi in universo, quam status et societatis, minorum societatum et familiae, usque ad unumquemque individuum).

Ita igitur *apostolatus laicorum* est participatio huius redemptionis et mundi aedificationis *in campo specifice laici proprio,* i. e. redemptionis et instaurationis *ordinis temporalis* (cf. n. 79: laici vero... rebus temporalibus ut proprio ordinario muneri incumbunt), *modo laici proprio,* i. e. non auctoritative.

Hoc non significat, quod laicus non alio modo possit collaborare in apostolatu Ecclesiae, aut quod non invitari possit ad participandum apostolatum specificum hierarchiae, aut quod omnino ab hierarchia solutus laborare expediat, sed quod apostolatus laici specifice proprius, qui ei vi status eius ut laico competit, *in proprio eius campo iacet* et *modo eius proprio exsequitur.*

Ad II. De apostolatu laicorum in specie. Ex iis quae dicta sunt ad I sequitur, quod partem II mutare velimus quoad ordinem titulorum, nempe: Titulus I: in actione temporali; II: in actione caritativa; III: ad regnum Christi directe provehendum.

Proprium et primarium munus apostolicum laici situm est in proprio eius campo, sc. *instaurare ordinem temporalem in Christo,* tum conatu individuali, tum conatu communi organizato.

Quamvis actio caritativa certe pertineat ad munus laici, eodem modo ac participatio directi provectus regni Christi, duo tamen hi aspectus considerari debent ut supplementarii et non ut primarii. Non sunt laico specifici nec exclusive laici proprii.

Secundum hoc fundamentum fortasse etiam aliae mutationes afferri possent in ordine et formulatione schematis, sed quae supra dicta sunt sufficiant, ut simul et respectus erga schema et principalis observatio de eo ius suum obtineant.

60

CONFERENTIA EPISCOPORUM NEERLANDIAE

Placet hoc schema, licet sit aliqualiter prolixum et loquax. Pag. 14, n. 20: vitanda videtur verbum « participatio laicorum apostolatus hierarchiae ». Loco eius dicatur: « *cooperatio* specialis et officialis... » vel aliquid simile. *Ratio*: plures theologi aestimant hanc appellationem theologice minus esse fundatam ad definiendam Actionem Catholicam, etiamsi concedatur quod missione particulari in casibus determinatis aliquis laicus aliqualiter possit participare apostolatui hierarchiae.

B) *A die 10 decembris 1963 ad diem 20 maii 1964.*

1

EM.MUS P. D. LAUREANUS CARD. RUGAMBWA
Episcopus Bukobaensis

Part I, tit. I-II. A clear description of the general directives based on former apostolic letters, now logically arranged. This constitutes a fundamental piece of contemporary theology to be inserted into our modern theology manuals: under the treatise: De Ecclesia (really refreshing and very consoling!).

Tit. II, cap. I. A - *De iuvenibus.* The Church has done what she could for the schools at the cost of very great sacrifices. And actually modern catechetics have improved very much the methods and manuals for teaching on schools. But the most disturbing problem is with the after-school age boys and girls: the so-called "teen-agers". But is it really such a recent problem as it is often suggested? The lack of religious appeal to this age group is not of to-day. The obligatory character of religious instruction and practices in our catholic schools (School-mass, confession, morning and evening-prayers) useful and good in themselves have been mentionned as a causa of this religious indifference: a reaction: freedom from all obligation. But on State schools where the religious influence is reduced to the minimum or to nil, the result is not better, on the contrary!

During the last century initiatives for youth-movements have not been lacking, but the after-school age does not seem to like any organized movement:

scouts, guides, Xaverians and the like work very well among the school-age children, but not with the after-school age. It is often very difficult to find leaders for these movements from among the after-school-age.

Statistics have proved that lack of Mass attendance is very heavy just among that group: and particularly among the boys: it rises slowly with the adult men.

This universal sympton is not to be remedied by one or another organization or movement. Their religious indifference is a serious fact to be faced as such. It is just therefore so exasperating as boys and girls of that group are often too young and too immature to take some active share in parish responsability as suggested in the general principles No. 8: " a simili erga similem " and too old (according to their own conception) to be organized into "childrens" movements. Parental influence as suggested in line 19 and 20 may be valuable, but often is put on the same line as ecclesiastical authority.

For these reasons this problem merits more than ordinary consideration and study. And the main guiding principle here is the more *direct presence* of the Church (and her representatives) among them. The meeting place of this age groups is through the media of sports and the recreational facilities. The Church is often wrongly considered by them to be an obstruction to these media through her absence: an active part by the Catholic Action in the "worldly regions" will have a very salutary effect. I think we have to go further still: not only catholic action of the laity, even the priest and the sister should not be totally absent from these regions. This is the cause of these false interpretations as if the Church silently forbids or at least frowns repudiatingly on these often innocent meeting places. The parable of the lost sheep has its application!

Sister congregations have often been asked (ordered!) to open themselves to a more modern conception of life: to be more *present* in the feminine world of to-day. This will result, it is hoped to stop the fatal decrease of religious vocations. Because the Lay-institutes have more vocations than the religious orders and societies (taken relatively), it is a sign that the youngsters of to-day who want to follow Christ's call, feel their life better spent in a lay-institute than in the traditional societies. The same with some reserve, could be said for the Brotherhood: for the brother, due to his position as workman, teacher or male nurse can be easier present among the people than the Sister.

In short No. 27 is just a too short statement of the same length and force of style as Nos. 28-32, but with No. 32 (diaspora Christianity) No. 27 merits a very special treatment. Both our lay-apostles and the religious and the priest have find more effective ways to save the after-school-age youngsters: the fathers and mothers of to-morrow. A lot is said and done about the disrupted marriages, but should we not tackle the disease at its root: the young unmarried?

What can be done? We should not condemn every organization from the start, just because they do not like movements and organizations. Merely religious organizations like the Legio Mariae do have an appeal to the very best among them. But we will reach a much larger group in sport and recreational movements; it is there where the Church should be *present* in an *active way*: through well trained lay-apostles and, as I pointed out even the priest, brother and sister. To go to them rather than inviting them to our keep-them-busy organizations: they do not like to be kept busy any longer!

Talks on engagement-morality and pre-marital relations do have a very good influence, once contacts have been established again. All this calls for organization, but in a moderate way, with great tact and an open mind for the special psychology of this particular age-group.

Cap. II, n. 33: *In campo operis faciendi.* The question of the priest-workers in France has forced the Church to take a more serious look at the deplorable clift between Her and the working-classes everywhere in the industrial areas of the world. Even if this "experiment" in France has been partly a failure, it has taught us a lesson. Through a sense of frustration and holy exasperation priests were driven to give up their traditional way of life and at the cost of the highest sacrifices to try to break through this steel wall of religious indifference and even hatred against the so-called capitalist Church.

The question here is then: in how far can the lay apostle really replace the priest in these pagan regions? With the institution of the Feast of St. Joseph the Worker and the establishment of a very limited priest-worker institute the Church has acknowledged her concern for the worker. But is this enough?

From our own local experience we know that catholic lay-apostles who visit the people in the villages do have a salutary influence, but the people, even the non-practicing and the non-believer want more: they want to see the priest. By this they unconsciously acknowledge the sacred character of the Priesthood. And the same holds true for the Sisters.

Although it is not quite the place here, we might make here a remark about the sacred character of the Priesthood and the Sisterhood, in relation to the question of celebacy (quite in the limelight these days). Celebacy is not a question of depreciation of woman-hood, or of fatherhood, nor the fear for time-costing family care; it goes deeper to the essence of the priest's role: that of mediator, of man belonging wholy and undividedly to God, without side-occupations and afterthoughts. Nobody can uphold—although it has been tried—that the priestly daily functions as such require celebacy, but his whole being as undivided man of God is at stake. This mediator-ship is highly valued and cannot be replaced, not even by the best lay-apostle. His priestly functions, nor his priestly being do not ban him from the workers and their milieu; may the Council find ways to allow the priest, the brother and the sister to penetrate more effectively into the world for the workman.

Only then the lay-apostle should be considered, once the active presence of the priest, brother and sister is assured. Only then can the lay-apostle be really understood by the priest, really assisted in his important but very difficult work.

The new way of chaplains at big factories and plants is a big step forward in this direction. But up till now the sister has taken a very limited role in the working-women's milieu.

Tit. IV: *De laicorum formatione ad apostolatum* (nn. 40-48). The immense spiritual, intellectual and moral training given to future priests in our Seminaries show the necessity of a serious preparation for all those who want to devote trained to work according to the evangelical spirit, according to a uniform fully proved this point.

No. 48 states in 2 lines what seems to be the most important question according to the authors in these matters: a formation centre, where they are

trained to work according to the evangelical spirit, according to a uniform diocesan plan of action.

To overlook this point has resulted more than once into total failure. Who will train them? This is the work of specialists, but on the Seminary a general idea of such training could be given.

2

EM.MUS P. D. IOSEPH CARD. SIRI
Archiepiscopus Ianuensis

Est in hoc schemate aliquid quod placere non potest. Ut hoc melius appareat, quaedam praemittuntur notae.

Apostolatus primo et per se committitur a Christo Domino apostolis et proinde eorum successoribus.

Ceteri participant vel participare possunt, sed servata attrutione quam eiusdem apostolatus Salvator fecit, scil. servata ratione « regiminis » in apostolis constituta. Quo fit ut participatio Apostolatus semper, de natura sua est sub ductu eorum, qui in Ecclesia sacram hierarchiam constituunt.

Tali modo non affirmatur nullum fidelem posse opera apostolatus facere nisi ex commissione ab episcopo suo, sed dicitur tantum « quaecumque fiunt » fiunt in Ecclesia, servata habitudine subordinationis eidem Ecclesiae in his quae ex constitutione divina ad eandem pertinent.

Potest ergo Ecclesia, si vult, ut quaedam fiant in apostolatu omnino libere a fidelibus et eorum associationibus. Sed nullus potest recte affirmare haec fieri a fidelibus iure suo independenti. Apostolatus est de natura sua in Ecclesia res Ecclesiae et qui participant, participant quidem, servato ordine statuto a Domino.

Est equidem aliqua propositio, quae quandoque auditur et quandoque submisse dicitur et quae ita restringi potest: « Praeter Ecclesiam hierarchicam a Christo constitutam, est alia ecclesia nempe personarum. Haec aliqua missione donatur respectu Ecclesiae hierarchicae ». Haec propositio est falsa evidenter et periculosa; sed potest non conscienter subesse dissertationi circa missionem laicorum respectu Ecclesiae, quasi ad eosdem pertineret quoddam ius in quibusdam dirigendi Ecclesiam. Quibus praelibatis, en observationes.

1. *Non placet* pag. 5, n. 3, lin. 26, simplex et categorica affirmatio participationis Sacerdotii Christi, sine addito. Etenim textus petrinus a quo locutio sumitur, si certitudinem volumus interpretationis, perpauca dicit. Haec quidem exaggerata videntur in usu, qui eiusdem locutionis petrinae fit.

2. *Non placet* generalis assertio, quae pluries fit et quidem vindicatur, « Libertatis laicorum in condendis associationibus apostolatus » (pag. 10, n. 13, lin. 29; pag. 12, n. 16, lin. 8 et n. 18, linn. 15-17; n. 19, linn. 22 s. etc.). *Rationes* sunt hae: *a*) laici nequeunt a priori et doctrinaliter, i. e. semper et pro semper, affirmari « liberi » a regimine sacrae hierarchiae in materia quae est de se propria eiusdem sacrae hierarchiae; *b*) laici possunt esse ob statutum ecclesiasticum liberi aliquid faciendi in apostolatu si et quando et quantum hoc placuerit auctoritati competenti; sed servari debet principium supra expositum et servari debet facultas eiusdem auctoritatis competentis, concedenti et non con-

cedendi. Quod revera negatur si principium generale statuitur sensu expresso in textu schematis.

Cogitaveruntne redactores schematis, post talem affirmationem quemlibet laicum vel quoslibet laicos facultatem habere sese erigendi contra proprium episcopum appellando ad Concilium Vaticanum II?

Conclusio. Libertas de qua sermo est in textu schematis debet clare restringi ad obiecta pro quibus adesse potest doctrinaliter loquendo libertas in laicis, non vero ad elementa quae sunt iure divino ipsius Ecclesiae. Hic textus dubitationem ingerit alicuius Maritanismi.

3

EXC.MUS P. D. VINCENTIUS BRIZGYS
Episcopus tit. Bosanensis, aux. Kaunensis

Hoc schema, magni valoris in opere Redemptionis et missionis Ecclesiae, secumfert periculum infinitarum disceptationum.

Propono, ut em.mi moderatores sessionum eligant ex variis regionibus in hac quaestione competentes et famosos viros ad exponenda et illustranda principia apostolatus laicorum. Audeo proponere, ut in disceptationibus huius schematis concedatur opportunitas loquendi nonnullis ex peritis et laicis participantibus in sessionibus vel ad hoc invitatis. Post 3-4 dies, postquam locuti fuerint illi viri selecti, proponatur suffragio Patrum finire disceptationes verbo. Omnes enim habemus sufficiens tempus non solummodo ad observationes scripto faciendas, sed ad integra volumina conscribenda.

Ad resuscitandum spiritum creativum et apostolicum inter laicos catholicos, praeter multa meliora ab aliis proposita, audeo pro futuro sequentes propositiones facere.

1. Instituantur contentiones, cum praemiis sufficientibus allicere catholicos participandi in eis, pro scriptoribus, pictoribus, musicis. Participes harum contentionum admittendi laici et fratres ac sorores religiosi, non sacerdotes, opera proponenda ad contentionem non necessarie deberent esse indolis directe religiosae. Saltem tria praemia — pro opere nempe scripto, artis et musicae — quotannis assignanda nomine Sanctae Sedis. Similes contentiones deberent institui in unaquaque regione nomine hierarchiae illius regionis.

Conscie silentio praeterivi hic praemia pro labore scientifico, quia iam habemus Pontificiam Academiam Scientiarum.

2. Desideratur propinquior et efficacior cooperatio Ordinum et Congregationum Religiosorum, in eorum opere apostolico inter fideles.

Nunc habemus veram inflationem periodicorum ab Institutis Religiosorum editorum pro catholicis laicis. Multa horum sunt persimilia et pauci valoris. Tertiarii Ordinum et ceteri amici religiosorum sunt moraliter coacti subscribere non unum vel duo, sed plura harum publicationum.

Quam salutare esset, si Ordines et Instituta Religiosorum in unaquaque regione mentibus et viribus unitis ederent unum vel pauca periodica digna temporis et laboris eorum qui se impendunt in illis edendis, tum apta formare intellectum et vitam spiritualem ea recipientium. Nunc vero sunt revera permulta, quae mit-

tuntur ad amicos Institutorum « gratis » postea vero insistitur ut « magnum sacrificium laboris apostolici » subventionatur materialiter et quam pauci sunt, a quibus ea leguntur.

Talis cooperatio Institutorum Religiosorum haberet et ulteriores effectus salutares. Nunc omnes sciunt monachos unius Ordinis minorum gentium habere tertiarios ceterorum Ordinum, devotum populum divisum esse inter cultores « Pauli, Apolli, Petri etc. » i. e. Franciscanorum, Dominicanorum, Carmelitarum, Iesuitarum etc. Et hoc in detrimentum nomini pii populi, labori apostolico laicorum, quia ubi nimiae divisiones, activitates pauci valoris et in non paucis locis tota activitas tertiariorum consistit in colligenda quota pecuniae, imposita a moderatoribus et visitatoribus.

3. Desideratur maior cooperatio inter Ordinarios locorum et Patres regulares in bonum apostolatus laicorum. Propter insufficientem hanc cooperationem vires laicorum catholicorum nunc tam disgregatae sunt, ut illi incapaces evadunt ad opera maioris valoris. Si attente examinarentur activitates parallelae in dioecesibus, regionibus, numerus personarum activam partem in illis habentium, tempus et pecunia, qui impenduntur et omnium horum fructus, omnes debemus concludere in nostris activitatibus habere immensam perditionem temporis, virium et pecuniae sine fructibus sufficientibus et hoc solummodo propter exaggeratum « partisanismum », defectum cooperationis, systematis et programmatum in bonum integrae communitatis fidelium in limitibus dioeceseon vel regionis. Qualiscumque activitas fideles non congregans sed *disgregans*, sub respectu obligationis laicorum in opere redemptionis est mala in se. Debita cooperatio Ordinarii loci, cleri dioecesani et Patrum regularium posset reddere catholicos capaces singularum regionum in propriis manibus habere et uti ad actionem apostolicam ea, quae in alio schemate vocantur instrumenta communicationis socialis.

4. Tandem, saltem indirectum obstaculum apostolatu laicorum et in genere eorum spirituali aedificationi praestat quaestio « paupertatis », non omnium, tamen notabilis partis cleri dioecesani et religiosorum-religiosarum.

Quando vita quotidiana cleri, regiosorum-arum, non exceptis aliquibus mendicantium, divitior evadit, quam laicorum apud quos mendicatur, quando humiliter sollicitantes generositatem hominum bonae voluntatis vitam gerunt divitum, hoc os et viam claudit et nobis et laicis in labore apostolico.

Haec quaestio directe spectat ad aliud schema, magni tamen est momenti etiam considerando apostolatum laicorum.

5. Et in genere, magnum obstaculum est tam in resuscitando quam in fovendo spiritu apostolico inter laicos spiritus mundanus nostris diebus non paucorum sacerdotum et religiosorum-arum.

4

Exc.mus P. D. FRANCISCUS COGONI

Episcopus Octeriensis

Adhaereo animadversionibus em.mi Patris card. Siri et em.mi card. Ruffini non esse nimis urgendum « ius laicorum » ad apostolatum gerendum. Potius

quam de iure, de officio vel de honore exercendi apostolatum mihi videtur loquendum esse.

Caveamus ne laici imperiti vel inopportuno zelo affecti, vindicantes praedictum ius, moleste se gerant erga episcopum Christi gregis pastorem.

5

EXC.MUS P. D. ANTONIUS CUNIAL
Episcopus Lucerinus

Schema placet: quia bene in luce ponit variam contributionem in apostolatu ex parte laicorum; quia apertum problematibus hodiernis.

Notantur in schemate aliquae repetitiones et desideratur aliqua melior organicitas.

Prooemium generale, n. 2: forsan, in triplici partitione, melius potest exprimi conceptus quantum ad fideles in communi statu viventes, quia et ipsi, aliquo modo, vocantur ad spiritum trium consiliorum. Proponitur: ... « alii ad statum " perfectionis " per viam trium consiliorum cum obligatione votorum; alii vero... ».

Tit. III, cap. II, n. 33: opportunum videtur adiungere aliquid de sic dicto « mondo rurale » deque eiusdem evolutione, ita ut dictus mundus recte evolvetur et positive fiat vector valorum apud alios sectores.

6

EXC.MUS P. D. LEO STEPHANUS DUVAL
Archiepiscopus Algeriensis

Hoc schema *gravibus defectibus* laborat. 1. Videtur potius catalogus omnium quae dici possunt circa apostolatum laicorum; non sufficienter eminent notiones essentiales quae maioris momenti sunt sive ex natura sua, sive ex conditionibus nostri temporis. Quo fit ut optimi laici qui admirabili zelo laboraverunt in campis apostolatus secundum normas a Sancta Sede et ab episcopis traditas difficillime se agnoscant in hac descriptione (« sans perspective », « sans troisième dimension »). Timendum est ne hoc schema augeat confusionem et multos deterreat a formis apostolatus quas Ecclesia maxime commendavit utpote pernecessarias ad regnum Dei instituendum.

Exempla: *a*) momentum relationis ad hierarchiam, speciatim per « mandatum », verbis enervatis exprimitur; *b*) actio catholica proprie dicta, directe tendens ad regnum Dei instituendum, vocatur « peculiaris quaedam apostolatus laicorum forma », iuxtaposita aliis formis apostolatus.

Unde timendum est ne hoc schema deterreat fideles ab actione catholica proprie dicta et magis incitet ad apostolatum exercendum in associationibus independentibus ab auctoritate Ecclesiae, quo casu, exitus Concilii, in hac re, non positivus, sed negativus, non « in aedificationem », sed « in destructionem » esset (*2 Cor.,* 10, 8).

2. Modo generali apostolatus concipitur tantummodo ut actio individuorum — organizatorum vel non — in alia individua. Non sufficienter exprimitur aspectus communitarius, huius apostolatus. Non sufficienter apparet aspectus peculiaris huius apostolatus, scil. *dialogus* inter membra communitatum ecclesialium et membra communitatum naturalium (Ioannes XXIII pluries dixit Ecclesiam velle dialogum instituere cum mundo hodierno). Iste dialogus secum fert commercium (« échange »); communitates enim naturales habent « valores » pertinentes ad propositum Dei et quae maximi momenti sunt ad regnum Dei instituendum (cf. n. 36); ceterum oblivisci non possumus Spiritum Sanctum per gratiam suam profunde operari in cordibus omnium hominum, etiam non-christianorum (Denz. 1295; 1379). In apostolatu exercendo fideles non tantum debent dare, sed etiam attendere animo et audire eos ad quos fit apostolatus.

Emendatio huius schematis postulat: 1. ut pars I (de apostolatu laicorum in genere) contrahatur; 2. ut in parte II (de apostolatu laicorum in specie) harmonia conveniens instituatur, et quidem hoc modo: *a*) tit. I ita redigatur ut appareat essentiale momentum formarum apostolatus directe regnum Dei promoventium; *b*) tit. II contrahatur et ita redigatur ut magis in lucem ponatur aspectus apostolicus activitatum caritativarum et socialium (adeptio boni temporalis, sive individualis, sive socialis, non interest ad apostolatum nisi in quantum refertur ad finem supernaturalem).

Prooemium generale. Hoc prooemium brevius redigatur. Nervose ostendatur necessitas apostolatus laicorum oriens: 1. ex sacramentis baptismi, confirmationis et Eucharistiae; 2. ex virtute caritatis erga Deum et proximum; 3. ex natura Ecclesiae, quae, constans e clericis et laicis, est, in omnibus suis membris, essentialiter apostolica; 4. ex relationibus inter Ecclesiam et societatem humanam « per loro (i laici) la Chiesa è il principio vitale della società umana » (Pius XII, *Allocutio ad Consistorium,* 20 febr. 1946).

Nostris temporibus, haec necessitas magis urgetur: 1. ex paucitate cleri in pluribusque regionibus mundi; 2. ex conditionibus hodiernae societatis (progressus scientificus et technicus, hominum in dies auctus numerus, peramplius rerum profanarum dominium, multiplicitas relationum socialium inter homines [pag. 6, linn. 6 s.], extensio materialismi et atheismi... etc.). « Cuius rei, nostris diebus hae sunt Ecclesiae partes: ad humanitatis nempe et evangelicae doctrinae normas progredientis huius aetatis cultum componere... Quam ad rem, ut iam diximus, Ecclesia *praesertim laicorum hominum adiutricem operam poscit...* » (Ioannes XXIII, *Mater et Magistra*: *A.A.S.* [1961], p. 460).

Pars I, titulus I, cap. I. Pag. 8, lin. 14: loco « numquam negligant... », dicatur « diligentissime curent, pro sua facultate et attentis circumstantiis apostolatum verbi... etc. ».

Pag. 9, lin. 8, post « occupationis » addatur « vel communis mentalitatis ».

Cap. II. Totum caput contrahatur (supprimantur paragraphi 10 et 11...) fere hoc modo: « Ut Ecclesia non desit multiplicibus necessitatibus nostri temporis, formae apostolatus exercendi magnam admittunt varietatem. Praeter singulorum apostolatum, maxime interest nostris temporibus pervenire, cum auxilio Spiritus Sancti et sub auctoritate hierarchiae, ad coordinationem actionum singulorum per debitam organizationem actuosarum consociationum (« mouvements ») ad finem specificum tendentium ».

Titulus II, cap. I. Maiore in luce ponatur relatio ad hierarchiam, speciatim per mandatum (cf. nota 3, pag. 16). Clare affirmentur momentum et utilitas interventus hierarchiae: ad procurandam coordinationem virium christianarum (cf. n. 23), ad protegendos fideles ab errore.

Hic interventus, nedum laedat libertatem laicorum, eam e contra tuetur et extollit.

Titulus III, cap. I. Totum caput contrahatur.

Cap. II. Totum caput contrahatur. Par. 35 contrahatur; forsitan melius esset hanc paragraphum inseri in prooemio, ubi agitur de necessitate apostolatus laicorum.

Titulus IV. Loco « De laicorum formatione ad apostolatum », dicatur: « De educatione apostolica ».

Dolendum est in hoc titulo formationem ad apostolatum praesentari ac si apostolatus fieret per aliquas activitates peculiares, dum apostolatus totam vitam complectitur; ipsa vita fidelium debet esse, tota quanta est, apostolica. Distinctio inter apostolatum et educationem apostolicam est distinctio inadaequata.

Totum caput contrahatur. Par. 44 et 45 inutiles sunt. Idem dicendum est de par. 46, quae, ceteroquin, aequivocationem continet: cum agitur de iuvenibus (Peculiari... etc.), videtur dici iuvenes tantummodo praeparari ad apostolatum futurum, quod falsum est, nam iuvenes et adulescentes se maxime ad apostolatum adultorum exercendum praeparant apostolice vivendo in ipsa iuventute et adulescentia.

Par. 47 et 48 inutiles sunt.

Pars II, titulus I. Hic titulus, qui maioris momenti est in toto schemate, infelici modo compositus et scriptus est. Non placet. Ideoque, sub paucis diebus observationes mittentur ad secretariatum Concilii.

N. B. N. 50. Falso praesentatur relatio paroeciam inter et dioecesim: non debet praesentari paroecia ut communitas primaria Ecclesiae et dioecesis ut coadunatio paroeciarum. Revera communitas primaria est dioecesis; paroecia non est communitas ecclesialis nisi sensu latiore et analogico. Magni momenti est haec distinctio, nam magna pars vitae hominum, ob circumstantias hodiernas operis, otii... etc., multum transcendit paroeciarum limites.

Titulus II, prooemium. N. 58, verba « praeclarum locum obtinent » aequivoca sunt, nam inveniuntur formae altiores caritatis exercendae. Dicatur « necessarium locum » vel aliquid simile.

Totus titulus contrahatur. Tollantur quae inutilia sunt et quae non habent locum in expositione generali de apostolatu laicorum.

Titulus III. Totus titulus contrahatur. Exponatur aspectus apostolicus actionis catholicorum in hac materia.

* * *

Pars II: de apostolatu laicorum in specie: titulus I: de apostolatu laicorum ad regnum Christi directe provehendum.

Cap. I: de apostolatu laicorum in variis Ecclesiae communitatibus. Apostolatus laicorum in intima communione cum Ecclesia universali. Omnis baptizatus,

membrum Ecclesiae catholicae, obligatione tenetur operam navare intime cooperando Ecclesiae eiusque missioni.

Sacrosanctum proinde Concilium omnes enixe hortatur, ut, praetergressi individualisticam mentem vel quidquid particularismum — qui dicitur — sapit, conscii fiant sui muneris et officii in communitatibus Ecclesiae.

Praesertim in nostri temporis condicionibus, incoepta apostolica interparoecialia, interdioecesana, nationalia et internationalia, ab hierarchia promota vel commendata maximi momenti sunt.

Omnes laici de eis certiores fiant, sedulo perpendant partem quam debeant et possint in eis habere et eis collaborare pro modulo quisque suo satagant, quippequi ad bonum commune Ecclesiae procurandum vocati sint (*Eph.* 4, 15-16).

Res et condiciones Ecclesiae ubique gentium diffusae prae oculis et in corde semper habeant, intentionibus ac principiis directivis apostolatus, Supremi praesertim Pastoris, obsequi semper parati sint.

In et cum Ecclesia dioecesana. Licet unaquaeque dioecesis non possit agere independenter ab aliis dioecesibus, tamen par eam fit authentica praesentia Ecclesiae Christi in determinata regione.

Episcopus, caput et pastor dioecesis, plenitudine sacerdotii gaudens, solus potest discernere, dirigere et ordinare varias actiones et formas apostolicas aptas evangelizationi promovendae omnium hominum in dioecesi degentium.

Laici ergo, filiali obsequio et confidentia cooperentur cum legitimo suo pastore; immo, iuxta monitum S. Ignatii Antiocheni, « nihil sine episcopo » agant. Sic sensum colant dioecesanum ut cordi habeant navitates suas apte cohaerere apostolatui dioecesano.

In et cum paroecia. Paroecia, coniuncte vivens cum dioecesi et episcopo obsequens, est communitas Ecclesiae maxime propinqua et visibilis hominibus.

Communitas paroecialis sacramento Corporis et Sanguinis Christi coadunata, in se cum debito cultu et caritate recipiens legitimas hominum varietates, aptissima est ad significandum et oculis proponendum alliciens mysterium unitatis Ecclesiae catholicae, ita ut partes gerat vitalis fermenti in humana societate.

Maximae ergo curae habeat quisque fidelis, cum in liturgicis collectis et in variis activitatibus et institutionibus paroecialibus, tum in vita quotidiana, spiritum fraternitatis universalis in se et circa se colere et actibus manifestare. Coniuncte cum clero et ceteris christianis sedulo provideat ut communitas paroecialis, Spiritu Sancto afflata, testimonium perhibeat sincerum, conspicuum et alliciens communiones eiusdem fidei, spei et amoris.

Persuasum habens a Spiritu Sancto omnes homines intime trahi et incitari ad hunc amoris consensum, diligentiam adhibeat ut hae inspirationes frutescant et prudenter amplectatur cooperationes hominum bonae voluntatis ad promovendum spiritum universalis fraternitatis.

Cap. II: de apostolatu in ipsa vita humanarum communitatum. Maxime interest ut christiani in mundo viventes operam dent eius evangelizationi et sanctificationi, quod non potest fieri tantummodo aliquibus activitatibus specificis indolem religiosam praebentibus, sed quod supponit apostolatum totam eorum vitam pervadentem cum ipsorum socialibus relationibus, ita ut homines adducantur a naturalibus necessitatibus (« solidarités ») ad supernaturalem communionem in Christo.

Verbo Dei illuminati et sacris gratiae signis in Ecclesiae sinu recreati, ha-

bilitate et responsabilitate propria in medio mundo gaudent laici ad dignoscendam et aliis patefaciendam, in omnibus et per omnia, actionem Verbi Creatoris et Redemptoris; ipsis in manu est et ad ipsos proprie pertinet ut Verbum Dei diligenter excipiatur cum in seipsis tum in corde hominum quorum communicant vivendi generi, menti et optatis.

Ad quem finem assequendum ante omnia studeant profunde inspicere totam vitam hominum quibuscum versantur et relationes vigentes inter personas ita ut valeant hanc vitam cum normis evangelicis componere et iudicare, unde patefiat virtus et efficacia harum normarum reveleturque earum Auctor testimonium perhibente tum vita tum verbo fidenti et prudenti filiorum Ecclesiae.

Ut Evangelium ad omnes homines perveniat et totam eorum vitam non solum individuam sed etiam socialem pervadat, non sufficit apostolatus individualis sed omnino requiritur apostolatus collectivus, convenienti ordine a hierarchia dispositus.

[*Subsignavit etiam*] Vedastus M. Jacquier, ep. tit. Sufasaritanus, aux. Alger.

7

Exc.mus P. D. XAVERIUS GEERAERTS
Episcopus tit. Laganitanus

Titulus III, cap. I. N. 29 (C. De mulieribus), pag. 19. Incipiat alinea hoc modo: « Quae dicta sunt de viris omnino pertinent etiam ad mulieres. Ecclesia enim intendit pro apostolatu laicorum aequa iura et officia utrique sexui tribuere ».

8

Exc.mus P. D. CONSTANTIUS MICCI
Episcopus Larinensis

Pag. 8, post lin. 18 adiungenda videntur verba: « Operibus ad apostolatus efficacitatem necessariis — etiamsi sub ductu s. hierarchiae — proprio marte manus apponant, et sua responsabilitate servent, amplificent, dirigant, sacerdotes ab eorumdem pondere sublevantes ».

Quod in n. 13 dicitur, prorsus amplius quam res ferat videtur. Nam si aliquis defectus est in Ecclesiae methodo pastorali hic est consociationum multiplicatio sine fine, quarum novae in dies continuo exsurgunt dum veteres numquam fere excidunt et supprimuntur, quarum denique unaquaeque ius vivendi et operandi expostulat ubicumque: ideoque entia multiplicantur, vires disperguntur, animi, non semper sancti et ad unitatem in caritate et veritate, in oboedientia et humilitate intenti, facile dividuntur, sumptus necessarii deficiunt, opera essentialia et pergrandia, talia, quae in gentibus universis suam efficacitatem prodant, cohibentur.

Quod nunc necessarium videtur est recollectio in Ecclesia, virium dispersarum, maximoque rerum diversarum reductio ad unitatem, saltem ad veram operum coordinationem in subordinatione uniuscuiusque societatis iam exstantis vel futurae

ab aliqua sive centrali, sive dioecesana vel paroeciali auctoritate ad divisiones animorum et virium cuiusque generis vitandam.

Ita ut verae necessitatis iudicium sit apud eamdem auctoritatem sive in creatione noviter exsurgentium, sive in acceptatione in propria iurisdictione.

Propterea proponerem ad n. 13: « Salva debita auctoritatis hierarchicae licentia et cum subordinatione, libertas etc. associationes et opera ».

Ea, quae in nn. 23-24 dicuntur, quadam specie utopistica affecta videntur, et valida tantum si homo esset in statu naturae purae, non tamen naturae lapsae.

In praesenti condicione non videntur sufficere « mutua aestimatio, earumque coordinatio, servatis... relatione » (n. 23, linn. 4-6). Etenim haec omnia ex una parte potius pertinere videntur asceticae quam iuri, ex alia parte vim difficultates dirimendi non sufficienter praestant.

Quomodo enim coordinatio fiet si desit auctoritas, i. e. aliquis superior omnibus coordinandis? Terminus « relatio » quid sibi in casu innuere vult? Relatio scil. dependentiae, oboedientiae, subordinationis vel tantum aestimationis?

Et in hoc casu nonne manebunt variae adsociationes tamquam lineae parallelae, sese ad invicem ignorantes in re organizativa, sicuti tandem aliquando videmus contingere? Ideoque peropportuna videtur formula clarior in sensu et aptior in iure, sicuti in sequenti audemus proponere: n. 23: « Ad unitatem... mutua aestimatio, earum hierarchiae subordinatio, qua iurisdictionis vera cum potestate adsignentur singulis munera et limites prout uniuscuiusque loci necessitas vel opportunitas postulaverit, servata tamen uniuscuiusque organizationis indole ».

Pag. 15, ad n. 24: item quandam speciem utopiae res videtur servare, si velimus constitutioni centrorum relinquere sive in ambitu paroeciali, sive dioecesano, sive nationali munus mutuae communicationis et coordinationis, si unaquaeque adsociatio suam autonomiam servet erga auctoritatem vel paroecialem, vel dioecesanam, vel nationalem.

Ideoque ita formulam immutandam humiliter censemus: « Hierarchiae sollicitudini... operam suam mutuo coordinare sub auctoritate vel parochi vel episcopi, vel alicuius potestatis in ambitu nationali constitutae ».

Post n. 48 opportunum videtur adiungere: « Habeantur vel in sede dioecesana, si id res ferat, vel nationali, aliqua quasi-seminaria laicis formandis, ita ut per congrua temporis spatia doctrinis theologicis et praxi pastorali in ambitu apostolatus imbuantur ».

Pag. 30, ad n. 50, in lin. 21, post verba « curaeque animarum praestitam » adiungendum videtur: « sub ductu parochi, numquam tamen eo inscio vel nolente (ne varia opera apostolica mutuo damna sibi invicem inferant) sollicite etc. ».

Ita dicatur in n. 52, in quo post verba « nihil sine episcopo agant » adiungendum nobis suasum est: « immo quod episcopi voluntate iudicatur, satagere curent filiali cum fiducia, humilique oboedientiae sensu ».

Pag. 34, n. 56: quod dicitur in linn. 26-29 forsan minus aptum ad finem demonstratur. Verterem ita: « Curandum est ut organizationes omnes uti existunt etc. ... Ecclesiae, auctoritate s. hierarchiae omnia coordinantis ».

Adhuc in pag. 34, n. 57, lin. 26: « Uniuscuiusque episcopi est formas consociatas apostolatus etc. ».

9

Exc.mus P. D. RAPHAEL PELLECCHIA

Episcopus Aliphanus

Consideratis fine Concilii Vaticani II qualiter a Summo Pontifice propositum fuit die 29 sept. 1963; indole alicuius decreti conciliaris quod non est aliquod Directorium; utilitate non multiplicanda decreta et constitutiones; nimia prolixitate schematis decreti *de apostolatu laicorum*; divisione constitutionis *de Ecclesia* proposita a commissione de laboribus Concilii coordinandis (uti apparet ex verbis em.mi card. Browne in sua relatione super schema: « Ob rationes a nobis non dependentes, haec nova dispositio adhuc non est facta », ergo actuabitur postea); opportunitate inserendi doctrinam de laicis tantum in constitutione *de Ecclesia* ad hoc ut ipsa magis organica evadat; sufficientia expositionis doctrinalis de laicis et apostolatu laicorum — saltem quoad substantiam — quae iam invenitur in actuali cap. III constit. *de Ecclesia.* Attentis etiam quae in nova organizatione schematis dicentur circa eandem materiam; occasione proximae reformationis C.I.C.

Votum propono ut schema decreti *de apostolatu laicorum* eliminetur; illius principaliora capita possunt integrari in cap. IV novae dispositionis constitutionis *de Ecclesia*: de laicis in specie (cf. n. pag. 5 in P. II); illius praescriptiones ordinis disciplinaris, attento etiam mandato dato in n. 14 decreti, possunt poni in aliqua appendice ad hoc ut de eis agatur in nova editione C.I.C., ut factum est e. g. in decreto *de cura animarum*; quae episcopos respiciunt (e. g. nn. 21, 22, 24, 25 etc.) opportunius inserentur in decreto *de episcopis ac de regimine* etc.; tandem, quae non sunt directe pro omnibus laicis proposita, sed respiciunt quasdam particulares situationes, relinquantur conferentiis episcopalibus.

Ut pateat possibilitas huius diversae organizationis noto quae sequuntur:

In cap. IV const. *de Ecclesia* merito haec poni possunt: nn. 15-26 (quoad relationem ad hierarchiam et necessitatem coordinationis) in n. 26 constitutionis. Immo, ibi in clariori luce haec omnia manebunt, quia intime haec doctrina cohaeret cum mysterio Ecclesiae, quae est familia et eius membra sunt concives (*Eph.* 2, 19). Unde Ecclesia, sua ipsa natura, requirit et exigit arctam unionem et concordiam membrorum omnium.

Nn. 27-29 in n. 25 constitut., ibi: « Omnibus fidelibus onus... Ius proinde habent ». Si « omnes fideles » ergo et iuvenes, viri, mulieres etc.

N. 30 etiam in n. 25 constitut. in eodem loco sic: « Omnibus fidelibus, sive ut singuli, sive ut membra familiae et consociationis cuiuscumque... ».

Etiam principium: « Tota familia christiana particeps est Apostolatus Ecclesiae... » est valde pulcher et inde explicite reassumendus.

N. 32, ultima pars, inseratur in n. 25 constitut. ibi: « in regimine persecutionis impediti... ».

Nn. 40-48 in n. 25 constitut. ubi de vita salutifera et apostolica laicorum.

Ex his quae in parte II (de apostolatu laicorum in specie) ponuntur, possunt deduci quaedam principia generalia quae componantur cum divisione activitatis salutaris et apostolicae laicorum propositae in n. 25, *a*), *b*), *c*), constitut. ad hoc etiam ut relationem appareat inter activitates circa res religiosas, valores morales,

et res mere profanas propositas in constitut. et activitatem quoad regnum Dei provehendum, in actione caritativa et in actione temporali, de quibus in decreto *de apostolatu laicorum*.

Nota: numeri indicantur secundum textum actualem schematum. Notetur etiam quod non propono quod textus decreti referantur in constitutione in sua integritate et prolixitate, sed quod referantur tantum principia in ipsis indicatis. Eaedem veritates, vero, poni possunt in forma prolixiori in nova editione C.I.C. Ad Codicem possunt remitti etiam: quae in nn. 17, 23, 26, 27-31, 49 ss.; definitiones doctrinales et communiores, e. g. nn. 19-20.

10

Exc.mus P. D. IOSEPH SCHOISWOHL

Episcopus Graecensis-Seccoviensis

Certior factus, schema *de apostolatu laicorum* in forma prorsus succincta redactum iri, testor hoc valde placere, dummodo essentialia anteacti serventur. In nova tamen editione observentur quae sequuntur:

1. Evitentur omnino conceptus et locutiones, qui *antiquatas* de apostolatu hierarchico, laicorum eorumque mutua relatione disceptationes redolent (e. g. « mandatum »). Ipsa verba « apostolus », « apostolatus », « apostolicus » *parce* tantum adhibeantur, ne pondus ac dignitatem suam perdant.

2. Obligatio ad navitatem pro aedificanda Ecclesia, non tantum per insertionem in Christi Corpus explicetur, sed expressis verbis in receptione baptismatis, confirmationis necnon Eucharistiae fundetur (cf. pag. 5, linn. 21-29).

3. Frequentia Ss.mae Eucharistiae, specialis erga B.mam Virginem devotio item ac lectio meditabunda Sacrae Scripturae assidua, tamquam fons vigoris Apostolatus etiam laicorum celebretur.

4. Tamquam functio *pastoris* quoad apostolatum laicorum praeprimis assignetur talis *formatio* spiritualis et doctrinalis, qualis laicos idoneos et promptos faciat ad agendum *recte et propria industria in eo ambitu,* in quo singuli versantur (cf. p. 14, linn. 9-35).

[*Subsignavit etiam*] Leo Pietsch, aux.

11

Exc.mus P. D. MESROB TERZIAN

Episcopus tit. Comanensis in Armenia

Pro apostolatu fidelium promovendo propono ut apud Sanctam Sedem instituatur consilium centrale Actionis Socialis Christianae Universalis, quod per consilia regionalia spargat et in praxim adducat doctrinam socialem Ecclesiae secundum normas deductas ex encyclicis Summorum Pontificum.

Notandum quod speciatim in Oriente opera caritatis deficiunt aut nimis parva sunt, dum e contra ibidem illa opera abundant apud protestantes.

Propono etiam ut condantur ubique instituta laicorum ad scribendum et diffundendum commenticias fabulas (romans) inspiratione catholica, libros apologeticos, morales ad debellandum et reparandum malum causatum ex scriptis antichristianis et immoralibus, libros ephemeridesque ad delectandum recte saneque, ad docendum verum, ad corrigendas falsas ideas atque erroneas historias ecclesiasticas, ad edendos eosdem libros optimo pretio.

12

EXC.MUS P. D. CAROLUS WOJTYŁA

Episcopus tit. Ombitanus, vic. cap. Cracoviensis

1. Schema *de apostolatu laicorum* placet, tamen iuxta modum. Materiam suam proponit sub pluribus titulis et pluribus capitibus, unde ipsa non apparet in magnis suis lineis, sed nimis particulariter. Maxima tamen difficultas in hoc esse videtur, quod schema magnam dat praeponderantiam formis consociativis apostolatus et de ipsis praeprimis loquitur. Unde periculum evadit, ut laici in multis regionibus, ubi formae consociativae non existunt, legendo hoc schema ad talem perveniunt convictionem nihil vel quasi nihil pro ipsis in apostolatu remansisse. Etiam sacerdotes in cura pastorali laicorum occupati possent ad talem pervenire persuasionem vel vias et methodos apostolatus laicorum extra id, quod in schemate dictum est, quaerere obligarentur.

Haec mihi videtur difficultas fundamentalis. Quae ut evitetur, oportet aliter ponere quaestionem.

2. Certo certius schema nostrum supponit omnia, quae in schemate *de Ecclesia* et praesertim in capitibus *de populo Dei* et *de laicis* iam dicta sunt. In hac suppositione oportet, ut proponat una ex parte iura et altera ex parte officia cuiuslibet laici erga apostolatum. Haec iura et officia radices suas habent in charactere sacramentali baptismi et confirmationis. Exercentur autem per bona opera ex fide et caritate supernaturali orta.

Tunc oportet in primis designare multiplex obiectum huius apostolatus, quod in vita personali, familiali, professionali et sociali cuiuslibet hominis invenitur. Homo in quolibet vitae suae ambitu haurire potest ex opibus Creatoris operando secundum eius mentem, inquantum nobis praesertim per Filium Incarnatum clare et perspicue apparuit. Vita humana videtur esse plena bonorum, quae data sunt cuilibet ad alia et meliora obtinenda. Et haec quidem in ordine naturali et supernaturali. Conditio primaria apostolatus praecipue videtur esse quidam optimismus moderatus ex firma fide mysteriorum Creationis, Incarnationis et Redemptionis orta.

Homo quilibet omnino conscius huius boni, quod ipsi Creator et Redemptor dedit, et illius, quod ab ipso postulat, agit in spiritu fidei vivae suam propriam vitam tamquam exemplar personae humanae et simul christianae, quod alios attrahere valet. Et haec est basis cuiuslibet apostolatus etiam in formis consociativis eiusdem. Oportet non oblivisci, apostolatum in suis intimis esse influxum personalem in alios, qui fundatur in bono intellectuali et magis adhuc morali — in bono fidei et operum caritatis. Quod dico, valet pro quolibet apostolatu, non tantum individuali sed etiam organizato. Momentum personale magis videtur esse suble-

vandum in toto schemate. Tali modo clarius apparebit apostolatum istum obligare omnes et omnibus simul servire.

3. Quoad momentum servitii. In schemate apostolatus laicorum apparet tamquam servitium erga Ecclesiam, quod est omnino verum. Oportet tamen forsitan ut magis etiam appareat tamquam servitium Ecclesiae erga humanitatem integram, quae diversimode tendit ad finem suum in ordine tam naturae quam gratiae obtinendum. Istud servitium videtur esse munus in primis laicorum, cum clerici et religiosi in iis, quae ad vitam supernaturalem sunt necessaria, praecipue versantur.

4. Omnia superius dicta magni videntur esse momenti sub aspectu praesertim iuvenum, de quibus sermo fit in n. 27. Ibi etiam mentionatur crisis, quae in iuvenibus observari potest. Punctum saliens eiusdem est, quia non confidunt, quae diffidentia constituit effectum ultimi belli, camporum concentrationis, periculi atomici etc. Tunc quaestio prima, quae illos i. e. iuvenes perturbat, est de sensu existentiae propriae et humanae in genere. In sua vita iuvenes non sunt nimis prompti ad quamlibet doctrinam vel ideologiam recipiendam et ad vitam in organizationibus degendam. Praeferunt sic dictum « milieu » (ambitum) et in actibus suis non tantum quaerunt ea, quae sunt bona et vera, quantum ea, quae sunt « authentica ». Est res maximi momenti pro apostolatu laicorum et praecipue pro laicis ad apostolatum formandis.

5. In schemate nihil vel quasi nihil invenimus de magna possibilitate apostolatus ex parte scriptorum. Videmus tamen, quod multi catholici litterarum ope magnum servitium praestant veritati christianae et humanae. Scripta ab illis composita non tantum placent sed etiam docent — et non tantum docent sed etiam placent, alliciendo mentes et corda ad veritatem.

De hac re simul ac de aliis generibus artium de eorumque momento apostolico aliqua in schemate *de apostolatu laicorum* videntur necessaria. Illa quae in schemate « De mediis communicationis socialis » inveniuntur, non sufficiunt.

6. Ultimo: oportet, ut in schemate appareat laicum in suo apostolatu primo et prius esse obiectum, postea ipsum subiectum actionis pastoralis Ecclesiae, saltem in sensu analogico. Ex structura enim vitae hodiernae claram fit, quod sacerdos in sua actione pastorali vitam humanam in omnibus adiunctis attingere nequeat, nisi a laicis adiuvetur.

13

Exc.mi PP. DD. EPISCOPI PROVINCIARUM AQUENSIS ET AVENIONENSIS ET DIOECESIUM MASSILIENSIS ET MONOECENSIS

1. Hoc schema non convenit: *a*) apostolatus enim notio ipsa in hoc schemate non invenitur satis exacta; *b*) circa res tenues hoc schema nimis moratur.

2. Quare censemus ut conscribantur: *a*) textus in quo contineantur « altiora principia »; *b*) « Directorium » de quo non disputandum sit in aula Concilii, sed quod circa sententiam suam Patres scripto aperire possint.

3. Emendationes proponimus ut partibus sequentibus hoc schema constat: I. de natura apostolatus laicorum; II. altiora principia de modo huiusmodi apostolatus exercendi.

I. *De apostolatu laicorum in genere.* Nobismetipsis reassumimus schema iam conscriptum a subcommissione aliquorum episcoporum Galliae et ab exc.mo D. Donze propositum, nonnullis mutationibus factis, in locis animadversis textus, ut sequitur:

Pars I: Apostolatus laicorum in consilio Dei eiusque necessitas hodierna. Confer notam in fine positam.

Christus Apostolus. Auctor et consummator fidei nostrae (*Hebr.* 12, 2), Christus « est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturae: quoniam in ipso condita sunt universa in caelis, et in terra...: omnia per ipsum et in ipso creata sunt: et ipse est ante omnes, et omnia in ipso constant. Et ipse est caput corporis Ecclesiae, qui est principium, primogenitus ex mortuis: ut sit in omnibus ipse primatum tenens... » (*Col.* 1, 15-18).

Omnibus hominibus in peccato degentibus et gloria Dei egentibus (cf. *Rom.* 3, 23), « sic enim Deus dilexit mundum ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam aeternam. Non enim misit Deus Filium suum in mundum ut iudicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum » (*Io.* 3, 16-17).

Constituit ergo Eum Pater « Apostolum et Pontificem confessionis nostrae » (*Hebr.* 3, 1) et sacramento voluntatis suae proposuit » instaurare omnia in Christo, quae in caelis et quae in terra sunt... in laudem gloriae ipsius » (*Eph.* 1, 10-14).

Christus autem quae placita sunt Patri semper faciens venit in mundum et similis fratribus per omnia habitavit in nobis atque nos ad se vocavit ut filii Dei nominemur et simus (*1 Io.* 3, 1) et unum cum ipso fieremus in Ecclesia Sancta, socii passionum eius ac missionis in universo mundo et coheredes eius secundum spem vitae aeternae (cf. *2 Cor.* 1, 7; *Rom.* 8, 17; *Tit.* 3, 7).

Missio Ecclesiae. Missio Ecclesiae, quae est Corpus ipsius Christi (*Eph.* 1, 23), consequitur missionem ac operationes Verbi Incarnati, Redemptoris nostri. Ex hac enim procedit Ecclesia tam exterius, per institutionem apostolicam, quam interius, per *donum ipsius* Spiritus Sancti. Cum enim Christus omnia in seipso instauraverit, per Ecclesiam suam, in mundo missam, instaurationem hanc ad effectum in omnibus adducit.

Hoc autem in primis effici debet in ipsis hominibus, quorum totam Christus naturam assumpsit ut integram sanaret elevaretque ad conditionem filiorum Dei. Primus ergo Ecclesiae actus, vi missionis a Christo acceptae, in propagatione Evangelii consistit qua homines ad fidem et ad baptismum, sacramentum fidei, adducentur, renovent spiritum mentis suae in integra vita sua, secundum Dei voluntatem constanter ordinanda — ut ait Paulus ad Ephesios: « Renovamini... spiritu mentis vestrae et induite novum hominem qui secundum Deum creatus est in iustitia et sanctitate veritatis » (4, 23-24; cf. *Rom.* 12, 2) — atque constituant populum acquisitionis ut virtutes annuntiant eius qui de tenebris eos vocavit in admirabile lumen suum (cf. *1 Pt.* 2, 9).

Illi vero homines in decursu historiae a divina Providentia inserentur, in mundo creato a Deo collocantur, et inter se, secundum naturam socialem a Creatore datam, multis nexibus connectuntur, qui in personarum et populorum vita magni momenti sunt. Homines autem, cum christifideles et concives sanctorum fiunt, non desinant cives esse civitatis terrenae et ita in illa civitate gerere se debent et actuosos se praebere, sicut decet sanctos, discipulos scil. Christi. Quapropter ad

missionem Ecclesiae pariter pertinet in res temporales ita influere, in quantum ex voluntate pendent hominum et humanae vitae inservire debent, ut conformentur voluntati Dei et ultimatim ad Deum ordinentur.

Ita formantur etiam in hoc mundo, cuius figura praeterit (*1 Cor.* 7, 31), progrediente subiectione omnium Christo, aliquae arrhae vel semina praeparationesque Regni Dei, quod Filius tradet Patri ut sit tandem Deus omnia in omnibus (*1 Cor.* 15, 28).

Omnes fideles participes, et speciatim laici. Haec missio Ecclesiae una est, etiamsi variis modis, secundum uniuscuiusque conditionem et vocationem, participatur. Apostolatus enim universae Ecclesiae incumbit, tam hierarchiae, quae aliquomodo Christi Capitis vices gerit, quam omnibus fidelibus, qui, baptismo, confirmatione et Eucharistia, vi insertionis Corporis Christi et participationis missionis, praesertim Regalis Sacerdotii Christi, habeat ius, honorem et officium exercendi, modo sibi proprio, hunc Ecclesiae apostolatum: sicut Iesus Christus in terra divinam erga Patrem et homines caritatem manifestavit, ita nunc per Ecclesiae apostolatum, id est, per hierarchiae et fidelium coniunctam actionem, eamdem caritatem hominibus revelat et communicat.

Christifideles laici, sine ulla distinctione civium civitatis terrenae conditionem et officia participantes, fraterne vivunt cum hominibus cuiusvis generis in professionali exercitio, in laboribus ad terram hominibus subiciendam, in activitatibus familiaribus, scientificis, socialibus et politicis; multi eorum arctissime vinciuntur paupertate, doloribus, angoribus generis humani; iisdem vitae quaestionibus angustiantur. Saepius laici vivunt in medio hominum diversarum religionum et etiam hominum sine religione. Ideo in ipsa vita mundi ut *fermentum sunt.*

« Lucentes sicut luminaria in mundo » (*Phil.* 2, 15), Evangelium hominibus praesentant praesertim vitae suae testimonio, necnon annuntiant verbo, et actione fide illuminata, dominium mundi creati exercent secundum finem a Deo intentam, praecipue vitam vere humanam et fraternam omnium, ita ut homines facilius possint Evangelium accipere et vitam evangelicam ducere. Hoc modo vita laicorum fit epiphaneis Dei viventis, Creatoris, Incarnati, Redemptoris, Capitis Ecclesiae, et in die ultimo venturi, qui amore erga homines omnia fecit, eos in tota eorum vita salvos facere vult, et etiam intendit reconciliare sibi omnia sive quae in terris sive quae in caelis sunt. Sic, Spiritu Sancto in cordibus agente, ex laicorum activitate apostolica, a caritate Christi profluente, Evangelium in mundo visibile fit, verbum Dei in ipsis vitae humanae eventibus inseritur, homines peccatum dereliquentes caritate, fide et spe magis vivunt, et Ecclesia crescit et dilatatur (*quantum patitur humana fragilitas, animo semper fluctuans in hac terra gratia Dei trahente, et libidine mali alliciente*).

Haec cooperatio apostolica christifidelium laicorum, super populi Dei naturam fundata, inde ab exordio Ecclesiae locum habuit, ut luculenter ostendunt Actus Apostolorum (cf. 4, 2 ss.; 8, 4; 9, 36; 12, 12; 16, 14; 18, 1) eorumque Epistolae (cf. *Rom.* 16, 3 ss.; *1 Cor.* 16, 19; *Col.* 4, 14; *1 Thess.* 1, 6 ss.). Attamen, nostris temporibus: missio apostolica laicorum, non sine peculiari Spiritus Sancti motione, in christifidelium animis at in ipsa communitate christiana, clarior in Ecclesiae conscientia apparet, in tempore quo huius apostolatus necessitas pro mundi evangelizatione quam maxime urget.

Conditiones hodiernae mundi. Hisce temporibus enim maior distinctio fit inter

Ecclesiam et terrenam Civitatem quoad activitatem hominum in ordine temporali; quae distinctio, in ordine organizationis et regiminis, respondet verbo Domini: « Reddite ergo quae sunt Caesaris Caesari et quae sunt Dei Deo » (*Mt.* 22, 21) sed efficit ut soli laici in civitatis aedificationem directe partem agant eodem tempore, « socializatio » magis magisque relationum inter homines campum invadit, quae realitas personam humanam favere vel opprimere, potest; hoc pendet *non solum a legibus et institutionibus constitutis secundum bonum commune sed etiam* a qualitate praesentiae hominum bonae voluntatis et christifidelium in nexibus vitalibus evolutionis societatis hodiernae *ad hoc bonum commune promovendum satagentium.*

Aetate nostra, etiam, graviores quaestiones hominibus ponuntur, quarum solutio pro hac generatione et sequentibus maximi momenti est.

Progressus scientificus et technicus peramplium rerum profanarum dominium hominibus dat: ex hoc oriri potest mundus fraternus et Deo apertus, vel mundus iniustitiae socialis et superbiae.

Longe differunt nationes modernae quoad conditiones oeconomicas et sociales, et multi indigentia, miseria et fame premuntur: quod solvi spiritu dominationis non potest, sed tantum in servitii spiritu per collaborationem fraternam inter nationes ad bonum omnium promovendum.

Haec difficultates secum ferunt pro genere humano ingens atrocissimi belli periculum simul ac incitamentum ad veram pacem inter homines instaurandam: ad illud vitandum et hanc promovendam, necesse est labor fraternus hominum et, profundius, spiritus et gratia illius qui pacem dat discipulis suis.

Multae aliae quaestiones, verbi gratia progressus demographicus in adiunctis oeconomicis exiguis, quarum solutio quaeri potest vel mediis qui humanae dignitati contradicunt, vel in fidelitate intentioni Creatoris.

Hodie « alicuius ponderis quaestiones... saepe numero... plures atque aliquando omnes terrarum nationes ex necessitate quadam contingunt » (*Mater et Magistra,* n. 212; ed. gallica n. 204). Sub his diversis respectibus, omnibus patet laicorum praesentiae et eorum veritatis, caritatis et spei momentum in mundo hodierno.

In multis hominibus quoque aspirationes ad dignitatem, libertatem, iustitiam, pacem, unitatem, fraternitatem oriuntur, quae, etsi aliquando scoriis misceantur, radicaliter procedunt ex instinctu conscientiae humanae quae a Deo venit et ex actione Spiritus Sancti qui ubi vult spirat: laicorum est discernere in vita quotidiana has aspirationes profundas et promovere bona essentialia quibus homines ad vitam vere humanam et ad Deum vivum tendere possint; illorum est etiam, ad mentem Encyclicae *Pacem in terris,* cooperationem hominum « bonae voluntatis » suscitare, qui, etsi extra visibiles limites Ecclesiae sint, ducuntur a Deo et, consilium eius implentes, suo modo concurrunt ad regnum Dei instituendum.

Aliunde, in hoc mundo viget *forma quaedam atheismi qui docet* absentiam Dei in historia hominum, et Ecclesia, etsi mediis communicationis aliquomodo facilius sese manifestare potest, hodie in medio humanae communitatis ut pusillus grex apparet: fidentes in eum qui vicit mundum (cf. *Io.* 16, 33), laici, testimonio vitae, personali et collectivo, ab amore et veritate Christi animato, in communione cum praelatis suis mundo manifestare debent praesentiam Dei in historia hominum.

Ex his omnibus, clare constat quod hodie multi homines longe a Christo et Ecclesia vitam degentes non possunt nisi per vicinos laicos Evangelium audire, Salvatorem agnoscere et propositum Dei de mundo creato cum plena claritate discernere: apostolatus laicorum essentialis est testimonio apostolico Ecclesiae et magnam partem habet in revelatione Evangelii mundo hodierno.

Spiritus Beatitudinum ut conditio apostolatus. Ut testimonio laicorum amor Christi hominibus manifestetur et Evangelium reveletur, necesse est ut laici, quorum conditio est vivere in mundo et vocatio testificare Evangelium, secundum Beatitudinum mentem vivant. Alio modo enim nec natura transcendens et eschatologica regni Dei vita eorum revelatur, nec eorum praesentia in ipso mundo Christum et Evangelium manifestat. E contra coram hominibus viventes et cum eis agentes, laici in ipsa actione quotidiana suam spem revelant si spiritu *beatitudinum vivunt*: libertas erga divitias et carnis concupiscentias, abnegatio, simplicitas cordis, humilitas et caritas erga omnes fratres sine acceptione stirpis, conditionis socialis vel culturae, amor *efficaciter demonstratus* iustitiae evangelicae, misericordia erga omnes praesertim infirmos et pauperes, labor pro pace secundum Christum, perseverantia et gaudium in persecutione, quae profluunt ex fide, humilitate et fiducia in Deum, apparent in ipsa vita eorum et ducunt ad revelationem et agnitionem eius qui venit salvare omnes.

Exhortatio. Haec igitur Sacrosancta Synodus magnopere hortatur ut aetatis huius nostrae gravitat necnon eius pericula vehementesque perturbationes atque eximiam intelligant spem; *agnoscunt quoque,* ut membra viva et actuosa Ecclesiae, munus et partes habere, quae ab aliis ne praestantur, neque praestari possunt.

Immo, ipse Christus, per hanc Sanctam Synodum, omnibus christifidelibus ardentem invitationem renovat ut omnes cum ipso intimius in dies iungantur, et, quae illius *sunt* ut propria sentientes (*Phil.* 2, 5) in eius salvificam missionem conscientur; denuo eos mittit in omnem civitatem et locum, ut illi viam sternant.

Propterea haec Sacrosancta Synodus christifideles omnes enixe pro Deo et propter Deum obtestatur ut Christo eos vocanti pareant et Spiritus Sancti docibiles fiant. Ab omnibus sive sacerdotibus, sive religiosis, sive laicis, instanter expedit ut momentum cooperationis laicorum in apostolatu Christi et Ecclesiae agnoscant, utque in auxilium fratrum et Ecclesiae Christi omnes unanimiter praesto sint.

Nota. Si de iisdem rebus dissereretur in tractatu *de Ecclesia* aut in schemate XVII, textus supra, proculdubio, breviter contrahendus esset. Haec ut sequitur, in casu, proponimus.

De apostolatu laicorum. Omissis paginis supra a subcommissione datis, aliquod brevius « prooemium » inscribendum est.

Articulus primus retinendus est, et haec addenda sunt ut sequitur: « Sic ipsa caritas Dei nobis in Christo data totam Ecclesiam ad multiformem apostolatum impellit, ita ut omnes christifideles ad apostolatum Ecclesiae vocentur, sive ad hierarchiam, quae aliquomodo Christi capitis vices gerit, pertineant, sive vi baptismi et confirmationis Regali Sacerdotio Christi participent.

Laicorum apostolatus multis modis exercetur, per vitae testimonium, per annunciationem verbi, doctrinam vel educationem, per caritatis opera, per vitae culturalis et temporalis civitatis evangelicam inspirationem.

Quamquam haec apostolica christifidelium laicorum cooperatio super populi

Dei naturam fundetur, tamen nostris temporibus, inspirante Spiritu Sancto, ex necessitate mundi evangelizandi magis magisque urgetur.

Nam hodie distinctio inter Ecclesiam civitatemque terrenam melius percipitur, ita ut evangelica ordinis temporalis animatio ad laicos pertineat. Insuper homines nostrae aetatis ingentia munera aggrediuntur, relate ad dignitatis personae defensionem, ad iustitiam, pacem, aequalitatem ac unitatem inter homines populosque, quae adimpleri non possent, nisi adfuerit lux evangelica ac heroica Christi discipulorum caritas. Necessitas adhuc urgetur ex hoc quod multi homines civitatem terrestrem super atheismum, qui ad ruinam personae et populorum dignitatis ac salutis vertit, aedificare tententur.

At ut testimonio laicorum amor Christi hominibus manifestetur et Evangelium reveletur, necesse est ut laici, ut veri Christi discipuli et testes in mundo degentes, secundum viam Beatitudinum plene vivant.

Pars II: *altiora principia* quoad participationem laicorum apostolatui Ecclesiae. Sunt *excerpenda* e textu ab exc.mo D. Donze proposito.

14

QUIDAM EXC.MI ORDINARII CONFERENTIAE EPISCOPORUM INDONESIAE

I - *Relate ad schema in genere*. Multa in hoc schemate nobis videntur laudanda. Modus loquendi nostris temporibus est aptatus. Exigentiae diversarum activitatum indicantur modo qui consonat cum iis quae nostro tempore apud peritos in diversis scientiis et artibus in confessionem veniunt. Relatio ad hierarchiam accurate secundum diversitatem munerum exponitur, et quidem tali modo qui propriae eorum responsabilitati foveat, ad agendum sua sponte amplum relinquat spatium, et eorum libertatem tum in associationibus organizandis tum in adhaesione eis danda tueatur. Varietatis secundum historiam et proprias circumstantias locorum respectus habetur, et expresse schema consulit possibilitati ulterioris evolutionis. Insuper semel iterumque etiam animum attendit ad eos qui catholicam fidem non profitentur, et tunc non tantum monet pro eis et cum eis esse operandum, sed etiam exhortatur ut omnia quae apud illos sunt bona aperto animo laici discernant et amplectantur. Uno verbo, est schema quod procul dubio indolem tum pastoralem tum oecumenicum exhibet.

Sunt autem quaedam quae nostro iudicio emendatione egent; quorum sequentia schema ut totum spectant:

1. Schema in suo titulo notione « apostolatus laicorum » utitur in sensu valde lato, secundum quem in nostra aetate in usum venit. Sed valde inconveniens nobis videtur hoc fieri sine ulla ulteriore explicatione.

Apostolatus in sensu primo et proprio sine dubio est ipsa annuntiatio evangelii secundum verba: « Euntes ergo docete omnes gentes » et « Eritis mihi testes... usque ad ultimum terrae ». Quae ad hanc missionem explendam ipsi laici conferre possunt et debent, sunt diversae naturae, quorum alia in sensu proprio apostolatus appellari possunt, alia tantum in sensu valde analogo. Sic v. g. oratio apostolica et sacrificium magni sunt momenti pro fecunditate apostolatus in sensu proprio; sed, quamvis ob hanc relationem cum apostolatu, in quodam sensu ipsa

« apostolatus » appellari possunt, in sensu proprio non sunt. Haec inconvenientia multo fit maior, quando actio caritativa et omnis activitas laicorum in ordine temporali sine ulteriore explicatione « apostolatus » vocantur. Tunc non tantum a multis, praesertim a non-catholicis, perdifficulter intelligitur, sed etiam ansam praebet illius falsae interpretationis, apud multos diffusae, sollicitudinem catholicorum in opere caritativo et in aliis huiusmodi non spectare ipsam necessitudinem leniendam vel ipsum valorem profanum sed tantum in necessitudine versantis conversionem. Quapropter aut alius titulus est eligendus, aut — quod nostro iudicio est praeferendum — textus ne negligat explicationem in quonam sensu terminus pro diversis valeat.

2. Inconvenientia supradicta augetur eo quod textus proficiscitur ab enumeratione per modum merae iuxtapositionis eorum quae pertinent ad apostolatum ab omnibus exercendum (pag. 8). Praeferendum videtur proficisci ab idea quadam synthetica cooperationis laicorum, in qua diversa secundum uniuscuiusque propriam significationem et secundum eorum locum in toto elucidantur. Quae enim de facto sunt enumerata intime cohaerent et tantum simul sumpta ideam praebent de proprio munere apostolico laicorum.

In hac idea synthetica incipiendum videtur cum testimonio « vitae cohaerentis cum fide », qua, modo eis proprio, laici conferre debent ad id quod Ecclesia sit revera « signum levatum inter nationes ». Hoc testimonium totam vitam complectitur in sua relatione tum ad Deum tum ad proximum. Pro laicis hoc testimonium specialiter includit illorum activitatem in ordine ad res mundanas; in hac enim eorum activitate apparere debet quid Ecclesia de rebus mundanis sentiat, et in specie quomodo sollicitudo Ecclesiae, opus Christi in terris continuantis, se ad omnes necessitudines humanas extendat.

His iungantur verba de testimonio verbi secundum opportunitates propriae situationis, quod pro omnibus valet, necnon de modis specialibus quibus in ipso apostolatu hierarchiae adiuvare valeant.

Tunc tandem alia enumerentur quibus ad fructuositatem apostolatus Ecclesiae conferre debent. Et sermo fiat de valore apostolico orationis et sacrificii, et de momento eius quod per activitatem caritativam et in genere per activitatem in ordine temporali est efficiendum np. redemptionem et sanctificationem rerum mundanarum, quibus figura mundi promotioni vitae moralis et diffusioni fidei magis idonea redditur. Et finiatur cum officio sustentationis pro operibus apostolicis Ecclesiae.

3. Talis descriptio synthetica cooperationis laicorum in munere apostolico Ecclesiae etiam melior introductio videtur in materiam primae partis. Immerito enim sub n. 5 pag. 6 haec prima pars schematis annuntiatur ut de « principiis generalibus » tantum tractans. De facto haec prima pars, praesertim sub tit. III, magis ad particularia descendit quam altera pars de apostolatu laicorum in specie. Hic tit. III valde concrete et optime tractat de eorum apostolatu iuxta varias vitae conditiones et ideo apte praeparatur per descriptionem syntheticam.

In genere dicendum est schema speciem aliquatenus chaoticam praebere, praesertim quia aliam divisionem materiae annuntiat (n. 5, pag. 6) quam lectores postea inveniunt. Quare claritatis causa aliam constructionem omnino optandam esse putamus. Materiae de facto traditae magis concordare videtur e. g. constructio qua *a*) traditur descriptio synthetica; *b*) agitur de modis apostolatus in quantum a singulis vel in consociatione exercetur; *c*) disseritur de distinctione activitatum

apostolicarum in quantum regnum Christi directe vel indirecte provehunt; *d*) agitur de apostolatu laicorum in specie et quidem 1) in variis Ecclesiae communitatibus, 2) iuxta varias vitae condiciones, 3) in quibusdam campis in praesentibus mundi condicionibus speciatim commendandis; *e*) agitur de formatione ad apostolatum.

4. Merito Sacrosancta Synodus in hoc schemate specialiter animum advertit ad eos qui vocantur ad Deo serviendum in communi christifidelium statu et in ordinariis condicionibus vitae familiaris et socialis. Sed loco convenienti, amplius quam nunc fit, sermo moveatur de iis quae a religiosis laicis diversimode in eodem campo conferuntur. Ratio est, quod apparere debet quomodo activitas religiosorum, praesertim in activitate caritativa, cum opere aliorum laicorum in unum coalescat et quomodo, ut membra unius corporis, se invicem compleant.

II - *Relate ad partem II schematis.* Minus conveniens videtur divisio partis II schematis. Tripartitio qua praeter apostolatum ad regnum Christi directe provehendum etiam apostolatus in actione caritativa et apostolatus in actione temporali sub separatis titulis distinguuntur, negligit fundamentalem identitatem actionis caritativae et sic dictae christianisationis mundi. Quamvis enim actio caritativa indolem testimonii eloquentioris praebere soleat et quoad effectum ob necessitatem leniendam urgentior appareat, tamen cum christiana actione temporali tum sub respectu testimonii tum quoad momentum apostolicum effectuum fundamentaliter convenit. Haec identitas fundamentalis etiam ex ipso textu schematis in diversis locis apparet. Recta divisio ambas sub uno titulo tractare debet. Momentum in eo est, quod requiritur ad recte exponendum utriusque indolem et valorem apostolicum. Ab una parte nostris diebus necessitas profanae idoneitatis professionalis pro necessitatibus actione caritativa leniendis magis in lucem est prolata; ab altera parte nostris diebus patefactum est motiva propter quae actio caritativa in Ecclesia tanti aestimatur, etiam valere pro actione in ordine temporali in genere.

2. Nostris diebus necessarium videtur significationem expressionis « doctrina socialis Ecclesiae » diligentius exponere; est enim doctrina quae non ex sua natura revelationem requirit et in qua semper considerationes ad scientias profanas pertinentes magnas partes habent; insuper haud raro ut principia huius doctrinae proponuntur theoriae, quae cum determinatis adiunctis historicis nondum in sua variabilitate cognitis cohaerent. Quapropter semper caute in hac materia est procedendum. Aliquae manifestatio huius prudentiae in hoc schemate pertinet ad exigentias huius aetatis. De doctrina sociali christiana vel Ecclesiae tantum sermo esse potest, in quantum haec doctrina attingitur per illas veritates religiosas et morales, de quibus valet quod, quamvis humanae rationi per se impervia non sunt, tamen divinae revelationi est tribuendum, ut in praesenti quoque generis humani conditione ab omnibus expedite, firma certitudine et nullo admixto errore cognosci possint (cf. Vatic. I, *De fide catholica*; Cap. II, *De Revelatione,* et Enc. *Humani generis*).

3. In textu saepe loquitur de ordine temporali, christiane animando vel spiritu christiano imbuendo. Perutile esset, si schema etiam expresse indicaret quid his locutionibus praecise intendatur. Est aliquid aliud quam id quod mundus labore humano ita excolitur ut omnes vere humane in eo vivere possint? Si hoc negandum videtur, tunc clare explicetur quid aliud in mundo sit efficiendum. Si affirmandum est, tunc indicare oportet quid vita et fides christiana pro hoc mu-

nere in mundo conferat. Elementa iacent dispersa in schemate, sed nullibi ut responsionem ad quaestionem inevitabilem proponuntur. Saepe est sermo de principiis moralibus quae laborem christianum in mundo regere debent. Addatur quae ad haec principia cognoscenda revelatio et magisterium Ecclesiae valeant. Specialis momenti in his est etiam doctrina evangelica de relativitate valoris rerum mundanarum, de earum perturbatione per infidelitatem et egoismum. Tandem ad haec pertinent quae dicta sunt sub n. 92, pag. 48 de caritatis efficientia in temporali operositate exercenda.

III - *Relate ad singula capita.* 1. Ad pag. 6, linn. 6-9. Inter spatia quae laicorum apostolatum praesertim exspectant primo enumeretur proprius ambitus in quo laicus vivit, laborat vel animi laxandi causa versatur np. familia, officina, vicinia et totus campus vitae cotidianae. Pro nostro autem tempore specialiter addenda sunt spatia in textu enumerata.

2. Ad pag. 8, linn. 10-12. In hac materia primo nominetur tolerantia aerumnarum vitae, infirmitatum et laborum, et tantum postea voluntariae poenitentiae.

3. Ad pag. 9, lin. 19. Quoad apostolatum ambitus hic etiam expresse mentio fiat de officio res mundanas ad hunc ambitum pertinentes ita efformandi ut hic ambitus fiat mundus christianus et expressio iustitiae et caritatis. Sub hoc respectu textus schematis saepe et merito officium in ordine ad maiora spatia societatis indicat; sed minus qua par est animum advertit ad idem officium in illo spatio modesto in quo unusquisque vivit.

4. Ad pag. 13, linn. 21-22. Determinatio « in finem spiritualem intenti » hic insufficiens videtur, quia valet de omni incepto apostolico qua tale. Dicatur: immediate in finem spiritualem intenti (cf. pag. 34, lin. 3 et pag. 35, alinea 4).

5. Ad pag. 14, lin. 6. Dicitur per missionem canonicam laicorum apostolatum fieri officialem in Ecclesia. Sed sensus huius vocis « officialis » accuratius determinandus videtur, quia omnis apostolatus laici quodam sensu « officialis » dici potest propter mandatum in sacramento confirmationis contentum.

6. Ad pag. 14, lin. 24. Dicatur: « sacerdotes ad ministerium in servitio apostolatus laicorum idoneos », loco « sacerdotes apostolatui laicorum idoneos ».

7. Ad pag. 14, linn. 36-38. De religiosis, qui operibus apostolatus laicorum se devovent, non tantum dicendum est quod « munera sacerdotis sustinere, adiuvare, complere curabunt » sed etiam mentio fiat de eorum cooperatione cum laicis ceteris.

8. Ad pag. 24, lin. 2. Omittantur verba « ratione saltem theoretica » et exprimatur spes hos valores morales etiam praxim omnium hominum magis ac magis imperaturos esse.

9. Ad pag. 27, lin. 14. Dicatur: « et alias virtutes, quae relationes inter homines regere debent et sine quibus etc. », loco « et alias virtutes naturales, sine quibus etc. ».

10. Ad pag. 34, linn. 4-6. Distinctio implicata in verbis « tum quod ad singulorum hominum evangelizationem et sanctificationem, tum quod ad Corporis Christi mystici aedificationem attinet » non valet, quia primum etiam ad Corporis Christi mystici aedificationem pertinet; quapropter intentio ultimorum verborum clarius est exprimenda.

11. Ad pag. 38, linn. 17-23. Quamvis hic dicta aestimationem pro sic dicta « adsistentia sociali naturalis ordinis » manifestant, tamen nimis negative rem considerant, quando fideles exhortantur « ne actus et incepta adsistentiae socialis... a priori contemnant nec impugnent ». Elevatio actionis caritativae in ordinem supernaturalem non aufert quod ab ea pro proximis idem in mundo est efficiendum, quod etiam adsistentia socialis sibi proponere debet. Cf. de his nostras observationes relate ad partem II schematis sub primo et sub tertio.

[*Subscripserunt*] A. Djajasepoetra, arch. Djakarta; H. M. Mekkelholt, ep. Dausarenus; H. Tillemans, vic. ap. Merauke; R. Staverman, vic. ap. Kotabaru; F. van Diepen, praef. ap. Manokwari; A. E. J. Albers, ep. Malangensis.

C) *A die 21 maii 1964 ad diem 14 septembris 1964.*

1

EM.MUS P. D. PETRUS TATSUO CARD. DOI
Archiepiscopus Tokiensis

Nomine omnium episcoporum Iaponiae. In pag. 6, lin. 31: post « pauperum » addatur: « et quamvis afflictorum angustia ». *Ratio*: sollicitudo spiritus apostolici non debet limitari ad pauperes, sed extendi ad omnes afflictos.

In pag. 17, lin. 33: post « sociali » addatur: « sive in aliis ». *Ratio*: dantur et alii campi in quibus cooperatio cleri et laicorum est magni momenti, ut illi scientiae, artis, etc.

2

EM.MUS P. D. PAULUS M. CARD. RICHAUD
Archiepiscopus Burdigalensis

Hoc schema continet fructuose multas directivas positivas quae non parum ad intelligentiam et actuositatem apostolatus laicalis adiuvant.

Attamen exopto, speciatim in n. 13, ut mentio fiat etiam de necessitatibus collectivis apostolatus. Erga pressionem sive opinionis sive institutionum oportet agere in mentes collectivas per consociationes diversas, speciatim per actionem socialem a principiis doctrinae socialis christianae exhaustam.

Vellem quoque quod de temporali ordine christiani instaurando non ageretur nisi cum aliqua prudentia, ita ut nemo cogitet de ulla ambitione cuiusdam temporalis ordinis, plus minusve clericalis. Melius esset loqui de actione in ordine temporali secundum consilium Dei et principia Christi. Talis ordinatio tunc se praeberet accuratius ad universalem instaurationem in Christo.

Forsan passim in textu rationes ad fovendum laicorum apostolatum exhauriuntur de aegris conditionibus hodiernis et difficultatibus nostri temporis. Optimum esset quoque referre hanc obligationem ad ipsam naturam Ecclesiae in evolutione omnium temporum et ad favorem quam praebet status actualis socialis.

Praeterea, pag. 15 post lin. 11, necesse est addere, humili meo sensu, hanc mentionem: « Ipsa actio socialis christiana per suum influxum in civitate humana eumdem finem intendit pro regno Christi instituendo ».

Denique aliqui alii textus e Scriptura opportuniter in hoc schemate possent afferi: *Io.* 3, 16-17; *Eph.* 1, 10-14; 1, 23; 4, 23-24; *2 Cor.* 1, 7; *Rom.* 8, 17; *Tit.* 3, 7; *Phil.* 2, 15; *1 Io.* 3, 1; *1 Cor.* 15, 28; *1 Pt.* 2, 9; *Act.* 4, 2; 8, 4; 9, 36; 12, 12; 16, 14; 18, 1; *Mt.* 22, 21.

3

EM.MUS P. D. FRANCISCUS CARD. SPELLMAN
Archiepiscopus Neo-Eboracensis

Praeprimis in hodiernis adiunctis, maxima cura adhiberi debet ad procurandam fructuosiorem et robustiorem vitam apostolicam apud totum populum christianum. Christifideles manduci debent ad apostolatus intelligentiam in dies profundiorem. Ante omnia opus est ut omnes christifideles intimam naturam Ecclesiae Christi secundum vires plenissime intelligant. Nostris diebus vita vere apostolica non solum semper robustior sed etiam melius instituta eorum omnium qui ad populum Dei apponuntur est omnino necessaria. Per aptam institutionem tum cleri tum totius populi de glorioso sacerdotio universali, de iuribus et officiis laicorum, deque eorum apostolatu, intelligentia de Ecclesiae militantis intima natura semper intensior et profundior evadat ita ut amor et devotio erga Ecclesiam et responsabilis participatio in eius missione apud omnes crescant.

Cum signum discipulorum Christi dilectio proximi sit et haec nostra aetas actionem caritativam Ecclesiae urgentiorem faciat, inter opera apostolatus praeclarum locum obtinent opera caritativa. Bene notatur quod obligatio actionis caritativae singulorum nostris diebus non solum non minuatur sed verius augeatur, et cum obligatio actionis caritativae universam Ecclesiam teneat, quod omnes eius communitates veluti consociationes caritatis spiritu animatas sese considerent. Quando apostolatus actionis caritativae fideliter ac rite ab omnibus Ecclesiae membris impletur, etiam infideles sensim sine sensu disponuntur ad veram participationem supernaturalem vitae Dei qui est ipsa caritas.

Simili fere modo, Ecclesiae opera in christiana ordinis naturalis instauratione maximi momenti est. Peropportune ergo in schemate enunciantur principia et normae doctrinae socialis Ecclesiae ad fideles, praesertim laicos, hortandos ut ea ad actum perducant, ratione habita concretae situationis historicae. Quae principia et normae si efficaciter et perseveranter applicentur multum conferunt ad veram pacem in mundo confirmandam et ad stabiliendum regnum ipsius Christi qui est Princeps pacis.

Etsi tempora hodierna, valde « critica », haud dubie pleraque nova requirant, ante oculos habemus principia de maxima prudentia et circumspectione in innovationibus faciendis et de vera pastorali utilitate tamquam norma suprema. Ideoque pergratum quod commissio tam feliciter cavet ne structura apostolica, quae fortasse pro aliquibus locis opportuna vel etiam necessaria videatur, non sine detrimento omnibus totius Ecclesiae partibus imponatur. Spectatis varietatibus de loco in locum, melius videtur quod multa non mandantur sed episcopis et conferentiis episcopalibus relinquuntur.

Quae omnia, in schemate decreti de apostolatu laicorum, bene perspicueque enunciantur.

4

EXC.MUS P. D. AEMILIUS BENAVENT ESCUÍN

Episcopus tit. Cercinitanus, coad. Malacitanus

Cum in schemate est quaestio de formatione apostolica laicorum, n. 3, pag. 7, lin. 15, legitur: « ... complecti debet etiam cognitionem condicionis cuiusque congruam, scientiarum socialium et artium ».

Existimo tamen hoc non sufficere. Indicandum enim explicite est, meo iudicio, necessarium esse ut laici doctrinam socialem Ecclesiae cognoscant.

In memoriam revocetur quod ad nostram rem in Enc. *Mater et Magistra* dixit Papa Ioannes XXIII: « Hac de causa, ut disciplinae eidem magis ac magis studeatur magnopere cupimus. In primis autem hortamur, ut ea, tamquam exigendum pensum, eum in catholicis scholis cuiusvis ordinis tradatur. Optamus praeterea, ut haec de re sociali disciplina in indicem addatur religiosarum materiarum, quibus vel paroeciae vel consociationis laicorum apostolatui incitando suos erudiunt; modis omnibus in vulgus emanet, quos recentior induxerit aetas ».

Quare?... Ipse Romanus Pontifex declarat: « Primum omnium illud confirmamus doctrinam socialem, ab ipsa non posse disiungi doctrina, quam de hominum vita tradit ».

Nunc autem, verae efformationi apostolicae laicorum non satis est mera cognitio theorica doctrinae socialis Ecclesiae: « Attamen hodie, si umquam alias, necesse est, eiusmodi praecepta, non solum cognita perspectaque habeantur, sed etiam ad effectum adducantur iis rationibus et modis, quae varius temporum locorumque status aut ferat aut exigat ».

Ergo cum doceatur doctrina socialis, docendi sunt etiam christifideles ut « Ecclesiae praeceptis etiam actionem suam conforment, quae res oeconomicas et sociales contingat » (*Mater et Magistra*). Missio enim specifica laicorum est non tantum praedictam doctrinam addiscere sed « ad eam exaequent actionem suam, verum etiam studiose curent, ut eius vim alii quoque habeant perspectam » (*Mater et Magistra*).

E contrario, videlicet, si apostolatus laicus congrua formatione caret circa doctrinam socialem Ecclesiae, scandalum praebere potest « et officia debita praetermitti, et saepe aliorum labefactari iura, et eatenus procedi nonnumquam posse, ut huiusmodi doctrinae imminuatur fides, quasi ipsa quidem sit optima, sed vi reapse careat ad dirigendam vitae actionem idonea » (*Mater et Magistra*).

Quod attinet ad actionem caritativam laicorum, de qua fit sermo in n. 12, pag. 12, linn. 15 ss., opportunum videtur pro ratione mentis hominum nostri temporis, maxime autem operariorum, ut tali modo describatur ut emineant, tamquam eius primae notae, claridentia, solidaritas et efficacitas.

Clarividentia, quia maxime ex vera caritate apostolus laicus valet perspicue perspicere ea quae sibi iustitia postulat in relationibus socialibus ubi amor sui vel coetus caliginosam nebulam spargere solet ut gravissima et inexcusabilia officia in dictis relationibus vitentur aut vera et urgens solutio quaestionum socialium protrahatur.

Solidaritas, quia ex authentica caritate christiana laici ut proprias re vera sentire debent indigentias, difficultates et iniustitias quas innumeri homines multis in locis hodiernis temporibus patiuntur.

Efficacitas, quia lucis ope et vitae atque fraternae coniunctionis cum hominibus, quam caritas apostolis laicis praebet, christianus omnibus viribus et animis conabitur in veram solutionem quaerendam quaestionum socialium.

Liber, certo, ab omni inutili disputatione, qua vires consummantur sive propriae sive alienae in perpetuis disquisitionibus circa meliorem absolute solutionem; paratus vero, e contra, ad omnem bonam et possibilem solutionem, ut tempora exigant, in praxim deducendam, quia apostolus laicus conscius esse debet illae aureae regulae Papae Ioannis XXIII, in *Mater et Magistra* expressae, secundum quam quod est possibile hoc et faciendum esse debet maxima cum obligatione.

Nullum dubium est quin, si laici hoc caritatis modo agant, testimonium Iesu in se ipsis referant et spem denuo suscitent erga Ecclesiam Christi in coetibus operariorum qui maximam aestimationem habent sensus iustitiae, solidaritatis et efficacitatis, quibus adspectant iustam ordinationem socialem.

5

EXC.MUS P. D. MICHAEL BLECHARCZYK

Episcopus tit. Jotanus, aux. Tarnoviensis

N. 2, pag. 6, in lin. 20, post verba: « ad salutem omnium hominum », opportunum esset — censeo — addere sequentia: « quia Christi sumus, utpote christianus alter Christus est... ».

Obligatio apostolatus derivatur tum ex incorporatione Christo, quae fit in baptismo, tum e sacramento confirmationis, quod sacramentum obligat christianum, ut fidem suam strenue profiteatur et secundum eam vivat. Quod incorporatio fit in baptismo dicit S. Augustinus: « Concorporans nos sibi, faciens nos membra sua, ut in illo et nos Christus sumus, quia quodammodo totus Christus caput et corpus est » (*In ps. 26 enarr. 2,* 2; *ML* 36, 200). Christus totalis est Christus in nobis, unde locutio S. Pauli de adimpletione, quae desunt passionibus Christi (*Col.* 1, 24); ille pugnat in nobis (*Col.* 1, 29), in nobis persequitur (*Act.* 9, 5), iniuria vel gratia facta christiano, fit ipsi Christo (*Mt.* 10, 22; 25, 34-46). Sicut Christus est « lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum » (*Io.* 1, 9), sicut Christus venit ignem mittere (*Lc.* 12, 49) — ita et christianus, qua alter Christus, debet illuminare = docere, debet ignem mittere = inflammare verbo, gestu, exemplo, oratione. Et videtur: Christianus, qua alter Christus, est ultima ratio apostolatus laicorum, quae fundamentum habet in Corpore mystico Christi — sicuti unumquodque membrum in totum corpus et in singula membra influit, ita unusquisque christianus debet influere in singula membra Ecclesiae secundum suam conditionem.

N. 3, pag. 7, in lin. 10 opportunum esset — censeo — loco « suae partis » ponere: « partis tum laici tum hierarchiae... ».

Apostolatus laicorum pertinet ad veritates fidei; decursu saeculorum exercebatur plus vel minus perfecte. In ultimis annis huius apostolatus exercitium ob ingravescentem laicismum quam maxime desideratur; si adest periculum, omnes auxilium ferre debent. Ut ex verbis Patrum patet, apostolatus laicorum inculcandus est, et quidem fideles persuasi esse debent de eius obligatione et instruendi sunt de modo exercendi illum apostolatum. Quaedam enim pertinent, ut dicunt,

ad institutionismum Ecclesiae, i. e. ad sacram hierarchiam et quidem actus tum ordinis tum iurisdictionis. Quoad actus ordinis non adest periculum, sed potest dari periculum usurpandi sibi ea, quae sunt iurisdictionis, ut praesentationes, translationes, praeparanda quaedam mandata etc. Saltem, ubi actio catholica evolvebatur, ut experientia docet, fuisse conatus sese immiscendi iis, quae ad hierarchiam pertinent. Patet tales conatus esse valde periculosos, possunt enim nocivas excitationes et perturbationes causare. Si alicubi tales casus sunt vel erant, raro ex mala voluntate, potius ex ignorantia proveniebant, proinde in instructionibus bene et sedulo obiectum apostolatus praesentari et determinari debet.

6

EXC.MUS P. D. LEOPOLDUS BRELLINGER
Episcopus Chimscienensis

Schema voluminosum. Principia constant 18 pp., reliqua circiter 30 pp.

Quaedam autonomia (et correspondens responsabilitas) concedenda membris A. C. (Actionis Catholicae) in prosecutione et realisatione operum iis confisorum. Ad pag. 14, n. 16.

7

EXC.MUS P. D. ALOISIUS M. CARLI
Episcopus Signinus

Pag. 6, lin. 14. Verba « etiam ad res temporales » omittenda censeo, quia hic non necessaria, immo, sine addita explicatione, non undequaque clara.

Pag. 7, lin. 18. Claritatis gratia, dicatur: « ut *christifideles* idonei fiant ».

Pag. 8, lin. 10. Claritatis gratia dicatur: « ac matrimonii Novae Legis *sacramenti* excellentiam etc. ».

8

EXC.MUS P. D. ALFREDUS CAVAGNA
Episcopus tit. Tianus

N. 16, pag. 14: *De Actione Catholica.* L'aver preferito il termine generico di apostolato dei laici a quello specifico di Azione Cattolica può ingenerare nel clero e nel laicato dubbi e incertezze.

1. Anzitutto nello schema è stato tanto bene giustamente affermato che il dovere dell'apostolato compete a tutti i laici. Ma se col medesimo titolo abbracciamo ogni forma organizzativa, come sono descritte al n. 16, si preferiranno quelle forme di apostolato meno impegnative e si eviterà ogni altra forma di maggior efficacia.

2. Mettere limitazione al nome di « Azione Cattolica », sembra quasi voler porre in oblio tutto il pontificato di Pio XI che passa alla storia come il « Papa dell'Azione Cattolica » da lui chiamata e amata come « la pupilla dei suoi occhi ».

A pag. 47, righe 1-3, nell'appendice si ricorda che Pio XI « dolebat nihil in Codice quoad tales associationes laicorum inveniri ». Ma bisogna insieme non dimenticare i numerosi suoi atti raccolti in voluminose pubblicazioni, che riguardano non solo l'Italia, ma le varie nazioni e la Chiesa intera.

3. Al n. 16 nelle note costitutive di un apostolato dei laici alle dipendenze della Gerarchia, non si fa cenno di due elementi che sono fondamentali: si tratta infatti di un apostolato: *a*) che si occupa dei problemi religiosi a raggio nazionale e internazionale; *b*) che segue la linea gerarchica della Chiesa: parrocchia, diocesi, Chiesa universale e sempre alle dipendenze del Santo Padre. Se mancano queste note mancherà anche la vera efficacia di un apostolato alle dipendenze della Gerarchia.

4. Si osserva che Pio XII, nella *Bis saeculari,* estese anche a qualche altra valida associazione il nome di Azione Cattolica: ma l'eccezione non è che la conferma alla regola, tanto più che si tratta di un caso unico e subordinato a tassative condizioni. D'altronde non si volle cambiare il nome, ma se mai estenderlo ad altra associazione.

5. L'accenno al significato politico del nome di Azione Cattolica (pag. 47 ultime righe) è soltanto di « unus pater »; ma è facile ricordare le esplicite dichiarazioni di Pio XI rivolte a coloro che, per combattere l'Azione Cattolica, riconoscendo in essa una forza viva nella Chiesa, l'accusavano di far della politica. Si dimentica che ormai è linea costante degli avversari accusare la Chiesa di fare della politica per impedire la sua opera civilizzatrice e santificatrice.

6. Si ha inoltre l'impressione che in questo n. 16 non si abbia avuto sufficientemente presente tutto il lavoro di Pio XI per l'Azione Cattolica: converrà conoscerlo storicamente e completamente, e non in modo sommario, per non incorrere in inesattezze e in lacune.

7. Si noti inoltre come il Santo Padre Paolo VI, nel suo breve Pontificato, abbia messo nel dovuto risalto l'Azione Cattolica, sia parlando ai Vescovi (Lettera all'Episcopato argentino, 12 aprile 1964 e discorso ai Vescovi d'Italia del 14 aprile 1964) sia alle singole categorie di Azione Cattolica come Presidenti diocesani, Delegati Vescovili, Movimento Laureati, Movimento Maestri, Giunta Centrale ecc. fino all'ultimo discorso alle Delegate dei Fanciulli Cattolici del 22 luglio 1964 e al Radiomessaggio all'Azione Cattolica del Portogallo del 25 luglio.

Si noti insieme l'importanza attribuita all'Azione Cattolica da Paolo VI nell'Enciclica *Ecclesiam suam* in cui riserva una particolare benedizione a: « I carissimi laici militanti per Cristo nell'Azione Cattolica ». Importanza per il servizio reso alla parrocchia, alla diocesi, al Romano Pontefice e per il suo contributo ai problemi nazionali e internazionali.[1]

8. Sembra quasi da tutto un insieme che si giudichi superata l'Azione Cattolica mentre le compete un posto decoroso nell'insegnamento del Concilio Ecumenico. Se mai in qualche nazione potessero sorgere difficoltà per il nome, l'Episcopato potrà chiedere una temporanea sostituzione del nome, ma eliminarlo in precedenza sarebbe un vero danno per la Chiesa.

---

[1] Una parziale raccolta dei documenti relativi all'Azione Cattolica fino al gennaio 1964 si trova nell'opuscolo: *L'Azione Cattolica nella parola di S. S. Paolo VI* della S.A.L.E.S. - Roma e nel numero speciale di « Iniziativa » dal titolo: *L'Azione Cattolica nel ministero di Paolo VI* pubblicato a cura dell'Azione Cattolica Italiana.

9. Anche quanto è detto al capitolo IV « de laicis » nello schema *de Ecclesia* andrebbe riveduto, perché non si ritiene sufficiente la spiegazione che si trova in fine pagina 136 della « Relatio generalis »: « Quod ad Actionem Catholicam attinet, vox in capite non nominatur utpote decursu temporum vario sensu adhibita, principia autem clare statuuntur ».

Si prega far vedere questo appunto relativo all'Azione Cattolica anche ai periti dello schema *de Ecclesia,* cap. IV « de laicis ».

9

Exc.mus P. D. MICHAEL DARMANCIER

Episcopus tit. Auguritensis, vic. ap. Insularum Vallis et Futuna

Addenda paragraphus 22 ante exhortationem finalem.

(*De fraterna habitudine in apostolatu exercendo*). Ut apostolatus, libertatem hominum non offendens, sed augens, plene a damnando proselytismo discernatur, et ut Evangelio magis consentaneus ac in hodierno mundo efficaciter evadat, christifideles normas quae sequuntur, quantum adiuncta permittent, servent:

1. Ecclesiae doctrinae pastoralique auctoritati firmiter adhaerentes, contraria tamen nec contemptim nec acerbe impugnent. Dum fidei testimonium aperte reddunt, verum a falso et bonum a malo dignoscere non timentes, semper tamen debitam aliorum conscientiae reverentiam praestent. Nec auctoritate nec ingenio nec superelatis certitudinibus alios gravent, sed, media pauperiora eligentes, divitias Christi fraterno more proponant.

2. Ad fraternam quamdam aequalitatem servandam, operam ab iis accipere curent, quibus operam daturi sunt. Sic mutuo communicari possunt tum auxilia practica, tum notitiae, tum amica officia etc. Ipsum Christum, quem aliis quodammodo praebent, in iisdem alio modo sciant invenire.

3. Fratres quos ab errore seu ignorantia seu egestate seu alia quavis servitute liberare intendunt, ad propriam libertatem adipiscendam inducant et iuvent, mutua fiducia cooperantes et communi gressu procedentes, nec ab humillimis incipere recusantes.

4. Necessitatibus quas alii sentiunt prius attendentes et subvenientes, inde viam sternant ad novas quaestiones et necessitates dein patefaciendas. Hominum exspectationibus et conatibus prius consentientes, illos deinde in partem spei christianae vocabunt. Non igitur eodem modo cum omnibus agendum est, sed ex singularum communitatum sive personarum intima cognitione et consensione proprius deducatur procedendi modus.

5. Iam ab initio et semper in posterum cultiorem vitam humanam simulque Christi cognitionem et sequelam suscitent. Non tamen obliviscantur in pagano vel atheistico et materialistico ambitu necessario praemittendam evangelizationi esse sic dictam *praeevangelizationem,* scil. manuductionem ad humanos valores, ex quibus tantum recte oriri potest quaestio de Deo humanaque vocatione.

Ad haec intelligenda et agenda saepe meditentur varias Evangelii et Apostoli paginas, sibique praesertim proponant imitandum Christum cum Zachaeo conversantem necnon Beatam Mariam Virginem Elisabeth visitantem.

10

EXC.MUS P. D. REMIGIUS IOSEPH DE ROO
Episcopus Victoriensis in Insula Vancouver

Ad totum schema. In genere placet. Optime dicuntur e. g.: n. 1, pag. 6, lin. 1: « vocatio christiana natura sua vocatio quoque est ad apostolatum »; n. 2, pag. 7, lin. 5: « apostolatus laicorum ad essentiam pertinet testimonii Ecclesiae »; n. 10, pag. 10, linn. 36-37: « laici... et ipsi... rationes reddituros... »; n. 11, pag. 11: de universo ordine temporali.

Optandum: 1. It would be advisable to enrich the Schema further with choice biblical texts which would be more than just ornaments, but would serve rather to give deeper scriptural insights and an ecumenical tone so necessary to the modern lay apostolate.

Stressing the *eternal design* or *purpose of God* calling all laymen to work for the transformation of the universe, based on passages from Ephesians and Colossians, would put more dynamism and power of inspiration into the text, especially the opening paragraphs. It would also give a better view of the necessary universal witness of the Church in the world. This would seem more effective than pointing to « insufficientem numerum cleri » or « alienationem quarundam provinciarum » (N. 1, pag. 5, linn. 17-18), however true this may be.

2. The Schema should show better how the apostolic engagement or commitment of laymen in the temporal order *reveals God to the world.* It illustrates *faith* in his eternal design or purpose, *hope* in future glory, and the *love* God bears each individual human being in his concrete environment.

Particularia. Pars I: de laicorum vocatione. N. 1, pag. 5, lin. 25: loco « animas » aptius dicatur « homines ». Modern laymen are very sensitive to the fact man is both body and soul.

N. 2, pag. 6, linn. 23-27: vera sunt, sed manifestari oportet quomodo haec omnia ad apostolatum conferunt.

N. 3, pag. 7, linn. 8-9: loco « educatio christiana includat... quoque » aptius dicatur « educatio christiana debet esse formatio ad apostolatum », etc. *Ratio* est quia apostolatus non est aliquid supra additum.

II - *De communitatibus.* N. 5, pag. 8. Illustrate how the family is an area requiring an apostolate, as well as it is an instrument of the apostolate. Also show that the family exercises its apostolate as a family unit, « qua familia », and not only by the separate action of husband and wife.

N. 5, pag. 8, linn. 25-26, « ad defensionem... iurium » melius illustretur modo positivo.

N. 8, pag. 10, post lin. 9, addantur aliqua verba de spiritu servitii in emolumentum totius societatis. Reason: this stress on the spirit of service will prevent the impression that the group apostolate aims at infiltration or manipulation of society for power.

N. 10, pag. 10, the use of « collaboratio », « adiuvant », « auxilium praebent » creates the impression the laity are separate from the Church. Optandum

ergo ut in lin. 25 loco « collaboratio » dicatur « actio »; in lin. 29 loco « adiuvant » dicatur « concurrunt »; in lin. 31 loco « auxilium praebent » dicatur « multum conferunt » vel verba similia.

N. 10, pag. 11, lin. 1, loco « animarum » dicatur « hominum ».

N. 11, pag. 11: The expressions « christiane instaurando », « christianam... instaurationem », « christianae... instaurationi » linked with the temporal order could be easily misinterpreted.

Unde dicatur potius « De restauratione secundum consilium Dei », vel « De ordine temporali vere divina et humana caritate informando » vel aliquid simile.

N. 12, pag. 12, lin. 16, loco « animarum » dicatur potius « hominum ».

N. 13, pag. 13, « Consociatio enim prae se fert signum unitatis ».

This is excellent. But it should be added also that the modern world needs "collective evangelization", and the massive living example and influence of faith expressed in group movements.

N. 18, pag. 16, linn. 20-21, non videtur quomodo laici, ut laici, participare possint in missione ipsius hierarchiae propria.

11

Exc.mus P. D. FRANCISCUS FRANIĆ

Episcopus Spalatensis et Macarscensis

Schema placet iuxta modum, ideoque proposuerim:

1. Ut in pag. 8, n. 5, ubi sermo est de « peculiari » apostolatu familiae (linn. 20 s.) extolleretur, procreationem nempe filiorum et eorum christianam educationem munus coniugum esse eminenter apostolicum. Persuasissimum est mihi maxima in parte ex familiis cum prole numerosa vocationes tum religiosas tum sacerdotales provenire. Hodie enim crisis est vocationum in multis regionibus, quia ex mea humili opinione crisis est familiae cum prole numerosa. Ideoque exhortandum esset coniuges christianos ne facili negotio et sub varios pretextus discutibiles eximerentur ab onere gravi pariendi et christiane educandi filios. Quapropter proposuerim ut in pag. 8 lin. 20 eiusmodi opus apostolicum in hunc sensum exprimeretur: « genere sunt, *ut imprimis filios procreent et christiane educent*, sponsos ad matrimonium praeparent... ».

2. In pag. 8, lin. 31, ut adderetur verbum *praesertim* post « liturgica » et ita diceretur: « vita liturgica *praesertim* in paroecia... ». *Ratio* est: si fideles curabunt ut praesertim in paroecia se alant vita liturgica, sat facile in ea actuose participabunt.

3. In pag. 16 schema optime loquitur: « Episcopi diligenter seligant sacerdotes apostolatui laicorum iuvando idoneos et apte formatos ». Sed omnino silere videtur *ubi* et *quomodo* formandi sint isti sacerdotes.

a) Locus autem eos formandi absque dubio adaptissimus est seminarium, ideoque proposuerim ut *hic* vel in schemate *de institutione sacerdotali* extolleretur scil. *praeparationem apostolatui laicorum esse partem eius praeparationis apostolatui sacerdotali.*

Si enim hoc in seminariis prae oculis haberetur in educatione seminaristica, sat facile esset postea episcopis seligere sacerdotes idoneos apostolatui laicorum destinatos.

b) Etiam de modo eos praeparandi saltem generico a Concilio videtur non esse silendum. Quem vero ad haec reduci posse videtur.

Praeter vitam spiritualem solidam, quae vero fundamentum est omnis veri apostolatus, et praeparationem philosophico-theologico-scripturisticam a futuris assistentibus laicorum ex mea humili opinione omnino exigitur 1. solida cognitio doctrinae socialis catholicae eiusque continuum studium quod vero a multis sacerdotibus desideratur et proh dolor nondum adhuc habet illud momentum inter disciplinas philosophicas quod deberet habere; 2. comprehensio exigentiae ac necessitatum temporis nostri atque difficultatum in quibus versatur laicus noster, paucis verbis, requiritur, ut exprimam verbo italico, apertura spiritus. Quam vero posset acquirere iam in seminariis, utiles essent conferentiae laicorum catholicorum de multis problematibus saeculi nostri. Demum 3. requiritur in assistente laicorum sat magna humilitas, ut possit ex altera parte evitare ille modus auctoritativus agendi cum laicis quasi sensim sine sensu in nobis creatus ob quem haud pauci laici nostram societatem evitant nobisque animum suum non semper sincere manifestant et ex altera parte ut ita possit creari in nobis magis magisque animae docilitas quae libenter etiam a laicis vult edoceri de multis rebus quae sacerdoti innotesci non possunt.

12

EXC.MUS P. D. IACOBUS VILLELMUS GLEESON

Archiepiscopus tit. Aurusulianensis, coad. c.i.s. Adelaidensis

In the Prooemium on Page 5, lines 16-19, there is reference to the necessity of the lay apostolate in the Church in these present times.

After the simple statement that the apostolate of its own nature is necessary, its urgency today is stressed « non solum ob insufficientem numerum cleri, sed praesertim ob alienationem quarumdam provinciarum vitae humanae ab omni ordine religioso vel ethico ».

While this urgency can not be denied, I consider that it will be most unfortunate if the doctrinal basis of the lay apostolate as stated so clearly in Chapter IV De Laicis in the Schema Constitutionis De Ecclesia in Number 33 is not given its full and proper place in the very beginning of this Schema on the Apostolate.

In my opinion, there is a tendency by too many people to approach the question of the lay apostolate as something that has only become necessary because of the present state of the world rather than seeing it as the full flowering of the life of the faithful. As a result, too much of their work and striving is negative, lacking a positive formation for Christian leadership and failing in an integrated growth in holiness through the proper union of sacramental life, active participation in the liturgy and apostolic endeavour.

Therefore I suggest that the Paragraph on Page 5 in the Prooemium which begins with the words (in line 9): « Licet nulla aetate defuerit... » and concludes (in line 22) with the words « ... et Ecclesiae suscitantis » be either omitted alto-

gether or transferred to Page 6, line 2, after the words « ... quoque est ad apostolorum ».

I further suggest that the whole of the two paragraphs on Page 6 which commence on lines 3 and 9 with the words « Apostolatus, qui nomen... » and « Hoc ius et officium... » be transferred to the Prooemium on Page 5 in place of the Paragraph commencing on line 9 referred to above.

In this manner the essential basis of the theology of the lay apostolate will be stated more clearly and in a place in the Schema in which it will stand out more obviously.

13

EXC.MUS P. D. IOANNES CARMELUS HEENAN

Archiepiscopus Vestmonasteriensis

Generatim schema esset magnificius si penitius iam elaboraretur ordo articulorum, itemque si in stylo unius tantum scriptoris totum rescriberetur.

In particulari, sectio III cap. I « de formatione » nimis pressa et stricta est pro tanti momenti significatione. Cap. V « de ordine servando » nimis insistit in mera legisperitia; distinctiones inter « approbationem » et « mandatum » et « missionem canonicam » videntur confusionem et invidias coniicere, ita ut melius esset eas distinctiones omnino omittere.

14

EXC.MUS P. D. EDUARDUS HOWARD

Archiepiscopus Portlandensis in Oregon

Mi sembra che sarebbe opportuno di studiare, non necessariamente di adoperare, i punti presentati dal card. John Henry Newman, nel libretto intitolato "On Consulting the Faithful in Matters of Doctrine" (Sheed and Ward, New York).

15

BEAT.MUS P. D. PAULUS PETRUS MEOUCHI

Patriarcha Antiochenus Maronitarum

1. Le n. 1, ligne 3, p. 6, emploie encore le mot « regendi ». Il serait souhaitable de lui substituer le mot « pascendi », et cela, en rapport avec l'esprit général du Concile, comme les PP. l'ont suffisamment noté à la seconde session 1963.

2. Je suis pour l'emploi du mot « apostolatus », qui désigne le travail spirituel d'annonce de la parole de l'Evangile et l'exemple de sainteté offerts par les laïques, *en même temps que leur activité sociale et temporelle* pour le bien des autres. C'est leur milieu ambiant que les laïques doivent sanctifier, et c'est par leur activité la plus commune qu'ils ont à prêcher le Christ. Le temporel et le social sont pratiquement l'étoffe de leur sainteté.

Par ailleurs, le terme apostolat est déjà consacré par le temps et nul ne s'y

trompe en l'appliquant à l'apostolat des clercs (docendi, sanctificandi, pascendi) et à celui analogique des laïques.

Je note enfin que, membres du Corps mystique, par le baptême, sacrés soldats du règne de Dieu par la confirmation et nourris pour la croissance totale du Corps par l'Eucharistie, les laïques participent immédiatement, par vocation, à l'apostolat qui est la vocation chrétienne elle-même (cf. p. 6, ligne 1). On a bien fait d'insister ici sur le sacrement, un peu méconnu de la confirmation et sur l'Eucharistie, centre et nœud de la vie chrétienne dans son dynamisme constructeur du Royaume.

3. Le n. 2 a bien fait d'insister sur les vertus que l'apôtre laïque doit vivre pour rendre plus efficace son action, et en particulier sur celles que la mentalité moderne semble reléguer dans l'oubli: mortification, amour des pauvres et des déshérités, foi, espérance, charité.

Louable est l'effort du schéma de maintenir que le laïque dans *tout* ce qu'il fait, doit exercer son apostolat. Rien n'est étranger à Dieu. C'est par là que paraîtra la cohérence continue et constante de la vie avec les vertus théologales.

L'annonce de la parole de Dieu est proposée encore timidement dans ce n. 2, p. 6, lignes 36, 37. Le laïque « debet quaerere occasiones annuntiandi Christum opportune, importune », et particulièrement en notre époque de matérialisme croissant.

Je note, enfin, que, parlant de l'apostolat des laïques, le schéma en ce numéro se doit de dire, d'une façon ou d'une autre, que le contact des laïques avec la hiérarchie pour toutes les activités — surtout organisées — gagnerait à recevoir la bénédiction et l'encouragement des successeurs des Apôtres. Aussi pourrait-on concevoir, de la façon suivante, les lignes 33, 34, de la page 6: « ... in variis societatis campis, cum benedictione et hierarchiae impulsu ». Et cela, pour signifier qu'il y a un seul apostolat du règne de Dieu, réalisé doublement, mais unifié dans l'esprit et la pratique.

4. Si les titres des paragraphes doivent rester dans le texte définitif, mieux vaudrait, me semble-t-il, employer dans le titre du n. 3, le mot *educatio* à la place de « *formatio* ».

L'on n'insistera jamais assez pour dire que le devoir de l'apostolat n'est pas le devoir d'une *seule* élite. Tous les chrétiens, grands et petits, riches et pauvres, y sont appelés par vocation. Il faudrait peut-être le noter dans ce n. 3.

5. L'on aurait pu dans le n. 5 qui traite de la famille, dire, d'une manière brève mais dense, quelque chose sur la spiritualité du mariage, pour contrecarrer le matérialisme ambiant où la spiritualité de la famille est complètement déconsidérée. Malheureusement tout ce qui est dans ce numéro, pour bon qu'il soit, ne considère la famille que de l'extérieur.

On aurait pu insister avec plus de sens religieux et spirituel sur les devoirs des parents. J'ai l 'impression que ce numéro est assez sec. Pas d'onction religieuse.

6. Parlant, à la fois et avec raison, de la paroisse et du diocèse, le n. 6 aurait pu, d'un mot, montrer comment toute l'activité apostolique des laïques prend son origine dans l'Eucharistie, centre de la paroisse et du diocèse et y revient. Cela eût donné une tonalité plus religieuse à un texte qui est plutôt *descriptif*. La note eucharistique aurait justifié la dernière partie du numéro qui traîte de l'intérêt à porter par le laïque à l'Eglise tout entière.

7. Le n. 7 est à louer. L'apostolat exige une adaptation. Dans les milieux non-croyants les laïques auront à rayonner par le témoignage de leur vie, par leur science et leur technique avant de parler du Christ directement et de transformer quoi que ce soit concrètement dans leur milieu. La compétence professionnelle et celle religieuse porteront les laïques à répondre de leur foi et de leur espérance dans les moindres gestes comme dans toute leur existence.

8. Le n. 8 était nécessaire. Les laïques côtoient aujourd'hui des organisations sans couleur religieuses, et même des organisations non-chrétiennes. Faut-il les bouder? Au contraire. La vérité n'a pas peur. Un laïque bien formé et croyant peut apporter dans ces milieux ou organisations le témoignage révolutionnaire de sa foi. Mais, et c'est ici que le lien des laïques avec la hiérarchie n'est pas suffisamment noté, il est difficile de s'engager dans ces organisations sans être sûr de soi, de sa foi. La hiérarchie, par ses conseils et ses orientations, peut éclairer la voie.

9. On a bien fait d'ajouter le n. 9 au schéma précédent, pour y dire nettement que le laïque n'a pas dans sa vie deux consciences, l'une religieuse et l'autre sociale. Il n'a qu'une conscience qui doit éclairer et illuminer toute sa vie. Et cela est nécessaire à dire contre les affirmations erronées qui voudraient reléguer la religion et Dieu dans les moments de prière seulement, laissant le reste du temps à la libre disposition de l'homme, comme disent les rationalistes.

10. Le n. 10 est à louer: sens religieux et spirituel de l'apostolat du laïque qui ne se réduit pas seulement au temporel.

11. Parlant de l'instauration de l'ordre temporel selon les principes chrétiens, le n. 10, dans son dernier par. répète certains points déjà dits dans l'introduction de ce schéma: probité morale, qualités naturelles, etc.

12. Par ailleurs, ce n. 11 fait bien d'insister sur la nécessité de la révélation pour éclairer l'action temporelle du laïque, qui n'est pas une simple action naturellement bonne et honnête (pourrait-elle exister concrètement?), mais proprement surnaturelle et orientant les hommes et avec eux le milieu dans lequel ils vivent, vers l'unique fin essentiellement surnaturelle.

Le même n. 10 affirme que l'ordre temporel ne regarde pas directement la hiérarchie. C'est pour cela que son rôle y est très grand. C'est vrai. La hiérarchie restera toujours, cependant, de la part du Christ, l'inspiratrice et le guide.

Enfin, étant donné que l'esprit du schéma est de rester dans le domaine des principes, il a bien fait de se refuser à aucune application concrète qui sera du domaine des Directoires particuliers ou de l'interprétation des principes dans des situations concrètes.

13. Je voudrais, à propos du n. 12, faire une remarque déjà faite plus haut. Si le devoir de la charité incombe aux clercs comme aux laïques, à l'Eglise tout entière, il est nécessaire, me semble-t-il, si on ne doit pas parler ici des clercs mais des seuls laïques, de faire une petite allusion aux clercs pour qu'on ne se demande pas si ce devoir de la charité est le propre des laïques seuls.

Si l'on insiste, à la fin du n. 12 sur le fait que tous les hommes deviendront fils d'une même famille, il ne faudrait pas oublier la référence surnaturelle si essentielle à la vertu théologale de la charité. Finalement c'est le règne de Dieu que le laïque doit chercher. Il n'est pas un simple philanthrope.

Je suis pour qu'on laisse « imaginem Dei et *Christum* in proximo praesentem verbis ac factis agnoscant » et qu'on ne mette pas *Christi*.

14. Le n. 13 reste un développement assez humain et naturel de la valeur des organisations. On devrait, d'un mot, insister sur la foi et sur la parole du Christ: « si deux ou trois se réunissent en mon nom, je serai au milieu d'eux ».

Il faudrait, par ailleurs, ajouter, me semble-t-il, ici le principe de l'adaptation des organisations laïques aux différentes régions. L'organisation est nécessaire. Son fonctionnement sera nécessairement conditionné par les circonstances de temps et de lieu.

15. Pour belle et attirante que soit l'affirmation de la liberté des laïques (n. 14) pour la constitution de nouvelles organisations ou associations, il reste qu'en théorie cela vaut, et dans l'esprit du Concile, cela favorise l'enthousiasme et la ferveur. Mais que vaut cela sur le plan quotidien? Peut-on laisser cette liberté sans risquer la dispersion dont parle le schéma, et qui est l'un des grands dangers de la trop grande liberté.

Je ne dis pas que la hiérarchie doive s'immiscer dans tout ce que font les laïques. Je dis qu'elle reste, par vocation, le guide des laïques et leur conseiller irremplaçable.

16. Le n. 16 qui traîte d'Action Catholique est satisfaisant: il faut conserver l'appellation « Action Catholique ». Il faut continuer à affirmer qu'elle doit rester en union avec la hiérarchie, que les quatre caractères mentionnés sont à prendre ensemble (bien que le premier cité [p. 14, lignes 27-30] n'ait rien de spécifiquement Action Catholique), et que l'action catholique, si les caractères (les quatre) sont réalisés, n'à pas nécessairement besoin de mandat pour s'exercer.

17. Le n. 18 me semble encore à reconsidérer. Le rôle de la hiérarchie par rapport à l'action des laïques n'est pas seulement de favoriser, de donner principes, aides, préceptes, de veiller et de diriger mais aussi de reconnaître le bien fait et d'encourager au mieux.

18. Je suis pour la distinction du *mandat* et de la *mission canonique* (n. 18). Il faudrait, cependant, en note ou d'une autre manière, développer un peu la théologie du mandat et le fonder dans ses principes doctrinaux. Les affirmations qui se trouvent à la page 20 sont nettement *insuffisantes*. Le mandat n'est-il pas proprement l'expression du sens des sacrements du baptême et surtout de la confirmation, ne dit-il pas cette unité au service du Royaume que l'Evêque signifie en prenant en charge une œuvre des laïques. Et enfin cela signifie qu'il n'y a qu'un seul et unique apostolat, parce qu'il n'y a qu'un seul Corps mystique et un seul but, une seule fin.

Par ailleurs, je ne vois pas pourquoi on aurait peur d'employer le mot « participation ». Il y a, en effet, une participation multiforme et multigrade à l'apostolat propre à la hiérarchie. Il s'agit seulement de le dire et de le signifier, d'une façon ou d'une autre.

19. Le n. 19 insiste sur la dignité des laïques et sur leur rôle et sur leur apostolat d'Eglise. Il fait bien. Il ne faut rien diminuer ni rien supprimer de tout cela.

Par ailleurs, le schéma n'insistera jamais assez sur la nécessaire formation des clercs pour pouvoir assurer le contact avec les organisations des laïques et les aider.

20. Il est indispensable, comme le suggère le n. 20 de constituer dans les diocèses des Conseils formés de clercs, de religieux et de laïques qui veillent à la

marche de l'apostolat et à sa croissance. L'on insisterait avantageusement sur le fait que les Conseils des différents diocèses devraient se rencontrer de temps à autre pour unifier leur action ou la coordonner, et cela pour le bien commun de l'Eglise. A moins de ne faire qu'un seul Conseil pour toute une région.

Par ailleurs, si jamais un Secrétariat pour l'apostolat des laïques était fondé à Rome, il faudrait, me semble-t-il, que la composition en soit très variée et riche, afin qu'il puisse porter des jugements valables pour toute l'Eglise, d'une manière concrète et réaliste. Ce qui me semble un peu difficile. A moins qu'il ne reste en contact constant avec les conseils régionaux.

De toutes façons, il serait utile qu'une formation particulière et une documentation spéciale soient à la disposition des membres du Secrétariat ou du Conseil régional.

21. Il me semble nécessaire d'insister dans le n. 21 sur l'autorisation que le laïque doit obtenir pour pouvoir faire partie d'une organisation non-chrétienne. Ce n'est point là diminuer la liberté du laïque, mais pour donner à sa foi plus de secours et de lumière. D'ailleurs l'évêque reste le juge de la foi et le gardien du troupeau de son diocèse — salva historica et traditionali Patriarchae auctoritate, e circumstantiarum necessitate orta —, afin que le voleur ne vienne pas voler les brebis.

22. Dans l'exhortation finale je noterai particulièrement l'insistance sur l'unique apostolat de l'Eglise. Et cela a un sens réel. L'unité est partout, depuis la Trinité, jusqu'à l'Incarnation, jusqu'à l'Eglise et à l'apostolat en vue de l'unique Royaume.

Enfin est reprise, d'une manière heureuse, l'unité du Christ et du fidèle dans le Corps mystique, par le baptême, la confirmation et l'Eucharistie. A cause de cela, vient la mission du Christ lancée à ses Apôtres pour la conservation et la croissance du Corps mystique.

Note additionnelle.

I. N. 1, p. 5, ligne 25: au lieu de dire « animas salvando », dire « homines salvando ». N. 10, p. 11, ligne 1: dire « pro hominum salute » au lieu de « pro animarum salute ».

II. N. 3, p. 7, lignes 8-9, dire, pour rester en conformité avec le début du paragraphe: « omnis educatio christiana necessario debet esse formatio ad apostolatum ».

III. N. 10, p. 10, lignes 23-25: la distinction qui est faite entre l'Eglise et les laïques est ambigue. Dire: « in missione Ecclesiae realizanda, nunquam defuit actio laicorum... ». N. 10, p. 10, lignes 29-33: corriger dans le même sens.

IV. Insister dans le n. 3 sur les vertus théologales dans la formation des laïques.

V. Il faudrait insister, à la fin du n. 13, sur la nécessité de l'apostolat collectif: mentalités collectives, mouvements apostoliques, etc.

VI. Dans le n. 11, p. 11, il faudrait ne pas donner le change. Y a-t-il instauration d'un ordre chrétien, ou bien animation de l'ordre temporel et des valeurs humaines par la charité du Christ et leur orientation inchoative vers leur perfection qui aura lieu dans la Jérusalem céleste? Tout ce par. est à reconsidérer.

L'action du laïque, saint et vraiment croyant, sanctifie le temporel et est elle-même révélatrice de Dieu.

VII. Le schéma tout entier aurait pu être fondé davantage et mieux sur l'Ecriture sainte. Les textes cités paraissent comme de simples ajoutes de circonstances.

16

EXC.MUS P. D. SANCTUS MORO BRIZ

Episcopus Abulensis

Gratulari etiam mihi liceat commissionem de schemate apparato circa laicorum apostolatum.

In cap. I, « De laicorum vocatione apostolica », concinne agitur de *obligatione* apostolatus, i. e., de apostolatu ab omnibus et singulis exercendo, ac de necessaria *praeparatione* ad apostolatum, sive de *formatione* apostolica.

Qua par est reverentia, proferre vellem duas animadversiones:

1. Circa *vocationem* ad apostolatum (pag. 6, lin. 1). Praeter vocationem communem sive genericam ad apostolatum, quae omnes christianos afficit, perpendere oportet esse in Ecclesia speciale et validissimum *charisma* apostolatus, iuxta notissimam Apostoli sententiam (*1 Cor.* 12, 28): « ... Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia primum *apostolos*: secundo... ». Iamvero hos — sive sacerdotes, sive fideles — « charismaticos » (sit venia verbo) oportet, ante omnia, sollicite *quaerere,* eosque deinde sedulo *formare.* Quod vero hac in re nobis episcopis quandoque commendatur erga presbyteros nostros, i. e., « diligentissime eos *quaerere,* qui forte a Spiritu Sancto charismate *apostolatus* signati fuerint », idipsum debita proportione cuicumque animarum pastori est quoque commendandum erga fideles sibi commissos, scil. ut omni sollicitudine — similes mercatori quaerenti pretiosas margaritas — « detegere curemus eos qui speciali charismate *apostolatus* a Spiritu Sancto donati », veri sunt Ecclesiae *thesauri* ad Christi Evangelium disseminandum.

2. Sollerter in hoc cap. I (pag. 6 et 7) sermo est de *obligatione* apostolatus necnon de *formatione* sive praeparatione ad apostolatum. Desiderari tamen videtur, saltem verbulum, obiter, circa *exercitium* ipsum apostolatus, seu circa modum exercendi apostolatum, et in concreto circa « qualitates » absolute apostolo necessarias, sine quibus et formatio esset deficiens, et futurus apostolatus inefficax redderetur.

Innuitur profecto (pag. 7, n. 3, lin. 13): « Haec autem formatio, ex variis elementis spiritualibus... constans, complecti debet etiam ... ». Non esset abs re, post vocem « constans », haec addere: « ante omnia formatio intendit futurum apostolum *virtutes* induere — naturales et supernaturales — sine quibus efficax apostolatus non concipitur: praeter alias, a) *spiritus fidei* et recta in omnibus *intentio* (quae Dei sunt quaerens non propria, honores, lucra, ...); b) *caritas* in Deum et proximum (patiens, scil., et benigna, pacifera, quae non aemulatur, non murmurat, non est litigiosa...); c) suipsius *abnegatio,* quae iugiter « amorem proprium » compescere satagit, et ex animo, tanquam Deo, sacrae hierarchiae pro-

prium iudicium atque voluntatem submittit; et laeto semper animo ac sincere " collaborationem " aliis apostolis praestat... ».

Post haec vel similia verba, prosequatur schema dicens (*l. c.*) pag. 7, n. 3, lin. 14: « Complecti debet etiam cognitionem... » etc.

17

EXC.MUS P. D. IOLANTHUS NUZZI

Episcopus Campaniensis

1. Textus schematis desideratur valde brevior, cum clara enunciatione principiorum et propositionum essentialium.

2. Principium et officium pro omnibus baptizatis Christum sequendi et imitandi, sicut exsurgit e baptismate et chrismate confirmatur, in bono lumine collocare: quisquis baptizatus fit renovator Iesu Christi eiusque missionis super terram tam in semetipso quam inter proximos.

3. Pro posse contendere oportet ut illa seiunctio seu antithesis inter ecclesiasticos et fideles desinat.

Omnes baptizati et confirmati in Christo et in Spiritu Sancto, iuncti cum episcopo, iuxta dona recepta et locum obtentum adlaborare *debent* ut Evangelium Christi omnino noscatur, vivatur et realizetur ab omnibus hominibus sive in vita personali sive in vita sociali, hoc est, ut locutione vulgari utatur, *verticalmente e orizzontalmente.*

4. Ut melius in lumine ponatur pro omnibus baptizatis laicis eorum plena corresponsabilitas in apostolatu, necesse est ut illi in ratione ingenii et usus rerum in cura communitatis christianae participes fiant. Comparticipes et corresponsabiles esse debent.

Si excipias officia pro quibus sacramentum Ordinis stricte necessarium evadit, nullum impedimentum exsistere deberet ut baptizati laici utriusque sexus, sub ductu sui episcopi sint, pleno iure baptismi, comparticipes et corresponsabiles diversorum operum apostolatus necnon vitae administrativae communitatis christianae.

5. Ex melioribus laicis, iam experientia et existimatione firmi, haberi possent, Deo iuvante, optimi ministri sacri. Recordamur, inter multa, exempli S. Ambrosii, e catechumeno archiepiscopi Mediolanensis electi.

18

EXC.MUS P. D. PETRUS PALAZZINI

Archiepiscopus tit. Caesariensis in Cappadocia

1. N. 14, pag. 13. *a*) In hoc numero agitur de multiplicitate formarum apostolatus consociati, et indicantur varii fines ad quos consociationes condi possunt. Primo indicatur finis evangelizationis et sanctificationis, quem *modo peculiari* persequi possunt quaedam consociationes; deinde indicantur « fines animationis christianae ordinis rerum temporalium », qui fines nihil aliud esse videntur quam

finis evangelizationis et sanctificationis *modo generali* persequendus, ita ut diversi ambitus vitae spiritu Evangelii imbuantur. Itaque non apparet necesse esse ut in fine (lin. 22) iterum affirmetur: « aliae, demum, finem apostolicum ipsius Ecclesiae sibi proponunt ». Haec propositio finalis superflua videtur.

b) In eodem numero (a lin. 24 ad lin. 26) disertius affirmari debet libertas laicorum in erigendis associationibus, scil. in iisdem condendis atque ordinandis, propria constituendo statuta iuxta quae associationes illae regantur. Quapropter proponi posset textus emendatus ut sequitur: « Salva debita cum auctoritatibus ecclesiasticis relatione, libertas laicorum in hisce piis associationibus condendis atque, iuxta statuta libere ab ipsis admissa, ordinandis, itemque in adhaesione eis danda, agnoscatur ».

Ita affirmatur libertas laicorum tum ad condendas consociationes tum ad easdem libere ordinandas (seu organizandas). Nec dici debet « *praesertim* in adhaesione eis danda », sed « *itemque* in adhaesione eis danda », ne libertas in condendis hisce consociationibus minuatur, per verbum « praesertim » quoad adhaesionem.

2. N. 16, pag. 15. *a*) Ad linn. 3-5: ne impressio habeatur possibilis coactionis ex parte hierarchiae ut quis partem efformet Actionis Catholicae, alia redactio textus sub littera *d*) proponenda est, videlicet: « Laici, sive sponte sese offerentes, *sive ad actionem et directam cum apostolatu hierarchico cooperationem invitati,* agunt... ».

b) Ad linn. 5-6: agitur de *mandato,* quo quaedam opera apostolatus arctius cum proprio munere Ecclesiae coniunguntur, sed quo tamen non tollitur libertas laicorum sua sponte agendi, quo scil. *non mutatur natura associationis.* Cum vero verbum *mandatum* contrariae interpretationi ansam praebere possit, imprimis ipsum verbum *mandatum* litteris italicis scribatur oportet, et insuper addi deberet: « *iuxta infra dicenda* (n. 18) ».

3. N. 17, pag. 15, lin. 15. Quia non paucae habentur et haberi debent quae sunt interdioecesanae vel internationales, tolli debent verba « in dioecesi aut paroecia », ita ut textus sit: « ... eae vero quas hierarchia, secundum temporum necnon et locorum necessitates, laudaverit vel commendaverit *vel, cum ad bonum Ecclesiae urgentiores sint, instituendas decreverit,* a sacerdotibus... ».

4. N. 18, pag. 15. In hoc numero quaestio est de relatione ad hierarchiam, et distinctio fit inter *incepta apostolica,* seu quae apostolatum respiciunt, una ex parte, et *opera ordinis temporalis* alia ex parte. Quoad haec ultima hierarchiae tantummodo est invigilare in rectam fidem et bonos mores. Quoad priora, hierarchiae praeterea est principia stabilire, subsidia spiritualia afferre atque illa statuere quae *bonum commune supernaturale* requirit. Quapropter clarius enuntiari posset pars quam habet hierarchia, et quidem sequenti modo: « Cum agitur de inceptis laicorum quae apostolatum respiciunt, sacrae hierarchiae est eadem fovere, principia generalia quibus nituntur enuntiare, subsidia spiritualia eisdem afferre, in eadem invigilare ut fidei et morum integritas semper servetur, atque tandem pro rei opportunitate ea statuere quae rectus ordo boni communis supernaturalis requirit.

Cum autem agitur de operibus et institutionibus ordinis temporalis, eiusdem ecclesiasticae hierarchiae munus est vigilare ut puritas fidei ac morum servetur, in specie authentice interpretari et enucleare ordinis moralis principia... ». (No-

tetur hanc potestatem, quam hierarchia exercet vi magisterii, non tantum attingere catholicos, sed omnes homines. Ideo tollenda sunt verba: « *pro catholicis* »).

5. N. 19, pag. 16, a lin. 29 et ss. usque ad pag. 17, lin. 5. Textus uti iacet relationem habere videtur tantum ad consociationes Actionis Catholicae *sensu stricto* sumptas. Latius itaque enuntiari debent quae in hoc numero habentur, ita ut textus vi polleat etiam quoad omnes associationes apostolatus laicorum.

Praeterea, sicut semper in Ecclesia admissum est, piarum consociationum consiliarii spirituales seu sacerdotes cappellani, non debent ab episcopis nominari, sed libere eliguntur ab ipsis associationibus, *saltem privatorum,* inter sacerdotes ab episcopo approbatos. Sane episcopus (vel superior religiosus, pro associatione propriae religioni unita) potest interdicere ne talis sacerdos hoc munus accipiat, sed principium est semper quod ipsae associationes (saltem privatae, *quae scilicet libere a fidelibus sunt conditae*) sibi eligant cappellanum.

Tandem in hoc numero verba lin. 34, pag. 16 et linn. 1 et 2, pag. 17 ita sonant ac si sacerdotibus cappellanis demandaretur directio spiritualis illorum fidelium qui in associationibus congregantur. Iamvero munus cappellani est tantummodo activitatem consociationis fovere et bonum spirituale membrorum curare quatenus in associatione partem habent. Quapropter alia proponenda videtur redactio: « Sacerdotes, qui munere consiliarii spiritualis vel cappellani aliove munere funguntur, seligantur qui apostolatui laicorum iuvando idonei et apte formati sint. Qui vero huic ministerio vacant, cum semper vi missionis ab hierarchia acceptae agant, hancque repraesentent in sua actione pastorali, aptas laicorum relationes cum ipsa foveant, et quam maxime cordi habeant ut fideles sint doctrinae et spiritui Ecclesiae; ut bonum spirituale et sensus apostolicus in consociationibus sibi commissis promoveatur sese impendant, semper curantes ut libertas fidelium in seligendo confessario directoreve spirituali integra servetur; omnium apostolicae operositati sapienti consilio suo adsint atque incepta foveant; ... ». (Omni prudentia vitari debet ne cappellanus sibi arrogare possit ius exigendi aliquo modo ut membra suae associationis directionem spiritualem seu « educationem vitae spiritualis » ab ipso recipiant. Hoc vero — quod pro dolor iam contingit in aliquibus associationibus fidelium — esset pro laicis impositio alicuius obligationis quae nequidem religiosis imponitur, quia libertatem conscientiae laederet).

6. N. 19, pag. 17, linn. 16-17. In hoc numero dicitur: « curent (pastores) ne conditio iuridica eorum (laicorum) indefinita relinquatur ». *Haec verba tolli debent,* eo vel magis quod ambigua sunt. Ex eo enim quod laici partem habent in actione apostolatus nulla exsurgit nova condicio iuridica pro ipsis. Omnes laici tenentur suo modo partem habere in apostolatu, uti in textu affirmatur. Hanc autem partem habent uti laici fideles, sed ex eo minime quidem habetur nova condicio iuridica. Immo vero, ad efficacitatem eorum apostolatus roborandam, omnino non expedit ut ista condicio, clara et bene definita, qua fruuntur — sunt enim laici sensu pleno, coram Ecclesia et coram Statu —, ulla de causa immutationem vel limitationem patiatur.

19

Exc.mus P. D. SAMUEL RUIZ GARCÍA
Episcopus Chiapasensis

1. Ad n. 11, pag. 11, lin. 16, sequens proponitur insertio: « Urget ergo ut laici, ipsa sua officia et munera quibus funguntur sciant pretiosa esse instrumenta, quibus tali modo uti debent, ut operam etiam conferant... ». Ista, vel simili alia redactione, clarius patebit laicum debere in sua ipsa « professione » vel « officio » exercendis, mentem christianam et apostolicam possidere, technica scil. praeparatione excellendo, et artem, officium vel professionem suam ubique exercitando ut actio eius emineat iustitia et caritate.

2. In schemate nonnisi indirecte sermo est de instaurando ordine christiano in *iustitia sociali* fundato. Cum autem hodiedum sive ex factis et experientia, sive ex monitis iteratis Pontificum, christiana ordinis temporalis instauratio in iustitia sociali sit omnino necessaria et urgens, in modo expresso in schemate videtur esse asserendum.

20

Exc.mus P. D. FRANCISCUS SIMONS
Episcopus Indorensis

1. Ad prooemium, pag. 5, lin. 11: addatur « scholasticus » ante « scientificus... ». *Ratio*: progressu praesertim *scholastico* maturitas laicorum eorumque aptitudo ad apostolatum aucta est. Verbum « scientificus », saltem pro populis linguae anglicae, nimis spectat scientias rerum naturalium.

2. Ad n. 11, pag. 12, linn. 10-14: qualitates quae hic urgentur non sunt, ut verbis suggeritur, mere « humanae quae a natura requiruntur », sed, excepta aliquomodo « rerum peritia », sunt etiam virtutes religiosae quae a Deo et religione christiana requiruntur (et non tantum ut conditiones sine quibus vita christiana... consistere nequit, sed ut virtutes constitutivae).

Ergo substituantur verba sequentia: « Ut colantur speciali cura etiam illae virtutes vel qualitates humanae quae merito a non credentibus maximi habentur » etc.

3. Ad n. 12, pag. 12, lin. 23: supprimantur verba, quamquam vera « evangelici apostolatus propositum fovent, fidei semitam expediunt ». *Rationes*: 1. Non bene congruunt cum dictis in linn. 19-20 « illo spiritu adimplenda... etc. ». 2. Ne haec, ut non credentes saepe obiiciunt, fiant propositum verum vel praecipuum propter quod opera misericordiae et caritatis fiant. 3. Sufficienter exprimitur immediate postea, in lin. 32, et alibi passim.

21

Exc.mi EPISCOPI APOSTOLICAE REGIONIS OCCIDENTALIS GALLIAE

Apostolicae Galliae Occidentalis regionis episcopi, Andegavi die 9 iunii 1964 congregati, schema decreti *de apostolatu laicorum* inspexerunt.

Observationes generales. Propositum decreti *de apostolatu laicorum* primo

schematis textu multo potius est, et Galliae Occidentalis episcopi commissioni apostolatus laicorum gratias agunt et gratulantur ob huius novi schematis virtutes. Praecipue probaverunt: breviorem textum; rerum clariorem et rationaliorem relationem; processum quem Ecclesiae vitae feret hoc publicum scriptum, quod primum huius generis de laicis editum est; ubertatem huius schematis, quod multa utilissima de apostolatu laicorum continet; praecipue: quod in eo commoratur quod apostolatus laicorum ad ipsam Ecclesiae testimonii essentiam pertinet (pag. 7, lin. 5), quod christiana vocatio sua natura vocatio est ad apostolatum (pag. 6, lin. 1), quod laici Ecclesiae missionis rationem reddituri sunt (pag. 10, linn. 36 s.); sacramentale fundamentum laicorum apostolatus, ob baptismum, confirmationem, Eucharistiam; quod Actionis Catholicae magnitudinem agnoscit; quod reverentiam varietati populorum praestat, et curat ut apostolatus laicorum ceteris quoque nationibus pateat; quod vult non nimis fixas esse illas apostolatus formas quae tantum locales vel transitoriae sunt; quod attendit ad vitae ambitus, societatis structurae resque temporales; quod in iure ecclesiastico et apostolatus compositione solidis effectibus favere vult; quod laicorum, hierarchiae coniunctorum, libertatem servat et simul magnum apostolicarum consociationum momentum instat; quod eos qui christiani non sunt spectat; quod in formatione locum tribuit ipsis apostolicis consociationibus et homini qui verius apostolus esse cupit; quod instanter affirmat apostolum servire, non dominari velle debet.

Universum ergo propositum laudandum est, et observationes sequentes id perfecturae, nullo modo incusaturae sunt.

Propositiones et notae ad emendandum schema.

Prooemium: pag. 5, linn. 17-19: « non solum ob insufficientem numerum cleri... », *prop.*: « non solum ob insufficientem numerum cleri, sed praesertim ob alienationem quarumdam provinciarum vitae humanae ab omni ordine religioso vel ethico, at multo plus ob ingentem laborem quam populus Dei in mundo moderno ad implendum vocatur ». *Ratio*: praeter negativas causas quae laicorum apostolatum urgentiorem faciunt (sacerdotum penuriam, dechristianisationem, morum depravationem), decet, ratione habita observationum quae in lineis praecedentibus (linn. 11-16) continentur, ingentem laborem qui hodie laicos manet indicare.

I. *De laicorum vocatione apostolica*: pag. 5, lin. 25: « Deum glorificando, animas salvando, instaurando omnia in Christo », *prop.*: « Deum glorificando, *homines* salvando, instaurando omnia in Christo ». *Ratio*: cum missio Ecclesiae generaliter affirmatur, opportunum est ostendere Christum ad totum hominem salvandum, non vero eius solam animam, venisse: ad quam veritatem accipiendam hodierni homines sunt paratissimi.

Pag. 6, linn. 23 ss.: post sex primas lineas, transire videtur ad rem aliam quam quod titulus promittebat; praeterea, quamquam bonum erat orationis mortificationisque pretium et vim apostolicam instanter praedicare, tamen haec omnia cum apostolica vita coniuncta parum ostenduntur. Nonne oporteret illas lineas reficere, loquendo de adorationis testimonio, de orationis necessitate ut Christus annuntietur, de mortificatione apostoli coniuncta cum eius evangelico testimonio et dissentionibus ab eo suscitatis, de spei testimonio in dissensionibus quas suscitat eius fidelitas ac Iesu Christi testimonium? Verba quae exc. D. Fourrey de laicorum sanctitate dixerat cum schema *de Ecclesia* perspiceretur profecto prosint ut solidius exprimatur quid esse in concreto debeat laicis sanctitas.

Pag. 6, lin. 33: nonne hic oporteat illustrare vim apostolicam temporalis actionis ut signum Evangelii et viam testimonii?

Pag. 7, linn. 8-9: « Omnis educatio christiana includat necesse est formationem quoque ad apostolatum », *prop.*: « omnis educatio christiana necessario debet esse formatio ad apostolatum ». *Ratio*: post optima verba: « Cum vocatio ad apostolatum ad essentiam ipsam pertineat vocationis christianae », verbum « quoque » supervacuum videtur, nam non est christiana educatio quae non est apostolica.

Pag. 7, lin. 19: in textus ipso sensu, hae lineae utiliter sint paulo explicatiores in eo quod attinet ad educationem fidei in vita ac fidem ducentem sententias iudiciaque in eventis.

II. *De communitatibus et vitae ambitibus.* Generalis praesentationis nota: Familiae et Ecclesiae communitatum apostolatus duas trium partium capituli tenet, quarum tertia tantum in vitae ambitus et apertas omnibus consociationes impenditur; qui tamen notabilem personarum vitae partem constituunt; et tam Concilii cura quam praesentis mundi exspectatio atque Ecclesiae saeculorum priorum vita id nos attendere faciunt quod christianus non in clauso mundo (ghetto) sed in mundo vivit. Nonne huic inaequalitati medendum sit sive magis nn. 7 et 8 explicando, sive in iis paragraphis verbis utendo etiam gravioribus, ut ostendatur pondus rerum quae in iis tractantur?

Ad n. 5: nota generalis: Licet titulus sit « De campis apostolatus », familia magis habetur apostolatus medium quam locus.

Pag. 8, linn. 16-17: nonne in familiari domo ambo coniuges potius quam coniux quisque amoris Christi et Ecclesiae signum sunt?

Pag. 8, lin. 25: « ad defensionem quoque iurium familiae », *prop.*: « ad promovendam vitam familiae ». *Ratio*: in lin. 19 iam memoratae sunt « difficultates nostrae aetatis »; nonne melius est positivo modo exprimere id quod iurium familiae defensio negativo exprimit?

Pag. 9, linn. 8 ss.: *prop.* add.: « Vitae professionalis rationes, quamvis verae sint, nec solae nec maximae videntur in apostolatu qui strictos paroeciarum fines praeterit.

Mundi hodierni socialisatio, migrationes, communicationis socialis media faciunt ut paroeciae magis magisque inter se dependeant. Laici qui Ecclesiae communitatum apostolatui laborant tenentur, ut suo apostolico officio fungantur, ipsius paroeciae fines praetergredi » (sequitur: necessarie requiruntur... lin. 9). *Ratio*: in linn. 8-11, vera dicuntur, sed aliae insuper sunt rationes.

Pag. 10, lin. 9: nota praesentationis: in hac paragrapho, quae laudanda est, opus sit forte ut de servitii animo, sicut alibi in schemate, etiam dicatur. Sin, saltem in legendo, timendum est ne associationes apostolatus ut occulte occupare conantes videantur.

III. *De finibus assequendis*: pag. 10, linn. 18-33: lin. 18: « Apostolatui autem Ecclesiae... numquam defuit sollicita et efficax collaboratio laicorum... », *prop.*: « In apostolatu Ecclesiae... numquam defuit actio laicorum, qui... ».

Linn. 29 et 31: « Nostris quidem temporibus laici Ecclesiam multimode adiuvant...; immo laici, sua experientia et studio auxilium praebent Ecclesiae ut in hodiernis... », *prop.*: « Nostris quidem temporibus in Ecclesia laici multimode concurrunt, ut ipsa...; immo, sua experientia et studio, laici multum conferunt ut Ecclesia in hodiernis sat perplexis... ». *Ratio*: ob haec verba credendum sit,

contra schematis animum et explicitas affirmationes (v. g. pag. 16, linn. 24-26), laicos ab Ecclesia distingui; propositae mutationes eo spectant ut in hac re omnis ambiguitas vitetur.

Ad n. 11, pag. 11 et 12: sequentes annotationes propositiones hunc textum emendaturae tantum sunt: nam par. 11 optima est in scopo, in attentione ad ordinem temporalem, in multis locis et, si cupiendum est ut emendetur, valde noxium sit ut tollatur.

1. Quaedam formulae aliquam ambiguitatem praebent et intelligi possunt ut hortantes instituta quaedam quae « ordinis christiani » instaurationem cogitant: v. g. ad lin. 6, titulus: « De ordine temporali christiane instaurando »; lin. 28: « Ad christianam ordinis temporalis instaurationem »; lin. 32: « Christianae ordinis temporalis instaurationi... »; linn. 33-34: « in temporali ordine... ad Christi gloriam instaurando », etc.

Quomodo vitabitur periculum ambiguitatis de « ordine christiano »?

a) Primo necesse est breviter ea memorare quae sequuntur temporalis ordinis ordinationem ad finalem omnium rerum instaurationem in Christo, quae in conditione praesenti fieri inchoat, i. e.: naturalium valorum et ordinis rectificationem, vinculum concretum quod mundum cum Christo coniungit per hominem, qui vita Christi vivendo in mundum dominatur, per homines magis magisque in amore (agapè) viventes.

b) Sed quoque refert aliquas formulas in melius mutare: *verbi gratia*: lin. 6: titulus: « De actione in ordine temporali secundum consilium Dei ».

Prop.: lin. 14: « ita quidem ut, integer manens in sua natura, lege morali, quam caritas perficiat, exstruatur et ultimatim ad Deum, per Christum, ordinetur ». *Ratio*: verbum « ultimatim » eo spectat ut, idea servata, distinguantur fines, qui eodem loco non ponendi sunt.

Prop.: linn. 16-19: sic reficiatur textus: « Urget ergo ut laici, fraterne laborantes cum aliis hominibus, ordinem temporalem construunt, restaurantes eum ac perficientes secundum consilium Dei ».

Lin. 28: « Ad instaurationem ordinis temporalis vere humani et divina caritate informati, exiguntur proinde veritas revelationis... ».

Lin. 32: « Ad hoc opus in ordine temporali perficiendum totius Ecclesiae est operam dare ».

2. Nihil dictum est de valore revelationis quem habet actio christiani in ordine temporali; quae tamen fidei signum esse potest et debet in Deum qui homini mundum creavit, qui hominem amat, qui eum in humana conditione redimit, qui iterum venturus est; quae vivum amoris et spei testimonium esse potest per modum quo vivitur.

3. Nec dictum est de apostolico valore actionis quae fit cooperando in amore cum iis qui christiani non sunt ut statuatur ordo temporalis qui hominibus et hominum inter se amori serviat: ibi tamen est initium itineris ad Christum eorum qui non credunt.

Pag. 12, linn. 10-14: *prop.*: « Amor christianus et efficacitas apostolatus postulant ut colantur etiam qualitates humanae quae a non credentibus maximi habentur, ut sunt probitas, sinceritas, fortitudo, prudentia, humanitas, rerum peritia ac sensus civicus; a natura etenim requiruntur, et ideo sine his nec vita christiana, nec efficax testimonium caritatis consistere potest ». *Ratio*: verba « quae

a natura requiruntur » loco mota sunt ut melius indicaretur vitam vere humanam sine his qualitatibus non exsistere.

Ad n. 12, pag. 12: nota: melius ostendendus sit actionis caritativae valor ut Deus reveletur: nam est signum Dei, qui est Amor, qui nomine quemque amat, qui hominem in eius concreta humana vita amat.

IV. *De formis associativis.* Ad n. 13, pag. 13: nota: Iterum iterumque in schemate notio communitatis de apostolis apparet (interdum melius indicari etiam possit), at hic communis vel collectivus aspectus satis conspicuus non est de his ad quos dirigitur apostolatus: schema quidem de vitae ambitibus loquitur, sed non, vel non satis de communibus mentibus, de « collectiva » evangelizatione, quae, quod ad obiectum attinet, una sunt causarum apostolicarum associationum. Ita, in hac paragrapho, agitur de unitatis signo quod est consociatio, sed non satis explicatur cur personarum apostolatus non plene fructuosus futurus sit nisi earum in apostolicis associationibus unione. Necesse sit aliquot lineas impendere mentibus communibus et « collectivae » evangelizationi. Quae locari possint fine n. 13, vel, si potius videatur, in par. 7, quae de vitae ambitibus tractat (in linn. 29 ss., pag. 9), vel etiam in par. 10, quae de hominum conversione et eorum ad Deum progressu loquitur (pag. 10).

Duae notae in fine: 1. Schema biblice infirmius est: inter Scripturas citationes, multae potius ornamento sunt: aliquot textus epistolarum ad Ephesios et ad Colossenses in paragrapho « De ordine temporali » adhiberi possint; alii, e. g. *Phil.* 2, 15-16, usui esse possint de testimonio communitatis in mundo; *Mt.* 5, 14-15 adhibere quoque possit.

2. Deficiente longo prooemio, quod schematis dimensiones non patiuntur, brevior generalis conspectus, ostendens Ecclesiae apostolatum cum consilio divino congruentem, adiumento sit ut globatim conspiciatur apostolicum Ecclesiae testimonium, ut explicetur revelationis valor christianorum temporalis actionis, ut fortasse melius collocetur omnium rerum in Christo instauratio.

23

Exc.mi PP. DD. CONCILIARES LINGUAE GERMANICAE ET SCANDIAE

A Patribus linguae Germanicae et Scandiae sequentes mutationes et transpositiones ad schema *de apostolatu laicorum* proponuntur (textus sublineatus novus est):

Ad prooemium. Pag. 5, lin. 8: Post primum comma sequentia duo commata addantur: « *Quam apostolicam operositatem laicorum Concilium non solum in illis operibus et actionibus agnoscit, quae immediate missionem Ecclesiae sequuntur, sed etiam in iis, quae ordini temporali inserviunt, quo in ordine professio unicuique propria locum peculiarem obtinet. Etsi hae activitates, humanae industriae debitae, cum apostolatu remote tantum saepe coniunguntur, tamen ordinem huius mundi ad laudem Creatoris vere promovent et haud parum in supernaturalem hominum condicionem influere valent. Quarum valor proprius non eo diminui censendus est, quod hoc in decreto ad rationem apostolatus potius attenditur.*

Concilium insuper hoc loco non de tota activitate apostolica laicorum tractat; afferuntur solummodo aliqua eius elementa, quaestiones et applicationes, quae

spectatis temporibus nostris maioris momenti esse videntur ». *Ratio*: quo modo instauratio ordinis temporalis iam ab initio textus in suo proprio et apostolico valore satis extollitur.

Pag. 5, linn. 16-19: phrasis incipiens verbis « Hic apostolatus » etc. ita sonet: « Hic apostolatus suapte natura necessarius, hodiernis in adiunctis urgentior adhuc efficitur, non solum ob insufficientem numerum cleri, *sed etiam quia autonomia quaedam multarum provinciarum vitae humanae magis evoluta apparet — aliquando sane cum quadam alienatione ab ordine religioso vel ethico — ita ut revelatio divina ad has provincias de novo et theoretice et practice applicari debeat* ». *Ratio*: motivum saecularizationis hodiernae ita magis positive exprimitur.

Pag. 5, lin. 19: phrasis incipiens verbis « Huius necessitatis » etc. sic sonet: « *Quam necessitatem superare valet illa operatio Spiritus Sancti, qua ubique hodie laici ad profundiorem Ecclesiae cognitionem perducuntur et in servitium Christi eiusdemque Ecclesiae suscitantur* ». *Ratio*: hodierna motio laicorum imprimis cum innovata Ecclesiae cognitione connexa est.

I. *De laicorum vocatione apostolica.* Ad n. 1. (*De participatione laicorum in missione Ecclesiae*): pag. 6, lin. 16: post comma incipiens verbis « Hic apostolatus » etc. (lin. 14) addatur phrasis: « *Specialis huius apostolatus laicorum locus est ordo temporalis* ». *Ratio*: quae additio magis correspondet huic, quae supra de apostolatu iam dicta sunt.

Ad n. 2 (*De apostolatu ab omnibus et singulis exercendo*): pag. 6, lin. 31: Post verbum « pauperum » addatur: « *afflictorumque* sollicitudine... ».

Pag. 6, lin. 35: melius: « christianam *magis* possibilem... ».

Pag. 6, lin. 36: loco textus incipientis a verbis « Verus denique... » sequens proponitur: « *Opera autem apostolatus se manifestent quaerendo occasiones Christum annuntiandi, verba exhortativa proferendi, campos vitae modo christiano efformandi, professionem propriam ad bonum etiam spirituale aliorum dirigendi;* eo magis... ». *Ratio*: novus textus magis muneri in Ecclesia docendi, regendi et sanctificandi (uti supra lin. 3) correspondet.

Ad n. 3 (*De formatione apostolica*). Pag. 7, lin. 19: post verbum « fovendas » textus uti sequitur sonet: « Rerum natura atque amor christianus postulant, ut colantur etiam qualitates humanae, quae *iure ab omnibus* maximi habentur, uti sunt probitas, sinceritas, fortitudo, prudentia, humanitas, rerum peritia ac sensus civicus, sine quibus nec vita christiana, nec efficax testimonium caritatis consistere potest (vide n. 11, pag. 12, lin. 10). Instituendi sunt *insuper laici,* ut christiane iudicent de adiunctis rerum, utque suam actionem apostolicam spiritu evangelico eis adaptent ». *Ratio*: textus pag. 12 insertus heic meliorem locum habere videtur.

II. *De communitatibus et vitae ambitibus.* Ad n. 5 (*In familia*): pag. 8, lin. 25: loco commatis incipientis a verbis « Ad sustentationem » etc. sequentia proponuntur: « *Ut familia haec sua officia adimplere possit, requiritur, ut omnes curam habeant etiam condicionum eius socialium et oeconomicarum necnon defensionis publicae eius honoris et iurium. Ad haec omnia, et etiam ad auxilium in ipsa activitate apostolica mutuo praestandum, opportunum censendum est, familias in coetus quosdam sese congregari* ». *Ratio*: textus hic propositus rem, de qua in loco correspondenti schematis agitur, distinctius exprimere videtur.

Ad n. 6 (*In Ecclesiae communitatibus*): pag. 8, lin. 30: loco « manifestat » melius « manifest*et* ».

Pag. 8, linn. 30 ss.: melius: « Laici, nutriti actuosa participatione *vitae liturgicae in paroecia,* sollicite partes agant etiam in operibus apostolicis ».

Pag. 9, lin. 9: post verbum « necessarie » addatur verbum « *etiam* », ne uniones paroeciales aliis postponantur.

Ad n. 8 (*In coetibus omnibus patentibus*): pag. 10, lin. 3: textus uti sequitur transponatur: « Dum igitur in ambitu vel laboris, vel professionis, vel studii, vel incolatus, vel otii, coetus omnibus patentes participant, *laici* sese strenuos sollicitosque inter socios *ostendant, ut nempe vita et operositate sua commendatur fides quam profitentur* ». *Ratio*: quae transpositio melius conceptui apostolatus laicorum supra exposito correspondet.

Pag. 10, lin. 7: secundum comma incipiens a verbo « Unde valde » etc. sic sonet: « Valde optandum est, ut fideles laici *sese ad hunc apostolatum in coetibus et institutis praeparent, quae eis mutuam formationem et consilium praestare valent* ». *Ratio*: quae mutatio propter cohaerentiam cum emendatione praecedenti servandam proponitur.

III. *De finibus prosequendis*: Ad n. 9 (*Apostolatus obiecta et distinctio*): pag. 10, lin. 10: primum comma ita sonet: « Cum pressius obiecta apostolatus laicorum considerantur, distingui possunt quae ad finem evangelizationis hominumque sanctificationem immediate pertinent ab iis quae ad finem *ordinis temporalis instaurandi cumque spiritu Christi animandi* immediate attinent; idem autem laicus... ». *Ratio*: quae mutatio proponitur, ut ordo temporalis ut campus specialis apostolatus laicorum magis extollatur.

Ad n. 11 (*De ordine temporali christiane instaurando*): p. 11, linn. 6 ss.: quo pro numero textus novus proponitur: « Cum Deus omnipotens universum mundum disposuerit ad gloriam suam communicandam, meminerint christifideles *laici* se vocatos esse, *ut una cum omnibus hominibus* ad universum temporalem ordinem perficiendum *cooperentur.*

Opera temporalia *exerceant* secundum leges ipsis inditas et ad fines eorum proprios consequendos, *ea non ut mera apostolatus instrumenta considerantes.*

Formae et methodus actuositatis commendentur quae leges proprias diversorum ambituum ordinis temporalis integras servent, quaeque melius variis in decursu historiae condicionibus populorum, communitatum, institutionum, coetuum aptentur et quibus universalia vitae humanae principia, rerum natura atque concretis temporum et locorum adiunctis spectatis, efficacius applicari possunt.

Ad ordinem temporalem in Christo instaurandum exiguntur *insuper* veritas revelationis *et lumen fidei,* ut securius et clarius valores humani percipiantur eorumque connexio cum supernaturali ordine, atque gratia Dei, ut diu homo possit perseverare in integro ordine perficiendo.

Ordinis temporalis in Christo peragendae instaurationi ac perfectioni totius Ecclesiae est operam dare. Laici vero in temporali ordine, quem actio hierarchica qua talis directe non attingit, instaurando peculiares partes habent; et ideo responsabilitate propria agant oportet.

Quem ordinem rerum temporalium ipse *ergo etiam* apostolatus *laicorum* attingit, pervadit atque informat ut, integer manens in sua natura, lege morali, quam caritas perficiat, exstruatur et ad Deum, per Christum, ordinetur. *Laici ita*

prae aliis suis officiis et muneribus fungentes concurrant ad exsequendum consilium Dei tam naturalia quam supernaturalia in se complectens, ita ut ordinem temporalem restaurent ac perficiant eumque spiritu Christi imbuant ». *Ratio*: nonnullis transpositionibus et paucis immutationibus textus competentia laicorum in ordine temporali innovando evehitur.

Ad n. 12 (*De actione caritativa erga proximum*): pag. 12, linn. 15 ss.: ad ea, quae de caritate dicuntur, sequentia addantur: « *Praesertim autem commendatur actio caritativa pro nationibus evolvendis. Singulae Ecclesiae enixe invitantur, ut sese huic operi omnibus quas habent viribus dedicent* » (ex Encyclica *Mater et Magistra*). *Ratio*: opus adiuvandi nationes evolvendas tanti momenti est, ut in contextu actionis caritativae certe silentio praeteriri nequeat.

IV. *De formis associativis.* Ad n. 15 (*Associationes fidelium in iure condito et condendo*): pag. 14, lin. 13: post verbum « dicuntur», addatur: « *convenienter* in ius... ».

V. *De ordine servando.* Ad n. 18 (*De relatione ad hierarchiam*): pag. 16, lin. 20: melius: « ips*um* hierarchic*um* apostolatum suo modo participant*es* quoad muneris... ». *Ratio*: unio apostolatus ita melius declaratur.

Ad n. 20 (*De mutua cooperatione*): pag. 17, lin. 33: post verbum « sociali » addatur: « *vel aliis* ».

Pag. 18, lin. 3: loco verborum « eodem modo » melius: « *similia* ».

Ad n. 21 (*De cooperatione cum aliis christianis et non-christianis*): pag. 18, lin. 18: phrasis incipiens verbis « Hac cooperatione » etc. melius ita sonet: « Hac cooperatione dynamica et prudenti, *quae peculiaris momenti in activitatibus temporalibus est,* testimonium praebent Christo, Salvatori mundi, et unitati familiae humanae ». *Ratio*: momentum ordinis temporalis in vita laici denuo evehitur.

24

QUIDAM EXC.MI PP. CONCILIARES AFRICAE CENTRO-ORIENTALIS

A) *In genere*: schema placet.

B) *In specie*: ad n. 6 (pag. 9, linn. 6-7): non obstantibus iis quae pag. 38 dicuntur, rogamus ut omittantur verba finalia huius alineae « iuxta illud S. Ignatii » etc., quia: *a*) nihil revera ad vim praecedentium addunt; *b*) possent minus recte interpretari, praesertim cum a S. Ignatio *de clero tantum* dicta sint.

Ad n. 20 (pag. 18, linn. 8 ss.): textus prouti iacet, non obstantibus iis quae dicuntur in pag. 57, non videtur satis excludere falsum centralismum. Ideo lin. 8, post verba « centrum quod » inseratur: « centrum quod quidem non habeat functionem directivam vel stricte coordinativam sed tantum informativam et consultativam eo sensu ut aptis instrumentis » etc. sicut in textu.

[*Subsignaverunt*] Adam Kozlowiecki, arch. Lusakaensis; Guido del Mestri, arch. tit. Tuscamiensis; Franciscus Mazzieri, ep. Ndolaensis; Marcellus Daubechies, ep. Kasamaensis; Ioseph Fady, ep. Lilongweensis; Firminus Courtemanche, ep. de Fort Jameson; Adolphus Fürstenberg, ep. Abercornensis; Renatus Pailloux, ep. de Fort Rosebery; J. L. Jobidon, ep. Mzuzuensis; Iacobus Corboy, ep. Monzeensis; Nicolaus Agnozzi, ep. tit. Adramittenus; Clemens Chabukasansha, ep. tit. Cibiraensis; Rupertus Hillerich, praef. ap. Solweziensis.

II [5]

1. Schema decreti

DE CLERICIS *

Caput I

DE VITAE SACERDOTALIS PERFECTIONE[1]

1. [*Prooemium*]. Sacerdotii munus est, in participatione sacerdotii Christi Domini, sacrificium offerre, sacramenta administrare, fideles ad sanctitatem perducere, ceterosque ad Ecclesiae sinum restituere aut convertere.

Cum vero ad omnia haec rite obeunda, virtus ac perfectio summopere iuvent, ideo Sacrosancta Tridentina Synodus opportune iam admonebat: « Nihil est, quod alios magis ad pietatem et Dei cultum assiduo instruat, quam eorum vita et exemplum, qui se divino ministerio dedicarunt. Cum enim a rebus saeculi in altiorem sublati locum conspiciantur, in eos tamquam speculum reliqui oculos iniiciunt, ex iisque sumunt quod imitentur ».[2]

Ceterum, saeculis decurrentibus, constanter per Ecclesiae magisterium, per acta Pontificum et Conciliorum, sacerdotalis sanctitas inculcata est, novissime vero Sanctae Sedis hortamentis frequentius ac vehementius datis, proprie in sacerdotalis vitae perfectione positum ingruentium hodie malorum remedium promptum, idque efficacissimum indicatum est.

---

* In fasciculi initio legitur: « Ss.mus Dominus Noster Ioannes Pp. XXIII, in audientia hac die infrascripto impertita, statuere dignatus est ut hoc schema, in Concilio Oecumenico Vaticano Secundo discutiendum, ad eiusdem Concilii Patres transmitteretur.

Ex Aedibus Vaticanis, die XXII mensis Aprilis, anno MCMLXIII.

Hamletus Ioannes Card. Cicognani
a publicis Ecclesiae negotiis

Notae, quae singulis schematis capitibus adiciuntur, schematis partem non efficiunt, sed a Commissione Conciliari ideo exaratae sunt, ut Patribus schema pervestigantibus essent subsidio. Verba autem, initio singulorum numerorum litteris inclinatis inter uncos [ ] posita, in redactione definitiva tollentur ».

[5] Quamquam omnibus dictum est: « Estote ergo vos perfecti, sicut et Pater vester caelestis perfectus est »,[3] ad illam tamen perfectionem colendam peculiari titulo adstringuntur sacerdotes, quos in ordinatione sacra Ecclesia monuit « fide et opere debere esse perfectos, seu geminae dilectionis, Dei scilicet et proximi, virtute fundatos ».[4] Sacerdos enim, prae ceteris fidelibus, « sal terrae et lux mundi » esse debet.[5]

Immo, quo magis crescit hominum a Deo defectio atque abscessio, eo urgentior sedulitas atque attentio sacerdotis fit eo consilio ut se arctius cum Christo coniungat, in spiritu Pauli Apostoli, cui « vivere Christus est »,[6] ac se immunem servet a saeculi vitiis, nunquam bonis temporalibus cor apponendo, sed Iesu mortificationem in corpore suo circumferendo,[7] atque ab omni mundano aestimandi atque ratiocinandi modo iuxta placita naturalismi quem vocant.

[6] Ideo, Sacrosancta haec Synodus, quae eo tendit potissimum ut vita in toto orbe christiano renovetur ac roboretur, viaque sternatur ut omnes ad Ecclesiam Sanctam convertantur, ita ut adiuvante Deo citius fiat « unum ovile, et unus pastor »,[8] cum praestantissimum inter subsidia ad hunc finem assequendum sacerdotalem sanctitatem reputet, adhortationes ad clerum Summorum Pontificum S. Pii X, Pii XI, Pii XII ac fel. regn. Ioannis XXIII prae oculis habens, easque enixe commendans, haec insuper consideranda et exsequenda esse statuit:

2. [*Fundamentum exigentiae sanctitatis sacerdotalis*]. Sanctitas in sacerdote eo praesertim exigitur, quod ille, per sacramentum Ordinis et characterem sacerdotalem Christi aeterni Sacerdotis instrumentum efficitur, novoque titulo in Dei possessionem transit. Dum enim omnes « in Christo regeneratos, crucis signum efficit reges, Sancti vero Spiritus unctio consecrat sacerdotes »:[9] quosdam tamen, ex hominibus quidem assumptos,[10] Pontifex noster, sedens ad dexteram Patris, unctione Spiritus speciali modo consecrat sacerdotes, ut ipsi, in Corpore suo, « cuius universitas sacerdotalis est »,[11] Christi Capitis sacerdotium, ministerio episcopatus et presbyteratus, repraesentent, et in eius persona agant.

Sacerdos igitur ad eius perfectionem propius accedere debet, cuius partes sustinet,[12] atque peculiariter « homo Dei »[13] factus, ita inter homines se gerere debet, ut in ipso quodammodo sanctitas illius qui nobis factus est « sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus »[14] effulgeat.

3. [*Ipsum ministerium postulat sanctitatem in sacerdote*]. [6]
Ipsa quoque divini ministerii sanctitas postulat ut sacerdotes dignius quam fideles ceteri se Deo consecrent « mortis Dominicae mysterium celebrantes ».[15]

Meminerint « sacrificium Dominicum legitima sanctificatione non celebrari, nisi oblatio et sacrificium nostrum responderit passioni ».[16]

Verbum Dei praedicantes « quod docuerint imitentur »,[17] memores verborum S. Gregorii Papae: « Illa vox libentius auditorum cor penetrat, quam dicentis vita commendat, quia quod loquendo praecipit, ostendendo adiuvat ut fiat ».[18]

Denique sacerdos non tantum magister, sed medicus est animarum: « Si ergo in eius opere passiones vivunt, qua praesumptione percussum mederi properat, qui in facie vulnus portat? ».[19]

4. [*Sacerdotis sanctitas proprii muneris adimpletione alitur* [7]
atque augetur]. Sacerdotalis sanctitas muneribus alitur atque augetur, quae omnino propria sacerdotii sunt, praesertim vero:

a) oblatione piissima Eucharistici Sacrificii, ita ut non solum sacerdos « Eucharisticum sacrificium... celebret, sed etiam intima quadam ratione vitae vivat »; [20]

b) oblatione digna Sacrificii laudis, idest divini officii, quo « ascensus mentis animique Deo » sacerdos consequatur « ut cum beatis spiritibus laudes Eidem in aeternum concinentibus copuletur »; [21]

c) reverentia ac filiali oboedientia Episcopo praestanda, iuxta promissum in sacra Ordinatione datum, ut pax Domini sit cum eo semper;

d) amore confratrum, praesertim qui ministeriis dioecesis addicti sunt, item laicorum dioecesis cooperatorum;

e) caritate erga sacerdotes poenis ecclesiasticis innodatos, etiamsi a fide vel ab unitate Ecclesiae defecerint: quorum condicio Sacrae Hierarchiae continenter, et quidem maxime, cordi est. Ideo sacerdos, praesertim si amicitia coniunctus, lapsorum confratrum fiduciam excitet ac roboret, viam reditus — quantum fieri potest — apte disponendo, utcumque dilectionis ac sollicitudinis eloquium numquam intermittens, et solacium in adversitatibus praebens, et auxilium in necessitate;

f) ministeriis prompte ac libenter exercendis in bonum fidelium, maxime administratione sacramentorum ac verbi Dei, nullo tamen conamine intermisso aut posthabito amplexandi eos,

[7] qui Deum ignorant, vel negant, vel repellunt, his Dei amorem instanter patefaciens, divinamque voluntatem, quia Deus « omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire »; [22]

g) acquirendo ornamenta illa corporis et animi, quae, cum hominibus huius temporis valde placeant, ideo ipsi sacri ministerii felici exitui prodesse possunt: cuius generis sunt comitas, simplicitas ac sinceritas in agendo, modestia ac serenitas vultus, personae ac vestium decor, gestus atque adspectus dignitas, urbanitas, aliaque huiusmodi. Quocirca, illud Pauli Apostoli in rem esse videtur: « Quaecumque sunt vera, quaecumque pudica, quaecumque iusta, quaecumque sancta, quaecumque amabilia, quaecumque bonae famae, si qua virtus, si qua laus disciplinae, haec cogitate ».[23]

5. [*Sacerdos fratribus servire satagat, quo melius eos Christo*
[8] *adducat*]. Quamvis sacerdos sit fidelium sibi commissorum pater ac magister, continenter tamen recogitet verba Domini: « Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, et dare animam suam, redemptionem pro multis ».[24] Ideo numquam dominans aut dominari nitens, sed forma factus gregis ex animo,[25] ad Christum omnes adducere studeat, sibique idoneos cooperatores eligere in aedificationem corporis Christi.

6. [*Subsidia ad sanctificationem adhibenda*]. Quoad sanctificationis subsidia, haec maxime prae oculis habenda sunt:

a) oratio mentalis, cui peragendae quotidie congruum tempus reservandum est, praeter quam vocalibus precibus;

b) lectio spiritualis, qua animus enutriatur Scripturis Sacris, operibus SS. Patrum, exemplis Sanctorum;

c) amor filialis erga B. Virginem Matrem, quolibet die Rosario Mariano et aliis precibus honorandam;

d) quotidiana conscientiae discussio;

e) menstrua recollectio, frequens peccatorum confessio, directionis spiritualis usus, operum misericordiae exercitium, suffragia pro defunctis;

f) exercitia spiritualia quotannis peragenda, nisi Ordinarii expressa accesserit exemptio.

7. [*Vita communis fovenda*]. Vita communis, quantum fieri potest, in clero foveatur: item, sacerdotum conventus et adsociationes, ita ut a periculis e solitudine forte orientibus ipsi eripian-

tur, ac fraterno uniantur vinculo caritatis, orationis, pastoralis [8] collaborationis, recreationis.[26]

8. [*Consilia evangelica sectanda*]. Totam vitam suam sacerdos componere curet secundum evangelica consilia, ita ut in exemplum praeluceat ob animum solutum ab inordinato amore suipsius, personarum, rerum, ac quorumlibet bonorum temporalium. Ad castitatem autem quod attinet, eam summe aestimet sacerdos et practice observare curet iuxta traditiones ac praescripta ritus ad quem pertinet.

9. [*Instanter orandum et adlaborandum pro vocationibus*]. Sacerdos, cuivis muneri addictus, quacumque dignitate praefulgens, numquam enixas preces fundere ac strenue agere intermittat pro vocationibus ad statum ecclesiasticum et ad statum perfectionis christianae adquirendae: humillime et instanter a Domino [9] messis petat ut dignos ac multos operarios in messem suam mittere dignetur:[27] item, adolescentes prudenter eligere, consilio dirigere, quocumque auxilio iuvare studeat, ut praeclarissimum sacerdotii vel status perfectionis acquirendae finem, quem sibi forte adipiscendum proposuerint, quam citius et quam facilius consequi possint.

10. [*Apostolatus opera numquam intermittenda, et in eis crux cum gaudio amplectenda*]. Quoties eius labores infructuosi videantur, et afflictiones aut persecutiones interveniant, animi deiectionem sacerdos ne patiatur, nec in mundo levamen quaerat, sed apostolatus crucem agnoscere sciat, et eam tollens sequatur Dominum, ut adimpleantur ea quae desunt passionum Christi in carne sua,[28] gaudens se dignum factum esse pro nomine Iesu contumeliam pati.[29]

11. [*Semper se paratum praebeat ad perfungendum quolibet munere a Superiore commisso*]. Sacerdos numquam muneribus sibi concreditis ita adhaereat, ut paratus et promptus non sit ad ea dimittenda, et ad alia assumenda, quae, intuitu boni communis, vel ipsius sacerdotis, a competenti Superiore proponantur.

12. [*Sacerdotum aegrotantium cura*]. Sacerdotes aegrotantes, maxime si decumbunt, sollicite cum parocho communicare velint de opportunis religionis subsidiis ac de frequenti sacramentorum

[9] receptione: quatenus rerum adiuncta id postulare videantur, licentiam assequi studeant sacrum domi faciendi, aut aliis indultis fruendi. Confratres autem adeant infirmos, istos consolentur, ipsis sacramenta et omnia pietatis officia libenter praestantes, et, si casus ferat, etiam temporalia auxilia.

13. [*De testamento opportune faciendo*]. Ne sollicitudinibus nimiis hora mortis turbetur, tempestive sacerdos de pecunia ceterisque bonis vita durante disponat in favorem sive operum Ecclesiae, veluti Seminariorum, Sacrarum Missionum, etc., sive pauperum: vel, utcumque, de suo patrimonio decernat per testamentum, ad legis patriae praescripta exaratum.

14. [*Mors in spe et animo tranquillo recipienda*]. Tandem, hora mortis adveniente, spem roboret sacerdos, et animum erigat,
[10] verbum recogitans Pauli Apostoli: « Ego enim iam delibor, et tempus resolutionis meae instat. Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. In reliquo reposita est mihi corona iustitiae, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex: non solum autem mihi, sed et iis qui diligunt adventum eius ».[30]

NOTAE

[1] *Praenotanda*: Hoc *De clericis* Decretum, iuxta normas a Commissione *De Concilii laboribus coordinandis* datas, in tria Capita dividitur. In primo Capite (*De vitae sacerdotalis perfectione*) principia exponuntur de sacerdotali perfectione; subsidia indicantur quibus utens sacerdos ad ipsam consequendam tendere debet; et denique virtutes delineantur vitae sacerdotalis peculiares et propriae. In altero autem Capite (*De studio et scientia pastorali*) agitur de studio, quatenus ipsum ad officia status clericalis pertinet, et etiam necessarium est ad pastorale ministerium efficaciter adimplendum, cum ministerium hoc a sacerdote exigat tum congruam doctrinalem praeparationem, tum aptam personarum et locorum nostrae aetatis cognitionem. In tertio demum Capite (*De recto usu bonorum*) principia generalia ostenduntur circa fines quibus bona in Ecclesia destinantur, atque circa modum quo ipsa sunt administranda ad utilitatem apostolicam, pro honesta clericorum sustentatione ac sociali providentia, et in pauperum adiutorium.

Iussu quoque ipsius Commissionis *De Concilii laboribus coordinandis*, prae oculis habitis peculiaribus et urgentibus necessitatibus pastoralibus quorumdam socialium coetuum ac regionum, in fine Decreti specialis exhortatio addita est, ut sacerdotes omnesque Christifideles, spiritu apostolicae necessitudinis mutuae moti, ad hoc problema solvendum suam collaborationem enixe praestent.

[2] CONC. TRID., Sess. XXII, Decr. *de reform.*, cap. 1. [10]
[3] *Mt.* 5, 48.
[4] PONT. ROM., *De ordinatione Presbyteri.*
[5] *Mt.* 5, 13-14.
[6] *Phil.* 1, 21.
[7] Cf. *2 Cor.* 4, 10.
[8] *Io.* 10, 16.
[9] S. LEO MAGNUS, *Serm.*, 4, 1: *PL* 54, 149.
[10] Cf. *Hebr.* 5, 1.
[11] S. LEO MAGNUS, *Serm.*, 3: *PL* 54, 145.
[12] Cf. PIUS XI, Litt. Encycl. *Ad catholici sacerdotii,* 20 dec. 1935: *A.A.S.*, 28 (1936), p. 20.
[13] *1 Tim.* 6, 11.
[14] *Hebr.* 7, 26.
[15] PONT. ROM., *De ordinatione Presbyteri*; recolenda quidem sunt hic verba Sancti Thomae: « ad idoneam exsecutionem ordinum non sufficit bonitas qualiscumque, sed requiritur bonitas excellens; ut sicut illi, qui ordinem suscipiunt, super plebem constituuntur gradu ordinis, ita et superiores sint merito sanctitatis », *Summa Theol.*, Suppl., q. 35, a. 1, ad 3.
[16] S. CYPRIANUS, *epist.* 63: *PL* 4, 380.
[17] PONT. ROM., *De ordinatione Presbyteri.*
[18] *Reg. Pastor.*, 2, 3: *PL* 77, 28 B.
[19] S. GREGORIUS, *Reg. Pastor.*, 1, 9: *PL* 77, 22.
[20] PIUS XII, Adhort. Ap. *Menti Nostrae,* 23 sept. 1950: *A.A.S.*, 42 (1950), p. 667.
[21] PIUS XII, *l. c.*, p. 670.
[22] *1 Tim.* 2, 4.
[23] *Phil.* 4, 8.
[24] *Mt.* 20. 28.
[25] Cf. *1 Pt.* 5, 3.
[26] Peculiaris legislatio condatur de associationibus ecclesiasticis clericorum dioecesanorum, qua tamen indoles propria cleri dioecesani integra servetur et apte caveatur ne oppositae aut diversae sacerdotum classes oriantur, sed intacta permaneat, immo perfectior reddatur unio sacerdotum in dioecesi inter se et cum Episcopo, cui singuli sacerdotes dioecesani semper plane subsint oportet.
[27] Cf. *Mt.* 9, 37-38.
[28] Cf. *Col.* 1, 24.
[29] Cf. *Act.* 5, 41.
[30] *2 Tim.* 4, 6-8.

[12] CAPUT II

DE STUDIO ET SCIENTIA PASTORALI

15. [*Prooemium*]. Sacerdotes, non tantum memores verborum Domini docentis in eo esse positam vitam aeternam ut cognoscant homines solum Deum verum et quem misit Iesum Christum [1] Veritatem et Viam ad Patrem perducentem,[2] sed mandatum Eius etiam recolentes ut omnes gentes illam Veritatem doceant,[3] semper prae oculis habere debent praestantissimum sibi munus incumbere, cum participes sint sacerdotii Christi et collaboratores Episcopatus, verbum salutis populo praedicandi. Ideo toto animo eis curandum est ut per gratiam Dei in ipsis adimpleatur promissio illa divina: « Dabo vobis pastores iuxta cor meum, et pascent vos scientia et doctrina ».[4]

Quapropter Episcopus, in sacro ritu ordinationis, levitas admonet ut « sint maturi in scientia » et « sit doctrina eorum spiritualis medicina populo Dei ».[5] Sacerdos enim assumitur ab Episcopo in ministerium sacrum ut partem cum ipso habeat in cura animarum et in praedicatione fidei. Unde Ecclesia constanter monet ut « clerici studia, praesertim sacra, recepto sacerdotio, ne intermittant; et in sacris disciplinis solidam doctrinam a maioribus traditam et communiter ab Ecclesia receptam sectentur ».[6]

Docendi munus potissimum sane est censendum in sacerdotali ministerio. Attamen, id quod aliis est tradendum prius possideatur oportet, unde necessarium omnino est ut sacerdotes veri nominis scientia polleant, quae et ipsorum vitam supernaturalem alat atque foveat et cum populo ipsis commisso communicari possit « in omni patientia, et doctrina ».[7]

Ut autem Veritatem Christi Domini fructuose annuntiet, debet etiam sacerdos doctrinam tradere et verbis ad mentes audientium convenienter accommodatis et modo plane respondente peculiaribus nostrae aetatis condicionibus psychologicis et socialibus.[8]

Ad hunc vero finem consequendum, cum etiam ipse ordo naturalis a Patre luminum procedat, neque per gratiam ullo modo tollatur, sed elevetur, necessarium quoque est ut sacerdos, praeter scientiam sacram, sufficiente ditetur cultura humana generali et
[13] solida polleat informatione de scientiae profanae nostris diebus praecipuis acquisitionibus, iis praesertim quae laboris pastoralis efficacitati aptius favere valeant. Eo magis autem haec informatio

necessaria est, quod progressus harum disciplinarum, haud recte [13] intellecti, saepe occasionem praebeant, tum non credentibus tum etiam ipsis credentibus, obiectiones contra fidem movendi vel etiam oppositionem asserendi scientiam inter et Veritatem a Deo revelatam.

Ideo Sacrosancta haec Synodus, ut omnes sacerdotes munere suo mediatorum inter Deum et homines, magistrorum et pastorum efficacius in dies fungi valeant, haec consideranda et exsequenda statuit:

16. [*Studium ad officia status clericalis essentialiter pertinet*]. Studium est pro sacerdote « officium status » cui, non obstantibus laboris apostolici exigentiis, quae in dies continuo crescunt, post orationem potissimum momentum agnosci debet, quippe quod condicio sit necessaria tum ministerii pastoralis fructuose exercendi, tum propriae vitae supernaturalis pie nutriendae.[9]

17. [*Studium continuum et nostris diebus respondens requiritur*]. Proinde sacerdos conscius esse debet scientiam in Seminario acquisitam quasi viaticum pro tota vita sufficiens nullo modo efficere, sed cognitionem initialem tantum, quam necesse prorsus est in dies amplificare et altiorem reddere, ob oculos habitis mente, problematibus et necessitatibus hominum nostrae aetatis,[10] ut modo conveniente eam communicare possit secundum testimonium Malachiae prophetae: « labia sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore eius ».[11] Sic enim sacerdos potest dicere cum Paulo Apostolo: « omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos ».[12]

18. [*Sapientia fidei acquirenda*]. Ne autem hoc studium in encyclopaedica quadam massa cognitionum consistat, neque facili informatione de novissimis quaestionibus scientificis aut de technicis pastoralibus circumscribatur, ad veram *sapientiam christianam* acquirendam, quae omnia ad lucem fidei intelligit et ordinat, ipsum dirigatur oportet.[13] Ad quam quidem sapientiam assequendam Ecclesia, Mater et Magistra, iterum atque iterum Spiritum Sanctum ut det nobis « recta sapere » [14] nos exorare hortatur.

19. [*Scientia sacra*]. Scientia ministri sacri sacra esse debet, [14] nempe, e sacro fonte desumpta vel ad sacrum finem directa. Praeprimis igitur sacerdos Iesum Christum, unicum Salvatorem no-

[14] strum, cognoscere debet, qui est manifestatio Patris, et cuius persona, vita et doctrina revelatio sunt Veritatis.[15] Haec scientia haurienda primo est, uti patet, ex lectione et meditatione Sacrae Scripturae, iuxta illud Sancti Hieronymi: « Divinas Scripturas saepius lege: immo numquam de manibus tuis sacra lectio deponatur... Sermo presbyteri Scripturarum lectione conditus sit ».[16] Haec scientia nutriatur quoque studio Patrum et aliorum Traditionis documentorum, sed ut plenas responsiones reddere valeat quaestionibus ab hominibus huius temporis agitatis, consulat etiam sacerdos optimos et probatos scientiae theologicae et exegeticae hodiernos scriptores.

20. [*Scientiae humanae*]. Ad scientias vero humanas quod attinet, ea ex illis sacerdotes cognoscere satagant, quae fructuosam conversationem et colloquium cum ceteris hominibus faciliora reddere valeant. Proinde studio se dent eorum problematum, quae attentionem omnium hodie alliciunt vel quae speciali modo agitantur apud homines curae suae pastorali commissos. Artem quoque paedagogicam ita adipisci conentur, ut modum agendi atque docendi accommodent condicionibus psychologicis illorum quibus verbum Dei annuntiant, et ad hunc finem scientias paedagogicas, psychologicas et sociologicas pro viribus discere satagant.[17]

21. [*Cursus pastorales*]. Clericis igitur opportuna subsidia comparentur, ut hisce scientiis sacris et humanis se perficiant. Ideo:

a) pro sacerdotibus novensilibus, post persolutum curriculum theologicum studiorum, et secundum adiuncta variarum dioecesium, instituatur cursus peculiaris, ut applicatione pastorali scientiarum theologicarum ii pressius erudiantur,[18] utque in scientiis sacro ministerio peculiari ratione necessariis vel utilibus, veluti disciplinis sociologicis, psychologicis et paedagogicis, et in cognoscendis methodis apostolatus nostrae aetatis, magis magisque proficiant;[19]

b) item, aptis in domibus breves cursus instituantur, ubi sacerdotes studium pastorale plenius perficiant: primo nempe post trium annorum ministerii sacri exercitium, deinde vero tertio vel quinto quoque anno, usque ad aetatem a loci Ordinario statuen-
[15] dam.[20] Peragantur praeterea cursus regionales vel nationales, non solum ad studium pastorale amplificandum, sed etiam ad ea invicem communicanda, quae experientia sunt acquisita, necnon ad

coordinandas omnes actiones pastorales in dioecesibus et in variis [15] regionibus.[21]

22. [*Roboratio unitatis et collaborationis pastoralis cum Episcopo*]. Episcopus, si fieri potest, praesentia sua foveat cursus pastorales, ut in communi oratione, studio et labore renovetur vinculum unitatis, caritatis et apostolatus inter Ordinarium et « cooperatores providos » sacri sui ordinis.[22]

23. [*Instituta pastoralia*]. Optandum est ut sacerdotes frequentent Instituta pastoralia nationalia vel regionalia (de re catechetica, vel liturgica, vel de sociologia religiosa), in quibus altiori studio se dent methodorum evangelizationis et catechesis, artium investigationis socialis, organizationis et communicationis, et aliarum huiusmodi rerum. Suas quoque conclusiones cum aliis scripto et verbo communicare satagant.

24. [*Bibliothecae in usum cleri*]. Adiciatur his Institutis bibliotheca specialis pastoralis, cuius libris facile clerus uti possit. Inter commentaria vero periodica ea seligantur ab Ordinario, quae maxime idonea sint, ipsaque sacerdotibus commendentur in cura animarum laborantibus.

25. [*Moderator studii pastoralis*]. Designetur et instituatur ab Ordinario in unaquaque dioecesi quidam *studiorum moderator* seu *promotor,* qui de iis omnibus curet studium et scientiam pastoralem respicientibus.

26. [*Studii necessitas ad vitae sacerdotalis sanctitatem*]. Occasione recollectionum et exercitiorum spiritualium, obligatio in studiis perseverandi sedulo in memoriam sacerdotum revocetur, quo clarius pateat quae mirabilis relatio inter studium sacrum et vitae sanctitatem intercedat, plurimum sane conferens ad elevationem status clericalis.

NOTAE [16]

1 *Io.* 17, 3.
2 *Io.* 14, 6.
3 Cf. *Mt.* 28, 19.
4 *Ier.* 3, 17.
5 PONT. ROM., *De ordinatione Presbyteri.*

[6] *C.I.C.*, can. 129.

[7] *2 Tim.* 4, 2.

[8] « Multa enim in populi christiani mores rerum cursus induxit, patrum nostrorum inaudita temporibus: quae pernovisse hodie sacerdotem oportet, ut nova novis remedia malis in Iesu Christi virtute reperiat, et salutarem Religionis vim in omnes venas afferat humanae societatis » (PIUS XI, Epist. Ap. *Officiorum omnium,* 1 aug. 1922: *A.A.S.*, 14 [1922], p. 456).

[9] « ... ut in lege tua die ac nocte meditantes, quod legerint, credant; quod crediderint, doceant; quod doceant, imitentur » (PONT. ROM., *De ordinatione Presbyteri*).

[10] Cf. PIUS XII, Epistula ad participantes conventui XXI universali sodalitatis cui nomen « Pax Romana », 6 aug. 1950: *A.A.S.*, 42 (1950), p. 635.

[11] *Malach.* 2, 7.

[12] *1 Cor.* 9, 22.

[13] Cf. *1 Cor.* 2, 6-7; quo in sensu et Ioannes XXIII fel. regn. ait: « ... d'altra parte non siamo ignari dei pericoli, che l'*inimicus homo* non cessa di seminare anche fra le persone più sante. Né ci sfugge come anche un malinteso spirito di conquista e una smaniosa ricerca di novità possano produrre una perdita pericolosa delle genuine virtù sacerdotali » (*Allocutio* ad sacerdotes ex Apostolica Cleri Unione, habita 12 mart. 1959: *A.A.S.*, 51 [1959], p. 199). Cf. etiam *C.I.C.*, can. 129.

[14] In festo Pentecostes, *Oratio.*

[15] Cf. *Io.* 18, 37.

[16] *Epistulae,* 52, 7-8: *PL* 22, 533.

[17] « Opera idcirco danda est, ut alumni sensim prudenterque in intima populi consilia ac studia penetrent, ne, sacerdotio aliquando initiati sacrisque addicti muneribus, suae incerti sint actionis; quod non tantum ipsorum perturbaret animos, sed eorum etiam sacerdotales labores minueret » (PIUS XII, Adhort. Apost. *Menti Nostrae,* 23 sept. 1950: *A.A.S.*, 42 [1950], pp. 686-687).

[18] Particularis annus formationis pastoralis, quadriennio theologico absoluto, pro Religiosis praescribitur in Const. Apost. *Sedes Sapientiae* 31 maii 1956, et adnexis Statutis Generalibus: *A.A.S.*, 48 (1956), p. 354 ss. Sed etiam pro Clero dioecesano plura constituta sunt Instituta in quibus particularis promovetur formatio neosacerdotum. Insuper creati sunt Convictus vel Collegia sicut desiderantur in Adhort. Apost. *Menti Nostrae,* *l. c.*, p. 692.

[19] Quamplurima S. Sedis documenta particularem de novis sacerdoti-
[17] bus curam habendam inculcant, et in genere pastoralem praeparationem sacerdotum commendant. Memoranda sunt imprimis:

S. PIUS X, Exhortatio ad Clerum *Haerent animo,* 4 aug. 1908: *S. Pii X Acta,* vol. IV (1908), p. 237 ss.

PIUS XI, Litt. Encycl. *Ad Catholici Sacerdotii,* 20 dec. 1935: *A.A.S.*, 28 (1936), p. 5 ss.

PIUS XII, Motu proprio *Quandoquidem,* 2 apr. 1949: *A.A.S.*, 41 (1949), p. 665 ss.

PIUS XII, Adhort Ap. *Menti Nostrae,* 23 sept. 1950: *A.A.S.,* 42 (1950), p. 657 ss. [17]

PIUS XII, Const. Ap. *Sedes Sapientiae* (pro Religiosis), 31 maii 1956, et adnexa Statuta Generalia: *A.A.S.,* 48 (1956), p. 354 ss.

PIUS XII, Allocutio Sacerdotibus Convictus Barcinonensis, 14 iun. 1957: *Discorsi e Radiomessaggi,* XIX, p. 271 ss.

IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Sacerdotii Nostri primordia,* 1 aug. 1959: *A.A.S.,* 51 (1959), p. 545 ss.

IOANNES XXIII, *Allocutio* in Magno Auditorio Pontificiae Universitatis Gregorianae, 18 ian. 1959: *A.A.S.,* 51 (1959), p. 74 ss.

IOANNES XXIII, *Allocutio* Sacerdotibus ex Apostolica Cleri Unione, 12 mart. 1959: *A.A.S.,* 51 (1959), p. 198 ss.

IOANNES XXIII, *Allocutio* in Pontificio Collegio Foederatarum Americae Septemtrionalis Civitatum, 11 oct. 1959: *A.A.S.,* 51 (1959), p. 770 ss.

IOANNES XXIII, *Allocutio* Pontificio Collegio Urbaniano de Propaganda Fide, 30 nov. 1958: *A.A.S.,* 50 (1958), p. 1012 ss.

IOANNES XXIII, *Allocutio* ad Urbis curiones sacrosque temporis quadragesimalis concionatores, 13 febr. 1961: *A.A.S.,* 53 (1961), p. 154 ss.

IOANNES XXIII, *Allocutio* ad Seminariorum Rectores, 29 iul. 1961: *A.A.S.,* 53 (1961), p. 559 ss.

IOANNES XXIII, *Allocutio* ad Urbis curiones sacrosque temporis quadragesimalis concionatores, 22 febr. 1962: *A.A.S.,* 54 (1962), p. 167 ss.

[20] In pluribus dioecesibus iam novo modo ordinantur examina quae *C.I.C.,* can. 130, § 1 praescribuntur expleto studiorum curriculo saltem per triennium; instituuntur scilicet cursus annuales in quibus secundum ordinem apte praefinitum, quaestiones theologicae, morales, pastorales perfectiore ea luce tractantur, qua post prima vitae pastoralis experimenta a sacerdotibus iunioribus percipi possunt (cf. Schema Decreti *De sacrorum alumnis formandis,* n. 26).

[21] « I vostri studi, le comunicazioni, lo scambio di esperienze vi daranno — ne siamo certi — buoni indirizzi, e serviranno a meglio comprendere il problema e a facilitare le soluzioni... Moltiplicate gli incontri, e andate a trovare le pecorelle *quasi* ovunque » (IOANNES XXIII, *Allocutio* iis qui interfuerunt Conventui primo, S. Congregationis Concilii opera Romae habito, proposito argumento v.: « Turismo e Pastorale », 18 febr. 1963: *A.A.S.,* 55 (1963), pp. 234-235.

[22] PONT. ROM., *De ordinatione Presbyteri.*

CAPUT III [18]

DE RECTO USU BONORUM

27. [*Prooemium*]. Christus Dominus, cuius regnum non est de hoc mundo,[1] sicut a Patre missus erat, ita discipulos suos misit, ut praedicarent Evangelium omni creaturae animasque salvas facerent. Quapropter, tum Ecclesia, cui quidem ad finem suum

[18] assequendum bona temporalia necessaria sunt, tum ecclesiastica quaevis institutio, nequit sibi thesaurizare in terra nec dives quidem coram hominibus apparere, sed eum in finem tantum bona possidere debet, ut cultum Deo reddat animasque Deo lucrifaciat. Item eiusdem ministri, quorum Dominus est « pars et hereditas »,[2] non sint ut « qui sibi thesaurizat, et non est in Deum dives »,[3] sed pascentes qui eis est « gregem Dei, providentes non coacte, sed spontanee secundum Deum: neque turpis lucri gratia, sed voluntarie »,[4] nullatenus terrenis, quibus egent, cor apponant, sed, exemplum sequentes Domini, qui propter nos egenus factus est [5] et « evangelizare pauperibus » [6] missus est, revera et ipsi pauperes sint spiritu, atque egenos diligant opere et veritate.

Quapropter Sacrosancta haec Synodus quae sequuntur servanda statuit:

28. [*Fines ad quos destinantur bona in Ecclesia*]. Meminerint semper omnes bona quaecumque, tum ecclesiastica proprie dicta tum quae ex exercito alicuius officii ecclesiastici clerici sibi comparant, secundum rei naturam atque iuxta antiquitus inductam et ab Ecclesia firmatam traditionem, destinari ad cultum divinum ordinandum, ad honestam Episcopis cleroque sustentationem procurandam, necnon ad opera sacri apostolatus vel caritatis, praesertim circa egenos, exercenda.[7] Itaque nemini unquam licet officium ecclesiasticum quaestui habere redditusque ab eo provenientes in propriae rei familiaris ampliationem impendere.[8] Quare clerici, nequaquam divitiis cor apponentes,[9] omnem cupiditatem semper vitent et ab omni specie mercaturae sedulo abstineant, prae oculis habentes se bona ecclesiastica, redditusque quoscumque cum officii [19] sacri exercitio cohaerentes, nunquam ita adhibere posse, ut exinde ipsi suive propinqui locupletiores fiant.

29. [*Officiis primus locus tribuendus est*]. Relicto systemate beneficiali, iam obsoleto, quo officium beneficio quandoque subordinatur et adhuc hodie nimis coniungitur, ipsis officiis ecclesiasticis, quae munera quaecumque stabiliter collata in finem spiritualem exercenda intelligi debent, princeps in iure Ecclesiae locus tribuatur. Quod ut reapse iuxta Ecclesiae mentem efficiatur, committitur Commissioni ad Codicem Iuris Canonici recognoscendum institutae, ut legislationem canonicam de officiis ecclesiasticis ela-

boret magis Ecclesiae fini congruentem atque hodiernis adiunctis [19] necessitatibusque accommodatam.

30. [*Aequa remuneratio clericis providenda*]. Quia « dignus est operarius mercede sua »,[10] atque « Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere »,[11] omnibus qui in Ecclesia quolibet munere funguntur aeque providendum est.

Quapropter Episcopi, graviter onerata conscientia, sedulo ac diligenter satagant, praesertim in Conciliis Regionalibus et Provincialibus, necnon in Coetibus Episcoporum, normas de huiusmodi re condere opportune ac tempestive pecuniae vigenti pretio accommodandas, haec maxime prae oculis habendo:

a) omnibus sacerdotibus remuneratio assignetur, clericali dignitati congrua, qua possint etiam per se ipsos indigentibus subvenire;

b) in definienda remunerationis copia, ratio habenda est aequitatis pro clericis in iisdem adiunctis versantibus; item ipsorum antiquitatis in officiis adimplendis; denique gravitatis ac dignitatis munerum;

c) sacerdotibus post certum tempus officium relinquentibus, decora pensione semper providendum erit.

31. [*Praevidentia socialis*]. Invigilent Ordinarii modis rationibusque socialibus adsistentiae ac praevidentiae in favorem sacerdotum invalidorum aut senescentium, pro locorum, temporum ac morum adiunctis: viros apprime peritos in disciplinis socialibus, actuarialibus, oeconomicis, iuridicis et medicis consulendo, eorumque consiliis utendo.

Maxime etiam curandum est ut omnes sacerdotes, in quantum fieri potest, et servatis tum Ecclesiae legibus[12] cum prudentiae [20] normis, semel saltem in anno medicae recognitioni sese subiiciant ut aegritudines ipsis forte obvenientes inde ab initio detegantur et opportuna remedia adhiberi valeant.[13]

32. [*Massa communis bonorum in singulis dioecesibus constituenda*]. Ut valeant Antistites huic obligationi erga clericos satisfacere aliisque dioecesis necessitatibus subvenire, massa communis bonorum in singulis dioecesibus, quantum fieri potest, constituatur. Ipsa primum destinetur aequae remunerationi omnium clericorum qui eadem carent ob exiguos redditus cum officii exer-

citio cohaerentes aut ob insufficientes fidelium oblationes; dein praevidentiae sociali et pensioni clericorum firmandae, necnon ecclesiis, scholis aliisque institutis ecclesiasticis aedificandis vel ampliandis, instaurandis, administrandis atque tuendis, aliisque operibus praedictae bonorum destinationi respondentibus.

33. [*Fontes massae communis*]. Haec massa bonorum communis constitui potest exempli gratia:

a) ex fidelium oblationibus, quae quidem per se praecipuus sunt fons quo Ecclesia adipiscitur bona temporalia sibi necessaria, immo in plerisque regionibus unicam praebent viam haec bona pro Ecclesia comparandi. Quapropter fideles apte moneantur de obligatione qua adstringuntur ut, pro viribus, temporalibus Ecclesiae necessitatibus libenter subveniant, iuxta uniuscuiusque regionis consuetudines seu mores. Fidelibus item commendetur ut pias fundationes faciant ad pietatis et caritatis opera peragenda, atque in specie ut dignae clericorum in dioecesi remunerationi provideri possit;

b) ex parte reddituum ex exercitio officii sacri clericis obvenientium, quae congruam eorum mercedem iure particulari determinatam excedat nec ad onera implenda missarum neque a peculiaribus oneribus cum officio cohaerentibus requiratur;

c) ex pecunia collecta tributis legitimis, quibus, cum moderatione quidem et aequitate, Ordinariis licet onerare stipendia seu honoraria quae clerici sibi comparent, non occasione officii sacri, sed per exercitium alius cuiusdam muneris quod legitime exerceant; *

---

* *Animadvertendum*: Plures Sodales et Periti huius Commissionis dubitant utrum Ecclesiae ius competat onerandi peculiaribus taxis proventus illos, quos sacerdos sibi comparat arte sua, vel sua industria omnino profana, qua — ob naturae donum — excellat: velut si musicus praeclarus sit, aut poëta, aut pictor, aut mathematicus vel astronomus, vel archaeologus, vel de re physica atomica peritus, etc., et artibus vel scientiis istis colendis ingentem sibi pecuniam comparare valeat.

Eo magis eadem Membra et iidem Periti dubitant sive de opportunitate earum impositionum, sive de practica earum efficacia, idest de practica acceptatione et exsecutione ex parte subiectorum, cum impossibilis fere sit quaelibet inspectio et pervestigatio in huiusmodi rebus.

Utcumque, eo quod versamur in odiosis, considerandum videtur num magis opportunum sit, ac magis practice efficax, conscientiam sacerdotum excitare, et quidem vehementissime: exponendo nempe ipsis peculiariter,

d) ex bonis quae dioecesi data sunt aut tribuuntur sine [21]
expressa mentione finis ad quem destinantur;

e) ex aliqua parte reddituum bonorum ipsius dioecesis, si sufficientia habeantur;

f) ex redditibus antiquorum bonorum beneficialium, cum immobilium tum mobilium, ubi adhuc exstent;

g) ex subsidiis etiam caritativis quae divitiores dioeceses fraterno animo pauperioribus dioecesibus tribuant;

h) denique in genere ex redditibus omnium institutorum in dioecesi exsistentium, quae ex Ordinario loci pendent: quoties ii redditus, eiusdem Ordinarii iudicio, sint superfluentes ac destinari non debeant vel non possint incremento et amplificationi institutorum ipsorum.

34. [*Administratio bonorum huius massae communis*]. Administratio bonorum ad massam communem dioecesanam pertinentium fiat ad normam iuris per Consilium administratorum, qui [22]
ob Ordinario loci designantur.

35. [*Administratio bonorum in genere*]. Administratio omnium bonorum in dioecesi fiat sub vigilantia Ordinarii loci, cuius est praeterea eandem ad normam iuris ordinare, et qui poterit, si casus ferat atque bonum dioecesis id postulet, decernere ut plurium, immo omnium in dioecesi, officiorum saecularium administratio coniunctim fiat, per Consilium administratorum qui ab ipso loci Ordinario designantur.

---

prae ceteris quidem fidelibus, onus incumbere subveniendi Ecclesiae universalis necessitati et suae dioecesis indigentiae ex propriis proventibus et ex propriis bonis, e quocumque fonte ipsa proveniant.

Ideo, salvo semper meliore iudicio, alius textus substituendus proponitur ad illum contentum in littera *c*) huius numeri 33:

c) ex congrua portione pecuniae, quae sacerdotibus mercedis causa tribuitur, ut alicui profano muneri (cum debita licentia) addictis, vel quam obtinent hereditate, vel fructibus proprii patrimonii, vel quovis alio titulo: etenim gravi obligatione tenentur sacerdotes, prae fidelibus ceteris, subveniendi Ecclesiae universalis necessitati, ac propriae dioecesis indigentiae: et, aliunde, ipsis indesinenter prae oculis esse debent sive gravissima pericula, quae subsunt divitiis pro se vel pro suis colligendis vel cumulandis, sive maledictiones ac monita, de quibus in Evangelio et in Epistola Catholica Iacobi Apostoli (cf. *Mt.* 6, 19; *Lc.* 12, 16-21; *Iac.* 5, 1-6).

[22] 36. [*Diligentia servanda in administratione bonorum*]. Omnes bonorum ecclesiasticorum administratores, ut bonorum conservationi atque incremento et fructuum copiae rite consulatur, maxima cum diligentia hoc suum munus adimpleant, fideliter observantes praescripta iuris canonici, immo et iuris civilis uniuscuiusque nationis. Praeterea sedulo attendant ad normas doctrinae socialis Ecclesiae, praesertim quod attinet ad iustam mercedem operariorum, qui munus aliquod in commodum vel in servitium Ecclesiae exercent; item accurate semper observent ea quae ad praefatorum operariorum providentiam socialem et ad eorundem adsistentiam medicam ab auctoritate civili in territorio praescribuntur.[14]

37. [*Notiones de administratione bonorum in Seminariis tradendae*]. Notiones de recta bonorum administratione omnibus clericis in Seminario tradantur, et pro omnibus administratoribus directorium quoddam seu manuale conficiatur, si nondum habeatur. In singulis autem nationibus unum sit, quantum fieri potest, exemplar librorum administrationis bonorum ecclesiasticorum.

38. [*Laici periti in administratione bonorum partem habeant*]. Ne minus efficienter fiat bonorum ecclesiasticorum administratio neve sacerdotes, nimis labore administrationis occupati, ab officiis vitae pastoralis avertantur, neque exinde ipsa cura animarum detrimentum patiatur, provideatur in quolibet negotio alicuius momenti partem habeant laici qui negotiorum gerendorum peritia atque vitae honestate excellant, cum et ipsis, utpote Corporis Christi membris, maior pars in rebus Ecclesiae, praesertim temporalibus, agnoscenda sit.

[23] 39. [*Opera caritatis, erga pauperes praesertim, exercenda*]. Rogantur denique enixe Antistites atque bonorum ecclesiasticorum administratores omnes ut operibus caritatis ope horum bonorum exsequendis particulari modo studeant, prae oculis habentes bona, quae evangelium annuntiando comparata sunt, ad evangelium annuntiandum atque in praxim deducendum inservire debere. Quare praesertim attendant ad egenorum necessitates easque pro viribus sublevare satagant, memores verborum Domini: « quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis ».[15]

NOTAE [23]

[1] Cf. *Io.* 18, 36.
[2] *Num.* 18, 20.
[3] *Lc.* 12, 21.
[4] *1 Pt.* 5, 2.
[5] Cf. *2 Cor.* 8, 9.
[6] *Lc.* 4, 18.
[7] CONC. ANTIOCH., can. 25: MANSI, 2, 1328; Decretum Gratiani, c. 23, C. 12, q. 1.
[8] CONC. PARIS., a. 829, can. 15; M. G. H., Sect. III, Concilia, t. 2, pars 1, 622; CONC. TRID., Sess. XXV, Decr. *de reform.*, cap. 1.
[9] *Ps.* 61, 11; cf. S. HIERONYMUS, *Epist.* 52, 6: *PL* 22, 532-533.
[10] *Lc.* 10, 7; cf. *Mt.* 10, 10; *1 Cor.* 9, 7; *1 Tim.* 5, 18.
[11] *1 Cor.* 9, 14.
[12] Cf. S. C. S. OFFICII, *Monitum,* 15 iul. 1961: *A.A.S.,* 53 (1961), p. 571.
[13] Hoc iam fit aliquibus in dioecesibus, et optandum videtur ut ad reliquas extendatur. Nostris enim diebus, cum ubique fere numerus sacerdotum decrescat, necessarium admodum est, si unquam alias, ut vita ministrorum in Ecclesiae animarumque servitium per multos annos impendatur.
[14] PIUS XI, Litt. Encycl. *Quadragesimo anno,* 15 maii 1931, pars II, n. 4: *A.A.S.,* 23 (1931), pp. 198-202.
[15] *Mt.* 25, 40.

EXHORTATIO [24]

DE DISTRIBUTIONE CLERI

40. Sacrosancta haec Synodus, quae non solum fine suo praecipuo, sed sua etiam ipsius natura pastoralis est atque apostolica, cum item directe tendat ad Christi Evangelium inter omnes gentes, nationes et sociales ordines propagandum et ad Ecclesiam toto terrarum orbe condendam, facere non potest quin animadvertat quomodo sacerdotes, quorum ministerio fides extenditur,[1] servatur ac roboratur, non pari numero adsint in singulis regionibus, ita quidem ut Christifideles haud pauci in gravi periculo versentur a fide catholica deficiendi, quippe qui Dei verbi praedicatione et sacramentorum administratione penitus careant. Insuper innumeri homines Christi Evangelium nondum noverunt.

Attamen feliciter in dies crescens conspicitur spiritus caritatis et mutuae necessitudinis, denuo per recentiora incepta lucide patens, quo omnes Christifideles, sed praesertim sacerdotes illarum nationum vel dioecesium ubi maior vocationum copia

[24] adest, suaviter et efficaciter moventur ad sollicitudinem circa problemata et pastorales necessitates tum aliarum regionum quae cleri penuria laborant, tum aliorum personarum coetuum cuiuslibet orbis regionis quorum membra vel in infima sociali condicione sunt constituta vel omni cultura ac debita efformatione carent.

Quapropter, ut hic spiritus fraternae necessitudinis mutuae novaque haec apostolica incepta magis ac magis in bonum animarum augeantur, Sacrosancta haec Synodus omnes Christifideles hortatur ut illud Sancti Ioannis Chrysostomi considerent ac meditentur: « Mementote fratres: quod non de vestra tantummodo vita, sed de universo orbe a vobis ratio reddenda est »,[2] ideoque de iis quae sequuntur monet:

41. Sacerdotes, qui Christi Domini sacerdotium et apostolatum miro ipsius delectu ac concessu participant, et cooperatores sunt Episcoporum eorumque muneris universalis socii, recolant omnium ecclesiarum sollicitudinem sibi cordi esse debere. Itaque sacerdotes illarum dioecesium quae maiori vocationum copia di-
[25] tantur libenter se paratos praebeant, permittente et exhortante proprio Ordinario, ad suum ministerium in aliis dioecesibus, regionibus vel operibus, penuria laborantibus vocationum, exercendum, si id opus fuerit.[3]

42. Laici omnes, qui membra cum sint Corporis Christi Mystici, agnoscere semper debent sibi « pro sua quisque parte, officium esse impense diligenterque adlaborandi ad aedificationem et incrementum eiusdem Corporis »,[4] intime persentiant cum Romano Pontifice, cum Collegio Episcoporum et sacerdotibus — sit iis enim « cor unum et anima una » [5] — necessitatem et officium collaborandi propriis orationibus, eleemosynis ac pecuniis collectis incremento laboris pastoralis illis in locis ubi sacerdotes desunt.[6] Hoc enim aptissima erit manifestatio illius curae pro Ecclesiae bono communi, qua moti omnes Deum exoramus « pro Ecclesia tua sancta catholica, quam pacificare, custodire, adunare et regere digneris toto orbe terrarum ».[7]

43. Pariter optat Sacrosancta Synodus ut Commissio ad Codicem Iuris Canonici recognoscendum ita normas de incardinatione et excardinatione reficiat, ut, firmo semper manente pervetere hoc instituto, hodiernis pastoralibus adiunctis atque neces-

sitatibus aptius ipsae normae respondeant, itemque commendat [25]
ut praefata Commissio formulas iuridicas sanciat — exemplo usa recentium inceptorum [8] — quae distributionem cleri saecularis atque specialia quaedam opera pastoralia faciliora reddant.

NOTAE

[1] Cf. *Rom.* 10, 17.

[2] *Homilia XV in Matth.*; haec verba Concilii Patribus in mentem nuper revocata sunt a Ioanne XXIII fel. regn.: cf. *Epistula ad singulos Catholicae Ecclesiae Episcopos ceterosque Patres Concilii Oecumenici Vaticani II in Epiphania Domini 1963*: *A.A.S.*, 55 (1963), p. 157.

[3] Sacerdotes tamen nunquam singuli mittantur, si fieri potest, sed saltem bini vel terni. Si in solitudine enim manent, damna haud parva ipsis oriri possunt, praesertim primis temporibus si forte linguam et mores novae regionis nondum bene cognoscunt. Pariter expedit sollicitam curam adhibere de eorum vita supernaturali necnon de eorum valetudine mentis et corporis.

[4] Pius XII, Litt. Encycl. *Mystici Corporis,* 29 iun. 1943: *A.A.S.*, 35 (1943), p. 241.

[5] *Act.* 4, 32. [26]

[6] Foveatur praesertim adiutorium pro operibus ad vocationes promovendas, pro novis aedificandis Seminariis et scholis ubi catechistae instituuntur, aliisque id genus.

[7] *Canon Missae.*

[8] Exempli gratia, Seminaria nationalia vel internationalia, quorum alumni instruuntur ut dioeceses adeant cleri penuria laborantes; Praelaturae cum vel sine territorio a Sancta Sede constitutae, quarum sacerdotes, specificam praeparationem consecuti, totis viribus se dent ad animarum bonum promovendum earum dioecesium in qualibet orbis regione, ubi sacerdotes desiderantur specialibus qualitatibus ornati, qui peculiares apostolatus sociales, vel intellectuales vel etiam penetrationis in diversos societatis ordines exsequi valeant.

[5]

2. SCHEMA DECRETI
DE SACERDOTIBUS *

Sacrosancta haec Synodus, quae in Constitutione « De Ecclesia » naturam theologicam presbyteratus eiusque missionem declaravit, ad vitam spiritualem sacerdotum roborandam eorumque ministerium pastorale in hodiernis locorum ac temporum adiunctis fovendum, haec quae sequuntur statuit:

1. [*Exigentia sanctitatis sacerdotalis eiusque fundamentum*]. Sacerdotes Novi Testamenti peculiari ratione ad sanctitatem assequendam se adstrictos sentiant oportet, eo quod, per gratiam Sacramenti Ordinis et Characterem Sacerdotalem, novo titulo Deo mancipantur, ut nempe Christi Capitis sacerdotium, ministerio episcopatus vel presbyteratus, repraesentent et exerceant, atque in Eius persona agant, ad bonum commune totius Corporis; talem igitur inter homines vitam ducant, ut in ipsis sanctitas quodammodo effulgeat Illius, qui pro nobis factus est « sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus » (*Hebr.* 7, 26).[1]

2. [*Sacerdotis sanctitas proprii muneris adimpletione alitur atque augetur*]. Sacerdotes ad sanctitatem contendant praesertim ipso exercitio muneris sibi a Deo commissi, cum Episcopo coniuncti, ita ut mortis Dominicae mysterium celebrantes, quod tractaverint imitentur; verbum Dei praedicantes, quod docuerint faciant; gregem Dei pascentes, exemplum Boni Pastoris secuti, pro ovibus suis totam vitam impendant. Attamen, etsi urgeat labor apostolicus, sacerdotes caveant translaticia subsidia neglegere ad sanctitatem acquirendam et fovendam, cuiusmodi sunt cotidiana oratio mentalis et similia, quae longo saeculorum usu ne-

---

* *In fasciculi initio legitur*: « Ss.mus Dominus Noster Paulus Pp. VI, in Audientia hac die infrascripto impertita, statuere dignatus est ut hoc schema, de quo in Concilio Oecumenico Vaticano Secundo deliberabitur, ad eiusdem Concilii Patres transmitteretur.

Ex Aedibus Vaticanis, die XXVII mensis Aprilis, anno MCMLXIV.

HAMLETUS IOANNES Card. CICOGNANI
a publicis Ecclesiae negotiis

Verba, initio singulorum numerorum litteris inclinatis inter uncos [ ] posita, in redactione definitiva tollentur ».

[1] Cf. nn. 1 et 2, pp. 18 et 19 huius fasciculi.

quaquam obsoleta dici possunt, sed potius ad efficacitatem sacri mini- [5]
sterii necessario requiruntur.[2]

3. [*Vita sacerdotalis ad Evangelii normas componenda*]. Totam vitam suam sacerdos, Christi vestigia premens, ad Evangelii normas componere curet, ita ut in aliorum exemplum praeluceat ob animum solutum ab immodico amore rerum temporalium, regno autem Dei et operi salu- [6]
tis plene sit addictus; cum sacerdotibus uniatur vinculo fraternae caritatis, orationis, mutui auxilii, animi relaxationis, ideoque vita communis quam maxime fieri possit promoveatur; christianam austeritatem ita colat, ut vere pauper spiritu appareat, atque ab omni specie vanitatis, tam in vestibus ferendis quam in titulis vel honoribus quaerendis, maxime abhorreat, non tantum ad propriam sanctificationem, sed etiam ad pauperes aptius evangelizandos; castitatem sancte custodiat et sincere amet; interno spiritu oboedientiae ducatur, nec tantum illa quae sub praecepto cadunt, sed et ea quae a superioribus commendantur, filiali ac generoso animo adimpleat.[3]

4. [*Studium ad essentialia officia status sacerdotalis pertinet*]. Presbyteri ab Ecclesia in ministerium sacrum idcirco assumuntur, ut partem cum Episcopis habeant in praedicatione verbi salutis et in cura animarum. Quapropter, ut ipsi in condicionibus socialibus et psychologicis nostri temporis fideles operarii in vinea Domini inveniantur, necesse prorsus est ut sancte et per totam vitam in studio verbi Dei scientiarumque sacrarum indesinenter perseverent, necnon acquirere nitantur altissimam cognitionem scientiarum humanarum, earum praesertim quae ad methodos apostolatus efficacius exercendi peculiari modo pertineant.[4]

5. [*Scientia pastoralis pro locorum adiunctis acquirenda*]. Quo facilius autem sacerdotes, plurimis quidem occupationibus implicati, in studia incumbant et aptius in eis excitetur animi ad studium inclinatio, omni cura ipsis opportuna subsidia comparentur, cuiusmodi sunt creatio studiorum moderatoris necnon institutio cursuum pastoralium vel centrorum, ut aiunt, ad pervestigandum de re catechetica, liturgica et sociologica, qui autem cursus non tantum scientiam sed etiam artem docere debent. Pariter utilissima erit constitutio bibliothecarum, quarum libris ac ephemeridibus facile utentes, possint presbyteri condiciones populo-

---

[2] Cf. nn. 3, 4, 7, pp. 19, 21, 22 et 23.
[3] Cf. nn. 5, 6, 9, pp. 22, 24 et 25.
[4] Cf. nn. 11-16, pp. 28-30.

[6] rum ac regionum ubi ministerium suum pastorale exercent plenius accuratiusque cognoscere et, intimam coniunctionem cum Episcopis servantes, maiore semper vi atque efficacitate dispensatores divitiarum Christi effici valeant.[5]

6. [*Cleri distributio apte fovenda*]. Normae de incardinatione et
[7] excardinatione ita recognoscantur ut, firmo manente pervetere hoc instituto, hodiernis pastoralibus adiunctis et necessitatibus aptius respondeant, et, ubi ratio apostolatus postulaverit, faciliora reddantur non solum cleri dioecesani distributio, sed etiam peculiaria quaedam opera pastoralia, quae in aliqua regione, vel natione, aut in quacumque terrarum orbis parte, aut etiam pro quibusdam coetibus socialibus perficienda sunt; ad hoc ergo constituantur Seminaria internationalia, dioeceses vel praelaturae personales et alia huiusmodi, salvis semper iuribus Ordinariorum locorum.[6]

7. [*Fines ad quos bona in Ecclesia destinantur*]. Meminerint Ecclesiae ministri, quippe quorum Dominus sit « pars et hereditas », bona quaelibet — tum ecclesiastica proprie dicta, tum quae occasione exercitii cuiusdam ecclesiastici officii clerici sibi comparant — secundum rei naturam atque iuxta antiquitus inductam et ab Ecclesia firmatam consuetudinem, destinari ad cultum divinum ordinandum, ad honestam cleri sustentationem procurandam, necnon ad opera sacri apostolatus vel caritatis, praesertim erga egenos, exercenda.[7]

8. [*Officiis ecclesiasticis princeps locus in iure tribuendus*]. Relicto systemate vi cuius officium beneficio quandoque subordinatum est et adhuc hodie haud raro nimis arcte alterum cum altero coniungitur, ipsis officiis ecclesiasticis, quae ut munera quaelibet stabiliter collata in finem spiritualem exercenda intelligi debent, princeps in iure locus tribuatur.[8]

9. [*Aequa remuneratio clericis providenda*]. Quia « dignus est operarius mercede sua » (*Lc.* 10, 7), atque « Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere » (*1 Cor.* 9, 14), curent sacrorum Antistites ut, pro suo cuiusque territorio, normae instituantur, quibus honestae sustentationi atque congruae pensioni eorum qui

---

[5] Cf. nn. 17-21, pp. 31 et 32.
[6] Cf. nn. 36, 37, 39, pp. 43-45.
[7] Cf. nn. 23, 24, pp. 35-37.
[8] Cf. n. 25, p. 37.

in Ecclesia quolibet munere funguntur apte consulatur, ita quidem ut, [7] ratione habita locorum temporumque condicionum, summa pecuniae ab unoquoque percipienda fundamentaliter eadem sit pro omnibus in iisdem adiunctis versantibus, eorum condicioni sit congrua et eis tribuat facultatem per se ipsos indigentibus aliqua ratione subveniendi.[9]

10. [*Massa communis bonorum in singulis dioecesibus constituenda*]. Ut valeant Antistites huic obligationi erga clericos satisfacere aliisque dioecesis necessitatibus subvenire, in singulis dioecesibus, quantum fieri poterit, massa communis constituatur bonorum, imprimis ex fidelium oblationibus obvenientium, sed ex aliis quoque fontibus, iure determinandis, derivantium. Optandum etiam est ut dioeceses divitiores adiuvent pauperiores.[10] [8]

RELATIO [11]

CIRCA RATIONEM QUA SCHEMA ELABORATUM EST

Commissio « De disciplina cleri et populi christiani » enixe adlaboravit sub ductu E.mi Praesidis Cardinalis Ciriaci, pervalido quoque adiutorio tum Secretarii tum Peritorum Commissionis suffulta. Mens vero Commissionis semper fuit quam diligentissime prosequi sive cunctas normas a Commissione « De Concilii laboribus coordinandis » per huius temporis decursum impertitas sive etiam animadversiones quas Concilii Patres in scriptis proposuerant, quaeque fuerunt 464, a 237 Patribus missae. Ideo mihi reliquum est ut vobis aliquid permagni laboris a Commissione peracti pro mea humilitate referam, qui labor uti suum fructum habuit primigenam redactionem Schematis « De sacerdotibus ».*

Die vero 23 ianuarii anni 1964, Commissio « De Concilii laboribus coordinandis » statuit ut huiusmodi primigenus textus Schematis « De sacerdotibus » reduceretur ad sua capita essentialia, sub forma propositionum redigenda et Patrum Concilii suffragationi proponenda. Quapropter statim constituta est specialis Subcommissio, quae, in sessionibus Romae celebratis diebus 28, 29 et 30 ianuarii, novam redactionem Schematis sub forma propositionum exaravit. Hae quidem propositiones quam accuratissime excerptae sunt e supradicto primigeno textu Schematis « De sacerdotibus » (scilicet e textu recognito Schematis « De clericis », iuxta omnes animadversiones quas Patres Concilii fecerunt).

Talis autem textus propositionum perdurante mense februario attento

---

[9] Cf. nn. 26, 35, pp. 37, 38, 41 et 42.

[10] Cf. nn. 27-32, pp. 38-41.

* Cf. pp. 17-46 huius fasciculi.

[11] examini omnium Sodalium ac Peritorum nostrae Commissionis subiectus est, eo ut omnes suam sententiam exprimere possent. Sodales ac Periti 48 animadversiones proposuerunt, quae attente consideratae sunt in sessionibus plenariis Commissionis habitis diebus 3 et 4 mensis martii anni 1964. Harum propositionum textus definitivus, a Commissione plenaria approbatus, Commissioni « De Concilii laboribus coordinandis » die 16 eiusdem mensis martii transmissus est. In sessione tandem die 17 aprilis 1964, ipsa Commissio coordinatrix novum hunc textum Schematis « De sacerdotibus » approbavit.

In his decem propositionibus redigendis, accurata ratio habita est pastoralium quoque necessitatum Ecclesiae, et condicionum vitae atque apostolatus sacerdotalis in mundo moderno, idque vero modo potius positivo quam negativo: Commissio nempe maluit solutiones directe vel indirecte proponere, potius quam difficultates aut pericula denuntiare.

[12] In prima propositione, in qua agitur de necessitate sacerdotalis sanctitatis, affirmatur obligationem sacerdotum sese sanctificandi non tantum repeti ex vocatione generali qua omnes in Ecclesia ad sanctitatem assequendam obstringuntur, verum etiam ex titulo speciali, scilicet ex participatione sacerdotii ministerialis Christi, cuius opus Mediatoris assumunt ac personam coram omnibus repraesentant. Itaque, haec eorum obligatio oritur ex peculiari exigentia caritatis, cum erga Deum tum erga homines, quae non tantum respicit bonum suipsius, sed etiam, et quidem modo specialissimo, bonum commune populi Dei.

Relicta quaestione illa disputata, utrum nempe presbyteratus sit vel esse debeat quaedam forma status perfectionis an non, in secunda propositione declaratur ministerium sacerdotale, generose assumptum sub ductu episcopi et in unitate cum Ecclesia, perfectum esse exercitium caritatis erga Deum et erga proximum, ideoque medium aptissimum ad sanctitatem prosequendam. Attamen, ad vitandam quandam formam « activismi », opportune additur ministerium sancte exerceri non posse sine subsidio pietatis sacerdotalis, quae animam sacerdotis cum Deo, Bono Pastore, intime ac continenter coniunctam servat.

In propositione tertia describitur vita sacerdotalis prout exigitur a principiis antea positis, quin tamen de particularibus sermo fiat. Vita secundum Evangelium agatur, operi salutis totaliter dicata et a mundanis curis soluta, ita ut exemplum sit omnibus fidelibus. Exigentia caritatis postulat intimam unionem cum confratribus in sacerdotio, quae intima unio efficaciori modo obtinetur per vitam communem. Cum tandem consilia evangelica omnibus proponantur ut media efficacissima ad perfectionem, sacerdotes monentur ut, quantum fieri potest, illa sequantur: austeritas ergo, quae spiritum paupertatis manifestat, ita colatur ut, non tantum perfectioni personali, sed pauperibus quoque aptius evangelizandis adiutorium suppeditet; castitas sancte custodiatur et ametur; oboedientia filiali et generoso animo servetur.

In quarta autem propositione, ad tuendam aptiusque perficiendam intellectualem institutionem in Seminario inceptam, statuitur studium pertinere ad

essentialia officia status sacerdotalis, et quidem non pro aliquo tempore tantum [12]
vel peculiaribus solummodo in adiunctis, sed contra per totum vitae cursum. Studium scientiarum sacrorum, quod vitam pietatis sacerdotis alit atque fovet aptamque praeparationem ipsi praebet ad munus doctoris rite exercendum, tamquam res maxime necessaria affirmatur. Declaratur quoque quantae utilitatis sit studium aliquarum scientiarum humanarum, earum praesertim quibus sacerdos melius edoctus fieri potest de peculiaribus adiunctis psychologicis ac socialibus, sive nostrae aetatis in genere sive eorum hominum inter quos curam animarum exercere et verbum Dei disserere debet.

Attamen pro sacerdotibus haud facile est componere adimpletionem suorum officiorum, hodie tam diversorum, cum obligatione incumbendi in studia. Qua de causa in quinta propositione asseritur necessitas comparandi sacerdotibus apta media, quibus pleniorem acquirere possint cognitionem tum scientiae tum praxis seu artis pastoralis; simulque indicantur quaenam esse possint [13]
huiusmodi media. Haec omnia vero peculiari ratione necessaria reputantur, ut in singulis sacerdotibus alatur et in dies crescat vividus spiritus missionarius, sicque in hodiernis adiunctis et in mundo moderno efficacitas ministerii pastoralis Ecclesiae magis magisque augeatur.

Perpensa quoque quorundam problematum ac necessitatum pastoralium gravitate, in sexta propositione postulatur ut facilior reddatur distributio cleri per aptam reformationem instituti incardinationis; pariter media statuuntur ad corpora mobilia sacerdotum saecularium constituenda, quae, salvis semper iuribus Ordinariorum loci, incumbere possint in perficiendis specialibus operibus apostolatus (uti sunt e. g. apostolatus intellectualis, vel inter opifices), ubicumque eorum labor fuerit necessarius.

In septima propositione revocantur in mentes sacerdotum fines ad quos bona temporalia in Ecclesia destinantur; ad quos fines sacerdotes, utpote Ecclesiae ministri, ordinare debent bona ecclesiastica quae administrant, pariter ac bona quaelibet quae ipsi, occasione ministerii sacri, sibi comparant. Cum enim sacerdotes per ministerium suum missionem salvificam Ecclesiae participent, bona haec ordinare atque administrare debent eodem spiritu ducti eodemque modo agentes ac Christi Sponsa, videlicet ad bonum omnium animarum semper intenti atque spiritu paupertatis imbuti.

Ad hoc principium roborandum, in octava propositione declaratur quomodo systema beneficiale, quo beneficio quodammodo officium subordinatur iam non plene respondeat necessitatibus pastoralibus uti hodie praesertim se habent. Quapropter postulatur recognitio legislationis circa hanc materiam, ita quidem ut princeps locus in iure tribuatur ipsi officio, quod late accipitur et definitur tamquam quodlibet munus stabiliter collatum et in finem spiritualem exercendum. Ipsi ergo officio sacro competere debet ius dominii in redditus, iuxta normas a iure condendas; illi vero qui officio fungitur tribuenda sunt necessaria ad honestam eius sustentationem, dum ceteri omnes fructus ad fines proprios ipsius officii destinandi sunt.

Circa hanc honestam sustentationem, in propositione nona declaratur

[13] episcopo residentiali officium incumbere eandem comparandi, atque curandi ut normae clarae et bene determinatae de eadem statuantur. Huiusmodi normae vitare debent — intra limites quidem communis exigentiae paupertatis colendae — ne magnae adsint differentiae oeconomicae inter titulares diversorum officiorum; alia vero ex parte in tuto collocent oportet necessariam tranquillitatem quoad rem oeconomicam pro singulis sacerdotibus, quae ipsis permittat ut suas vires et suum tempus plene dicare possint ad finem spiritualem officii sibi commissi attingendum.

Quo facilius vero hae normae circa honestam sustentationem in praxim reduci valeant; porro quo aptius ac tutius omnibus clericis necessarium adiutorium tribui possit si senectus vel aegritudo venerit; tandem, in genere, quo melius provideri possit necessitatibus cuiuslibet dioecesis, in decima propositione statuitur ut, quantum fieri possit, singulis in dioecesibus massa commu-
[14] nis bonorum constituatur. Hanc imprimis constituent oblationes fidelium, haud raro unicus eiusdem fons, sed et aliae rationes, iure determinandae. Praeterea invicem se adiuvent variae dioeceses, quippe quae sint partes unius eiusdemque Ecclesiae.

Ita igitur Commissio « De disciplina cleri et populi christiani » decem hisce in propositionibus perstringere curavit essentialia capita totius studii peracti circa materiam sibi commendatam; cetera omnia vero, quae in prima redactione Schematis « De sacerdotibus » continentur, mentem Commissionis ostendunt ad ea plenius intelligenda quae in novo textu edicuntur.

Si hae propositiones a Patribus approbentur et reliqua quae apparare curavimus commissionibus postconciliaribus transmittantur, magna spe confidimus ut hic noster labor vim et lucem in sacerdotes totius mundi effundere queat.

Sacerdotes quidem commoti sunt et quandoque in angustiis versantur propter exigentias mundi moderni. Magna cum fiducia sperant fore ut Concilium eos adiuvare possit ad Evangelium impensius in dies annuntiandum. Ipsi enim, cum Ecclesia et episcopis, volunt Christi testes esse apud homines: « Medius autem vestrum stetit quem vos nescitis » (*Io.* 1, 26).

✠ FRANCISCUS MARTY
Archiepiscopus Remensis

[15]
RELATIO

DE RECOGNITIONE SCHEMATIS IUXTA ANIMADVERSIONES PATRUM

A) DE LABORE PRO SCHEMATE « DE CLERICIS » APPARANDO

Commissio Conciliaris « De disciplina cleri et populi christiani », in primo plenario coetu, habito die 3 decembris anni 1962, statuit tum kalendarium laborum tum etiam modum procedendi pro recognoscendis Schematibus in periodo praeparatoria Concilii Oecumenici confectis, nempe: « De clerico-

rum vitae sanctitate », « De officiis et beneficiis clericorum », « De distributione cleri », et denique « De fidelium associationibus ». Ex his vero Schematibus tria priora efformare debuerant unicum Schema conciliare, nempe « De clericis », dum quartum, seu « De fidelium associationibus », includendum erat in Schemate « De laicis » (cf. « Schemata Constitutionum et Decretorum ex quibus argumenta in Concilio disceptanda seligentur », Romae 1962). [15]

A die 3 decembris anni 1962 usque ad diem 8 februarii anni 1963, labor a Commissione peractus in duas partes dividi potest:

a) examen Schematum ex parte Sodalium Commissionis, qui ad Commissionis Secretarium miserunt elenchum emendationum iuxta ea quae in « Ordine agendorum » a Romano Pontifice approbato die 5 decembris anno 1962, nn. 1, 2 et 3, statuebantur. Numerus talium animadversionum hic fuit: circa Schema « De clericorum vitae sanctitate », 129 animadversiones; circa Schema « De officiis et beneficiis clericorum », 64 animadversiones; circa Schema « De distributione cleri », 102 animadversiones; circa Schema « De fidelium associationibus », 169 animadversiones;

b) animadversiones ita propositae et in unum collectae Sodalium suffragationi propositae fuerunt, quo manifestius pateret mens totius Commissionis relate ad materiam suo studio commendatam.

Hoc fundamento, et servatis insuper normis quas Commissio « De Concilii laboribus coordinandis » statuit die 30 ianuarii anno 1963, quatuor Subcommissiones internae constitutae sunt, quarum laboribus operam dederunt octo Sodales, ab aliis Membris Commissionis delecti, et viginti Periti, qui omnes Romae convenerunt a die 12 ad diem 23 februarii, ut textum Schematis « De clericis » redigerent. Hoc vero Schema tandem divisum fuit in tria capita, scilicet: « De vitae sacerdotalis perfectione », « De studio et scientia pastorali » et « De recto usu bonorum », quae capita sequebatur exhortatio [16]
« De distributione cleri ».*

Die 9 martii anno 1963 Schema « De clericis » ita confectum transmissum est Commissioni « De Concilii laboribus coordinandis », quae illud approbavit in sessione habita die 25 eiusdem mensis. Summus Pontifex Ioannes XXIII v. m., in Audientia quam die 23 aprilis concessit E.mo Praesidi Commissionis

---

* Simul constituta est, die 18 februarii eiusdem anni 1963, una cum Commissione « De apostolatu laicorum », Subcommissio mixta quae incumberet in studium associationum fidelium. Rogante vero Commissione « De Episcopis et dioecesium regimine », a die 25 februarii ad diem 12 martii, pro Schemate « De cura animarum », sequentia documenta praeparata sunt: Caput V, « De catechetica populi christiani institutione »; Appendix IV: « Praecipuae normae referendae in Directorium generale pro parochis »; Appendix VII: «Praecipuae normae referendae in Directorium generale de catechetica populi christiani institutione ». Hunc in finem aliae duae Subcommissiones constitutae sunt, quae in studium incubuerunt animadversionum Patrum Concilii in praefatum Caput V et in Appendices IV et VII Schematis « De cura animarum », quaeque huiusmodi textuum recognitioni operam dederunt mensibus octobri et novembri anno 1963.

[16] «De Concilii laboribus coordinandis», decrevit ut praefatum Schema «De clericis» inter Concilii Patres distribueretur. Postquam Schema typis editum ad Concilii Patres mense maio 1963 transmissum est, Secretaria Commissionis curavit, a mense iulio ad mensem octobrem, in unum colligere cunctas animadversiones a Concilii Patribus et a Commissionis Peritis in Schema propositas: quae fuerunt 464, a 237 Patribus missae.

In sessionibus plenariis habitis diebus 7 et 8 octobris anno 1963, Commissionis Membris ac Peritis traditum est volumen continens omnes animadversiones in Schema propositas et insuper statutus est modus procedendi ad expendendas tales animadversiones et Schematis textum recognoscendum. Hunc in finem constitutae sunt quatuor Subcommissiones internae, quarum fuit in studium animadversionum incumbere, ut coetui plenario Commissionis emendationes in Schematis textum introducendas proponerent. Singulis Subcommissionibus praefuit Relator a Commissionis Patribus electus.

Omnes istae Subcommissiones laborem suum perfecerunt pluribus in sessionibus, a die 15 octobris ad diem 10 novembris habitis, responsiones ad singulas animadversiones propositas paraverunt et, prout res ferebat, emendationes in Schematis textum introducendas exaraverunt. Haec omnia vero Commissionis disceptationi et suffragationi submissa sunt in sessionibus plenariis habitis diebus 18, 25, 26 et 27 novembris 1963, iuxta normas statutas in «Ordine Concilii Oecumenici Vaticani II celebrandi», editione altera recognita.

[17]

B) DE RECOGNITIONE SCHEMATIS « DE CLERICIS » SEU DE PRIMIGENA REDACTIONE SCHEMATIS « DE SACERDOTIBUS »

In recognitione Schematis « De clericis », in quod plures sane emendationes introductae sunt, praesertim quod attinet ad textum capitis primi, Commissio sequenti ratione processit:

Animadversiones in totum Schema et in Caput I seu « De vitae sacerdotalis perfectione » *

Praenotandum imprimis videtur qua de causa, rogantibus sedecim Patribus, Schematis titulus mutatus sit: nam Schema non de clericis in genere, sed de sacerdotibus tantum agit. Inter novos titulos propositos, Commissio seligendum censuit: « *De sacerdotibus* ».

Idem dicendum est quoad titulum capitis primi: quia, uti duo Patres bene notaverunt, titulus primigenus — nempe « De vitae sacerdotalis perfectio-

* Numeri et paginae de quibus mentio fiet referuntur ad Schema Decreti « De clericis », anno 1963 typis editum et Concilii Patribus transmissum.

ne » — minus apte respondebat iis quae in ipso capite revera continebantur, [17]
cum in eo ageretur de peculiari obligatione qua sacerdotes tenentur tendendi ad perfectionem, haud vero de peculiari aliqua perfectione ipsis reservata. Ideo novus titulus selectus est: « De vita spirituali sacerdotum ».

In nova autem Schematis redactione, in qua praesertim textus primi capitis funditus recognitus est, Commissio curavit, prout a septem Patribus postulatum erat, ut expositio esset potius theologica quam iuridica, quamquam doctrina theologica de natura sacerdotii et presbyteratus, iuxta unanimem suffragationem huius Commissionis, in Schemate « De Ecclesia » aptiorem locum obtinere videtur.

Pariter Commissio, desideriis obsequens quinque Patrum, quasdam repetitiones expunxit, citationes complevit et ordinem conceptuum aptius disponere sategit.

Accurata ratio habita est pastoralium quoque necessitatum Ecclesiae, et condicionum vitae atque apostolatus sacerdotalis in mundo moderno, idque modo potius positivo quam negativo: Commissio nempe solutiones directe vel indirecte proponere maluit, potius quam difficultates aut pericula denuntiare.

Praetermissa denique quaestione illa disputata, utrum presbyteratus sit vel esse debeat status perfectionis necne — hac quidem super re Patrum animadversiones in oppositas sententias abierunt —, Commissio hunc conceptum retinendum censuit tamquam cardinem capitis primi: ministerium scilicet
sacerdotale, generose assumptum sub ductu episcopi, perfectum esse exerci- [18]
tium caritatis cum erga Deum tum erga proximum, ideoque viam quoque aptissimam ad sanctitatem assequendam. Media vero ad hanc sanctitatem obtinendam describuntur praeprimis tamquam profluentia ex ipsis muneribus sacerdotii Christi, quin tamen leges positivae Ecclesiae ullo modo praetermittantur. Omissa sunt autem, secus ac desideraverat unus ex Patribus, ea quae sacerdotibus a iure prohibentur: haec enim quaestio ad Schema Conciliare pertinere non visa est.

In numerum 1 (*Prooemium*)

Hoc prooemium capitis primi a septem Patribus nimis verbosum habitum est, praesertim quod attinet ad citationes Concilii Tridentini et Romanorum Pontificum, quae, ut in votis erat, aptius in nota recenseri poterant. Hac de causa Commissio textum breviorem apparandum curavit. Praeterea, quidam Patres exoptabant ut iam ab initio statueretur quae sit ratio ob quam sacerdotes ad vitam sancte ducendam teneantur, scilicet peculiaris ipsorum participatio sacerdotii aeterni Christi, et tria munera praecipua quae sacerdotibus committuntur. Hoc sensu prima paragraphus emendata est. Porro, novem Patres petierunt ut inter praecipua officia sacerdotii christiani explicite recenseretur munus praedicandi verbum Dei, quae additio libenter a Commissione facta est. Tres Patres voluerunt etiam ut clarius indicaretur officium sacerdotis

[18] tam relate ad fideles quam relate ad infideles, quod quidem breviter in prima paragrapho prooemii scriptum est.

Iuxta animadversionem unius Patris, Commissio expungendum arbitrata est verbum *hodie* in linea 16, paginae 5 Schematis, quippe quod verbum inutiliter pessimisticum esse videretur. Quatuor autem Patribus minus placuit ultima paragraphus paginae 5, propter eius indolem nimis negativam: ideo, cum eadem melius dicta alibi in eodem capite invenirentur, Commissio censuit integram hanc paragraphum esse expungendam.

Ideo textus prooemii ita emendatus est:

1. [*Prooemium*]. Sacerdotes Novi Testamenti ad vitam sancte ducendam obligantur, idque imprimis vi ipsius sacerdotii, quod revera est participatio Sacerdotii aeterni Christi, Dei Sancti; deinde vero etiam obligantur vi munerum sanctorum illius sacerdotii, quorum praecipua sunt, in participatione munerum Christi magistri, sacerdotis et pastoris, verbum Dei praedicare, sacrificium offerre, sacramenta administrare, fideles ad sanctitatem promovere, ceterosque alios ad Ecclesiae unitatem revocare vel ad Evangelii lumen perducere.

Saeculorum quidem decursu Ecclesiae magisterium, per acta Pontificum et Conciliorum,[1] sacerdotes ad sanctitatem assequendam hortari nunquam desiit; novissime vero crebriora atque vehementiora facta sunt Sanctae Sedis hortamenta, quibus ingruentium malorum remedium promptum idque efficacissimum in sacerdotalis vitae perfectione potissimum consistere indicatur.[2]

Quamquam enim omnibus dictum est: « Estote ergo vos perfecti, sicut et
[19] Pater vester caelestis perfectus est » (*Mt.* 5, 48), ad illam tamen perfectionem assequendam peculiari titulo adstringuntur sacerdotes, quos in ordinatione sacra Ecclesia monuit « fide et opere debere esse perfectos, seu geminae dilectionis, Dei scilicet et proximi, virtute fundatos ».[3] Sit enim oportet sacerdos prae fidelibus ceteris sal terrae et lux mundi (cf. *Mt.* 5, 13-14).

Ideo Sacrosancta haec Synodus sequentia consideranda et exsequenda esse statuit:

In numerum 2

In hunc numerum quinque tantum animadversiones factae sunt, nonnisi parvas immutationes proponentes. Textus igitur fere idem permansit, quamvis vero aliqua verba addita sint ad indicandum sanctitatem sacerdotalem potius docilitate erga Dei voluntatem et Christi imitatione, quam naturali actione humana, attingi posse.

Textus igitur sic sonat:

2. [*Fundamentum exigentiae sanctitatis sacerdotalis*]. Sanctitas in sacerdote eo praesertim exigitur, quod ille, per sacramentum Ordinis et Characterem Sacerdotalem, Christi aeterni Sacerdotis instrumentum efficitur, novoque titulo Deo mancipatur. Etenim omnes fideles « in Christo regeneratos, crucis signum efficit reges, Sancti vero Spiritus unctio consecrat sacerdotes »;[4] Pontifex tamen noster, sedens ad dexteram Patris, quosdam inter ipsos, quos

quidem ex hominibus assumit (cf. *Hebr.* 5, 1), unctione Spiritus speciali modo sibi consecrat sacerdotes, ut ipsi in Corpore suo, « cuius universitas sacerdotalis est »,[5] Christi capitis sacerdotium, per ministerium episcopatus et presbyteratus, repraesentent, et in eius persona agant. [19]

Sacerdos igitur ad eius perfectionem propius accedere debet, cuius partes sustinet,[6] atque peculiariter « homo Dei » (*1 Tim.* 6, 11) factus, ita inter homines se gerere debet, ut in ipso quodammodo sanctitas illius qui nobis factus est « sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus » (*Hebr.* 7, 26) effulgeat. Eo ergo sanctificatur sacerdos, quod sit docilis, capax intentionum Dei eiusque ductus, nihil quaerens nisi voluntatem Dei et participationem actionis eius. Ad Deum sanctissimum accedere non potest sacerdos, nisi assimiletur Christo, unico Mediatori, cuius locum tenet, quem contemplari, imitari et sequi debet eiusque verba audire et adimplere: hoc enim prae ceteris est ab iis servandum, qui ad sanctitatem pervenire vere desiderant.

Cum autem Deus sacerdotem specialiter per sacramenta Christo coniunxerit, oportet etiam ut ille ad participationem vitae Christi magis magisque perveniat, usquedum cum Paulo Apostolo dicere possit: « Vivo autem iam non ego: vivit vero in me Christus » (*Gal.* 2, 20).

In numerum 3

Viginti sex Patres postularunt ut ministerium sacerdotis consideraretur sub triplici adspectu magistri, ministri sacramentorum et pastoris seu rectoris;
alii vero petierunt ut in sua luce poneretur momentum caritatis, in qua tota [20]
perfectio consistit, et ex qua totum ministerium sacerdotis vim suam haurire debet: quae quidem omnia ob oculos habita sunt in nova redactione huius numeri a Commissione apparata:

3. [*Ipsum ministerium postulat sanctitatem in sacerdote*]. Sacerdotes praesertim sanctificantur mediante exercitio triplicis muneris sibi a Deo commissi.

Verbum Dei praedicantes, « quod docuerint imitentur »,[7] memores verborum Sancti Gregorii I Papae: « Illa vox libentius auditorum cor penetrat, quam dicentis vita commendat, quia quod loquendo praecipit, ostendendo adiuvat ut fiat ».[8]

Dignius quam ceteri fideles se Deo consecrent « mortis Dominicae mysterium celebrantes »,[9] ut quod in sacrificali ara agitur, sacerdotalis animus in se referre studeat.[10]

Munere tandem pastorali sacerdotes fungi debent intimo sensu dependentiae a Bono Pastore, ex quo sane opimi fructus sanctitatis ipsi consequentur. Cum enim illi officia sua perficiunt, caritatem exercent, quae profecto peculiariter in sacerdotibus requiritur, non solum quia ipsi totam vitam suam Christo, omnis amoris fonte, consecrant, verum etiam quia in fratribus Deo lucrandis, quibus speculum esse debent, ratio talis consecrationis praesertim reponenda est.

[20] *In numerum 4*

Quinquaginta duae animadversiones in hunc numerum propositae sunt, quarum plurimae postulabant ut ordo conceptuum immutaretur. Quidam autem exoptabant ut principium divisionis seligeretur secundum tria munera sacerdotalia, alii ut munus praedicandi Evangelium prae ceteris extolleretur, et ita porro. His omnibus accurate perpensis, Commissio expedire iudicavit ut tota materia divideretur iuxta triplex munus praedicandi, sanctificandi et gubernandi, de quo actum est in numero praecedenti.

Quod attinet vero ad munus sacerdotale gubernandi, seu ad munus pastoris, opportunum visum est, iuxta desiderium undecim Patrum, in hunc locum transferre tum ea quae sub numero 5 Schematis « De clericis » prius statuebantur circa spiritum quo sacerdos in servitium omnium fidelium sese impendere debet, tum quoque ea quae in numero 9 eiusdem Schematis dicebantur de vocationibus suscitandis et curandis. Praeterea, ostensa est indoles communitaria actionis sacerdotalis in offerendo sacrificio.

Prout a duobus Patribus proponebatur, Commissio expungendam censuit paragraphum sub littera *e*) positam, quia non videbatur pertinere ad materiam huius capitis; ceterum nulla est ratio cur caritas erga sacerdotes lapsos distinguenda esset a caritate fraterna erga omnes sacerdotes.

Quoad virtutes humanas seu naturales, de quibus sub littera *f*) huius numeri, nonnullae animadversiones propositae sunt. Commissio vero universas
[21] has animadversiones attente consideravit et textum ita praesertim recognoscere curavit, ut harum virtutum relatio cum vita supernaturali et labore apostolico manifestius pateret, et aptius praeterea earum enumeratio disponeretur.

Attentis quoque aliis animadversionibus, nonnulla verba addita sunt ad suadendam necessitatem boni exempli aliis praebendi, necnon orationis atque spiritus poenitentiae in ministerio animarum; quae additio necessaria visa est ad describendam sic dictam « spiritualitatem » animae sacerdotalis.

Cum plures denique Patres, diversis quidem formis ac modis, id postulassent, Commissio necessarium duxit aliquid clare et explicite edicere de spiritu « communitario », iuxta quem sacerdos ad sanctitatem assequendam tendere semper debet: qui est scilicet spiritus unionis cum episcopo, cum aliis clericis et cum omnibus fidelibus. Quaedam igitur desumpta sunt ex litteris *c*) et *d*) numeri 4, necnon ex numero 7; quae omnia, opportunis factis additionibus et re universa aptius ordinata, nunc efformant numerum 5 novae redactionis, in quo etiam opportunum visum est aliquid statuere circa fiduciosam collaborationem sacerdotis cum episcopo, necnon circa sacerdotis participationem sollicitudinis ac pastoralis episcopi curae.

Proinde numeri 4 et 5 novae redactionis ita exarati sunt:

4. [*Sacerdotis sanctitas proprii muneris adimpletione alitur atque augetur*]. Sanctitas sacerdotis triplici munere ei a Deo commisso alitur atque augetur.

Ut *magister* sacerdos Sacram Scripturam, opera SS. Patrum et theologo-

rum, vitam Sanctorum legit atque meditatur, deinde contemplata ita tradit ut [21]
audientes zelo suo amplectatur, semper intendens fideles, sicuti sunt, ad profundiorem cognitionem et amorem Dei, ad vividiorem caritatem fraternam et spiritum christianum adducere.

Ut *sacrificator* et *sanctificator* sacerdos Eucharisticum sacrificium conscie et pie celebrat, immaculatam hostiam pro fidelibus sibi commissis necnon seipsum cum eis offerens. Sacramenta prompte ac libenter administrans, fovet in seipso spiritum fidei, in fidelibus sensum admirationis provocat propter Dei mirabilia, quae per suas transeunt manus. Divinum officium persolvit, quo « ascensus mentis animique Deo »[11] presbyter et alii, qui cum eo orant, consequuntur.

Ut *pastor* sacerdos recogitat verba Domini: « Filius hominis non venit ministrari sed ministrare, et dare animam suam redemptionem pro multis » (*Mt.* 20, 28). Ideo nunquam dominans aut dominari nitens, sed forma factus gregis ex animo (cf. *1 Pt.* 5, 3) studet ad Christum omnes adducere, sibique idoneos cooperatores eligere in aedificationem corporis Christi. Humillime et instanter a Domino messis petit ut dignos et multos operarios in messem suam mittere dignetur (cf. *Mt.* 9, 37-38), semperque in hunc finem obtinendum totis viribus agit. Oves suas cognoscit et earum necessitatibus providet. Nullum conamen intermittit amplexandi eos, qui Deum ignorant, vel negant, vel repellunt, his Dei amorem patefaciens divinamque voluntatem, quia
Deus « omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire » [22]
(*1 Tim.* 2, 4).

Sacerdos acquirat etiam oportet ornamenta animi et corporis, quae omnibus christianis a Christo Domino praecipiuntur, quaeque ipsi sacri ministerii felici exitui prodesse possunt: cuius generis sunt comitas, simplicitas et sinceritas in agendo, robur et constantia animi, modestia, maturitas et moderatio in affectibus, personae ac vestium decor, gestus atque adspectus dignitas, urbanitas aliaque huiusmodi. Quocirca Paulus Apostolus admonet dicens: « Quaecumque sunt vera, quaecumque pudica, quaecumque iusta, quaecumque sancta, quaecumque amabilia, quaecumque bonae famae, si qua virtus, si qua laus disciplinae, haec cogitate » (*Phil.* 4, 8).

Sacerdos habeat quoque vividum sensum gravis necessitatis propriae vitae interioris et proprii optimi exempli, quia non potest dare aliis, quod non habet; itemque necessitatem iugiter persentiat propriae ad Deum intercessionis, immo et poenitentiae, pro animis sibi concreditis, praesertim pro iis, qui in statu peccati vivunt, iuxta illud Domini: « Hoc genus non eiicitur nisi per orationem et ieiunium » (*Mt.* 17, 20).

5. [*Sanctitas in unitate Ecclesiae vivenda*]. Quamquam sanctitas humana in communicatione sanctitatis Christi Capitis consistit, qui implet omnia (cf. *Eph.* 4, 10), tamen acquiri non potest nisi diversis ministrationibus membrorum, quibus Corpus Christi Mysticum aedificatur (cf. *Eph.* 4, 12 et *1 Cor.* 12, 4 ss.). Propterea sanctitas sacerdotalis in unione cum episcopo, cum aliis clericis et laicis fidelibus oritur, in quibus omnibus Christus operatur, ita ut

[22] membra, diversis relationibus et operationibus (cf. *1 Cor.* 12, 6) coniuncta, dando et accipiendo, ad perfectionem crescant.

Sacerdos sinceram, completam et filialem obedientiam episcopo cum responsabilitate cooperandi in vinea Domini coniungat. Ceteris sacerdotibus uniatur vinculo fraternae caritatis, orationis, mutui auxilii, animi relaxationis: quapropter vita communis, quantum fieri possit, itemque periodici conventus inter sacerdotes foveantur, ita ut a periculis e solitudine forte orientibus ipsi eripiantur; pariter, eorum coniunctio in associationibus piis, quae sacerdotum sanctitatem fovendam intendunt, magni semper habeatur.

In numerum 5

Uti iam supra dictum est, quae sub hoc numero statuebantur, quin ullam paterentur modificationem transierunt in numerum 4 Schematis recogniti, quia nulla prorsus animadversio in hunc textum proposita erat.

In numerum 6

Quoad hunc numerum, multae additiones a Patribus propositae sunt relate ad subsidia sanctificationis adhibenda, quas inter recensentur examen particulare de aliqua virtute vel defectu, exercitia spiritualia per integrum mensem
[23] peragenda iuxta methodum Sancti Ignatii de Loyola, adscriptio Unioni Apostolicae Sacerdotum Saecularium a Sacratissimo Corde Iesu, oratio mentalis per viginti saltem temporis momenta sub peccato veniali quotidie peragenda, aliaque sane multa id genus. E propositis hisce additionibus Commissio nostra unam tantummodo retinendam censuit, quae a septem Patribus proposita erat, nempe visitationem Sanctissimi Sacramenti. Commissio pariter reiecit alias animadversiones, quae de particularibus devotionibus agebant. Idque praesertim duplici de causa faciendum esse existimavit: primo, quia Concilii non est nimias leges condere, neve de minimis auctoritative decernere, uti Patres non pauci in animadversionibus generalibus innuerant; secundo, quia Concilii decreta vim exerunt in Ecclesia universa, neque ideo congruit ut in ipsis pro omnibus imponatur aliqua devotio, quamquam optima, quae in usu tantum sit alicuius territorii vel peculiaris personarum coetus.

Quatuor Patres petierunt ut e textu Schematis verba expungerentur quibus obligatio statuebatur exercitia spiritualia quotannis peragendi. Quinque Patres hoc idem postularunt quoad diem recollectionis singulis mensibus habendam. Alii denique exoptarunt ne ulla iuridica obligatio Rosarii Marialis recitandi pro universa Ecclesia statueretur, nam in Orientalibus Ecclesiis aliae perveteres ac pulcherrimae orationes ad B. V. Mariam loco Sancti Rosarii recitantur. Hae omnes animadversiones Commissioni probandae visae sunt, qua de causa textus opportune recognitus est.

Commissio tandem expungenda esse censuit verba, sub littera *e*) posita, *operum misericordiae exercitium, suffragia pro defunctis,* quippe quae non

inter subsidia ad propriam obtinendam sanctificationem recenseri valeant, sed potius ad ipsum officium sacerdotale pertineant ab eoque exigantur. [23]

Ideo hic numerus 6 Schematis « De clericis », qui in Schemate « De sacerdotibus » fit numerus 7, ita redactus est:

7. [*Subsidia ad sanctificationem adhibenda*]. Quoad sanctificationis subsidia, haec maxime prae oculis habenda sunt:

a) oratio mentalis, cui peragendae quotidie congruum tempus reservandum est, praeterquam vocalibus precibus;

b) lectio spiritualis, qua animus enutriatur;

c) pia visitatio Sanctissimi Sacramenti;

d) amor filialis et cultus erga B. Virginem Matrem;

e) quotidiana conscientiae discussio;

f) periodica recollectio, frequens peccatorum confessio, directionis spiritualis usus;

g) exercitia spiritualia laudabiliter quotannis peragenda;

h) fiducialis petitio in oratione, cui omnia possibilia sunt (cf. *Mc.* 9, 22; *Mt.* 21, 22), ut vita illa abundans, fidei scilicet, orationis et caritatis, quam ut haberemus Christus in mundum venit (cf. *Io.* 10, 10), reapse gratia Dei acquiratur.

In numerum 7 [24]

Quae in hoc numero continebantur, propter rationes supra recensitas nunc translata sunt in numerum 5 Schematis recogniti. Quaedam vero mutationes in textum allatae sunt, attentis praesertim propositionibus septem Patrum, qui postulaverant ut magis commendaretur sacerdotum coniunctio in associationibus ad sanctitatem fovendam. Contra aliquas vero Patrum animadversiones, Commissio opportunum non duxit vitam communem obligatoriam sacerdotibus imponere.

In numerum 8

Tredecim Patres proposuerunt ut magis evolverentur quae in hoc numero Schematis continebantur, et praesertim ut pressius indicaretur quomodo sacerdotes vitam secundum Evangelium modo prorsus saeculari componere debeant, et quomodo castitas sit medium aptissimum ad vitae sanctitatem seu caritatis perfectionem consequendam. Commissio igitur novum textum redigere curavit, eidem tribuens locum praestantiorem, nempe ante numerum ubi agitur de subsidiis ad sanctitatem obtinendam. In initio huius novi textus ponitur principium generale de imitatione Christi deque vita secundum Evangelium agenda (quae quidem reduci non potest ad vitam secundum *consilia* evangelica). Deinde vero quaedam edicuntur de consiliis evangelicis secundum ordinem generatim in usum receptum, nempe de paupertate, castitate et oboedientia. Quapropter hic textus, qui in Schemate « De sacerdotibus » factus est numerus 6, ita sonat:

[24] 6. [*Vita secundum Evangelium componenda*]. Totam vitam suam sacerdos, vestigia Christi premens, ad Evangelii normas componere curet, ita ut in exemplum praeluceat ob animum solutum ab immodico amore suipsius, personarum, rerum ac quorumlibet bonorum temporalium, regno autem Dei et operi salutis plene sit addictus.

Maxime expedit sacerdotes omnes exemplum austeritatis christianae mundo praebere, ut vere pauperes spiritu appareant, non tantum ad propriam sanctificationem, sed etiam ad pauperes aptius evangelizandos (cf. *Mt.* 11, 5; *Lc.* 7, 22), ut verbum Christi et praedicatio suorum ministrorum in corda hominum intimius infigantur, et a desiderio nimio divitiarum et mundanarum deliciarum mentem fidelium avertantur.

Castitatem sancte custodiant et sincere ament, diligenter pericula amovendo, nec praetextu apostolatus moderni mundanis oblectamentis indulgentes spiritu sacerdotalis detrimentum ipsi subire patiantur.[12]

Clerici interno spiritu obedientiae ducantur, et non tantum illa quae sub praecepto cadunt, sed et ea quae a superioribus commendantur alacri ac generoso animo adimpleant.

[25] *In numerum 9*

Uti supra dictum est, quae in hoc numero 9 Schematis dicebantur nunc brevius exposita inveniri possunt in numero 4 novae redactionis. Etenim Commissio expedire censuit ut labor ad novas vocationes procurandas, et cura de iis indesinenter gerenda, potius inter officia pastoralia sacerdotis adnumerarentur. Neque opportunum Commissioni visum est hac de re plura edicere, quippe quod haec quaestio aliis in Schematibus pertractetur.

In numerum 10

Commissio hunc textum fere immutatum reliquit, quia perpaucae in eum sunt animadversiones propositae. Attamen additae sunt quaedam verba e Sacra Scriptura desumpta.

Textus ergo, qui in Schemate « De sacerdotibus » est numerus 8, ita redactus est:

8. [*Crux in apostolatu cum gaudio amplectenda*]. Si tribulationes venerint, praesertim vero quando labores infructuosi videantur, et afflictiones aut persecutiones contingant, animi deiectionem sacerdos ne patiatur, nec apud mundum levamen quaerat, sed sciat in infirmitate virtutem Christi perfici (cf. *2 Cor.* 12, 9). Crucem peramanter agnoscant et eam cum gaudio tollens sequatur Dominum, ut vita Iesu manifestetur in eo (cf. *2 Cor.* 4, 10), et adimpleantur ea, quae desunt passionum Christo in carne sua (cf. *Col.* 1, 24), gaudens se dignum factum esse pro nomine Iesu contumeliam pati (cf. *Act.* 5, 41).

In numerum 11 [25]

Nulla fere emendatio facta est, si excipiantur prima verba, quae ratione magis positiva redacta sunt.

Ideo hic numerus, qui in novo Schemate « De sacerdotibus » est numerus 9, ita manet:

9. [*Semper se paratum praebeat ad perfungendum quolibet munere a superiore commisso*]. Sacerdos toto corde muneribus sibi concreditis adhaereat. Sit tamen semper paratus et promptus ad ea dimittenda, et ad alia sumenda, quae, intuitu boni communis vel ipsius sacerdotis, a competenti superiore proponantur.

In numerum 12

Duas tantum animadversiones in hunc numerum Patres fecerunt, et quidem proponentes breves additiones. Attamen Commissio hunc numerum expungendum esse existimavit, quo aptius Schema perstringeretur, necnon quia sacerdotum aegrotantium cura, sicut et cura laicorum aegrotantium, res est in genere pertinens ad virtutem caritatis, de qua vero in Schemate satis agi videtur.

In numerum 13 [26]

Multis sane Patribus id postulantibus, Commissio hunc numerum transferendum censuit in caput tertium Schematis, ubi agitur de recto usu bonorum.

In numerum 14

Quamquam nulla animadversio in hunc numerum facta est, Commissio tamen textum aliquantum recognovit, additis praesertim nonnullis citationibus e Sacra Scriptura desumptis.

Hic est ergo novus textus, qui in Schemate « De sacerdotibus » sub numero 10 positus est:

10. [*Mors in spe et animo tranquillo recipienda*]. Hora mortis adveniente, fidem roboret sacerdos, et animum erigat ad Christum Dominum, qui, pro peccatis mortuus, resurrectio est et vita (cf. *Io.* 11, 25); in cuius mortem et resurrectionem complantatus est (cf. *Rom.* 6, 5); cui servivit; cuius morti intime se coniungat, animam suam ponens pro ovibus suis (cf. *Io.* 10, 15), spe firma adimpletus, se mox vocem dilecti Domini auditurum esse: « Euge serve bone et fidelis ... intra in gaudium Domini tui » (*Mt.* 25, 21).

NOTAE

In nova redactione Schematis, notae huius primi capitis sequentes sunt:

[1] Inter alia, Sacrosancta Tridentina Synodus opportune iam admonebat: « Nihil est, quod alios magis ad pietatem et Dei cultum assiduo instruat, quam eorum vita et exemplum, qui se divino ministerio dedicarunt. Cum enim a rebus

[26] saeculi in altiorem sublati locum conspiciantur, in eos tamquam speculum reliqui oculos iniiciunt, ex iisque sumunt quod imitentur » (Sess. XXII, Decr. *de reform.*, cap. 1).

[2] Cf. inter alia:

S. Pius X, Exhortatio ad clerum *Haerent animo,* 4 aug. 1908: *S. Pii X Acta,* vol. IV (1908), p. 237 ss.

Pius XI, Litt. Encycl. *Ad catholici sacerdotii,* 20 dec. 1935: *A.A.S.*, 28 (1936), p. 5 ss.

Pius XII, Adhort. Ap. *Menti Nostrae,* 23 sept. 1950: *A.A.S.*, 42 (1950), p. 657 ss.

Ioannes XXIII, Litt. Encycl. *Sacerdotii Nostri primordia,* 1 aug. 1959: *A.A.S.*, 51 (1959), p. 545 ss.

[3] Pont. Rom., *De ordinatione Presbyteri.*

[4] S. Leo Magnus, *Serm.*, 4, 1: *PL* 54, 149.

[5] S. Leo Magnus, *Serm.*, 3: *PL* 54, 145.

[6] Cf. Pius XI, Litt. Encycl. *Ad catholici sacerdotii,* 20 dec. 1935: *A.A.S.*, 28 (1936), p. 20.

[27] [7] Pont. Rom., *De ordinatione Presbyteri.*

[8] *Reg. Pastor.*, 2, 3: *PL* 77, 28 B.

[9] Pont. Rom., *De ordinatione Presbyteri*; recolenda quidem hic sunt verba Sancti Thomae: « ad idoneam exsecutionem ordinum non sufficit bonitas qualiscumque, sed requiritur bonitas excellens; ut sicut illi, qui ordinem suscipiunt, super plebem constituuntur gradu ordinis, ita et superiores sint merito sanctitatis », *Summa Theol.* Suppl., q. 35, a. 1, ad 3.

[10] Cf. Pius XII, Adhort. Ap. *Menti Nostrae,* 23 sept. 1950: *A.A.S.*, 42 (1950), p. 667; Ioannes XXIII, Litt. Encycl. *Sacerdotii Nostri primordia,* 1 aug. 1959: *A.A.S.*, 51 (1959), p. 565.

[11] Pius XII, Adhort. Ap. *Menti Nostrae,* 23 sept. 1950: *A.A.S.*, 42 (1950), p. 670.

[12] Cf. Pius XII, Litt. Encycl. *Sacra virginitas,* 25 mart. 1954: *A.A.S.*, 46 (1954), p. 161 ss.

[28]

Animadversiones in Caput II seu « De studio et scientia pastorali »

Commissio opportunum duxit expresse agere de officio quo omnes sacerdotes obstringuntur perseverandi in studio per totum vitae cursum, praesertim quod attinet ad illas disciplinas quae ad ministerium pastorale aptius exercendum necessariae dicendae videntur. Item Commissioni visum est statuere quomodo apta media sacerdotibus procuranda sint ut tale officium ipsi adimplere valeant. Propterea Commissio paucas illas animadversiones reiecit quibus aliquo modo imminuebantur vel obligatio perseverandi in studio vel necessitas comparandi ea apta media. Quasdam tamen animadversiones Commissio recepit, ut infra dicitur, praesertim quoad congruam et necessariam aptationem normarum ad peculiaria adiuncta singularum regionum, necnon quo clarius pateret normas hoc in capite contentas nullatenus abrogare praescripta circa collationes de re morali ac liturgica.

In numerum 15 [28]

Ad vitandas quasdam repetitiones necnon ad materiam aptius ordinandam, Commissio prooemium huius capitis secundi perstringendum curavit, paucis quoque factis mutationibus in rebus minoris momenti. Ideo hoc prooemium, quod in Schemate « De sacerdotibus » est numerus 11, ita redactum est:

11. [*Prooemium*]. Sacerdotes, memores verborum Domini docentis et mandatum eius etiam recolentes ut ipsi omnes gentes Veritatem doceant (cf. *Mt.* 28, 19), semper prae oculis habere debent se esse participes sacerdotii Christi et collaboratores episcoporum, Apostolorum successorum, verbum salutis populo praedicando.

Quapropter episcopus, in sacro ritu ordinationis, levitas admonet ut « sint maturi in scientia » et « sit doctrina eorum spiritualis medicina populo Dei ».[1] Sacerdos enim assumitur ab episcopo in ministerium sacrum, ut partem cum ipso habeat in praedicatione fidei et in cura animarum. Unde Ecclesia continenter monet ut « clerici studia, praesertim sacra, recepto sacerdotio, ne intermittant; et in sacris disciplinis solidam doctrinam a maioribus traditam et communiter ab Ecclesia receptam sectentur ».[2]

Attamen, id quod aliis est tradendum prius possideatur oportet, unde necessarium omnino est ut sacerdotes scientia veri nominis polleant, quae ipsorum vitam supernaturalem alat atque foveat, et cum populo ipsis commisso communicari possit « in omni patientia et doctrina » (*2 Tim.* 4, 2).

Ut autem Veritatem Christi fructuose annuntient, debent etiam sacerdotes doctrinam tradere verbis ad mentes audientium convenienter accommodatis [29] et modo plane respondente peculiaribus nostrae aetatis condicionibus psychologicis et socialibus.[3]

Ad hunc vero finem consequendum necessarium est ut sacerdotes, praeter scientiam sacram, sufficienter quoque ditentur cultura humana generali et solida polleant informatione de scientiae humanae nostris diebus praecipuis acquisitis, de iis praesertim quae laboris pastoralis efficacitati aptius favere valeant.[4]

Ideo Sacrosancta haec Synodus quae sequuntur consideranda et exsequenda statuit:

In numerum 16

Etsi nulla facta sit in hunc numerum animadversio, Commissio tamen expunxit verba *post orationem* (pag. 19, lin. 16), quia re vera obligatio incumbendi in studium cum aliis plurimis rebus comparari potest. Textus igitur, nunc positus sub numero 12, sic sonat:

12. [*Studium ad officia status clericalis essentialiter pertinet*]. Studium est pro sacerdote « officium status » cui, non obstantibus laboris apostolici exigentiis, quae in dies continuo crescunt, potissimum momentum agnosci debet, quippe quod condicio sit necessaria tum ministerii pastoralis fructuose exercendi, tum propriae vitae supernaturalis pie enutriendae.[5]

[29] *In numerum 17*

Prout in unica animadversione proposita suggerebatur, Commissio forma magis positiva redegit quae in pag. 13, linn. 20-21 continebantur. Qua de causa textus, nunc sub numero 13, ita redactus est:

13. [*Studium continuum et nostris diebus respondens requiritur*]. Proinde sacerdos conscius esse debet scientiam in Seminario acquisitam, etsi solidum fundamentum praebens, attamen initium tantum studii esse, unde quam necessarium est eam in dies amplificare et altiorem reddere, ita ob oculos habitis mente, problematibus et necessitatibus hominum nostrae aetatis,[6] ut modo conveniente ipsam communicare possint secundum testimonium Malachiae prophetae: « labia sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore eius » (*Malach.* 2, 7).

In numerum 18

Cum nulla in hunc numerum animadversio facta sit, textus immutatus manet, sub numero tamen 14:

14. [*Sapientia fidei acquirenda*]. Ne autem hoc studium in encyclopaedica quadam massa cognitionum consistat, neque facili informatione de novissimis
[30] quaestionibus scientificis aut de arte pastorali circumscribatur, ipsum dirigatur oportet ad veram sapientiam christianam acquirendam, quae omnia ad lucem fidei intelligit et ordinat.[7] Ad quam quidem sapientiam assequendam Ecclesia, Mater et Magistra, iterum atque iterum Spiritum Sanctum ut det nobis « recta sapere » [8] nos exorare hortatur.

In numerum 19

Textus remanet ut in Schemate « De clericis ». Mentionem enim de collationibus moralibus et liturgicis, quam duo Patres postularunt, Commissio aptius inserendam esse censuit tamquam notam 12 sub numero 17 recognitae redactionis. Hic vero numerus, qui in Schemate « De sacerdotibus » est numerus 15, ita manet:

15. [*Scientia sacra*]. Scientia ministri sacri sacra esse debet, nempe, e sacro fonte desumpta vel ad sacrum finem directa. Praeprimis igitur sacerdos Iesum Christum, unicum Salvatorem nostrum, cognoscere debet, qui est manifestatio Patris, et cuius persona, vita et doctrina revelatio sunt Veritatis (cf. *Io.* 18, 37). Haec scientia haurienda primo est, uti patet, ex lectione et meditatione Sacrae Scripturae, iuxta illud Sancti Hieronymi: « Divinas Scripturas saepius lege: immo nunquam de manibus tuis sacra lectio deponatur... Sermo presbyteri Scripturarum lectione conditus sit ».[9] Haec scientia nutriatur quoque studio Patrum et aliorum Traditionis documentorum, sed ut

aptas responsiones reddere valeat quaestionibus ab hominibus huius aetatis agitatis, consulat sacerdos optimos quoque et probatos scientiae theologicae et exegeticae hodiernos scriptores. [30]

In numerum 20

Textus remanet immutatus, sub numero tamen 16.

16. [*Scientiae humanae*]. Ad scientias vero humanas quod attinet, ex illis sacerdotes ea cognoscere satagant, quae conversationem et colloquium cum ceteris hominibus fructuosa ac faciliora reddere valeant. Proinde studio se dent eorum problematum, quae attentionem omnium hodie alliciunt vel quae speciali modo agitantur apud homines curae suae pastorali commissos. Artem quoque paedagogicam ita adipisci conentur, ut modum agendi pariter ac modum docendi et scribendi accommodent condicionibus psychologicis illorum quibus verbum Dei annuntiant, et ad hunc finem scientias paedagogicas, psychologicas et sociologicas pro viribus discere satagant.[10]

In numerum 21

Iuxta animadversiones quorumdam Patrum, Commissio parvas mutationes introduxit, praesertim quo clarius pateret etiam adspectus practicus cursuum pastoralium; necnon ut tempus, quo hi cursus haberi debent, Ordinarii iudicio determinandum relinqueretur, et talium cursuum institutio adiunctis sin- [31]
gularum regionum aptaretur. Commissio etiam addendam censuit notam 12, ubi explicite indicatur tales cursus pastorales nullatenus abrogare normas quoad collationes de re morali et liturgica in Codice statutas.

Proinde textus, nunc positus sub numero 17, ita exaratus est:

17. [*Cursus pastorales*]. Sacerdotibus igitur opportuna subsidia comparentur, ut hisce scientiis sacris et humanis se perficiant. Ideo:

a) pro neosacerdotibus, post persolutum curriculum theologicum studiorum, et secundum adiuncta variarum regionum, instituatur cursus peculiaris, ut applicatione pastorali scientiarum theologicarum ii pressius et practice erudiantur,[11] utque in scientiis sacro ministerio peculiari ratione necessariis vel utilibus, veluti disciplinis sociologicis, psychologicis et paedagogicis, et in cognoscendis probatis et efficacibus methodis apostolatus nostrae aetatis, magis magisque proficiant; [12]

b) item, aptis in domibus breves cursus instituantur,[13] ubi sacerdotes studium pastorale plenius perficiant: v. g. primo post trium annorum ministerii sacri exercitium, deinde vero tertio vel quinto quoque anno, usque ad aetatem a loci Ordinario statuendam.[14] Peragantur praeterea cursus regionales vel nationales, non solum ad studium pastorale amplificandum, sed etiam ad ea invicem communicanda, quae experientia sint acquisita, necnon ad coordinandas omnes actiones pastorales in dioecesibus et in variis regionibus.[15]

[31] *In numerum 22*

Nulla in hunc numerum animadversio proposita est, quapropter textus immutatus retinetur, sub numero tamen 18:

18. [*Roboratio unitatis et collaborationis pastoralis cum episcopo*]. Episcopus, si fieri potest, praesentia sua foveat cursus pastorales, ut in communi oratione, studio et labore renovetur vinculum unitatis, caritatis et apostolatus inter Ordinarium et « cooperatores providos » sacri sui ordinis.[16]

In numerum 23

Textus fere immutatus remanet, addita tamen mentione Institutorum de re homiletica, iuxta animadversionem quorumdam Patrum. Hic vero numerus in Schemate « De sacerdotibus » est numerus 19:

19. [*Instituta pastoralia*]. Optandum est ut sacerdotes frequentent Instituta pastoralia nationalia vel regionalia (de re catechetica, vel liturgica, vel homiletica, vel de sociologia religiosa),[17] in quibus altiori studio se dent methodorum evangelizationis et catechesis, artium investigationis socialis, organizationis et communicationis, et aliarum huiusmodi rerum. Suas quoque conclusiones cum aliis scripto et verbo communicare satagant.

[32] *In numerum 24*

Textus manet sicuti erat, sub numero tamen 20:

20. [*Bibliothecae in usum cleri*]. Adiciatur his Institutis bibliotheca specialis pastoralis, cuius libris facile clerus uti possit. Inter commentaria vero periodica ea seligantur ab Ordinario, quae maxime idonea sint, ipsaque sacerdotibus commendentur in cura animarum laborantibus.[18]

In numerum 25

Hic textus pariter immutatus manet, sub numero tamen 21:

21. [*Moderator studii pastoralis*]. Designetur et instituatur ab Ordinario in unaquaque dioecesi quidam *studiorum moderator* seu *promotor,* qui de omnibus rebus curet studium et scientiam pastoralem respicientibus.

In numerum 26

Nulla facta est emendatio, quapropter textus, nunc positus sub numero 22, sic sonat:

22. [*Studii necessitas ad vitae sacerdotalis sanctitatem*]. Occasione recollectionum ac exercitiorum spiritualium, obligatio in studiis perseverandi sedulo

in memoriam sacerdotum revocetur, quo clarius pateat quae mirabilis relatio [32]
inter studium sacrum et vitae sanctitatem intercedat, plurimum sane conferens ad elevationem status clericalis.

NOTAE

In nova redactione Schematis, notae huius secundi capitis sequentes sunt:

[1] PONT. ROM., *De ordinatione Presbyteri.*

[2] *C.I.C.,* can. 129.

[3] « Multa enim in populi christiani mores rerum cursus induxit, patrum nostrorum inaudita temporibus: quae pernovisse hodie sacerdotem oportet, ut nova novis remedia malis in Iesu Christi virtute reperiat, et salutarem Religionis vim in omnes venas afferat humanae societatis » (PIUS XI, Epist. Ap. *Officiorum omnium,* 1 aug. 1922: *A.A.S.,* 14 [1922], p. 456).

[4] Cf. PIUS XI, Litt. Encycl. *Ad catholici sacerdotii,* 20 dec. 1935: *A.A.S.,* 28 (1936), p. 34.

[5] « ... ut in lege tua die ac nocte meditantes quod legerint, credant; quod crediderint, doceant; quod doceant, imitentur » (PONT. ROM., *De ordinatione Presbyteri*).

[6] Cf. PIUS XII, Epistula ad participantes conventui XXI universali sodalitatis cui nomen « Pax Romana », 6 aug. 1950: *A.A.S.,* 42 (1950), p. 635; PIUS XI, Litt. Encycl. *Ad catholici sacerdotii,* 20 dec. 1935: *A.A.S.,* 28 (1936), p. 34.

[7] Cf. *1 Cor.* 2, 6-7; quo in sensu et IOANNES XXIII: « ... d'altra parte non [33]
siamo ignari dei pericoli, che l'*inimicus homo* non cessa di seminare anche fra le persone più sante. Né ci sfugge come anche un malinteso spirito di conquista e una smaniosa ricerca di novità possano produrre una perdita pericolosa delle genuine virtù sacerdotali » (*Allocutio* ad sacerdotes ex Apostolica Cleri Unione, habita 12 mart. 1959: *A.A.S.,* 51 [1959], p. 199). Cf. etiam *C.I.C.,* can. 129.

[8] In festo Pentecostes, *Oratio.*

[9] *Epistulae,* 52, 7-8: *PL* 22, 533.

[10] « Opera idcirco danda est, ut alumni sensim prudenterque in intima populi consilia ac studia penetrent, ne, sacerdotio aliquando initiati sacrisque addicti muneribus, suae incerti sint actionis; quod non tantum ipsorum perturbaret animos, sed eorum etiam sacerdotales labores minueret » (PIUS XII, Adhort. Ap. *Menti Nostrae,* 23 sept. 1950: *A.A.S.,* 42 [1950], pp. 686-687).

[11] Particularis annus formationis pastoralis, quadriennio theologico absoluto, pro Religiosis praescribitur in Const. Ap. *Sedes Sapientiae,* 31 maii 1956, et adnexis Statutis Generalibus: *A.A.S.,* 48 (1956), p. 354 ss. Sed etiam pro clero dioecesano plura constituta sunt Instituta in quibus promovetur formatio neosacerdotum. Insuper creati sunt Convictus vel Collegia sicut desiderantur in Adhort. Ap. *Menti Nostrae, l. c.,* p. 692.

[12] Quamplurima S. Sedis documenta particularem de novis sacerdotibus curam habendam inculcant, et in genere pastoralem praeparationem sacerdotum commendant. Praeter ea quae in nota (2) Capitis I recensentur, memoranda sunt imprimis:

PIUS XII, Motu proprio *Quandoquidem,* 2 apr. 1949: *A.A.S.,* 41 (1949), p. 665 ss.

[33] PIUS XII, Const. Ap. *Sedes Sapientiae* (pro Religiosis), 31 maii 1956, et adnexa Statuta Generalia: *A.A.S.,* 48 (1956), p. 354 ss.

PIUS XII, *Allocutio* Sacerdotibus Convictus Barcinonensis, 14 iun. 1957: *Discorsi e Radiomessaggi,* XIX, p. 271 ss.

IOANNES XXIII, *Allocutio* in Magno Auditorio Pontificiae Universitatis Gregorianae, 18 ian. 1959: *A.A.S.,* 51 (1959), p. 74 s.

IOANNES XXIII, *Allocutio* Sacerdotibus ex Apostolica Cleri Unione, 12 mart. 1959: *A.A.S.,* 51 (1959), p. 198 ss.

IOANNES XXIII, *Allocutio* in Pontificio Collegio Foederatarum Americae Septemtrionalis Civitatum, 11 oct. 1959: *A.A.S.,* 51 (1959), p. 770 ss.

IOANNES XXIII, *Allocutio* in Pontificio Collegio Urbaniano de Propaganda Fide, 30 nov. 1958: *A.A.S.,* 50 (1958), p. 1012 ss.

IOANNES XXIII, *Allocutio* ad Urbis Curiones sacrosque temporis quadragesimalis concionatores, 13 febr. 1961: *A.A.S.,* 53 (1961), p. 154 ss.

IOANNES XXIII, *Allocutio* ad Seminariorum Rectores: 29 iul. 1961: *A.A.S.,* 53 (1961), p. 559 ss.

IOANNES XXIII, *Allocutio* ad Urbis Curiones sacrosque temporis quadragesimalis concionatores, 22 febr. 1962: *A.A.S.,* 54 (1962), p. 167 ss.

PAULUS VI, Epist. Ap. *Summi Dei Verbum,* 4 nov. 1963: *A.A.S.,* 55 (1963), p. 979 ss.

[13] Huiusmodi vero cursus nullum praeiudicium afferre possunt normis *C.I.C.* vel legibus particularibus de casuum moralium collationibus.

[14] Pluribus in dioecesibus iam novo modo ordinantur examina quae *C.I.C.*
[34] can. 130, § 1 praescribuntur saltem per triennium post expletum studiorum curriculum; instituuntur scilicet cursus annuales in quibus secundum ordinem apte praefinitum quaestiones theologicae, morales, pastorales perfectiore ea luce tractantur, qua post prima vitae pastoralis experimenta a sacerdotibus iunioribus percipi possunt (cf. Schema Decreti *De sacrorum alumnis formandis,* n. 26).

[15] « I vostri studi, le comunicazioni, lo scambio di esperienze vi daranno — ne siamo certi — buoni indirizzi, e serviranno a meglio comprendere il problema e a facilitare le soluzioni... Moltiplicate gli incontri, e andate a trovare le pecorelle *quasi* ovunque » (IOANNES XXIII, *Allocutio* iis qui interfuerunt Conventui primo, S. Congregationis Concilii opera Romae habito, proposito argumento v.: « Turismo e Pastorale », 18 febr. 1963: *A.A.S.,* 55 [1963], pp. 234-235).

[16] PONT. ROM., *De ordinatione Presbyteri.*

[17] Haec vero enumeratio institutorum ac conferentiarum pastoralium non est stricte ac exclusive intelligenda: est enim norma ad quam in omnibus regionibus tendendum est, semper tamen prae oculis habitis peculiaribus cuiusque dioecesis condicionibus.

[18] PIUS XII, Adhort. Ap. *Menti Nostrae,* 23 sept. 1950: *A.A.S.,* 42 (1950), pp. 693-694.

[35] ANIMADVERSIONES IN CAPUT III SEU « DE RECTO USU BONORUM »

In recognoscendo textu huius capitis, Commissio haec criteria prae oculis habenda censuit:

a) in Schemate agitur praesertim de recto usu bonorum ex parte cleri-

corum, haud vero de bonis ipsius Ecclesiae; nam, etsi in prooemio huius capitis asseratur Ecclesiam non institutam esse ut sibi in terra bona congerat, haec tamen dicta sunt ad innuendum Ecclesiae ministros eodem spiritu imbui oportere; [35]

b) secus ac nonnulli Patres proposuerant, expedire non videtur ut regulae statuantur quoad modum exsequendi has normas de recto usu bonorum, cum earum determinatio potius pertinere dicenda sit aut ad Pontificiam Commissionem Codici Iuris Canonici recognoscendo aut ad Conferentias Episcoporum. Praeterea, huiusmodi regulae, de practica exsecutione normarum generalium, sunt indolis technicae, et utcumque, ob earum peculiarem naturam pro diversarum nationum adiunctis determinari debent;

c) ob rationes mox expositas, Commissio accipiendas non censuit aliquas quorundam Patrum propositiones circa praxim paupertatis, quales sunt suppressio diversarum classium in actibus divini cultus, vel simplificatio vestium episcopalium ac praelatorum atque abolitio titulorum honoris, vel distributio praediorum ruralium ad Ecclesiam pertinentium, vel limitatio clausulae perpetuitatis in fundationibus et legatis, vel institutio normae inhabilitantis ne clerici in favorem aliorum disponere valeant de bonis obtentis per exercitium ministerii sacri.

In numerum 27

Commissio servanda censuit verba prooemii, quae ceterum a nonnullis Patribus laudata fuerant. Fines vero, propter quos ecclesiasticae institutiones bona temporalia possidere valent, aptius definiti sunt per additionem verbi *dignum* ad cultum Deo reddendum aptius qualificandum.

Textus igitur prooemii, qui nunc est numerus 23, ita manet:

23. [*Prooemium*]. Christus Dominus, cuius regnum non est de hoc mundo (cf. *Io.* 18, 36), sicut a Patre missus erat, ita discipulos suos misit, ut praedicarent Evangelium omni creaturae animasque salvas facerent. Quapropter neque Ecclesia, cui quidem ad finem suum assequendum bona temporalia necessaria sunt, neque ecclesiastica ulla institutio, potest sibi thesaurizare in terra nec dives quidem coram hominibus apparere, sed eum in finem tantum bona possidere debet, ut cultum dignum Deo reddat animasque Deo lucrifaciat. Item eiusdem ministri, quorum Dominus est « pars et hereditas » (*Num.* 18, 20), [36]
ne sint ut « qui sibi thesaurizat, et non est in Deum dives » (*Lc.* 12, 21), sed e contra, pascentes qui in eis est « gregem Dei, providentes non coacte, sed spontanee secundum Deum: neque turpis lucri gratia, sed voluntarie » (*1 Pt.* 5, 2), nullatenus rebus terrenis, quibus egent, cor apponant, sed, exemplum sequentes Domini, qui propter nos egenus factus est (cf. *2 Cor.* 8, 9), revera et ipsi pauperes sint spiritu, atque egenos diligant opere et veritate.

Quapropter Sacrosancta haec Synodus quae sequuntur servanda statuit:

[36] *In numerum 28*

Hoc in numero norma statuitur respiciens bona omnia quae sacerdotes sibi comparent occasione cuiuslibet ministerii sacri; qua de causa Commissio admittendam esse non censuit animadversionem qua proponebatur ut hic quaestio solummodo fieret de redditibus bonorum officio sacro adnexorum. Propterea, illae tantum animadversiones retineri poterant, quae respicerent usum istiusmodi bonorum ex parte clericorum, haud vero ex parte personarum moralium ecclesiasticarum. Attamen, cum res esset de condendis normis quoad modum quo clerici talibus bonis uti debent, aequum etiam visum est ut quaedam edicerentur de usu aliorum bonorum, quae clericus non occasione ministerii sacri sibi comparaverit, sed ad bona clerici personalia pertinerent. Commissio insuper expedire iudicavit ut norma, quae prius habebatur in numero 13 Schematis de testamento opportune condendo, nunc in finem huius numeri transferretur, cum re vera talis quaestio potius respiciat usum bonorum quam vitae sacerdotalis sanctitatem.

Quapropter textus, nunc positus sub numero 24, sic sonat:

24. [*Ad quos fines destinantur bona in Ecclesia*]. Meminerint semper omnes bona quaecumque, tum ecclesiastica proprie dicta tum quae ex exercitio alicuius officii ecclesiastici clerici sibi comparant, secundum rei naturam atque iuxta antiquitus inductam et ab Ecclesia firmatam consuetudinem, destinari ad cultum divinum ordinandum, ad honestam clero sustentationem procurandam, necnon ad opera sacri apostolatus et caritatis, praesertim erga egenos, exercenda.[1] Itaque nemini unquam licet officium ecclesiasticum quaestui habere redditusque ab eo provenientes in propriae rei familiaris ampliationem impendere.[2] Quare clerici, nequaquam divitiis cor apponentes (cf. *Ps*. 61, 11),[3] omnem cupiditatem semper vitent et ab omni specie mercaturae sedulo abstineant, prae oculis habentes se bona ecclesiastica redditusque quoscumque cum officii sacri exercitio cohaerentes nunquam ita adhibere posse, ut exinde ipsi suive propinqui locupletiores fiant; immo bonis temporalibus quibus gaudent ne utantur cum ostentatione, quae spiritui paupertatis contraria est quaeque fidelibus in scandalo esse potest. Tempore opportuno curet clericus ut testamentum, iuxta legis patriae praescripta exaratum, condat; sciat se obligatione teneri impendendi in favorem sive operum Ecclesiae, veluti Seminariorum, Sacrarum Missionum, etc., sive pauperum, bona omnia quae occasione exer-
[37] citii sacri ministerii obtinuerit, immo et expedire ut, salvis pietatis obligationibus, de bonis quoque propriis in favorem eorundem operum prae aliis disponat.

In numerum 29

Norma, iuxta quam primus locus non beneficiis sed officiis in iure Ecclesiae est tribuendus, ad mentem Commissionis omnino retinenda est; nam hoc principium apprime cum ecclesiasticis institutionibus et vita clericorum congruens, apostolatus efficacitatem magnopere roborat. Attamen Commissio

censuit systema beneficiale non necessario obsoletum dici debere. Textum insuper Commissio leviter immutavit, ut Commissioni Codicis Iuris Canonici recognoscendo commendetur normas hac super re condere, ad mentem quidem Ecclesiae atque attentis variis locorum adiunctis. [37]

Ideoque textus, qui nunc est numerus 25, ita exaratus est:

25. [*Officiis princeps locus tribuendus est*]. Relicto systemate beneficiali, vi cuius officium beneficio quandoque subordinatur et adhuc hodie nimis arcte alterum cum altero coniungitur, ipsis officiis ecclesiasticis, quae ut munera quaelibet stabiliter collata atque in finem spiritualem exercenda intelligi debent, princeps in iure locus tribuatur. Quod ut reapse iuxta Ecclesiae mentem atque attentis variis locorum adiunctis efficiatur, committitur Commissioni Codici Iuris Canonici recognoscendo institutae, ut legislationem canonicam de officiis ecclesiasticis elaboret magis Ecclesiae fini congruentem atque hodiernis adiunctis necessitatibusque plene accommodatam.

In numerum 30

De aequa remuneratione clericis providenda omnes animadversiones generatim concordant in laudando Schematis textu. Sunt tamen quidam Patres qui clericorum paupertatem altius extollendam existimant: hac vero de re satis agi videtur in capite primo. Est etiam unus Pater qui censet Ecclesiae non esse remunerationem clericis procurare, cum expediat ut ipsi sibi comparent quae ad vitam digne agendam necessaria sint per exercitium alicuius professionis. At contra exstat quod Sanctus Paulus ait: « Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere ». Ad hanc aequam clericorum remunerationem quod attinet, admisit Commissio eam in Episcoporum Coetibus seu Conferentiis statui posse, in quantum tamen hoc munus Conferentiis commissum sit.

Textus igitur, nunc sub numero 26, ita redactus est:

26. [*Aequa remuneratio clericis danda*]. Quia « dignus est operarius mercede sua » (*Lc.* 10, 7),[4] atque « Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere » (*1 Cor.* 9, 14), omnibus qui in Ecclesia quolibet munere funguntur aeque providendum est.

Quapropter episcopi, sive pro sua cuiusque dioecesi, sive, ad communem agendi rationem in dioecesibus vicinioribus fovendam, in Conciliis Regionalibus et Provincialibus, aut, quantum his competat, in territorialibus episcoporum coetibus, satagant, graviter onerata conscientia, normas de huiusmodi re sedulo ac diligenter condere, et quidem pecuniae vigenti pretio opportune et tempestive accommodandas, haec maxime prae oculis habentes: [38]

a) omnibus sacerdotibus remuneratio assignetur condicioni eorum congrua, qua possint etiam per se ipsos indigentibus aliqua ratione subvenire;

b) in definienda remunerationis copia, ratio habenda est aequitatis pro

[38] clericis in iisdem adiunctis versantibus; item gravitatis munerum; denique antiquitatis clericorum in officiis adimplendis;

c) sacerdotibus post certum tempus officium relinquentibus decora pensione semper providendum erit.

In numerum 31

Norma quae enuntiatur de praevidentia sociali generatim laudata est. Proponentibus vero aliquot Patribus, Commissio expunxit quod statuebatur de medica recognitione quotannis instituenda, quippe quae norma apta non esset pro Decreto Conciliari. Ideo textus, sub numero tamen 27, ita manet:

27. [*Praevidentia socialis*]. Invigilent Ordinarii modis rationibusque socialibus adsistentiae ac praevidentiae in favorem sacerdotum invalidorum aut senescentium, pro locorum, temporum ac morum adiunctis: viros apprime peritos in disciplinis socialibus, actuarialibus, oeconomicis, iuridicis et medicis consulendo, eorumque consiliis utendo.[5]

In numerum 32

A multis Patribus laudatur etiam praescriptum de massa communi bonorum in singulis dioecesibus constituenda, ut sacrorum Antistites satisfacere possint obligationi congruam remunerationem clericis tribuendi aliisque dioecesis necessitatibus subveniendi. Quapropter textus, sub numero autem 28, ita manet:

28. [*Massa communis bonorum in singulis dioecesibus constituenda*]. Ut valeant Antistites huic obligationi erga clericos satisfacere aliisque dioecesis necessitatibus subvenire, massa communis bonorum in singulis dioecesibus, quantum fieri poterit, constituatur. Ipsa primum destinetur aequae remunerationi comparandae omnibus clericis qui eadem careant ob exiguos redditus cum officii exercitio cohaerentes aut ob insufficientes fidelium oblationes; dein praevidentiae sociali et pensioni clericorum firmandae, necnon ecclesiis, scholis aliisque institutis ecclesiasticis aedificandis vel ampliandis, instaurandis, administrandis atque tuendis, aliisque operibus praedictae bonorum destinationi respondentibus.

[39] *In numerum 33*

Quod attinet ad *fontes* quibus haec massa bonorum communis constitui potest, quaedam animadversiones factae sunt: quae, cum respiciant exsecutionem illarum normarum, nimis technicae dicendae videntur, ideoque et reiiciendae. Tamquam fons praecipuus indicantur fidelium oblationes, quae sane haud paucis in regionibus unicum fontem constituunt unde Ecclesia bona temporalia sibi necessaria comparare potest. Cum autem maxime expediat ut principium modo absoluto statuatur, Commissio expungenda existimavit

verba *iuxta uniuscuiusque regionis consuetudines seu mores*. Item Commissio [39]
supprimenda censuit verba quae in Schemate « De clericis » habentur sub littera *f*), quia redditus ex antiquis beneficiis provenientes propriis legibus reguntur. Alia ex parte, necessarium visum est addere, inter fontes ad massam illam communem constituendam, etiam taxas quas loci Ordinario ius est imponendi paroeciis divitioribus, sanctuariis necnon ecclesiis rectoralibus religiosorum non propriis. Tandem, attentis postulationibus multorum Patrum, Commissio expedire iudicavit ut sermo fieret non de taxis quas Ordinarii imponere possent in stipendia quae clerici sibi comparent per legitimum exercitium alicuius muneris vel officii non sacri, sed ageretur potius de oblationibus quas faciunt sacerdotes tum de pecunia mercedis causa sibi tributa ratione alicuius muneris profani, quod debita cum licentia exerceant, tum de fructibus proprii patrimonii, tum de bonis hereditate aliove titulo obtentis. Adiungitur tamen sacerdotes propriae dioecesis et Ecclesiae universalis necessitatibus prae fidelibus ceteris subvenire debere.

Ideo hic numerus, qui in Schemate « De sacerdotibus » est numerus 29, ita emendatus est:

29. [*Fontes massae communis*]. Haec massa communis constitui potest exempli gratia:

a) ex fidelium oblationibus, quae quidem per se praecipuus sunt fons quo Ecclesia adipiscitur bona temporalia sibi necessaria, immo in plerisque regionibus unicam praebent viam comparandi haec bona pro Ecclesia. Quapropter fideles apte monendi sunt de obligatione qua adstringuntur ut, pro viribus, temporalibus Ecclesiae necessitatibus libenter subveniant. Fidelibus item commendetur ut pias fundationes faciant ad pietatis et caritatis opera peragenda, atque in specie ut dignae clericorum in dioecesi remunerationi possit provideri;

b) ex parte reddituum ex exercitio officii sacri clericis obvenientium, quae congruam eorum mercedem iure particulari determinatam excedat nec ad onera implenda missarum neque a peculiaribus oneribus cum officio cohaerentibus requiratur;

c) ex oblationibus quas faciunt sacerdotes de pecuniis mercedis causa sibi tributis ratione alicuius muneris profani quod, debita cum licentia, exerceant, aut de fructibus proprii patrimonii, aut de bonis per hereditatem vel
alium quemvis titulum obtentis: tenentur enim sacerdotes, prae fidelibus [40]
ceteris, subvenire necessitatibus Ecclesiae universalis ac propriae dioecesis;

d) ex bonis quae dioecesi data sunt aut tribuuntur sine expressa mentione finis ad quem destinantur;

e) ex aliqua parte reddituum bonorum ipsius dioecesis, si sufficientia habeantur;

f) ex subsidiis etiam caritativis quae divitiores dioeceses fraterno animo pauperibus dioecesibus tribuant;

g) e taxis quas loci Ordinario ius est imponendi paroeciis divitioribus, sanctuariis necnon ecclesiis rectoralibus religiosorum non propriis;

h) denique in genere, attenta tamen lege civili uniuscuiusque nationis,

[40] ex redditibus omnium institutorum in dioecesi exsistentium, quae ab Ordinario loci pendeant, quoties ii redditus, eiusdem Ordinarii iudicio, sint superfluentes ac destinari non debeant vel non possint incremento et amplificationi institutorum ipsorum.

In numerum 34

Relate ad administrationem bonorum massae communis, de qua in hoc numero agitur, Commissio notandum censuit Ordinarii esse sive administratores Consilium efformantes designare, sive eidem Consilio praeesse. Textus ergo, nunc sub numero 30 positus, ita manet:

30. [*Administratio bonorum huius massae communis*]. Administratio bonorum ad massam communem dioecesanam pertinentium fiat ad normam iuris per Consilium administratorum, qui ab Ordinario loci designantur et cuius ipse est praeses. In eorum distributione fideliter serventur normae iustitiae distributivae, secundum regulas praestitutas, audito in re magni momenti dioecesano Consilio administrationis.

In numerum 35

Cum de hac administratione clarior textus expostulatus sit, Commissio hunc numerum nunc positum sub numero 31, ita emendandum censuit:

31. [*Administratio bonorum in genere*]. Administratio omnium bonorum in dioecesi fiat sub vigilantia Ordinarii loci, cuius est praeterea eandem ad normam iuris ordinare et, si casus ferat atque bonum dioecesis id postulet, decernere ut bona plurium immo omnium in dioecesi officiorum saecularium administrentur coniunctim, per Consilium administratorum qui ab ipso loci Ordinario designantur.

In numerum 36

Nulla animadversio in hunc textum a Patribus facta est; qui proinde, sub numero tamen 32, immutatus manet:

[41] 32: [*Diligentia servanda in administratione bonorum*]. Omnes bonorum ecclesiasticorum administratores, ut bonorum conservationi atque incremento et fructuum copiae rite consulatur, maxima cum diligentia hoc suum munus adimpleant, fideliter observantes praescripta iuris canonici necnon iuris civilis uniuscuiusque nationis. Praeterea sedulo attendant ad normas doctrinae socialis Ecclesiae, praesertim quod attinet ad iustam mercedem operariorum, qui munus aliquod in commodum vel in servitium Ecclesiae exerceant; item accurate semper observent ea quae ad praefatorum operariorum praevidentiam socialem et ad eorundem adsistentiam medicam ab auctoritate civili in territorio praescribuntur.

In numerum 37 [41]

Nulla animadversio facta est, quapropter hic numerus immutatus retinetur, sub numero autem 33:

33. [*Notiones de administratione bonorum in Seminariis tradendae*]. Notiones de recta bonorum administratione omnibus clericis in Seminario tradantur, et pro omnibus administratoribus directorium quoddam seu manuale conficiatur, si nondum habeatur, quod, quantum fieri potest, idem sit pro omnibus eiusdem nationis dioecesibus.

In numerum 38

Attenta unius Patris animadversione, qua postulabatur ut strictius determinaretur quid ad laicos spectare possit in administratione bonorum, Commissio eo sensu textum emendavit ut statueretur laicis partem saltem consultivam in negotiis alicuius momenti tribuendam esse. Textus ergo, nunc sub numero 34 Schematis « De sacerdotibus », ita manet:

34. [*Laici periti in administratione bonorum partem habeant*]. Ne minus efficienter fiat bonorum ecclesiasticorum administratio neve sacerdotes, nimis labore administrationis occupati, ab officiis vitae pastoralis avertantur, neque exinde ipsa cura animarum detrimentum patiatur, provideatur ut laici, qui negotiorum gerendorum peritia atque vitae honestate excellant, partem saltem consultivam habeant in quolibet negotio alicuius momenti.

In numerum 39

Nulla animadversio in hunc textum a Patribus facta est; qui proinde, sub numero tamen 35, immutatus manet:

35. [*Opera caritatis, erga pauperes praesertim, exercenda*]. Denique Antistites atque bonorum ecclesiasticorum administratores omnes enixe rogantur ut operibus apostolatus et caritatis ope horum bonorum exsequendis particulari modo studeant, prae oculis habentes bona, quae Evangelium annuntiando comparata sunt, ad Evangelium annuntiandum atque in praxim deducendum [42]
inservire debere. Quare praesertim attendant ad egenorum necessitates easque pro viribus sublevare satagant, memores verborum Domini: « quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis » (*Mt.* 25, 40).

NOTAE

In nova redactione Schematis, notae huius tertii capitis sequentes sunt:

[1] CONC. ANTIOCH., can. 25: MANSI, 2, 1328; Decretum Gratiani, c. 23, C. 12, q. 1.

[42] [2] CONC. PARIS., a. 829, can. 15: M.G.H., Sect. III, Concilia, t. 2, pars 1, 622; CONC. TRID., Sess. XXV, Decr. *de reform.*, cap. 1.

[3] Cf. S. HIERONYMUS, *Epist.* 52, 6: *PL* 22, 532-533.

[4] Cf. *Mt.* 10, 10; *1 Cor.* 9, 7; *1 Tim.* 5, 18.

[5] PIUS XII, Adhort. Ap. *Menti Nostrae,* 23 sept. 1950: *A.A.S.,* 42 (1950), pp. 698-699.

[6] PIUS XI, Litt. Encycl. *Quadragesimo anno,* 15 maii 1931, pars II, n. 4: *A.A.S.,* 23 (1931), pp. 198-202.

[43] ANIMADVERSIONES IN EXHORTATIONEM DE DISTRIBUTIONE CLERI

Paucae admodum fuerunt animadversiones in hanc Exhortationem propositae, quam e contra perplures Patres laudaverunt, tum ob momentum pastorale huius quaestionis, tum etiam ob modum quo Exhortatio positivas solutiones praebet. Immo nonnulli Patres petierunt ut haec Exhortatio « separata et seorsim promulgata sit, veluti invitatio quaedam sollemnior » Concilii vel Santae Sedis.

Textus tamen recognitus est, attentis praesertim duobus criteriis a Patribus in animadversionibus expositis, nempe:

a) agendum est de distributione cleri saecularis non tantum pro diversis nationibus vel orbis regionibus sacerdotum penuria laborantibus, sed etiam pro diversis coetibus socialibus universi orbis, qui pastorali adsistentia peculiari ratione indigeant, scilicet ad quaedam specialia opera apostolatus in quacumque orbis regione exercenda;

b) vitanda est nulla ac generica expositio problematis, et maior vis Exhortationi praebenda est, additis in textu quibusdam solutionibus pastoralibus quae prius solummodo in notis recensebantur.

In numerum 40

Commissio censuit textum huius prooemii perstringendum esse, servatis tamen sensu et ordine conceptuum; quod ita reapse facere curavit, tum ea expungendo quae de Concilii fine in prima paragrapho dicebantur (quippe quae necessaria visa non essent), tum quaedam leviter modificando in fine paragraphi secundae. Textus ergo prooemii, nunc positus sub numero 36, ita manet:

36. Sacrosancta haec Synodus, cuius natura potissimum pastoralis est atque missionaria, nequit non animadvertere magno cum dolore quomodo sacerdotes, quorum ministerio fides in mundum extenditur (cf. *Rom.* 10, 17), servatur ac roboratur, non pari numero adsint in singulis regionibus nec secundum necessitates sint distributi pro diversis socialibus coetibus, ita quidem ut Christifideles haud pauci praedicatione verbi Dei et sacramentorum celebratione penitus careant, ideoque in gravi periculo versentur a fide catholica deficiendi. Insuper innumeri homines Christi Evangelium nondum noverunt.

Attamen feliciter in dies crescens conspicitur spiritus caritatis et mutuae

necessitudinis, denuo per recentiora incepta lucide patens, quo omnes Christifideles, sed praesertim sacerdotes illarum nationum vel dioecesium ubi maior vocationum copia adest, suaviter et efficaciter moventur ad sollicitudinem circa problemata et pastorales necessitates tum aliarum regionum quae cleri penuria laborant, tum aliorum personarum coetuum cuiuslibet orbis regionis quorum membra vel in infima sociali condicione sunt constituta vel debita efformatione religiosa penitus carent. [43] [44]

Quapropter, ut hic spiritus fraternae necessitudinis mutuae novaque haec apostolica incepta magis ac magis in bonum animarum augeantur, Sacrosancta haec Synodus omnes Christifideles hortatur ut illud Sancti Ioannis Chrysostomi considerent ac meditentur: « Mementote fratres: quod non de vestra tantummodo vita, sed de universo orbe a vobis ratio reddenda est »,[1] ideoque de iis quae sequuntur monet:

In numerum 41

Textus huius numeri omnes sacerdotes hortatur ut, qua socii sunt muneris apostolici episcoporum, se sentiant participes sollicitudinis omnium ecclesiarum, earum praesertim ubi graviora problemata pastoralia habentur, atque ut conentur in horum problematum solutionem collaborare. Nulla tamen mentio directa de Ordinariis fit, quia talis exhortatio continetur aliis in Schematibus.

Quamquam duo Patres id postulabant, Commissio in textum includendam non censuit notam 3 Schematis « De clericis », quia agitur de re nimis particulari. Praeterea, quaedam parvae emendationes a Patribus postulatae in textum introductae sunt, quo clarius eius sensus ostenderetur. Commissio denique expunxit verba *si id opus fuerit* in fine huius numeri, ad maiorem vim Exhortationi praebendam.

Proinde textus, nunc sub numero 37 positus, ita redactus est:

37. Sacerdotes, qui Christi Domini sacerdotium et salvificam missionem miro ipsius delectu ac concessu participant, et cooperatores sunt episcoporum eorumque muneris apostolici socii, recolant omnium ecclesiarum sollicitudinem sibi cordi esse debere. Itaque sacerdotes illarum dioecesium quae maiori vocationum copia ditantur [2] libenter se paratos praebeant, permittente vel exhortante proprio Ordinario,[3] ad suum ministerium in dioecesibus, regionibus vel operibus penuria laborantibus sacerdotum exercendum.[4]

In numerum 42

In agendo de multiformi cooperatione et adiutorio quae laici dioecesibus indigentioribus praestare possunt, Commissio, unius Patris animadversione recepta, explicite etiam agendum esse censuit non tantum de laicorum orationibus, collectis aliisque id genus inceptis, sed etiam de eorum directa actione apostolica iisdem in locis. Ideo hic numerus, qui in nova redactione factus est numerus 38, sic sonat:

[44] 38. Laici omnes enixe adhortandi sunt ut, cum membra sint Corporis Christi Mystici, agnoscant semper sibi « pro sua quisque parte officium esse impense diligenterque adlaborandi ad aedificationem et incrementum eiusdem
[45] Corporis »,[5] et ideo intime ipsi persentiant oportet cum Summo Pontifice, cum episcopis et sacerdotibus — sit iis enim « cor unum et anima una » (*Act.* 4, 32) — necessitatem et officium collaborandi propriis orationibus, eleemosynis et, si possibile erit, directa actione apostolica [6] incremento laboris pastoralis praecipue illis in locis ubi sacerdotes desunt.[7] Hoc enim aptissima erit manifestatio illius curae pro Ecclesiae bono communi, qua moti omnes Deum exoramus « pro Ecclesia tua sancta catholica, quam pacificare, custodire, adunare et regere digneris toto orbe terrarum » (Canon Missae).

In numerum 43

Iuxta desideria plurimorum Patrum, Commissio in textu Exhortationis includenda esse censuit omnia quae in nota 8 Schematis « De clericis » statuebantur de Seminariis internationalibus et Praelaturis, quo magis eius efficacitas roboraretur, scilicet ne ipsa esset nimis generica et vaga neque inanis evaderet. Commissio e contra reiiciendam censuit animadversionem qua postulabatur ut multae iuridicae determinationes statuerentur relate ad exoptatam reformationem instituti incardinationis: hae enim determinationes pertinere dicendae sunt ad Commissionem Codici Iuris Canonici recognoscendo.

Quapropter hic textus, nunc positus sub numero 39, ita manet.

39. Pariter mandat Sacrosancta Synodus ut Commissio ad Codicem Iuris Canonici recognoscendum:

a) ita normas de incardinatione et excardinatione reficiat, ut, firmo semper manente pervetere hoc instituto, hodiernis pastoralibus adiunctis atque necessitatibus aptius ipsae normae respondeant;

b) formulas iuridicas sanciat quae distributionem cleri saecularis atque peculiaria quaedam opera pastoralia faciliora reddant, exempli gratia Seminaria nationalia vel internationalia, quorum alumni instituantur ut dioeceses adeant cleri penuria laborantes; Praelaturas cum vel sine territorio a Sancta Sede constitutas, quarum sacerdotes, specificam praeparationem consecuti, totis viribus se dent ad animarum bonum promovendum earum dioecesium, in quacumque terrarum orbis parte, ubi sacerdotes desiderentur specialibus qualitatibus ornati, qui peculiares apostolatus sociales, vel intellectuales vel etiam penetrationis in diversos societatis ordines exsequi valeant.[8]

NOTAE

In nova redactione Schematis, notae huius Exhortationis sequentes sunt:

[1] *Homilia XV in Matth.*; haec verba Concilii Patribus in mentem revocata sunt a IOANNE XXIII: cf. *Epistula ad singulos Catholicae Ecclesiae Episcopos*

ceterosque Patres Concilii Oecumenici Vaticani II in Epiphania Domini 1963: *A.A.S.*, 55 (1963), p. 157. [45]

[2] Dioeceses vero quae parum abundant vocationibus sacerdotalibus sed contra copia bonorum materialium gaudent, libenter contribuant sustentationi Seminariorum illarum dioecesium quae copia vocationum fruuntur et exinde sacerdotes alia in loca mittere possunt. [46]

[3] Cf. Schema *De cura animarum,* Cap. I, n. 11 (*Episcopus Romani Pontificis cooperator*).

[4] Sacerdotes tamen, qui viri constantes atque prudentes sint oportet, nunquam singuli mittantur, si fieri potest, sed saltem bini vel terni. Si in solitudine enim manent, damna haud parva ipsis oriri possunt, praesertim primis temporibus, si forte linguam et mores novae regionis nondum bene cognoverint. Pariter expedit sollicitam curam adhibere de eorum vita supernaturali necnon de eorum valetudine mentis et corporis; et, quatenus id fieri possit, loca et condiciones laboris pro ipsis praeparentur iuxta uniuscuiusque condiciones personales, atque etiam iuxta mentalitatem patriae seu loci originis.

[5] PIUS XII, Litt. Encycl. *Mystici Corporis,* 29 iun. 1943: *A.A.S.*, 35 (1943), p. 241.

[6] Cf. Schemata *De Ecclesia,* n. 25 et *De apostolatu laicorum,* nn. 3 et 4.

[7] Foveatur praesertim adiutorium pro operibus ad vocationes promovendas, pro novis aedificandis Seminariis et scholis ubi catechetae instituantur, aliisque id genus. Si propriae dioecesis aliqui sacerdotes in regiones clero orbatas pergant, libenter fideles acceptent incommodum ex imminuto sacerdotum numero forsitan oriens.

[8] Uniuscuiusque Praelaturae sacerdotes, in quolibet perfungendo munere dioecesano, sibi ab Ordinario loci commisso, plene eiusdem auctoritati subiaceant nullaque fruantur ab Ordinario loci exemptione. Praelati autem tenentur ad curandum de membrorum vita spirituali deque eorum specifica et technica actione et formatione, ubicumque illi suum exerceant laborem.

Ex hoc primo textu Schematis « De sacerdotibus » excerptus est novus textus, in prima parte huius fasciculi positus, qui Patrum Concilii suffragationi subiiciendus est.

3. ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE

QUOAD SCHEMA DECRETI DE CLERICIS

A) *A die 1 iunii 1963 ad diem 30 novembris 1963.*

1

EM.MUS P. D. PAULUS M. CARD. RICHAUD
Archiepiscopus Burdigalensis

Cap. I sese praebet ut valde mirandum compendium doctrinae de vitae sacerdotalis perfectione. Specialiter laude digna sunt verba pag. 7, n. 3, *e*), linn. 19 s., quoad caritatem fraternalem erga sacerdotes lapsos.

In cap. II, cur non revocare in hoc ipso schemate hortationes saepe a Pontificibus prolatas de opportunitate studendi ac sequendi doctrinam a S. Thoma, Doctore Angelico, expositam, de qua revera bene agitur in schemate *de sacrorum alumnis formandis* nn. 21 et 22? Attamen optimum esset ut talis doctrina thomistica exhibeatur praesertim in suis principiis, non modo arido ac rigoroso, sed vivido cum permanente referentia ad Sacram Scripturam, ad Patres et ad theologos modernos, et bene accommodata recentibus scientiis.

Cap. III feliciter repellit systema beneficiorum in n. 29. Maximi momenti est ad veram renovationem cleri.

De dubio allato in notula pag. 20 circa n. 33 *c*), mihi melius placet textus propositus in fine pag. 21.

In exhortatione de *distributione cleri* vehementer assentio ad sustentationem dioecesium qui nunc stant in desperata penuria sacerdotum, etiam in regionibus Metropolitanis. Sed in notula 8 pag. 26, si libenter meam favorem affero ad seminaria regionalia, nationalia, internationalia, *exceptionem firmam propono de praelaturis* sic constitutis inter dioeceseos iam existentes, non sine vero damno pro bona hierarchica apostolatus organisatione.

Tandem verecunde peto, si in tali schemate, non posset satis late ac prudenter aliquod argumentum *de clericis lapsis,* saltem committendo commissioni ad Codicem Iuris Canonici recognoscendum institutae, congruentem legislationem circumspiciendam.

Nam mihi videtur, et forsan pluribus, quod praesens dispositio de reductione ad laicalem statum non convenit. Infelix lapsus ponitur in casu repetendi crimina pro quibus damnatus est, et hoc sine auxiliis vitae sacramentalis. Non adest evidenter, in hodierna praxi iuridica, solutio huius dolorosissimae quaestionis. Imo, scandalum coram populo latius exponitur.

Quaedam solutio tamen seriosi examinis digna est. Num tales lapsi non possint publice, per actum authentice promulgatum, declarari vere ut ad laicalem statum reducti? Haec declaratio publica esset sufficiens sanctio, adeo ut veniat in durum exemplum coram aliis sacerdotibus plus minusve perturbatis. Tunc, sine maiori difficultate, statu lapsorum bene posito, ipsi infelices lapsi possent obtinere caelibatus dispensationem, et coram populo vitam rectam agere.

Experientia constat etenim ut numerus religiosarum, quae saecularizationem obtinuerunt, non est obstaculum ad vocationum frequentiam. Condicio, magis clara atque aperta in clero potius foveret sacerdotales vocationes.

Tale propositum, humiliter prolatum, si non in sessione publica Concilii Oecumenici posset tractari, forsan in aliquo coetu vel congregatione cum gravitate et vera urgentia deberet retineri.

2

EM.MUS P. D. IOSEPH CARD. RITTER
Archiepiscopus S. Ludovici

In the schemata *de clericis,* I regret that there is lacking any treatment of the development of personal responsibility on the part of the Priest. Rather too much emphasis has been placed on his juridic formation.

I regret that the area of private devotions has been spelled out in such great detail. I feel that the individual should be encouraged to develop his devotional life in a responsible personal manner.

While pleased be the emphasis that has been placed on the need for continuing study, I fear that the approach to study has been too pragmatic. It seems that the purpose of studies as indicated in the schemata is its direct application to the active apostolate. There is far too little indication of the value of study for personal, intellectual and spiritual development.

I also feel that a fuller treatment should be given of the collegiate presbyterate. A more adequate treatment of the relationship of the Priest to the Bishop would seem to be called for. Although it is treated in another place, I also believe some indication of the relationship of the Religious Priest to his Bishop would be useful in this context.

3

EM.MUS P. D. FRANCISCUS SPELLMAN
Archiepiscopus Neo-Eboracensis

In genere, hoc in schemate — secundum traditiones sanctas et exigentias modernas — principia de clericorum sanctitate, de scientia pastorali et de recto usu bonorum optime proposita sunt.

Ad pag. 8, sub n. 7. Perplurimi episcopi ubique terrarum, experientia teste, dixerunt quantum boni ex consuetudine vitae communis inter clericos Ecclesiae Dei et eius sacerdotibus evenit. Fortasse, hoc in numero ad robur dicendum sit: « Vita communis inter clericos, quantum et quam celerrime fieri potest, instauranda est ».

Cap. II, in quantum exponit principia generalia de studio sacro et profano, cui tenetur sacerdos per totam vitam, placet.

Cognitio et agnitio Ecclesiae Christi essentialiter secumfert sincerum obsequium erga magisterium ecclesiasticum. Sine hoc obsequio vera *sapientia christiana acquiri* nequit. Ideoque, meo iudicio, facienda est mentio magis explicita de necessitate obsequii et reverentiae erga Magisterium tum extraordinarium tum ordinarium Sanctae Matris Ecclesiae.

Ad pag. 14, sub n. 21 *b*). Ad primas duas lineas n. 21 *b*) substituenda sint sequentia: « *b*) item, breves cursus instituantur, in quibus sacerdotes studium pastorale plenius perficiant, diversis illis modis et temporibus qui secundum episcoporum experientiam et prudentiam in singulis regionibus videantur aptiores: exempli gratia, primo post... ».

Hanc emendationem propono ut iudicium de modis et temporibus huiusmodi cursuum episcoporum coetibus concredatur.

Quoad cap. III, schema propositum, mea opinione, etiamnunc nimis longum est. Melius esse videtur relinquere singula et particularia (e. g. de modo constituendi massam bonorum communem) commissioni ad Codicem Iuris Canonici recognoscendum.

4

EXC.MUS P. D. IOANNES HIERONYMUS ADAM
Archiepiscopus Liberopolitanus

Pag. 20, n. 33. Ad *b*) ... ex exercitio officii sacri... addatur « vel non »: « ... ex parte reddituum ex exercitio officii *sacri vel non...* », quia sunt qui *ex officio* munus *non sacrum* impleant, uti v. g. professores, directores operum, magnis cum stipendiis.

Ad *c*) sic mutari potest: « e spontaneis clericorum oblationibus, qui sibi stipendia comparent per exercitium alius cuiusdam muneris quod legitime exerceant, quia prae fidelibus tenentur propriae dioecesis indigentiae subvenire ».

5

REV.MUS P. D. ANGELUS ALMÁRCEGUI
Prior gen. Ord. Rec. S. Augustini

N. 1, lin. 4. Ut uno conspectu omnia sacerdotalia munia recolantur, forsan non esset supervacaneum adiungere, post verba « Sacramenta ministrare », haec alia vel similia: « ... sacram doctrinam colere et verbum Dei praedicare... ».

N. 4, *d*). Cum sermo sit in hoc numero de amore, quo sacerdotes prosequi debent confratres in sacerdotio atque laicos in ministerio cooperatores, opportune sic textus perficeretur: « *d*) amore confratrum *in sacerdotio atque religiosorum*, praesertim etc. ».

N. 33, *c*). Magis quam praescriptio in hoc numero proposita, placet textus, qui pro substitutione in Nota invenitur.

6

EXC.MUS P. D. IOSEPH VILLELMUS M. BAETEN
Archiepiscopus tit. Stauropolitanus

Ad n. 8: Cum caelibatus hodie detectetur ac impugnetur, proponere mihi liceat, ut post n. 8 schematis *de clericis* clare indicetur fundamentum primarium caelibatus hoc est indivisa adhaesio Christo Domino, ne caelibatus primarie fundetur

in utilitate ad apostolatum, sed in perfecta deditione Christo inque indivisa cum ipso unione. Cum immo vero matrimonialis sacerdotum status praefertur caelibatui, in memoriam revocetur apostolica adversus huiusmodi errores defensio Pii Papae XII in Encyclica *Sacra Virginitas* anni 1954: « Cum autem nonnulli hodie habeantur, qui a recto itinere hac in re declinantes matrimonium adeo extollant, ut illud reapse virginitati praeponant, ideoque Deo dicatam castitatem et ecclesiasticum *caelibatum* detectent, Nos doctrinam de excelso virginitatis munere in praesens potissimum declarare ac tueri apostolici officii conscientia postulat, ut veritatem catholicam adversus hos errores defendamus ».

7

EXC.MUS P. D. CAROLUS BALDINI

Episcopus Clusinus et Pientinus

Quae in schemate legi optima existimo, ut Ecclesia magis ac magis respondeat fini supernaturali quo imbibitur.

Plaudo corde, ore et manibus.

8

EXC.MUS P. D. MAURITIUS BAUDOUX

Archiepiscopus S. Bonifacii

In genere. 1. Hoc schema evidenter profert ordinationes traditionales, semper validas normativasque ad regularitatem vitae sacerdotalis. Si haec data aliquando indefinita videntur, causa forte est reperienda in indole sua ordinis generalis disciplinae; in eam autem disciplinam definitius explicitandam conferentiae episcopales officio suo incumbent, ratione habita circumstantiarum et exigentiarum locorum.

2. Attamen, hoc schema haud videtur aptum ad animos inflammandos, ut optatum erat. Re vera, exceptione facta cap. III et exhortationis (*de recto usu bonorum et de distributione cleri*), potius deceptionem quamdam affert si conferatur cum constitutione dogmatica *de Ecclesia,* cuius mentem praecellentem prosequi debuisset ad eam inserendam in vitam « cooperatorum ordinis nostri », et relate ad ea quae praesenti tempore de sacerdotio ipso dici possent:

a) Idem schema splendet, si ita loqui potest, carentia conceptus capitalis. Non apparet ut constituens Christum tamquam culmen summum rerum (christocentrique). Mediatio sacerdotalis aut vix aut nullo modo in lucem profertur. Conceptus praestantiores de sacerdotio neque dirigunt neque informant doctrinam prolatam aut ordinationes indicatas, ita ut doctrina ostendatur in contextu iuridico dessicato, et ordinationes ut simplicia praescripta. Finalitati *essentiali* perfectionis et actionis sacerdotalis substituuntur rationes ordinis secundarii.

b) Ipsa conscriptio schematis laborat carentia ligaminis organici; paragraphi et sententiae sine nexu in lineas coniiciuntur. Sermo verbositate eminet. Iam dicta et repetita, repetuntur, consociationibus tritis verborum usitatis ut reperiuntur in libellis ad usum discipulorum in Seminariis.

3. Magnopere optandum ergo videtur ut schema incipiat tractando de prae-

cellentia sacerdotii, eique tanquam surculum inseratur, et evolvatur ea praecellentia semper perspecta, ita ut ex ea effluat ipsa regula vitae sacerdotalis. Quod nullo modo incompatibile reperitur cum indicatione « prae oculis habitis peculiaribus et necessitatibus pastoralibus » (pag. 10, notae, secunda alinea). Immo, e contra. Nam substantia sola et virtus actuosa huius doctrinae potest excitare et alere verum ardensque responsum his indigentiis pastoralibus ex parte sacerdotum aetatis nostrae.

4. Id videtur requirere ut totalis recognitio fiat saltem duorum priorum capitum, quae ceteroquin multum comprimi possent, ita ut sola principia generalia exponerentur, tota ad praxim reductione et tota explanatione translata ad Directorium. Sed etiam tunc cavendum esset ne structura tantum iuridica Decreti adservetur.

5. Propter has causas, schema *nullo modo placet.*

In specie. Ecce aliquot animadversiones, quarum solus finis est ut illustrentur quibusdam exemplis adnotationes praedictae utque clara sit mens secundum quam unaquaeque sententia proferri oporteat.

Pag. 5, cap. I. Iuxta supra dicta, huic capiti alterum antecedere deberet, agens de natura praecellentiaque sacerdotii, exsurgens ex textibus biblicis vi praeditis Veteris simul atque Novi Testamenti. Ideoque in ipso cap. II tractaretur « De vitae sacerdotalis perfectione ». Prooemium autem huius cap. II praestantius evaderet si:

1. Inciperetur pleniore explanatione et quasi neo-testamentaria conscriptione et depictione muneris sacerdotalis, ut sequitur: « Sacerdotis munus est, in participatione sacerdotii Christi Domini, praedicare omnibus Evangelium Dei in multa sollicitudine (cf. *1 Thess.* 2, 12); semper vigilare et orare (cf. *Mt.* 26, 36-44), speciatim per celebrationem Divinae Laudis Corporis Christi; cum fratribus in unum convenire et Sacrificium offerre ad multorum exhaurienda peccata et Dominicam coenam manducandam, sic mortem Domini annuntiando donec veniat (cf. *1 Cor.* 11, 20, 26; *Hebr.* 9, 28); baptizare omnes in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti (cf. *Mt.* 28, 19); remittere peccata (cf. *Io.* 20, 23); multos aegros in nomine Domini oleo ungere (cf. *Mc.* 6, 13; *Iac.* 5, 14); elevatis manibus homines benedicere (*Io.* 24, 50); pro fidelibus seipsum sanctificare ut sint et ipsi sanctificati in veritate (cf. *Io.* 17, 19); esse bonum Pastorem, qui animam dat pro ovibus suis et qui alias oves habet, non ex ovili, quas adducere debet, ut omnes unum sint (cf. *Io.* 10, 16; 17, 21); et in summa instaurare omnia in Christo (cf. *Eph.* 1, 10) ».

2. Omittenda videtur 2 adlinea quae nonnisi repetitio est 3 et 6, ubi memoratur semper constantem fuisse doctrinam Conciliorum et Summorum Pontificum, praesertim nostri saeculi. Supprimendum etiam videtur verbum « hodie » in tertia adlinea nam mala praesentia non imminentiora sunt, sed simpliciter magis diversa a pristinis.

3. Ex quinta adlinea, cui adlineae vigor positivus etiam imprimendus esset, supprimenda prorsus videtur assertio vix conformis rerum veritati, abrupta aut saltem insufficienter expolita, ne dicam contumeliosa in homines nostrae aetatis.

a) Affirmatio « crescit hominum a Deo defectio atque abscessio » (lin. 25) procedit ex duplici facto male interpretato: 1) existit evolutio in modo conci-

piendi et vivendi circa res religionis, potiusquam maius discessus a Deo; 2) adest quasi eruptio in incremento incolarum mundi (explosion démographique), et cum christiani pauciores sint, falso iudicamus eos decrescere cum revera maior numerus, ex non-credentibus constans, ipse modo prodigioso augeatur.

b) Verum est Ecclesiam, in decursu historiae, non satis aciem hostium penetrasse nec fructus victoriae in Evangelio promissos firmiter solidavisse, ex defectu ardoris constantis et aptationis itaque factum est ut se inserere in conceptibus et vita contemporanea non potuerit, neve penetrationem efficere in vastas regiones paganas, neve vere et funditus evangelizare innumerabiles baptizatos.

c) Consociationem verborum « quo magis crescit hominum a Deo defectio atque abscessio, eo urgentior » (linn. 25-26) negativam esse constat. Quanto verius et magis stimulans esset demonstrare perfectionem vitae sacerdotalis exsurgentem, tanquam e radice, ex participatione cum Sacerdotio Christi, et ex necessitate omnes virtutes humanas sacras efficiendi, quod obtinetur secundum mensuram qua sacerdotes totaliter se devoveant servitio Ecclesiae per unionem intimam cum Christo.

Pag. 5, n. 1, lin. 29. Scribendum videtur: « ... nunquam bonis temporalibus cor apponendo, etiam utendo, sed Iesu... » nam textus sacer conspicue legitur: « omnia habentes, nihil possidentes ».

Pag. 6, n. 1, lin. 3. Substituendum videtur verbum « conveniant » verbo « convertantur », siquidem melius exprimit laborem communem ad unitatem a Christo intentam obtinendam, et conatus omnium, tum catholicorum tum ceterorum christianorum et etiam non-credentium ad hunc finem attingendum, gratia Dei iuvante.

Pag. 6, n. 2, linn. 13-14. Sic conscribendae videntur: « Sacerdotis signum permanens et efficax, simulque instrumentum efficitur, ... ».

Pag. 7, n. 4, lin. 3. Supprimere verba « quae omnino propria sacerdotii sunt », quia numerata media aliis communia sunt v. g. Divinum Officium.

Pag. 7, n. 4, linn. 30-35. Tota sententia « cum... valde placeant, ideo... prodesse possunt... comitas... aliaque huiusmodi » speciosum sensum, fereque dolosum (truqué) prae se fert, i. e. opportunismum quemdam, qui profecto bono odore Christi non abundat. Tota ergo haec sententia reficienda videtur. Nimis externum vitae habitum implicat, nullo autem modo reditum ad fontes interiores (ressourcement).

Pag. 8, n. 6, linn. 9-21. Omnia haec stupendo modo vigore actuoso (dynamisme) privantur. Vera sunt, sed tamquam esculenta pristina iterum calefacta (du réchauffé), sine vi et gustu (sans accent), quae nullam curam habent revivificationis coaptatae cum temporibus a Deo datis in quibus vivimus, neque aptationis rythmo horarum imposito hodie a ministerio animarum. Cur non adhibere velut exemplaria plurima vivificantiaque exempla Christi, Virginis, primorum christianorum ad Deum preces effundentium.

Pag. 8, n. 7, lin. 23. Melius esset scribere: « ... in clero foveatur ut signum peculiare mysterii Ecclesiae; item... ».

Pag. 8, n. 8, lin. 28. Melius esset scribere: « ... ita ut perfectius adhaereat Christo et ut in exemplum... ».

Pag. 8, n. 8, linn. 32-33. Substituere decet verbis « iuxta traditiones ac praescripta ritus ad quem pertinet » verba « iuxta legem naturalem et consilia evan-

gelica ». Virtus enim et praxis castitatis omnibus imponitur, nuptis aut innuptis, licet modo diverso.

Pag. 8, n. 9, linn. 35-36. Supprimere membrum sententiae: « quacumque dignitate praefulgens ».

Pag. 9, n. 9, lin. 3. Emendatio sequens videtur inserenda: « ... dignetur: semper det operam ut intuitum Christi diligentis in pueros dignoscat (cf. *Mc* 10, 21), item... ».

Pag. 9, n. 10, linn. 8-15. Ut exaltans hoc posset esse, sed eheu! prout iacet minime est.

Pag. 12-13, n. 15 [Prooemium]. Hoc sapientius est et cogitatum et dictum quam cap. I.

Pag. 12, n. 15, lin. 11. Verba « scientia et doctrina » non implicant, secundum exegesim, significationem hic enuntiatam.

Cap. III: *De recto usu bonorum.* Pag. 18, n. 28, lin. 27; pag. 19, n. 30, lin. 25; pag. 23, n. 39, lin. 7. Addere decet verbis « egeni » et « indigentes » verba sequentia « in re materiali aut spirituali », nam non desunt nationes aut regiones mundi ubi non, aut pauci tantum, inveniantur egentes in bonis materialibus, sed ubi pullulent inopes in bonis spiritualibus erga quos « Christi caritas... urget » (*2 Cor.* 5, 14), non tantum quoad apostolatum ipsum sed etiam quoad opes pecuniarias ad suscitandas et sustinendas institutiones et media disseminatioris Evangelii.

Pag. 19, n. 30, linn. 24-25. Verbis « clericali dignitati » substituere decet verba « clericali statu » aut, etiam melius, « necessitatibus eorum ».

Pag. 19, n. 30, linn. 29-30. Supprimere decet « ac dignitatis », nam dignitas in qua constituitur clerus non est titulus remunerationis; non idem dicendum de verbo « gravitatis » quod hic, ut videtur, significat praestantiam muneris quae secum fert et imponit habitualiter expensa supplementaria.

Exhortatio: *De distributione cleri.* Pag. 24, n. 40, linn. 8-10. Sententia sic invertatur: « ... Christifideles haud pauci praedicatione Dei verbi et sacramentorum celebratione penitus careant, ideoque in gravi periculo versentur a fide catholica deficiendi ». *Ratio*: causa positiva et praestantior debet primum afferri. Et verbum « celebratio » prae se fert commodum includendi Mysteria divina absque ulla connotatione rerum temporalium.

Pag. 25, n. 41, lin. 4. Addenda videtur sententia sequens: « Quoad dioeceses quae parum abundant vocationibus sacerdotalibus, sed quae gaudent copia bonorum materialium, libenter ipsae contribuant saltem sustentationi sacerdotum in dioecesibus quae copiam vocationum fruentur et exinde sacerdotes alibi mittere possunt ».

Pag. 25, n. 42, lin. 9. Verbo « Romano » substituere verbum « Summo » siquidem hic agitur de Papa in quantum est caput collegii episcopalis et universalis Ecclesiae, non autem de episcopo Romae. S. Thomas, in sua Summa Theologica utitur verbis « Romanus Pontifex » tantum undecies, adhibet vero verba « Summus Pontifex » septies et vicies. In *Ordo Concilii Vaticani II celebrandi* semper usitatur consociatio verborum « Summus Pontifex », nunquam « Romanus Pontifex ».

Pag. 25, n. 42, lin. 13. Addenda videtur sententia sequens: « Ut maior numerus sacerdotum possint se conferre in regiones orbatas sacerdotibus aut pau-

cioribus tantum gaudentes, libenter acceptent incommodum ex paucitate sacerdotum paulo maiore orta.

Pag. 25, n. 43. Haec paragraphus consequi immediate deberet par. 40 et 41, quia tractat de Codice recognoscendo in eis quae ad clerum pertinent, cum par. 42 de solis laicis tractet.

9

EXC.MUS P. D. PHILIPPUS CONDURÚ PACHECO

Episcopus tit. Decorianensis

In schemate *de clericis* suggero: pag. 8: exercitia spiritualia condita sint sermonibus circa aeternas veritates, quia apud nos ultimis annis frivola frequenter sunt et clerici multi nullam serietatem offerunt neque fructum salutiferum afferunt. Iocantur iidem clerici omni tempore exercitiorum. Anno vertenti aliqui civiliter et leviter vestiuntur et frivoliores inveniuntur.

10

EXC.MUS P. D. VILLELMUS CONWAY

Episcopus tit. Nevensis, vic. cap. Armachanus

Cap. I. Par. 1, pag. 5, linn. 2-3: velim ut post verba « sacramenta administrare » inserantur verba « evangelium praedicare ».

Par. 4, pag. 7, linn. 16-23: forsitan melius esset subsectionem *e*) pag. 7 sic redigere: « caritate erga omnes, speciatim erga infirmos et pauperes, speciali tamen ratione erga sacerdotes infeliciter lapsos »; et post par. 12, « de sacerdotum aegrotantium cura » inserere novam par. continentem reliqua actualis par. 4 *e*) ut: « Sacerdos nunquam caritatem interimat erga sacerdotes poenis ecclesiasticis innodatos... » et reliqua ut in actuali par. 4 *e*).

Par. 4, pag. 7, linn. 30-39: meo iudicio melius esset, loco « ornamenta illa corporis et animi », dicere « illae qualitates naturales » et omittere verba « cum hominibus huius temporis valde placeant », vel saltem pro eis substituere verba « quae in civili societate magni aestimantur » sicut in schemate « De Sacrorum alumnis formandis », pag. 11, lin. 21.

Forsitan etiam melius esset transferre materiam huius subsectionis 4 *g*) in alium locum, v. g. post par. 10, pag. 9, cum videatur non esse omnino eiusdem ordinis ac alia munera sacerdotalia spiritualia de quibus tractatur in hoc elencho par. 4.

Par. 6, pag. 8, linn. 8-21: velim ut aliud membrum inseratur in hoc elencho, nempe: « visitatio Sanctissimi Sacramenti ».

Cap. III. Par. 31, pag. 20, lin. 21: forsitan melius esset omittere obligationem de annua recognitione medicali utpote res nimis particularis pro Concilio Oecumenico et magis pertinens ad statuta Concilii particularis.

11

EXC.MUS P. D. THOMAS COORAY
Archiepiscopus Columbensis in Ceylon

1. Ad n. 17 (pag. 11, lin. 38). Probatio impensior alumnorum potius fiet *immediate ante Sacerdotium.*

Rationes: 1) probatio fieri debet in ipso exercitio ministerii, in quo scilicet melius apparebunt tum indoles tum defectus candidati ex innata vel contracta propensitate.

2) Ex alia parte, candidati praesertim ad clerum saecularem destinati generatim nequeunt, nisi optima formatione intellectuali ac morali armati, arduosa problemata ac ministerii pericula aggredi.

Aliter est pro religiosis sicut in Societate Iesu, ubi alumni, durante tali probatione, in propriis Institutis vel communitatibus, sub vigilantia Superiorum vitam degunt.

Proinde in votis est ut locum obtineat haec probatio, expletis studiis theologicis ac post diaconatum receptum. Ad hoc autem nova oritur conditio: ea nempe ut quatenus exercitium ministerii patefecerit, candidatus possit ad saeculum regredi.

Quapropter votum solemne castitatis usque ad ipsum presbyteratum deferatur. Alumni interea, sive subdiaconi sive diaconi, voto simplici (immo temporario) dumtaxat adstringantur.

Talis provisio non esset praxi Ecclesiae contraria; nam etiam nunc subdiaconis ac diaconis quandoque conceditur dispensatio a voto castitatis ut ad saeculum redeant. Ad disciplinam et decus sacrorum tuenda, melius fiant vota simplicia (temporaria) quam votum solemne dissolvatur.

Ut supra dictum est, ex una parte ministerium locum praebet manifestandi indoles ac defectus qui facile sublatere possunt in vita seclusa ac uniformi seminarii. Ex alia parte, iniuria fieret alumno si absque adaequata praeparatione intellectuali ac morali inter discrimina ministerii proiiceretur. Insuper ex hac « diaconali » (quam proponimus) probatione, haud immerito, pro ipsis, ac certo in bonum animarum quae secus detrimentum paterentur, indigni securius a sacerdotio arcerentur.

Ad tantum bonum Ecclesiae consequendum valet experimentum etsi ex diuturniore praeparatione huic probationi subiecti tardius ad sacerdotium pervenirent ac per aliquot annos, donec rhythmus restituatur, quadam paucitate operariorum vinea afficeretur. Re quidem vera, tali sacerdotum paucitati haud modice supplebit ministerium (licet inferius) diaconorum ita sub probatione detentorum. Nec praetermittendum hanc diaconalem probationem illud etiam conferre quod significatio antiqua voci populi reapse restituatur in eligendis ac promovendis candidatis ad presbyteratum. De his enim populus tunc mentem suam episcopo aperire poterit « cum cognitione causae » ex diuturna conversatione comparata.

N. B.: Non obstante supradicta probatione diaconali subeunda, manet utilitas, immo necessitas, *tirocinii specifice spiritualis* in quo nempe « intra muros » sub

docto expertoque duce spiritus, alumni principia perfectionis christianae ac sacerdotalis profunde meditentur ac in praxim deducere intensius studeant.

Hoc vero « tirocinium » seu exercitatio spiritualis ad aliquot menses ante ingressum formale in Seminarium Maius, vel ad triginta saltem dies (e. g. tempore vacationum) ante studia theologica protrahatur.

2. Post n. 24 (pag. 15). Valde optandum ut caput speciale inseratur (post n. 24). De moderatoribus seminariorum in quo in unum colligantur ac ordinatim exponantur ea quae passim in schemate obiter de hac re dicuntur, videlicet de rectore, de magistris spiritus, de confessariis, de professoribus, etc. Horum omnium (etiam professorum) formatio haud tantum academica sit sed integralis, vitam spiritualem complectens ut ipsi vice sua alumnos efformare possint dictis, consiliis ac praesertim vivo exemplo oboedientiae, pietatis, mentis supernaturalis, observantiae regularis, etc.

Insuper, clare et aptissime determinandae sunt relationes inter episcopos Ordinarios et moderatores seminariorum praesertim interdioecesanorum, regionalium et internationalium, ne episcopi Ordinarii, quibus primo loco incumbit onus Sacrorum alumnos efformandi ac ad Ordines admittendi, spectatores passivi et impotentes (ut quandoque accidit) reddantur.

Particularia vero de hac re proponi possunt in appendice, v. g. in appendicibus I ad III.

3. Ad n. 14 (pag. 10, lin. 21). Post verbum « Corporis » inseratur verbum « intimius » aut aliud simile quo fortius exprimatur unio et integratio quam, magis meris fidelibus, sacerdos, comparticeps sacerdotii Christi, ambire et possidere debet in Corpore Domini mystico.

Ad pag. 21, 22 (n. 33). Optandum videtur ut fontibus massae communis sub n. 33 (a - h) recensitis addatur: *i*) « ex specialibus proventibus quos, approbante Sancta Sede, coetus episcoporum Provinciae, iuxta occurrentiam et pro temporum locorumque necessitatibus, massae communi adiudicandos decreverit ».

12

Exc.mus P. D. IOANNES DADONE
Archiepiscopus S. Severinae

In genere. Discussio de institutione (melius de reinstitutione) *diaconatus*, non solum quoad gradum ad presbyteratum, sed ut ministerium authonomum, sive stabile sive provisorium ad tempus et in peculiaribus adiunctis, in beneficium et munus apostolicum quorumlibet laicorum specialiter ad hoc instructorum.

Dicunt hanc propositionem factam esse commissionibus conciliaribus a conferentiis episcopalibus in territoriis missionariis Asiae et Americae Latinae.

Opinor, meditata S. S. Pii XII v. m. verba memorans, in umbra cuiuscumque turris campanariae missionale territorium hodie et magis magisque in futuro adfuturum, cui missionario stylo atque methodo provideatur oportebit!

Ad cap. I, n. 4: « De alimento et augmento sacerdotalis sanctitatis ».

In elencho munerum quibus sacerdotalis sanctitas alitur atque augetur, aliqua reordinanda, alia inserenda puto ac propono. Scil. quae sequitur revisam elenchationem aptiorem habeo:

a) *Oblatione piissima* Eucharistici Sacrificii, etc. ut in textu.

b) *Oblatione digna* Sacrificii laudis, etc. ut in textu.

c) *Ministeriis prompte ac libenter exercendis,* ut in textu ad litt. *f*). Ratio praecedentiae huius sacerdotalis sanctificationis medii est quaedam logica connexio et consecutio quam exstare mihi videtur inter officia stricte sacerdotalia quae in elencho ad litt. *a*) *b*) numerantur et hoc ministeriale munus quod aliquo modo procedit e praecedentibus quasi e lucis et gratiae ministerialis praecipuo fonte, et eadem officia ad practicum apostolatum ducit et integrat. Praeterea, ministeriale munus est effectivum testimonium et progressivum exercitium *caritatis,* omnis sanctitatis causae formalis, quam prompta assidua et apostolica administratio Sacramentorum et verbi Dei in bonum fidelium producit in sacerdote qui haec munera supernaturali instinctu et intuitu exerceat.

d) *Consilia evangelica sectando,* etc. ut in textu ad n. 8 extra elenchum indicatur, ut hic inseratur propono.

Rationes: 1. Neminem fugit magnopere oportere ut sacerdotes nostri temporis vigilanter et incontinenter dimicent et vincant illum inordinatum amorem suiipsius, personarum, rerum, ac quorumlibet temporalium bonorum, quem « mundus », in quo sumus sed de quo esse non deberemus, quam maxime hodie materialismo et technicismo affectus, insinuare in clericorum (et religiosorum) moribus conatur. Ne ille inordinatus amor sacerdotalis pietatis fervorem nimiis materialibus curis distrahat, exercitium pastoralis et sacerdotalis caritatis in sancto ministerio praeiudicet et a fine supernaturali deordinet, efficientiam sacerdotalis apostolatus apud fideles graviter obnubilet et minuat, evangelicorum consiliorum exercitium inter proprias clericalis status *obligationes* annumeretur oportet: clerici, scilicet, non solum castitati perfectae et filiali promptaeque oboedientiae episcopo obnoxii sint, sed insuper paupertatem saltem spiritu tamquam propriam obligationem habeant, ut « sacerdos... ad eius (Christi Sacerdotis) perfectionem propius accedere possit cuius partes sustinet » (cf. n. 2, in fine).

2. Translatio et insertio ad litt. *d*) earum exhortationum quae ad n. 8 in textu ponuntur apta et logica introductio erit ad ea quae in elencho proxime affirmabuntur.

e) Reverentia ac filiali oboedientia episcopo praestanda, etc. ut in textu ad litt. *c*). Hic addi possunt quae inculcantur in n. 11 sub titulo: « Semper se paratum praebeat ad perfungendum quolibet munere a superiore commisso ».

f) Amore confratrum, etc. ut in textu ad litt. *d*).

g) Caritate erga sacerdotes poenis ecclesiasticis innodatos, etc. ut in textu ad litt. *e*).

h) Adquirendo ornamenta, etc. ut in textu ad litt. *g*).

Ad cap. I, n. 7: *De vita communi clericorum fovenda.*

Praemittenda: Vera, efficax et assidua sollicitudo ecclesiasticae auctoritatis applicetur ut vita communis in clero dioecesano, pastorali curae addicto, foveatur, immo gradualiter possibilis fiat et legitime decernatur.

Praeter principem rationem, quae perspicue in decreto evincitur, « ut a periculis e solitudine forte orientibus (clerici) eripiantur », et praeter beneficia quae ex vinculo caritatis, pastoralis collaborationis et recreationis necessariae inter clericos fraternitati, in exemplum et aedificationem fidelium, obveniunt; aliae non paucae rationes etiam ordinis oeconomici (ut aiunt) exstant, quae vitam communem non solum ut prorsus convenientem praestant, sed fere imponunt hisce nostrae aetatis

difficilibus adiunctis: nempe variae expensae ad calefaciendam domum, ad illuminationem, ciborum praeparationem, et praesertim ad famulos seu famulas procurandos (res vere maxime ardua hodie magis magisque in futuro!) quae minuuntur et faciliores evadunt si inter plures sacerdotes dividantur.

Proponitur attentae sollicitudini Patrum et Commissionum Conciliarum peculiaris necessitas quae parochos parvarum ruralium et montanarum paroeciarum attinet.

Frequens adest casus in pluribus italicis dioecesibus quod omnes vici rurales et montani, quorum incolae saepe centum plus minusve numerantur, parochum residentem habeant; ibique, propter parvam rilevantiam et e converso magnam districtionem, sacerdotes novensiles inexpertos Ordinarii ut parochos mittant, omnibus periculis magis obnoxios; qui, post aliquot annos, nisi promoveantur, inertes et non raro rebelles fiunt, quasi socialem iniustitiam aegre patientes. Olim residentia parochorum in illis parvis et dissitis vicis necessaria erat ad salutem animarum ob viarum et communicationis mediorum absentia. Hodie autem feliciter viae ad accessum per semoventes et rapidos currus, et telephonia ad urgentem sacerdotum convocationem quibuscumque adiunctis, exstant. Ne relinquantur, igitur, sacerdotes solitarii in his dissitis et parvis locis; sed in communi residentia omnibus propinquiore adunari cogantur. Inde, bini bini, secundum bene distributum horarium, varias parvas paroecias adsistent, melius quam si soli in eisdem paroeciis resideant; et sacerdotes omnibus adiumentis et solaminibus quae ex communi vita oriuntur gaudebunt, periculis quae ex solitudine nascuntur subtracti.

13

Exc.mus P. D. IOSEPH ANTONIUS DAMMERT BELLIDO
Episcopus Cajamarcensis

N. 33 *c*). Prefiero el texto sustitutorio de la nota (pag. 21), porque en la práctica será muy difícil que se cumpla en la forma propuesta en el texto del esquema.

N. 41. Las recomendaciones señaladas en la nota 3 (pag. 25) deberían incorporarse al texto del esquema.

También sería conveniente y oportuna una exhortación a los Ordinarios que reciben sacerdotes, para que preparen el lugar y las condiciones de trabajo de acuerdo con la capacidad y mentalidad de su patria de origen; les impartan una especial orientación para que puedan adaptarse con más facilidad a su nuevo cargo; y en lo posible los hagan trabajar en equipe con los sacerdotes indígenas para que no haya diferencia en los métodos de apostolado ni comparaciones odiosas.

14

Exc.mus P. D. IOANNES DOOLEY
Archiepiscopus tit. Macrensis in Rhodope

Cap. III: De recto usu bonorum. N. 33 *a*): In this article it is stated that the offerings of the faithful are the main source, and in some countries the only

source, from which the Church procures the temporal goods necessary for the carrying out of its divine Mission.

The system of free offerings has much to recommend it: It signifies that the Clergy are at the service of the flock; it safeguards the independence of the Clergy. When the Church receives material aid from a source that enjoys some authority (v. g. the State, or a Patron) it is extremely difficult for the Clergy to maintain its proper liberty of action in many practical matters.

The system of free offerings is certainly to be preferred and an effort should be made to extend it to all regions of the Church.

I propose that the following paragraph be introduced into the Scheme, in some convenient place (possibly at the end of Art. 33 *a*): "The offerings of the faithful are the natural source from which the Church procures the temporal goods necessary for the accomplishment of its divine Mission. It is strongly recommended that this system be introduced universally. Wherefore the faithful should be advised of their obligations in this matter; even in the Missions and in poor territories the faithful should be exhorted and accustomed, from the very foundation of the Church, to make some contribution according to their means".

15

EXC.MUS P. D. ANGELUS FERNANDES

Archiepiscopus tit. Neopatrensis, coad. c.i.s. Delhiensis

Praeter has animadversiones schema *placet*. 1. Ad virtutem simplicitatis adquirendam praecepta Evangelii normae sint ut haec praeclara virtus totam vitam clericorum conspicue pervadat. Quare in vita personali et in modo vivendi, praecipue quoad vestitum, domicilium atque vehiculum, denique in omni conversatione cum coetu fidelium clerici simplicitatem quaereant.

2. Opera sacerdotalia, e. g., praedicatio, administratio sacramentorum, formatio iuventutis et alia huiusmodi muneribus minus connexis cum opere redemptionis praeferantur.

3. Cum cultum sanctitatis personalis prosequantur clerici ne obliviscantur quod opera apostolatus et seipsos sanctificare debent dum aliis adiumentum praebeant.

4. Experientia patet nihil plus valere ad spiritum christianum fovendum quam visitatio domorum pastoralis et frequens ex parte ministrorum Ecclesiae. Haec visitatio non solum se habet ut corollarium naturale communioni fidelium in Sacrificio Missae et Pane Vitae, sed fideles saepe saepius ad mensam Domini magis attraheret.

16

EXC.MUS P. D. SALOMON FERRAZ

Episcopus tit. Eleuthernensis

Parum omnino dicitur de castitate sacerdotali, ad quam iuvenes clerici, rite, educandi sunt, et in posterum exercendam habebunt.

Aderat in I volumine, nobis tradito, schema constitutionis *de castitate; ma-*

trimonio; familia; virginitate, tamquam unum quid propositum. Nunc vero, non apparet inter schemata disceptanda in Concilio schema de castitate, de virginitate et de familia sed tantum nuntiatur schema *de sacramento matrimonii* quod hactenus ad nos non pervenit.

Allusiones tamen fiunt, passim, de castitate clericali sed quasi perfunctorie. Sic in schemate *de clericis* n. 8, pag. 8, ubi de consiliis evangelicis agitur, et in schemate *de sacrorum alumnis formandis* sub n. 15, pag. 11 (linn. 5-10); in quibus locis, semper, fit mentio de diversa Ecclesiae disciplina « iuxta traditiones ac praescripta ritus ad quem pertinet », in primo loco citato, vel « secundum proprias diversorum rituum Ecclesiae leges », in alio loco.

Huiusmodi allusio ad diversam disciplinae Ecclesiae clarior apparet in antiquo schemate *de sacra virginitate* inter schemata tradita in I Serie n. 37, pag. 151, ubi dicitur: « et a Sacrorum ministris latini ritus postulat ut volenter libenterque sacram virginitatem ut sponsam eligant, eidemque usque fideles maneant, dum eandem castitatem virginalem ministris rituum orientalium, ut dulce decus sacerdotale commendat ».

Cuius commatis, prout sonat iuverit manifestam contradictionem adnotare. Nam in eo eadem Sancta Mater Ecclesia, quibusdam e ministris sui cultus officialis virginitatem imponit ut obligationem gravissimam sub poenis gravibus exercendam; aliis, vero, e suis ministris eiusdem cultus officialis, mere ut dulce decus suadet et commendat.

Nulla e contra videtur quaestio dignior quae a Concilio tractetur quam haec de castitate cleri, ubique terrarum publice agitata et cuius solutio per Concilium a populo sancto Dei expectatur.

Hinc licitum nobis sit studium afferre quod de hac re pro prima sessione paraveram, lusitane tamen conscriptum, cuius conclusiones potiores novis rationibus additis, hic sequuntur:

Conclusiones de sacerdotio christiano. In ipsa Ecclesia catholica urgeri debet verus et authenticus sensus sacerdotii christiani.

Scil.: Sacerdotium christianum, de se, non constituit sic dictam castam a populo, prorsus, seorsim seiunctam, et sic faciliter ut instrumentum potentatum, eundem populum opprimentium reducendam, sicut accidebat sive in imperio pagano sive etiam in ipsa natione iudaica.

Sed, positive est vere classis selecta ex populo, quidem, assumpta sed pro populo constituta, iuxta effatum apostoli.

Hinc, necessitas sacerdotium, magis atque magis, inserendi in ipsam societatem civilem et in familiam, quae, cum maximam abnegationem et arctissimam disciplinam exigit, vere fit schola practica ad munera sive in ipsa societate civili sive in ipsa Ecclesia exercenda, iuxta doctrinam apostoli, in epistolis pastoralibus, in quibus declarat non esse promovendos ad Ecclesiae servitium et gubernium eos qui domum suam gubernare nesciunt.

Usus, tamen, huiusmodi iuris naturalis familiae a clericis constituendae est statuendus liber: nam, intuitu motivorum superioris ordinis, illi renuntiari licebit, sub actione Spiritus Sancti, qui ubi vult spirat. Sic erunt, semper, in Ecclesia sacerdotes virgines.

Nullo modo decet iuvenes homines ad votum et quidem sollemnissimum castitatis (gravissima omnium sanctione poenali oneratum) tempore infirmioris aetatis emittendum, cum adhuc experientia vitae carent, neque aestus instinctus

adhuc plene senserint in Seminario semper reclusi, sine contactu ullo cum altero sexu, neque habentes illa innumera auxilia, quibus castitas munitur apud religiosos viros in claustris degentes, inducere.

Sic accidit quod innumeri prorsus sacerdotes (ad plura millia in quibusdam nationibus catholicis enumerantur) sic, immatura aetate, ad huiusmodi votum deducti illum non servant, vel matrimonium civile attentantes, vel in concubinatu private vel etiam publice viventes, vel etiam aliis perversitatibus sexualibus indulgentes, magna status clericalis ignominia, fidelium scandalo, et, quod magis dolendum, divinam maiestatem gravissime offendentes, quod Ecclesia sponsa Christi, nullo modo pati potest.

Et haec est ratio ob quam iuvenes, ex alia parte dotibus praediti ad sacerdotalia ministeria exercenda, a vocatione incoepta recedunt, vel illam non audent adire.

Sic, cum in schemate *de Ecclesia,* pag. 26, linn. 30-40 fit sermo de aliquo diaconatu non ad sacerdotium directo, sed in suo proprio gradu stabiliter exercendo, etiam ab uxoratis, non esset absonum quod aliquid simile pro sacerdotio instituatur, sicut iam viget in Ecclesia orientali. Duplex esset ordo gradus sacerdotalis: alter, qui ad superiorem gradum episcopatus et ad quaedam munera maiora habilem redderet ipsum sacerdotem: alter vero eorum qui non valentium onus castitatis virginalis suscipere, ad superiorem gradum et potiora munera promovendi non essent.

Mos autem antiquissimus Ecclesiae sive occidentalis sive orientalis non eligendi episcopos inter uxoratos, non debet impedire Summum Pontificem ab exceptionibus faciendis cum agatur de episcopis ab aliis christianis denominationibus venientibus, vel etiam cum in aliquo casu extraordinario, aliquem ex uxoratis ad aliquam Ecclesiam dirigendam ob qualitates, vere exceptionales, promovendum.

Adest alia ratio pro lege caelibatus modificanda et est ordinis socialis: per legem caelibatus, universaliter imponendam, apud vulgares homines etiam christianos, idea gignitur alicuius Christi a societate et familia separati, cum eiusdem ministri a suis obligationibus excluduntur, unde etiam delinquentes maxima comprehensione prosequuntur, neque iustas reputant superiorum sanctiones.

Motivum speciale videtur etiam adesse in spiritu oecumenico quod nunc temporis, et in posterum magis, viget in Ecclesia. Etenim perplures, fere omnes denominationes christianae, extra Romanam, ministros habent uxoratos, neque concipiunt ministros caelibes. Ex alia parte non potest exigi ab illis qui Ecclesiam petunt, quod familias suas et relativas inde obortas obligationes deserant. Hinc, vel renuntiandum, propter legem mere ecclesiasticam, unioni christianorum iuxta mentem Christi efficiendae, vel admittere ministros rite et valide ordinatos, etiam si uxoratos. Semel autem facta huiusmodi exceptione, pro his qui e foris veniunt, non videtur quomodo possit haec eadem negari his qui intus sunt, vel apostatis hactenus consideratis, qui ad Ecclesiam matrem redire vellent, sed impediuntur, praecise, hac lege, quae illos impedit quominus obligationes e matrimonio obortas et manentes etiam poenitentia facta, solvere possint.

Ex hac modificatione legis caelibatus, non est timendum quod scandalum surgat ex parte populi, qui maius recipit ex inordinata vita quorundam clericorum; et ipsi maiori aedificationi erit castitas virginalis quae semper viget inter religiosos et inter plurimos clericorum, qui sponte sua amplexabuntur.

Nova ergo danda est educatio sexualis iuvenibus in Seminariis, maxime maio-

ribus, et quidem sic adaequata ut eis fas sit eligere inter utramque vitae formam seu statum vitae sive caelibatarium sive coniugalem.

Si quis clericus, rite doctus utriusque status obligationibus, familiam constituere intendit, mentem suam superioribus adaperiat et ab eo sollicite consilium petat et paternam benedictionem accipiat, et sequatur processum ab auctoritate stabiliendum ad sui ad statum matrimonialem promotionem.

17

EXC.MUS P. D. DOMINICUS SENYEMON FUKAHORI

Episcopus Fukuokaensis

Praesentatio materiae huius schematis mihi placet. Pauca tantum dicenda sunt.

1. Mihi videtur quod non satis *de praxi paupertatis* tractatur.

Nimis numerosi sunt neo-sacerdotes e pauperibus familiis orti, qui vestimenta sacerdotalia pretiosa, etc. ante ordinationem sacerdotalem emunt. Pariter, nimis numerosi sunt sacerdotes qui usque ad unguem, decimam a fidelibus etiam pauperibus exigunt, et qui, ex alia parte, pecuniam, v. g. stipendia missae, in argentaria (banque) accumulant ad lucrum faciendum, cum intentione res magni pretii, saepe superfluas, emendi. Iidem sacerdotes saepe non satis curant ut pauperes adiuvent pecunia sua propria. Quapropter, valde optandum est ut praxis virtutis paupertatis clarius et fortius clericis *omnibus* suadetur.

Oportet prius breviter exponere « mysterium paupertatis in Ecclesia » et « necessitatem pauperes adiuvandi et evangelizandi », sicut fecit S. E. card. Lercaro durante prima sessione Concilii et occasione unius allocutionis televisae (cf. *La Documentation Catholique,* n. 1395, 3 mars 1963, col. 317-321. Etiam IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Sacerdotii Nostri Primordia,* 31 iulii 1959). Fundamento firmiter posito, normae practicae enumerari possunt.

2. In cap. III: *de recto usu bonorum,* videtur, e textu, administratores bonorum ecclesiasticorum tantum (non autem alii sacerdotes) opera caritatis erga pauperes exercere debere. Clarius et fortius dici debet « omnes » clericos tenere pauperes adiuvare, etiam cum propria pecunia, non tantum cum bonis ecclesiasticis.

Quae cum ita sint, tentative textus sequens proponitur: « Clerici omnes, etsi bonorum ecclesiasticorum proprie dictorum administratores non sunt, instantius flagitantur ut indigentes propria pecunia necnon bonis ad se pertinentibus adiuvare non timeant. Praeterea, clerici omnes non tantum spiritum paupertatis theoretice, ut ita dicam, habeant, sed etiam effective paupertatis virtutem coleant ».

Ut sensus n. 39 « Opera caritatis, erga pauperes praesertim, exercenda » clarius appareat, optandum est ut verba « parochis non exceptis » addantur in lin. 3, post verba « atque bonorum ecclesiasticorum administratores omnes ». Nam, nonnulli sacerdotes putare possunt verbum « administratores » non designare nisi administratores dioecesanos.

3. Textus qui invenitur in fine pag. 20, sub littera *c*) reiiciendus est. Ei substituendus est textus qui invenitur in fine pag. 21, sub littera *c*).

4. Exhortatio « De distributione cleri » (pag. 24-25) est optima. Estne opportunum aliquid dicendi de religiosis iuris dioecesani necnon de Institutis saecu-

laribus? Nil de hoc dicitur in schemate constitutionis *de statibus perfectionis adquirendis.*

Notae. Etsi Notae, quae singulis capitibus adiiciuntur, schematis partem non efficiunt, nihilominus valde utiles sunt ad « spiritum » textus intelligendum. Quapropter, novae referentiae infra addimus referentiis quae iam in schemate inveniuntur.

1. Ad n. 4, *c*) (pag. 7): Pius X, Exhortatio *Haerent Animo,* 4 aug. 1908: *A.S.S.,* 41 (1908), p. 574.

Pius XI, Litt. Encycl. *Ad Catholici Sacerdotii Fastigium,* 20 dec. 1935: *A.A.S.,* 28 (1936), pp. 31-32.

2. Ad n. 4, *d*) (pag. 7): Pius X, Exhortatio *Haerent Animo,* p. 574.
3. Ad n. 7 (pag. 8): Pius XII, Adhortatio Apostolica *Menti Nostrae,* 23 sept. 1950: *A.A.S.,* 42 (1950), p. 693.
4. Ad n. 12 (pag .9): *Ibid.,* p. 698.
5. Ad n. 15 (pag. 13) ad lin. 3: Pius XI, Litt. Encycl. *Ad Catholici ...,* p. 34.
6. Ad n. 17 (pag. 13): *Ibid.,* p. 34.
7. Ad n. 24 (pag. 15): Pius XII, Adhortatio Apostolica *Menti Nostrae,* pp. 693-694.
8. Ad n. 31 (pag. 19): *Ibid.,* p. 698.

18

Beat.mus P. D. ALBERTUS GORI
Patriarcha Hierosolymitanus Latinorum

Ad art. 33, par. *c*). Praeferenda et opportunior videtur secunda redactio par. *c*) in Notis pag. 21 inserta.

19

Exc.mus P. D. CAROLUS GRECO
Episcopus Alexandrinus

Generaliter placet, sed me dolet quod (pag. 14 ad par. 21) nihil dicitur de cursu instituendo de Confraternitate Doctrinae Christianae, quae maxime utilis et necessaria est ad erudiendos fideles omnis aetatis in doctrina catholica, et quae a Iure Canonico inculcatur, can. 711, et in *Acerbo Nimis.*

20

Exc.mus P. D. RICHARDUS LESTER GUILLY
Episcopus Georgiopolitanus

Cap. III, n. 30. Problema Ordinarii inveniendi remunerationem vel sustentationem sacerdotum in paroeciis pauperioribus dioecesis potest esse gravissimum, nonobstante existentia in dioecesi paroeciarum divitiorum. Nam iuxta vigentem

Codicem Iuris Can., proprietas paroeciae divitis sua manet et possibilitas exigendi taxas valde limitata est.

Ideoque conamen providere remunerationem decentem sacerdotum in paroeciis pauperioribus omnino laudandum est.

Me autem iudice, verba « omnium institutorum » (pag. 21, lin. 9) exactius definiri debent, speciatim eo quod res tangit quaestionem ubi difficultates oriri possint. An, e. g., « instituta » complectant paroecias?

Porro ad solutionem iustam dilemmatis paroeciarum pauperum et divitum supra citati, videtur requiri competentia Ordinarii taxas adaequatas exigendi e. g. ex oblationibus ordinariis fidelium in paroeciis divitioribus. Secus in paroeciis divitioribus parochi possunt pecuniam expendere prodigaliter e. g. in ecclesiis ornandis, ita ut nulla superfluitas habeatur, quo tempore sacerdotes in paroeciis pauperioribus carent remuneratione adaequata.

21

Exc.mus P. D. CAROLUS HERMANNUS HELMSING
Episcopus Kansanopolitanus - S. Ioseph

This Schema is to be commended. It would be well at the outset, however, to emphasize the relationship of presbyters, both secular and religious, to the episcopate. Possibly, it would be desirable to treat of the collegiate presbyterate, that is, to emphasize the responsibility of each priest, secular or regular, as a member of the presbyterate, to the Church Universal and to the local Church.

Within this Schema, there should perhaps be more emphasis on the development of the person and of personal responsibility. In Chapter 2, for example, priestly studies are considered exclusively in their relationship to the active apostolate. This treatment of studies should not be so "pragmatic". The value of study in the personal life of the priest should also be recognized.

22

Exc.mus P. D. AUGUSTINUS HERRERA
Episcopus tit. Tanaitanus, coad. s. d. Jujuyensis

Generatim sumptum, schema decretorum *de clericis,* mihi placet. Attamen aliquas animadversiones proponam. Nempe:

Ad 4. In eo quod attinet ad sacerdotis sanctitatem, propono ut in *c*) verba: ...*iuxta promissum,* substituantur his verbis: « ... iuxta votum... ». *Ratio*: experientia teste, simplici promissione tantum, clericus non observat debitam et obsequiosam subiectionem Ordinario suo, quia saepe saepius arguit sophistice de eius obligatione dicendo: *Voto* non obstringor! Proh dolor, si hodie crisim consideramus auctoritatis, clerici indigent vinculis fortioribus ut in praxim reducant eorum oboedientia, in actu ordinationis promissa. Igitur, pro bono Ecclesiae, faciliore gubernio superiorum et maiore clericorum sanctitate, *Voti* vis detur promissioni presbyterali in ordinatione.

Item, ad *g*) sequentes emendationes propono: *a*) post lin. 33 et verbum

vultus, addere mihi videtur utilissime haec alia verba, sc. *praesertim observantia castitatis voti diligentissima*; *b*) etiam in lin. 34, post verba: *vestium decor,* adiungere propono: « spiritu verae paupertatis imbuti... ». *Ratio* patet. Nempe, quod abundat non nocet. Si clarius adminicula determinantur, nullum dubium relinquitur neque sophisticationum occasio datur.

Ad 8. Si anteriores observationes vel propositiones admittuntur, salvo meliori iudicio, haec in Decreto contenta iam non amplius utilia evadent, ac proinde ab eis praescindi poterit.

Ad 28. In praxi, non raro, ut non dicam frequenter, difficultates praesentantur. Nam, de facto, clerici perplures ad negotia saecularia protendunt sive indole propria sive occasionibus versantes propitiis. Hac de causa, ego proponam ut ante diaconatum omnes clerici dioecesani solemnem promissionem emittant in futurum non sese admiscendos in negotiationibus saecularibus neque in ministerio lucri desiderio immoderate attrahi. Et ad hoc vitandum, decreti in fine sequentia verba adiungere utile viderem, post phrasim pag. 19, lin. 3: *locupletiores fiant, iuxta solemnem promissionem ante diaconatum emissam.*

Ad 30. Hoc decreto desideratur declaratio magis explicita qua notetur perspicue mutatio a Sancta Synodo introducta circa conceptum antiquum beneficii ecclesiastici, praesertim quoad parochias. Quapropter, utilissimum erit si dissertis verbis statuatur quod in posterum principium: *beneficiarius facit fructus suos,* non amplius vigere, iuxta decretum 32, saltem quoad parochias, ni fallor, relinquendo episcopis remunerationis assignationem iuxta normas iustitiae et prout diversitas exigentiarum ac locorum adiuncta.

Ad 32. Optime, sed melius esset si absolute a Sancta Synodo principium solemne statuatur quod in posterum episcopi suis clericis assignationem determinabit secundum eorum officia, prae oculis habentes normas iustitiae et aequitatis, audito eorum Consilio pro administratione dioecesana.

Ad 33 *c*). Adprobo omnino ut substituatur haec pericope pro altera in nota proposita. *Ratio*: quamvis sacerdos dioecesanus obnoxius non sit, sicuti religiosi, paupertatis voto, attamen, Ecclesiae in dioecesi quadam mancipatur servitio, ac proinde quadam renuntiatione saltem implicita eius vita fulcitur. Hac de causa, proventus vel fructus provenientes ex eius industria propria, ni fallor, obnoxii sunt conditioni ecclesiasticae cui sese consecravit. Ergo, non esset contra iustitiam si Ecclesia, ei postulat aliquam percentualem taxam (%) in favorem communitatis ad quam pertinet, succurrendo suis emolumentis sive fratribus indigentioribus sive pauperibus sive aliis operibus dioecesanis. Et hoc quidem ex quadam aequitate et caritate quia talenta eius dona Dei sunt et in servitium aliorum quocumque modo inservire debent.

Ad 37. Optime! Desiderium ardentissimum erat iuxta experientiam. Alumni praetereunt facillime hunc aspectum vitae sacerdotalis, ignorantes quod bona Ecclesiae sua non sunt, ac proinde eorum administratio recte fieri debent quando sacerdotes sint.

23

EXC.MUS P. D. LAURENTIUS JÄGER
Archiepiscopus Paderbornensis

Schema generaliter placet. Sequentes velim commendare emendationes:

Pag. 8, n. 6: haec paragraphus est solummodo enumeratio, quae iam in C.I.C. habetur can. 124 ss. Linn. 21-22 sub littera *f*) praescribuntur exercitia spiritualia quotannis peragenda, cum C.I.C. can. 126 « tertio saltem anno » hoc postulat. Ne obligationes stricte dictae augeantur, sufficeret commendatio exercitiorum quotannis peragendorum, nec *nova lex* introducatur. *Ratio*: est iam indicata, ne augeantur obligationes legis vigorem habentes.

Pag. 7, n. 4, sub littera *e*): schema loquitur de sacerdotibus poenis ecclesiasticis innodatis et apostatis. Sacra Congregatio de Propaganda fide in *Actis et Documentis Concilio Oecumenico Vaticano II apparando* conscriptis (serie I, vol. III, pag. 245) iam petivit: « Attentis petitionibus plurimorum episcoporum, quos tot sacerdotum infelicium miseret, ratione habita originis et naturae legis caelibatus, et quod ad missiones attinet, difficultatum peculiarium sive personarum sive conditionum vitae, quas « primitivas » haud inapte appellares, proponitur: Firma lege in Ecclesia latina recepta, dispensentur tamen ab onere caelibatus sacerdotes laizati sine spe rehabilitationis ». *Ratio*: iam in Sacrae Congregationis supra dicto voto rationes indicantur. Dantur in omnibus fere nationibus multi clerici olim sacerdotali dignitate adaucti, qui in tristissimis ac desperatis conditionibus, immo in gravi salutis aeternae periculo vitam degunt adstricti connubio invalido et cura liberorum suorum. Sancta Mater Ecclesia sequatur Christi Domini benignitatem, ita ut illis infelicibus filiis religiose in matrimonium ducere liceat et ut deinde vivant uti fideles simplices in communione Ecclesiae.

Hac dispositione concessa gravissimum humanum problema solveretur et odium ex desperatione illorum exortum in amorem et gratitudinem erga Ecclesiam verteretur.

In hoc schemate *de clericis* aliquid saltem de hac re caute dicatur. Si opus erit, ut etiam ad aliam commissionem hoc propositum mittatur, rogo instanter, ut mittatur.

24

REV.MUS P. D. IOANNES B. JANSSENS
Praepositus generalis Societatis Iesu

In genere placet omnino schema. Quaedam particularia:

N. 1, linn. 3-4: munus non catholicos ad sinum Ecclesiae adducendi, non est opus specifice sacerdotale, sicut Sacrificium offerre, Sacramenta administrare; sed est munus omnium baptizatorum. Sacerdoti tamen maxime congruit. Forsitan dici potest: « ipsius est, prae laicis, fideles ad sanctitatem perducere, ceterosque ad Ecclesiae sinum... ».

Nn. 1 et 2, passim: varia adducuntur, et quidem legitime, quare sacerdotem oporteat sanctum esse. Verum videtur deesse praecipua causa ordinis theologici et pastoralis: ut fiat aptius instrumentum apostolatus, oportet se sinat expedite regi

a manu Divini Operarii, ac proinde voluntate et mente Deo maxime coniunctus. Docile Domini instrumentum erit tantum ille in cuius anima gratia divina libere operatur, sine obice amoris proprii, egoismi, mundanitatis...

N. 4, pag. 7, linn. 20-21: « viam reditus... apte disponendo ». Nonne hic vel alibi insinuari potest ne ipsa auctoritas, in specie per S. Officium exercita, in rigore excedat, qua difficilior evadat reditus, ultra id quod exigit bonum animarum?

Integrum cap. II, pag. 12 et ss., ita in commendationibus et exigentiis excedere videtur, ut timendum sit ne a limine hae reiciantur tamquam utopicae? Sacerdos in ministerio hodierno occupatus, ubi inveniet tempus materialiter necessarium ad studendum omnibus his rebus, sacris atque profanis? Si episcopi per sessiones, conferentias, etc., curabunt ut talis opportunitas sacerdotibus praebeatur, aliquid obtineri poterit; secus vero timendum ne pulchra haec exhortatio « littera mortua » maneat?

N. 19, lin. 10: « studio Patrum »? Est una ex his locutionibus in stylo ecclesiastico consuetis et quas qui reicit, semi haereticus videtur. Et tamen dicunt nobis periti in re patristica, in Patribus multum tempus impendi posse sine fructu. Nonne expedit potius dicere « studio locorum selectorum e Patribus » vel aliquid simile?

N. 25, pag. 15, lin. 24: « in unaquaque dioecesi »: auctores schematis loquuntur hic et passim de « dioecesi » perinde ac si dioecesis foret unitas aliqua uniformis. Sunt magnae dioeceses, et sunt dioeceses sive numero cleri, sive territorio, sive utroque minusculae, prorsus incapaces quae provideant omnia illa quae in non paucis schematibus exiguntur. Dicatur saltem « in unaquaque dioecesi vel in regione... ».

N. 40, linn. 29-30: mirabitur quis nostra aetate adhuc aestimari « dignitatem munerum » mereri largius stipendium temporale. Sicut inter saeculares parum conforme est doctrinae sociali Ecclesiae tantum interesse inter stipendium directoris vel administratoris et stipendium operarii vel officialis subordinati, ita a fortiori inter ecclesiasticos et ob munera spiritualia. Relinquamus illum antiquatum conceptum divitias, vestes et cetera exteriora aliquid addere auctoritati hominis et reverentiae quae ei debetur.

N. 33, linn. 28-29: timeo ne illud « iuxta uniuscuiusque regionis consuetudines seu mores » inefficacem reddat hortationem ad fideles ut subveniant « necessitatibus temporalibus Ecclesiae »; quid in regionibus ubi consuetudo inolita, saepe ex adiunctis historicis orta, vult ut fideles numquam aliquid contribuant ad sustentandam Ecclesiam?

N. 33, linn. 32-36: quamquam mihi non est dubium Ecclesiae licere taxas imponere fidelibus (quamquam id non semper expedit) ac proinde etiam clericis, prudentius duco id in textum inserere quod suggerit nota in ima pag. 20-21, procedendo nempe per viam commendationis seu hortamenti.

25

Exc.mus P. D. FRANCISCUS GERARDUS KRAMER

Episcopus Lunganensis

Ad cap. I: de vitae sacerdotalis perfectione. 1. De fundamento biblico-theologico quo sacerdos in Ecclesia titulo speciali ad perfectionem vocatur, mihi videtur tractandum esse in schemate *de Ecclesia,* scil. in cap. IV « De vocatione ad sanctitatem in Ecclesia », uti in animadversionibus ad hoc schema iam exposui.

2. Quae in hoc capite habentur nn. 1-3 de fundamento exigentiae sanctitatis sacerdotalis iam sunt repetitio argumenti quod in schemate *de Ecclesia* (pars II, n. 30) quasi per transennam propositum est quodque magis ex professo ibidem esset exponendum.

3. Praescripta, quae in nn. 7-14 continentur quasi coacte cum titulo huius capitis coniuncta videntur.

Emendationis propositum. 1. Fundatio biblico-theologica exigentiae sanctitatis sacerdotalis ex hoc capite transferatur in cap. IV schematis *de Ecclesia,* cui titulus « De vocatione ad sanctitatem in Ecclesia ».

2. Repetitio eiusdem argumenti in hoc schemate omittatur, sicuti in schemate *de statibus perfectionis adquirendae* etiam evitata est. Sufficit ad id referre in prooemio.

3. Praescripta quae restant in hoc capite colligantur sub novo titulo: « De vita sacerdotali ».

4. Aequo iure ac fit in schemate *de statibus perfectionis* in hoc caput adhortatio assumatur de « activismo » vitando. Hic error enim, novis argumentis stabilitus, invalescere incepit.

26

Exc.mus P. D. IOANNES IOSEPH KROL

Archiepiscopus Philadelphiensis Latinorum

In genere. Maxima pars huius schematis est recapitulatio et amplificatio officiorum clericis propriorum sicuti in Codice Iuris Canonici iam patent. Mutationes in iure ad clericos quod attinet in schemate *de cura animarum* iam continentur.

In specie. 1. Pagg. 20-21, n. 33: haec sectio de *fontibus* huius massae communis tractat, sicut est, e. g., redditus excessivi institutorum quae ab Ordinario loci pendent, etc. Ad ipsa instituta dioecesana quod attinet, attamen, cavendum semper erit ne ex tali modo agendi Ordinarius loci terminos legis civilis excedat, quia saepissime talia instituta et iuxta tramitem legum ecclesiasticarum *et civilium* aeque et fundantur et gubernantur.

2. Pag. 22, n. 38: hic sermo fit de laicorum participatione in administratione bonorum ecclesiasticorum. Tales laici, etiamsi peritissimi, adhibere *tantummodo* si episcopus providet et aestimat talem participationem *absolute necessariam* fore, et tunc cum voto tantum consultativo — numquam deliberativo. Secus, periculum remanet et semper remanebit ut hi laici in administrationem *ordinariam* bonorum ecclesiasticorum sensim sine sensu sese immisceant. Ex experientia sci-

mus quod laici qui "Trustee System" abhinc multis annis his in regionibus (praesertim in archidioecesi Philadelphiensi) constituebant magnum impedimentum in Ecclesiae bonorum administratione fuerunt et adhuc his temporibus esse possent.

27

Exc.mus P. D. LORAS THOMAS LANE

Episcopus Rockfordiensis

N. 6, pag. 8. Addatur: Visitatio sanctissimi Sacramenti.

N. 33, pag. 33, littera *c*). Textus substituendus uti continetur in notula in calce pag. 21: *c*) « ex congrua portione pecuniae, etc. ».

28

Exc.mus P. D. STANISLAUS LOKUANG

Episcopus Tainanensis

N. 1. (Prooemium). « Sacerdotii munus est, in participatione sacerdotii Christi Domini, sacrificium offerre, sacramenta administrare, fideles ad sanctitatem perducere, ceterosque ad Ecclesiae sinum restituere aut convertere ». Addendum est « Verbum Dei praedicare », quia hoc est maximum munus sacerdotis et invenitur in Rituali Romano. Postea in schemate de hoc munere obligatio urgetur.

N. 9. (Consilia evangelica sectanda). Post verba « Totam vitam suam sacerdos componere curet secundum evangelica consilia » addatur sequentia « mortificationes secum semper circumferens » et postea « ita ut... quia spiritus mortificationis hodiernis temporibus languescit apud sacerdotes, etiam religiosos ».

N. 21. (Cursus pastoralis). « *b*) item...: primo nempe post trium annorum ministerii sacri exercitium, deinde vero tertio vel quinto quoque anno, ... ». Melius est non determinare annum et potestas relinquantur Ordinariis loci ad tempus determinandum.

In cap. II de studio et scientia pastorali sermo debet fieri de sacerdotis formatione et labore ad diaria et libros conscribendi. Hic defectus est lamentabilis fere in omnibus regionibus. Pauci sunt vel immo paucissimi sacerdotes qui bene scribere modo scientifico ac ornato valent; ita ut doctrina christiana in publica opinione iam non amplius manifestetur.

Omnia bona cleri, i. e. sacerdotis, episcopi, cardinalis, declarantur bona ecclesiastica et prohibentur tradi per testamentum ad usum profanum neque ad personas propriae familiae.

Abiliuntur bona beneficii. Omnia officia ecclesiastica remunerationes ab administratione ecclesiastica recipiunt.

Omnia bona immobilia et mobilia et proventus stabiles paroeciarum constituunt bonum commune dioeceseos et ab administratione dioecesana administratur. Pars bonorum quae ad paroeciam pertinere debet, ab Ordinario determinatur. Cetera bona ad communia opera destinantur. Nn. 32-33.

N. 40. Articulus est nimis verbosus neque clarus. In una quaestione tam

gravi sensus clare et distincte exprimendus est. Postea verba « vel in infima conditione sunt constituta vel omni cultura ac debita efformatione carent » possunt esse offensiva pro multis episcopis. Ideoque haec verba vel supprimuntur vel corriguntur.

29

EXC.MUS P. D. NICOLAUS MARGIOTTA

Archiepiscopus Brundusinus

Cap. I, n. 8. Perché i sacerdoti del clero diocesano non debbono essere definiti e classificati in uno stato di perfezione? A questo scopo: 1) andrebbe sottolineato opportunamente e reso magari più operante il vincolo comunitario « cum episcopo »; 2) andrebbe dato giusto risalto teorico e pratico ai voti di obbedienza e di povertà, alla pari del voto di castità.

30

EXC.MUS P. D. IOANNES CAROLUS McQUAID

Archiepiscopus Dublinensis

In cap. II, 15, n. 20 asseritur: docendi munus potissimum sane est censendum in sacerdotali ministerio. Attamen in prooemio, par. 1, nulla fit mentio de docendi munere, quamquam Pontificale Romanum munera enumerando praedicationem profert.

In cap. II, 19. Quo uberius in memoriam revocetur theologiae dogmaticae scientia, convenit ut non solum de re morali et liturgica sed etiam de dogmatica tractetur in conferentiis a iure praescriptis.

In cap. II, 33, *c*). Cum in re dubia et valde odiosa versemus, lenius et exinde magis efficax mihi videtur consilium ut in textu substituendo proponitur.

In cap. II, 33. Concordia fiat ab episcopis uniuscuiusque patriae de tali massa communi bonorum cum legibus civilibus patriae peculiaribus.

31

EXC.MUS P. D. FREDERICUS MELENDRO

Archiepiscopus Nganchimensis

Pag. 8, n. 6, lin. 10: dicit: « *a*) oratio mentalis, cui peragendae quotidie congruum tempus reservandum est »... Additio proponitur: *a*) oratio mentalis, cui peragendae, quotidie *tempus per viginti saltem momenta, sub peccato veniali,* impendendum est, ... *Ratio*: etsi mentalis oratio saepe saepius fuerit a Summis Pontificibus enixe commendata atque in Codice Iuris Canonici praescripta; maior tamen sacerdotum saecularium pars (ut videtur), quotidianum tempus ei tribuunt nullum; non sine magno ipsorum et fidelium detrimento.

Pag. 8, n. 6, lin. 13: additio proponitur: *Cultus erga Iesu Sacratissimum Cor. Unio Apostolica sacerdotum saecularium a Sacratissimo Corde Iesu. Ra-*

tio: *a*) SS. Iesu cultus efficacissimum est medium, ut clerici Christi vitam, quae in dilectione et reparatione est reponenda, continuo imitentur et degant. *b*) Sacerdos, qui « Diarium Regularitatis Unionis Apostolicae Sacerdotalis » ad Directorem Spiritualem singulis mensibus mittat, ad magnum perfectionis sacerdotalis gradum ascendet. PIUS XI, Encycl. *Miserentissimus Redemptor*: *A.A.S.*, 20 (1928); PIUS XII, Encycl. *Haurietis Aquas*: *A.A.S.*, 48 (1956).

Pag. 8, n. 6, lin. 16: dicit: « Quotidiana conscientiae discussio ». Additio: *saltem vespere per decem temporis momenta, examine particulari de aliqua virtute, vel defectu, iuxta methodum S. Ignatii de Loyola, incluso. Ratio*: particulare examen medium est aptissimum tam ad vitia exstirpanda quam ad virtutes acquirendas.

Pag. 8, n. 6, lin. 17: dicit: « ... frequens peccatorum confessio... ». Verba addenda: *hebdomadaria, ubi facile fieri queat.*

Pag. 8, n. 6, lin. 20: dicit: « *f*) exercitia spiritualia... exemptio ». Additio: *Commendatur methodus Exercitiorum Spiritualium S. Ignatii de Loyola. Ratio*: « Admirabilis ille Exercitiorum liber eminuit et claruit tanquam sapientissimus atque omnino universalis normarum codex ad animas in viam salutis ac perfectionis dirigendas, tanquam inexhaustus spectatissimae aeque ac solidissimae pietatis fons, tanquam acerrimus stimulus beneque peritus praemonstrator ad morum emendationem procurandam vitaeque spiritualis culmen attingendum ». PIUS XI, Litt. Encycl. *Mens Nostra,* anno 1929; PIUS XII, Litt. Encycl. *Mediator Dei*: *A.A.S.*, 39 (1947), pp. 585, 586.

32

EXC.MUS P. D. IACOBUS EUGENIUS LUDOVICUS MÉNAGER
Episcopus Meldensis

Cap. I: *de vitae sacerdotalis perfectione.*

A) *In genere.* Perfectio vitae sacerdotalis hic proposita valde « individualistica » mihi videtur.

Nam, perfectio christiana in Ecclesia et per Ecclesiam tantum attingi potest. Est ergo perfectio *membrorum Corporis Christi,* quia in Ecclesia tantum, Christum invenire possumus, et per ipsum, cum ipso et in ipso ad Patrem pervenire.

Vita spiritualis est ergo *communio* cum capite Christo et cum fratribus christianis in fide spe et caritate.

Atqui *neque haec communio* in Ecclesia, neque *haec vita* « *theologalis* » satis clare proponuntur ut principium fundamentale perfectionis christianae et sacerdotalis.

Sane pag. 6, linn. 18-20, aliquid dicitur de sacerdotibus in Corpore Christi, sed conclusio (linn. 21-25) ad sacerdotem « hominem Dei » refertur et sic ad conceptum quasi mere « individualisticum » revertimus.

Postea, in paginis sequentibus, nihil dicitur de sacerdote ut membrum Ecclesiae et minister et apostolus in Ecclesia cum episcopo suo et fratribus suis sacerdotibus.

Cum S. Synodus « de Ecclesia » fusius tractet et quidem « de episcopis et de presbyteris cooperatoribus suis », mirari licet quod in hoc schemate nihil de hac doctrina fundamentali clare appareat.

B) *In particulari.* Pag. 6, lin. 13. Sacerdos dicitur « instrumentum Christi ». Verum est *in actu sacramentali stricte sumpto* (e. g. in consecratione) et S. Thomas ita dixit. Sed, etiam in hoc actu sacramentali, sacerdos non est mere instrumentum mechanicum (quod verbum « instrumentum » facile et quasi de se evocat), sed instrumentum humanum et liberum qui habere debet intentionem liberam facere quod facit Ecclesia.

Insuper, in actibus ministerii non sacramentalibus, sacerdos non est instrumentum, nisi sensu late sumpto et analogico, quia ex sese agit (e. g. loquendo et praedicando) etsi doctrinam Christi exponat, et in nomine Ecclesiae et Christi praedicet.

Propterea, mallem distinctionem quamdam invenire in hoc textu, vel saltem verbum generalius et magis biblicum sc. « minister Christi efficitur ».

Pag. 7, lin. 16. Caritas erga sacerdotes lapsos non est distinguenda a caritate fraterna erga alios sacerdotes. Sic mallem litteram C) supprimere et in una paragrapho de omni materia tractare.

Aliunde, non omnes sacerdotes lapsi sunt poenis ecclesiasticis innodati, sed omnes debemus adiuvare et diligere.

Nihil hic affert mentio poenarum ecclesiasticarum, et mallem expressionem « sacerdotes lapsi » uti, supprimendo verba « poenis ecclesiasticis innodatos ».

Tandem, haec fraterna dilectio erga sacerdotes lapsos non est *peculiare medium* perfectionis! et sic non clare video rationem et ordinem harum paragraphorum pag. 7, 8, 9, sub nn. 4, 5, 6, 12 ubi pluries exercitium fraternae caritatis proponitur. Ita fit repetitio sine claro progressu in ideis expressis (fortasse quia post rationem logicam ad rationem quasi temporalem e progressu vitae sacerdotalis dimanantem transitur quae ducit nos usque ad mortem!).

Melius esset, ut mihi videtur, totam hanc materiam in logicum ordinem reducere: de exigentia sanctitatis in vita sacerdotali; de natura propria huius perfectionis; de actibus vitae sacerdotalis et de fide, spe et caritate (vita theologali) in eis exercendis; de mediis subsidiaribus adhibendis; de casibus particularibus (si necessarium videtur).

Pag. 7, lin. 30 *g*). Hic agitur de « virtutibus naturalibus » (urbanitas, vestium decor). Sed hae virtutes non sunt « munera omnino propria sacerdotii » sicut dicitur in lin. 3. Aliunde haec ornamenta naturalia corporis et animae, si multum ad ministerium sacerdotis conferunt, nihil tamen ad sanctitatem internam de qua hic agitur. Saltem clarius distinguenda sunt!

Pag. 8, linn. 10-20. Nihil dicitur de *devotione* erga SS. Eucharistiam (S. Missa et gratiarum actio post eam. Visitatio SS.mi Sacramenti) cum essentiale et necessarium sit sacerdotibus. Sane aliquid dicitur de Sacrificio Missae in pag. 7, lin. 5, sed non sufficit.

Pag. 8, linn. 27-33. Paupertas et alia evangelica consilia *ad imitationem Christi ex caritate* adhibenda sunt, non tantum ob solutionem animae ab impedimentis bonorum temporalium (quod philosophi pagani iam invenerant). Insuper non intelligo quare paupertas et castitas hic nominentur at non oboedientia?

Sane de oboedienita aliquomodo agitur pag. 7, lin. 11, et pag. 9, linn. 16-20 (licet verbum « proponantur » lin. 20 mihi appareat lenius: aliquando superior non proponit sed mandat et imperat). Nonne melius omnia « de oboedientia » in unum componere?

Pag. 9, linn. 28-34. Haec utilia sunt sed de usu bonorum agitur. Nonne pos-

sibile esset de his tractare cum de « paupertate » agitur ut in una paragrapho omnia redigantur quae de bonis temporalibus *propriis* dicenda sint (cum de bonis temporalibus Ecclesiae agatur in cap. 3, pag. 18).

Cap. II: pag. 15, lin. 13. Instituta pastoralia valde utilia sunt sed vellem addere ut materiam necessariam studiorum: « de apostolatu laicorum ».

Cap. III: pag. 20, lin. 32. Hic textus odiosus mihi videtur et mallem approbare textum propositum in nota pag. 21 *c*). Attamen expungerem quatuor ultimas lineas quia haec argumenta etsi vera, *in hoc loco* mihi odiosa apparent et non « psychologica ».

Textus aliquis qui de *imitatione Christi* in spiritu *paupertatis* et *servitii Ecclesiae* tractaret, melior mihi esse videretur.

Pag. 25, linn. 5-15. Laici non sunt tantum cooperatores apostolatus Ecclesiae per orationem et eleemosynas sed ad verum *apostolatum activum* vocantur sicut S. Synodus dicit in schemate « de apostolatu laicorum ». De facto multi laici iam territoria longinqua petierunt ut Christum annuntient suo laicali modo cum approbatione episcoporum locorum et saepe ab eis expresse vocati. Necesse est igitur ut haec cooperatio laicorum expressis verbis ibi laudetur.

33

BEAT.MUS P. D. PAULUS PETRUS MEOUCHI

Patriarcha Antiochenus Maronitarum

Le schéma *de clericis,* me semble, dans les trois chapitres et l'exhortation finale qui le composent, assez complet. Je noterais ici les points qui me paraissent dignes d'intérêt.

1. *Considérations générales*: Voici ces points: *a*) Contacts à maintenir avec les prêtres qui sont frappés de peines ecclésiastiques, qui ont perdu la foi ou qui se sont séparés de l'unité de l'Eglise, pour les consoler et les ramener (p. 7, par. 4, *e*).

b) Insistance sur les bienséances chez le prêtre et sur son port extérieur (p. 7, par. 4, *g*).

c) Eloignement nécessaire de tout cléricalisme. Le prêtre est serviteur (p. 8, lignes 1-7).

d) Organisation de la vie spirituelle du prêtre: oraison mentale à ne pas remplacer par les oraisons jaculatoires, lecture spirituelle, dévotion mariale, examen de conscience, récollection mensuelle, retraite annuelle (p. 8, par. 6).

e) Nécessité de former des communautés de prêtres, pour éviter les dangers de la solitude (p. 8, par. 7).

f) Obéissance aux Supérieurs pour les changements de fonctions en vue du bien commun ou du bien personnel du prêtre lui-même (p. 9, par. 11).

g) Les prêtres malades et ne pouvant pas quitter la maison peuvent profiter de l'indult de célébrer la sainte Messe chez eux, et d'autres indults (p. 9, par. 12).

h) Le prêtre doit faire son testament assez tôt, pendant qu'il est encore

en santé, soit en faveur des Séminaires, soit en faveur des Missions, soit en faveur des pauvres, et cela suivant les lois de son pays (p. 9, par. 13).

i) Le prêtre doit continuer à acquérir la science sacrée dont il se nourrit et qu'il dispense (p. 12, lignes 20-25); il doit adapter sa parole au milieu psychologique et social (p. 12, lignes 26-30); il doit, en plus de la science sacrée, acquérir une culture générale et une information des progrès de la science profane (p. 13, lignes 1-8) et des problèmes qui intéressent les hommes d'aujourd'hui (p. 14, par. 20).

j) L'étude est appelée « devoir d'état ». Elle doit occuper la première place après la prière (p. 13, par. 16).

k) Insistance très forte sur la formation pastorale du prêtre: par des cours de pastorale et des sciences qu'elle suppose (p. 14, par. 21, *a* et *b*), par des cours nationaux ou régionaux, où chaque prêtre pourra communiquer son expérience (p. 15, lignes 1-5), par la fréquentation des Instituts de pastorale (p. 15, par. 23), en fréquentant des bibliothèques spécialisées en pastorale (p. 15, par. 24).

l) Le clergé doit se servir des biens ecclésiastiques ou des biens qui lui viennent d'un travail proprement sacré pour se donner une honnête subsistance, aider les œuvres de charité et surtout les pauvres et organiser le culte divin (p. 18, par. 28), non pour faire du commerce ou enrichir ses parents (*ib.*).

m) Les évêques ont le devoir sacré d'organiser les biens, de payer, d'une manière décente et égale, leurs prêtres; de veiller à la justice dans ce partage des biens, tout en considérant les fonctions de leurs prêtres; de réserver une pension honorable aux prêtres qui ont quitté leur charge, après un certain temps de service (p. 19, par. 30).

n) Les évêques doivent veiller à aider les prêtres vieux et malades, et à soumettre tous leurs prêtres à une visite médicale annuelle (p. 19, par. 31).

o) La création d'une caisse diocésaine pour pouvoir subvenir à toutes ces dépenses (p. 20, par. 32).

p) L'application de la doctrine sociale de l'Eglise à ceux qui travaillent au service de l'Eglise (les laïcs); juste salaire, assurances sociales et assistance médicale (p. 22, par. 36, lignes 15-21).

q) Apprendre dans les Séminaires la technique de l'administration des biens: établir des manuels pour cela (p. 22, par. 37).

r) Admettre les laïcs dans l'administration des biens, pour libérer les prêtres dans leur travail spirituel (p. 22, par. 38).

s) La Commission de révision du Droit canonique aura à revoir les règles qui commandent l'incardination et l'excardination et de les adapter à nos circonstances présentes, tout en respectant l'ancienne loi (p. 25, par. 43).

2. *Considérations particulières*: *a*) Je me demande s'il ne faudrait pas, des deux schémas « de Clericis » et « de sacrorum alumnis formandis », en faire un seul. Cela ferait éviter bien des répétitions, surtout pour ce qui est de la formation spirituelle et intellectuelle.

b) Déjà dans le présent schéma il y a des répétitions: p. 7, par. 4, *a*, reprend p. 6, lignes 33-36. De même, p. 14, par. 19 reprend p. 12, lignes 31-34, etc.

c) Il faudrait établir une Constitution juridique des Communautés de prêtres dont on parle dans le présent schéma.

d) Il me semble qu'il n'est pas permis de prélever, pour la caisse diocésaine,

sur l'argent que le prêtre gagne par son activité extrasacerdotale (astronomie, archéologie, physique atomique etc.), comme, d'ailleurs, le note la remarque au bas de la page 20.

Dans ce domaine, il faudrait, me semble-t-il, recourir à la persuasion et au sens de la charité du prêtre.

C'est pourquoi je remplacerais volontiers le texte *c*) de la page 20, par le texte *c*) du bas de la page 21, sans, pour autant, insister trop sur les malédictions du Seigneur contre les riches ou sur les avertissements de S. Jacques.

e) Le présent schéma insiste sur la part active des laïcs, membres du Corps mystique, dans l'administration des biens ecclésiastiques. Ne faudrait-il pas alors, au cas où l'institution serait possible, revenir au diaconat, tel qu'il existait dans l'ancienne Eglise?

f) A propos de la chasteté sacerdotale, le présent schéma dit, p. 8, par. 8, lignes 30-33, qu'elle sera pratiquée suivant les traditions et les prescriptions du rite auquel appartient chaque prêtre.

En disant cela, on sanctionne le passé, on n'ouvre pas une fenêtre sur l'avenir.

La pénurie de plus en plus évidente de prêtres, partout et surtout dans certaines régions d'Europe, d'Amérique latine et des Missions, ne devrait-elle pas amener le Concile à réfléchir davantage sur les traditions des Eglises Orientales, concernant la liberté qu'a tout prêtre de se marier: ces traditions qui ont rendu et rendent constamment de signalés services à l'apostolat dans les Pays d'Orient.

g) Tout en louant le net effort des auteurs de ce schéma de donner un contexte religieux aux différentes prescriptions qui y sont contenues, il me semble qu'un effort plus grand devrait être fait encore pour que ce contexte soit plus scripturaire et plus patristique.

34

Exc.mus P. D. ALFREDUS OBVIAR Y ARANDA
Episcopus tit. Linoensis, adm. ap. Lucenensis

Cap. I: *de vitae sacerdotalis perfectione.* N. 6: subsidia ad sanctificationem adhibenda.

Ipse episcopus, si fieri potest, recollectionem menstruam dirigat propter rationes sequentes: *a*) intimus contactus episcopum inter et clerum fovetur; *b*) in sermone episcopi auctoritas et fortitudo insunt.

Quantum fieri potest, sacerdotes tempore a paroecialibus ministeriis libero adorationem Sanctissimi Sacramenti per unam horam semel in hebdomada faciant.

Cap. II: *de studio et scientia pastorali.* N. 21: cursus pastorales.

Sacerdotes addiscant actiones pastorales non modo a studiis theologiae pastoralis in seminario, sed etiam ab experientia ipsius Ordinarii loci. Optandum est ergo, ut Ordinarius loci per seipsum ex experientia propria de actione pastorali doceat occasione recollectionum spiritualium.

35

EXC.MUS P. D. RENATUS PAILLOUX
Episcopus Arcis Rosebery

De Ecclesia pauperum vel de spiritu paupertatis in Ecclesia Christi.

Multa iam dicta sunt ab eminentioribus Patribus circa necessitatem alicuius reformationis, qua Ecclesia Christi tamquam Ecclesia pauperum oculis omnium hominum melius apparere posset.

In praxi autem, haec quaestio non facile solvitur, quia praxis paupertatis non eodem modo in variis terrae partibus concipitur, et quod, verbi gratia, in Gallia pro ecclesiasticis viris tanquam luxus generatim aestimatur, in America tamquam miserum haberi potest.

Utinam, ergo, episcopi et sacerdotes, et ii omnes qui in servitio Ecclesiae mancipentur, saltem profundum spiritum paupertatis in tota sua vita colere satagerent. Si omnes id facere studuerint, scandalum valde minueretur, et homines qui in mundo sunt melius intelligerent Ecclesiam Christi non esse potestatem divitiarum, ut permulti hodie eam sic esse sentiunt.

In multorum hominum mentibus hoc scandalum adesse nemo est qui non sciat. Etenim, inter numerosas causas, quae hac nostra aetate populos haud paucos ab Ecclesia deterrere solent, divitiae et externae possessiones, quibus Ecclesia pollere videtur, sine ullo dubio, praecipuum impedimentum praebent.

In illis orbis partibus, in quibus Ecclesia a saeculis iam fundata est, quotidie audiri potest Ecclesiam partem cum illis divitibus habere quorum potentes consociationes, quas dicunt « Trusts », universum commercium ad suam ipsam utilitatem dirigunt.

Immo, et etiam in illis orbis regionibus, quae maxima paupertate adhuc laborant — scil. in Africa, in Asia et aliunde — et in quibus Ecclesia tam longe a divitiis abest, nihilominus non raro Ecclesia uti dives et divitiarum amatrix a nonnullis habetur. Ex experientia dico, in missionalibus regionibus, id permultos fideles detrahit ut opes ad Ecclesiam sustentandam praebeant.

Ubique terrarum, Ecclesia uti consociata cum pecuniariis potestatibus ita ab inimicis Dei repraesentatur ut pauperibus, operariis, et illi ingenti parti generis humani nunc emergentis quam « Tiers-Monde » dicunt, magnum scandalum praebeat.

Maxime ergo necessarium opportunumque videtur ut Ecclesia ipsa occasiones removere intendat e quibus istum scandalum (etsi, forsan, pusillorum) oritur.

Quaeritur ergo num impossibile sit ut episcopi, sacerdotes, clerici, religiosi et religiosae, et illi omnes qui Ecclesiae serviuntur, talem vivendi modum sumant, qui, ab omni superfluo luxu remotus, solas vitae necessitates provideat. Longe enim sumus ab apostolo Paulo, qui labore manuum et arte quam ducebat ea quae ad suum victum necessaria erant colligere gloriabatur. Fortasse, decurrentibus saeculis, calamitas fuit quod ministri Ecclesiae sese in specialem classem socialem constituerunt, seipsis certam vivendi normam donantes, quae longe a minus privilegiatis hominibus differt, et sic forsan inter se et laboriosam classem altam fossam foderunt.

Hic agitur de domibus, de his qui clero inserviunt, de supellectili, de cibis et

prandiis, de modis iter faciendi, de titulis quibus appellari solent et qui certe simpliciores fieri possent, necnon de vestibus — etiam liturgicis — quibus adornantur, de vacationibus, et quidem de multis aliis.

Certe, ad maiorem simplicitatem redire necesse est si ab hominibus huius nostrae aetatis, praesertim pauperioribus, tamquam ministri Christi recipi volumus. Hic verba meminisse iuvat quibus Pontifex Maximus Ioannes XXIII, diversis occasionibus, hac de re ad Ecclesiam sermonem habuit.

Hanc quaestionem nomine meo proprio propono, sed certe scio multos alios Patres conciliares illam in mentibus habere. Ad hanc solvendam, quaenam media adhiberi debeant non scio. *Num possibile sit officium commissioni « de clericis » tradere ut aliquam huic problemati solutionem inveniat, occasione cap. I, viz. de vitae sacerdotalis perfectione, necnon cap. III, viz. de recto usu bonorum.*

Nn. 4 et 6, in quibus sermo est: a) *de sacerdotis sanctitate,* quae proprii muneris adimpletione alitur atque augetur; b) *de (traditionalibus) subsidiis ad sanctificationem adhibendis.*

1. Longe sit a nobis quidquam retrahere vel ullo modo repellere de traditionalibus subsidiis ad sacerdotalem sanctificationem adhibendis, quae n. 6 enumerantur.

E contrario, his insistere oportet, sacerdotes omnes cuiusque gradus adhortantes ut, quam fieri potest, in iis subsidiis adhibendis fideles se praestent.

Attamen, ad id obtinendum, maxime utilis apparet illa recta et psychologica alumnorum in seminariis institutio, quae, in schemate *de sacrorum alumnis formandis,* n. 11, pag. 9, linn. 14-21, optime describitur, scil. « *ipsa animi interna dispositio* » qua sacerdotes iis subsidiis utendis fideles se gerant, *ex intima persuasione, propter conscientiam et propter supernaturales rationes, libertate sapienter uti addiscant* et semper *actionum officiorumque suorum conscientiam* teneant.

Experientia enim constat quam difficile sit, in medio apostolicae actuositatis, exercitia spiritualia retinere, si illa intima persuasio de eorum necessitate deest et intimus amor Dei non alitur.

Quapropter valde optandum est ut sacrorum alumni, aptis mediis, ad personalem aestimationem exercitiorum spiritualium gradatim praeparentur, ita ut, etiamsi cum soli sint, ea adimplere sciant.

2. Attamen, nemo est qui dubitat quin sacerdotes, qui, nostra aetate, multiplicibus formis ministerii pastoralis addicti sunt, non raro in gravi dilemmate sese inveniant circa modum quo duae illae exigentiae — tum operis apostolici performandi, cum exercitiorum spiritualium faciendorum — semper conciliari possint.

Nobis utique videtur quod maximum periculum pro illis sacerdotibus in eo consistit quod duae illae exigentiae tantummodo tamquam juxtapositae, seu parallelae, existimantur. Sicque fit ut nonnullorum sacerdotum vitae spiritualis unitas disrumpatur, et oppositio, in eorum mentibus, inter opera ministerii et pia exercitia oriatur.

Necesse est ut sacerdotes nostrae aetatis vitam Christi semper prae oculis mentis habeant. Christus enim, Summus Sacerdos, « bene omnia fecit », sive dum preces in solitudine fundebat, sive dum turbis praedicabat vel infirmos ad sanitatem reducebat. Dum haec omnia agebat, Christus intimam cum Patre suo unionem nunquam amittebat. Utinam sacerdotes nostrae aetatis hanc cum Deo unio-

nem in medio ministerii pastoralis haberent, et unitas eorum vitae spiritualis hoc modo restauraretur, nempe in constanti unione cum Christo agente, semperque sanctificante. Sed nobis videtur quod talis habitudo mentis solummodo efformari potest si, durantibus studiis, Sacrorum alumni, certis temporibus, et sub moderamine magistrorum, ad aliqua pastoralia opera applicari possint.

3. Dum recte insistendum sit circa necessitatem subsidia ad sanctitatem adhibendi, attamen non inopportunum est ut Sacrorum alumni, necnon ipsi sacerdotes, se ipsis rectam conscientiam efforment, et, absque nimia scrupulositate, in certis circumstantiis — nempe quando ministerium pastorale extraordinarium adimplere debent — sua exercitia spiritualia aliquo modo, tuta conscientia, minuere sciant. In hac materia, munus est Seminarii praepositis ut rectitudinem conscientiae in alumnis aptis quidem modis efformare conentur.

Ad n. 8, pag. 8, linn. 31-33: *de caelibatu clericali.*

1. Utinam gloriosa lex sacerdotalis caelibatus, quae in Ecclesia latina viget, nullo modo in quaestionem adduci posset.

Certe illam praestantissimam legem retinere et in memoriam revocare oportet, quia, dum magnopere gloriae Dei et Ecclesiae inservit, ad efficaciam pastoralis ministerii procurandam necessaria est.

Quare, ut in emendationibus a tredecim episcopis ex Africa Centro-Orientali propositis iam dictum est, ad castitatem quod attinet, valde iuvaret si haec paragraphus ita extenderetur ut, attentis conditionibus necnon tentationibus hodiernis, in quibus clerici et sacerdotes quotidie versantur, aliquas claras et practicas regulas exhiberet.

Similiter, hac in re, multum adiumentum sacerdotibus hodiernis praeberetur, si clerici et sacerdotes illam intimam, personalem et quasi individualisticam, necnon asceticam, spiritualitatem acquirerent, quae, in propriis ac personalibus convictionibus et germano Dei amore fundata, occurrentibus hodiernae vitae acerrimis tentationibus, illos ad castitatem fovendam et conservandam adiuvaret.

2. Sed quae sequuntur humiliter, et quasi diffidenter, proponere audemus.

a) Nonne — circa legem ecclesiasticam clericalis caelibatus — Mater Ecclesia decernere posset ut *illi miserrimi sacerdotes, qui a via sacerdotalis caelibatus graviter deviaverunt* et matrimonium invalidum contraxerunt, ac, pro certis rationibus, hanc vitam coniugalem relinquere nequeunt, cum ad statum laicalem reducti fuerint, ad matrimonium suum convalidandum in facie Ecclesiae possent, nonobstante can. 213, par. 2?

b) Immo, nonne *in particularibus regionibus,* ubi ritus latinus viget, accurate perpensis localibus circumstantiis et specialibus difficultatibus ad continentiam pertinentibus, dum ex una parte caelibatus clericalis generaliter servaretur et enixe commendaretur, ex altera tamen *dispensationes, saltem ante sacram ordinationem,* in quibusdam gravibus adiunctis de licentia Sanctae Sedis, *concedi possent?*

3. Salvo Ecclesiae iudicio, haec dicere ausi sumus, ac si legem clericalis caelibatus nos ipsi abrogare voluerimus, quod a nobis absit.

Si haec diximus, ratio est quod non tam raro scandala fiunt, quae multum detrimentum Ecclesiae Christi afferunt, et quia de miserrima spirituali conditione eorum sacerdotum, qui a recta via erraverunt, non possumus dolore et sollicitudine pastorali non affici. Insuper haec scandala et sacerdotum defectiones quasi

permanenti detrimento Ecclesiae Dei et pastorali ministerio sunt, quia, secundum praesentes legis canonicae dispositiones, insolubile obstaculum constituunt. Damnum enim magnum est, et ideo melius videtur id aperta mente spectare, si forte aliqua solutio inveniri possit.

Itaque multum iuvaret si commissio « de clericis » vel « de disciplina cleri » de hoc problemate disputationem haberet.

4. Quod ad propositam novam legislationem circa *uxoratos diaconos* attinet haec sequentia dubia proponuntur:

a) Num diaconus, qui ante ordinationem matrimonium non contraxerit, post ordinationem matrimonium inire queat.

b) Num regula in aliis ritibus existens, qua diaconus matrimonio coniunctus et postea valide ordinatus a secundis nuptiis post ordinationem prohibetur, etiam in nova proposita legislatione vigere intendatur. Ratio huius dubii est quod, si de missionalibus regionibus agatur, talis prohibitio difficultates non paucas aliquamdiu afferre posset.

Cap. III: *de recto usu bonorum, et de distributione cleri, cum speciali respectu ad missiones.*

Aliqua de missionibus dicere velim. Iam enim, cum in schemate *de Ecclesia,* cap. I, n. 10 tractaremus, plures Patres recte proposuerunt ut aliqua hoc loco de missionibus diceretur. Haec repeti possunt occasione n. 17, cap. II, linn. 28 ss., et in schemate *de clericis* locum invenire possunt.

Nulli eorum, qui activam missionariam partem in Ecclesia agunt, dubio esse potest quin necessarium sit, non aliqua tantum, sed multa, hac de difficili quaestione dicere. Haec enim quaestio multos particulares aspectus amplectitur, qui usque nunc non ab omnibus catholicis recte intelliguntur. Tempus est ut omnes catholici responsabilitatem habere se sentiant erga missiones et dispositiones practicas inveniant quibus suum grave solidaritatis officium adimplere possint.

Primo loco agatur *de mediis materialibus*. Missionales regiones vel tantummodo (et quidem inter maximas difficultates) emergere incipiunt, vel ad emergendum non iam paratae sunt. Omnes, suo quoque ordine et gradu, ad eam categoriam pertinent quae "under-developed" nationes complectitur.

In ordine sociali et oeconomico, in ordine educativo, in ordine medicali, in ordine etiam recreativo, omnia vel simpliciter incipienda sunt, vel gradatim adaugenda. In his omnibus, Ecclesiae missionales non parvam partem adimplere debent, quin sermonem habeamus de catechesi instauranda et protractanda, de cultu instaurando, de ecclesiis aedificandis, de pauperibus sublevandis et quibuscumque similibus.

Ad haec omnia adimplenda, pecuniae necessariae sunt, et quidem in mensura quae, progredientibus annis, maius ac maius incrementum postulat. Multa — et quidem optima — iam dicta fuerunt in hac aula circa necessitatem pro episcopis et fidelibus totius Ecclesiae curam gerendi ut novae hae Ecclesiae missionales media materialia habeant suum officium adimplendi. Sed, proh dolor, donationes quae ex toto orbe ad Opera Pontificia Missionalia, quamquam generosae et cum gratitudine receptae, valde insufficientes sunt, et tempus forsitan non longe est a nobis quando missiones se in absoluta impossibilitate invenient officium suum missionale protrahendi, quod reapse non suum tantum, sed totius Ecclesiae, solidaritatis causa, officium est.

Nos — sacerdotes, religiosi et religiosae, in missionalibus regionibus, nomine et loco Ecclesiae Universalis operantes, nullo modo paupertatem et vitae asperitates timemus quae nobis personaliter accidere possunt. Hae sunt enim quae « corde magno et animo volenti » ad maiorem Dei gloriam et mundi salutem elegimus. Sed multa afflictione spirituali premimur, videntes fideles permultos, qui divitiis tam materialibus quam spiritualibus affluunt, spiritu solidaritatis christianae non sufficienter affici et caritatem catholicam universalem ad opus missionarium universale perficiendum inaequalem esse.

Ut apte dictum est a Congolensibus episcopis, systema allocationum revisione indiget ita ut distributio secundum rationem necessitatum cuiusque missionalis dioecesis fiat. Finis ponenda est istae anomaliae qua episcopi missionales, suas dioecesis relinquentes, partes Europae vel Americae, longis itineribus, adire debent ut pro suis ecclesiarum necessitatibus mendicent. In re missionaria, lex iustae distributionis et solidaritatis urgenter postulat ut divites sponte pauperibus ea quae ad sustentationem Ecclesiae necessaria sunt tribuant, non ut pauperes semper ad mendicandum redigantur.

Secundo loco ad *Evangelii praecones* veniamus oportet. Nonnumquam auribus auditur et in libris et ephemeridibus legitur sacerdotes et alios Ecclesiae cooperatores deesse in regionibus ubi christianitas antiquitus fundata est. Longe sit a nobis hoc in dubium revocare. Sed, si sensum solidaritatis erga totam Ecclesiam realiter habemus, nonne non videre possumus Evangelii praecones in missionalibus regionibus multo magis deesse, ratione amplitudinis territoriorum, et ea potissimum ratione quod, propter insufficientem numerum devotorum laicorum, nonnulli sacerdotes et religiosi multa officia adimplere tenentur quae ad ministerium apostolicum non stricte pertinent.

Summi Pontifices — et praesertim Pius XII — sacerdotes regionum christianarum invitaverunt ut ad ministerium in missionalibus regionibus pro certo tempore se offerant. Et certe missionales dioeceses quae hoc beneficio potitae sunt permultam gratitudinem habent. Sed, si statisticae in lucem protraherentur, forsitan appareret « Fidei Donum » sacerdotes non tam multos fuisse, vel saltem eorum numerum non aequaliter inter varias regiones missionales distributum fuisse. Evangelizatio totius mundi ad instar artis militaris conduci oportet. Parvus enim progressus expectandus est si omnes milites ad eumdem locum quasi totaliter diriguntur dum aliquae partes proelii quasi vacuae relinquuntur. E contrario, totalis ruina consequi potest. Simili modo, valde laudandum est actionem intensam agere ut catholicae communitates consolidentur et ut lapsi catholici in sinum Ecclesiae revocentur. Sed id ita faciendum est ut, eodem tempore, nullum detrimentum directae evangelizationi non-christianorum afferatur.

Dum certe magnum bonum evenire possit ex temporali transitu ad missiones aliquorum sacerdotum vel cooperatorum ex regionibus christianis, nullum dubium est quin solutio totius problematis missionum invenienda sit in continuata praesentia in locis missionum sacerdotum et cooperatorum — sive indigenarum sive missionariorum — qui ad servitium missionum, non pro certo tempore tantum, sed pro tota vita, se dederint. Ex hoc duae quaestiones oriuntur. Prima, ut clerus localis et indigena diligenter formetur secundum methodos cum conditionibus regionum correspondentibus. Secunda, et non parvi momenti, ut vocationes proprie dictae missionales maxima cum cura in regionibus christianis foveantur.

Aliis verbis, Ecclesia, in quantum societas est universalis, obligationem habet organizationes ponere et conducere, ut seipsam, suasque opes, necnon suos sacerdotes et cooperatores, aequali saltem modo, impendatur et in catholicis communitatibus consolidandis et in non-christianis ad Evangelii lumen adducendis.

Diximus: « Aequali saltem modo... ». Quaestio nunc est utrum talis aequalis distributio de facto existat an non.

Speciatim ad nn. 32 et 33 schematis *de clericis*. Tredecim episcopi ex Africa Centro-Orientali in coetu coadunati nihil potuerunt hac de re aliquid dicere, quia, in dioecesibus missionalibus, nulla spes adest ut massa communis bonorum, hoc praesenti tempore, ullo modo constitui possit.

Quod ad pecunias pro missionibus colligendas et ad normam necessitatum distribuendas attinet, num possibile sit hoc officium, sub vigilantia Operis Pontificii Propagationis Fidei, ad peritos laicos, ex toto orbe coadunatos (etiam diaconos) tribuere. Tunc fas erit episcopis ministerio verbi et pastorali sollicitudini instantes esse, et Universalis Ecclesia tanquam realis Societas melius apparebit, in qua membra, etsi gradu dissimilia, omnia tamen mutuo deserviunt.

36

Exc.mus P. D. THOMAS LEO PARKER

Episcopus Northantoniensis

Page 20, n. 33 (*c*): Recommending substituting another text not so obligatory. I am inclined to agree with the criticism in the footnote.

Page 7, n. 4 (*d*): For « amore fratrum » read « amicali consortio confratrum ».

Page 8, n. 6 (*a*): Something should be inserted about Visits to the Blessed Sacrament, especially in the evening.

N. 6 (*f*): As there are little facilities for conducted Retreats for Clergy suggest that a private Retreat be made in alternate years.

37

Exc.mus P. D. IOANNES B. PRZYKLENK

Episcopus Ianuariensis

Vestigia *primae Romanae Synodi* quoad res ideasque multas passim percipiuntur, licet fons iste in notis non detegatur. Sancta Ioannis XXIII mors n. 14 quodammodo confirmare videtur. Menti pauca occurrunt dubia.

1. Ad n. 6, *f*) pag. 8. Exercitia spiritualia quotannis peragenda dicuntur, nisi expressa Ordinarii accesserit exemptio. Timeo, ne Ordinariorum positio difficilior reddatur, exemptionum numero crescente. Exercitiorum minor lege frequentia (cf. can. 126) maiorem re frequentiam tutam reddere videtur.

2. Ad animadvertendum *c*), pag. 21. Textus hic propositus magis placet, tamquam iustior et verior. Attamen demantur verba « gravi obligatione » quas reor ad rem haud pertinere, cum legislatores obligent quidem semper ad aliquid, sed raro gradum obligationis explicitis verbis tangant. Id ne fiat, nisi omnino sit

necessarium. Item totum incisum « et, aliunde, ipsis indesinenter... apostolici (cf. ... *Iac.* 5, 1-6) » omittatur, quippe quod in praedicationem optime cedat.

3. Ad n. 38, v. 33 ss., pag. 22: « ... laici qui... agnoscenda sit ». Si bene video et schema *de apostolatu laicorum* recte intellego, haec sola propositio quodammodo incidentalis quaestiones quae de laicis hodie agitantur, melius verbis figit et solvit, quam totum schema de apostolatu laicorum.

4. Ad n. 41 cum nota 3, pag. 25. Quae in nota 3 leguntur, oportet ut in schemate, ad instar monitorum, dicantur, cum notae longiores vix in decreto definitivo remaneant. Experientia in Brasilia olim et nunc paucis in episcopatu mensibus adquisita me pellit, petam, ut huiusmodi monita textum schematis ingrediantur. Utinam his maternis monitis ubique terrarum et imprimis in America Latina attenta et caritatis plena oboedientia deferatur.

38

EXC.MUS P. D. FRANCISCUS RENDEIRO

Episcopus Pharaonensis

Pag. 18, n. 28, et pag. 20, n. 33 *c*).

1. Ne dubitetis, venerabiles Patres, de iure Ecclesiae circa bona sacerdotis. Attendamus ad petram unde excisi sumus, attendamus ad Evangelium Iesu Christi, ubi clarissime indicantur conditiones sequelae Christi. Si volumus venire post Dominus, omnia relinquere debemus: patrem et matrem, agros et domos, denique et nosmetipsos abnegare debemus.

Sacerdotium est et esse debet perfecta consecratio ad dominicum servitium.

Faxit Deus ut Sacrosanctum Oecumenicum Concilium Vaticanum II omnes consequentias vocationis nostrae affirmare valeat.

2. Quoad n. 28, lin. 27, non sufficit affirmare non licere redditus officii ecclesiastici in propriae rei familiaris ampliationem impendere, neque ut exinde clerici ipsi suive propinqui locupletiores fiant.

Videtur omnino necessarium in mentem revocare quod bona ecclesiastica non destinantur ad sustentationem eorum qui altari non inserviunt, etiamsi familiares vel propinqui nostri sint.

3. Declaranda etiam videtur aliqua inhabilitas circa hanc materiam, ita ut:

a) clerici relinquere valeant, quibus maluerint, omnia bona ex naturali successione provenientia.

b) Sed inhabiles sint ut impendantur ad sustentationem aliorum, vel eis per successionem transmittantur bona acquisita sive ministerio clericali, sive etiam industria profana, post ingressum in clericatura.

Haec inhabilitas affirmanda videtur vel occasione Consiliorum Evangelii (cap. I, n. 8) vel de Testamento (cap. I, n. 13).

4. Alia inhabilitas etiam declaranda esset, nempe accipiendi haereditates ab iis quorum clericus curam habet animarum, salva tamen naturali successione. Est enim inconveniens quod, e. g., parochus possit res ordinare ut haereditates accipiat ovium suarum.

5. Ad n. 33, par. *c*) (pag. 20), textus substituendus est prout in *Animadvertendum* proponitur.

39

EXC.MUS P. D. INNOCENTIUS ALFREDUS RUSSO
Episcopus tit. Pegaeus

Lo schema mi piace, per la sua organicità, ripartizione e rispondenza all'apostolato di oggi, per le nuove esigenze dello stato attuale della società da convertire, da far ritornare, o da conservare, fedele e fervorosa, a Gesù Cristo. Il testo è, si può dire, il sommario delle secolari sollecitudini della Chiesa, fino agli ultimi Pontefici, per la santificazione del Clero (1 cap.: *de vitae sacerdotalis perfectione*); perché il Clero sia, per dottrina e zelo, all'altezza del suo compito nel mondo in cui vive ed opera (2 cap.: *de studio et scientia pastorali*); perché sagge norme e aggiornate, regolino l'uso dei beni (2 cap.: *de recto usu bonorum*); perché si provveda alla penuria del Clero in certe regioni o in certe diocesi, con la carità di sacerdoti provenienti dalle diocesi ove abbondano (*Exhortatio*: *de distributione cleri*).

Nel cap. I, al n. 4, noto con particolare assenso, quanto è detto alle lettere: *e*) circa la sollecita carità verso i confratelli erranti, mettendo a profitto l'amicizia, l'esortazione, l'aiuto; *f*) intorno allo zelo nell'amministrare i Sacramenti e la parola di Dio ai fedeli, e nell'adoperarsi per guadagnare a Gesù Salvatore gli ignoranti e gli avversari della Fede; *g*) intorno alle doti e i requisiti da acquistare, per rendere più proficuo il sacro ministero: « ... *cuius generis sunt comitas, simplicitas ac sinceritas in agendo, modestia ac serenitas vultus, personae ac vestium decor, gestus atque adspectus dignitas, urbanitas, aliaque huiusmodi* ».

Al cap. I, n. 7, dove si parla della *vita comune,* metterei nel testo, la nota 26, perché, a parer mio, il testo è assai breve e generico, mentre la nota ha tutto il tono di una disposizione canonica, e, poiché il tema è abbastanza vivo e in fase di varie esperienze, non vedo perché qui non si debba entrare più in merito, almeno con il saggio ammonimento che contiene.

Preziose le raccomandazioni pastorali sulla predicazione, o l'annunzio, del Vangelo al tempo nostro, contenute nel cap. II, agli articoli 15, 16, 17. Del resto, tutto il cap. II è assai ricco di proposte, suggerimenti, esortazioni per la santificazione e la cultura dei sacerdoti. Il n. 26 sintetizza tutto lo spirito di queste belle pagine: nei ritiri di Clero, ricordare, con zelo, la mirabile relazione *inter studium sacrum et vitae sanctitatem.*

Al cap. III, nel proemio, tanto efficace, la sentenza del Vangelo, di Gesù stesso, a proposito di non ordinato vivere circa l'uso dei beni temporali, da parte di chi *sibi thesaurizat, et non est in Deum dives* (*Lc.* 12, 21).

Circa la perplessità di parecchi della Commissione, intorno al testo della lettera *c*) del n. 33, al cap. III, dove si parla delle risorse per la massa comune *bonorum in singulis dioecesibus constituenda,* sono anche io nella stessa perplessità. Ridurrei, perciò, tutto (senza troppo specificare sui patrimoni, sui proventi, sulle eredità) ad una esortazione verso i sacerdoti che possiedono, di non essere da meno, nella generosità verso la diocesi, di tanti secolari che, con la loro carità, e spesso con esemplari sacrifici, sostengono le Vocazioni, le Missioni, le Opere caritative, l'Azione Cattolica.

Nella tutta bella, e opportuna, *Esortazione* sulla *distribuzione del Clero,* noto

con piacere, al n. 41, la raccomandazione ai sacerdoti di avere zelo anche per la diocesi non propria, ove occorra il loro ministero. Qui però, aggiungere, al testo, la nota, tanto preziosa, n. 3: *Sacerdotes tamen nunquam singuli mittantur* etc.

Così mi piace, al n. 43, il voto del Concilio, perché la Commissione per la revisione del Diritto Canonico si occupi delle norme sulla incardinazione e scardinazione, proprio per facilitare lo scambio dei sacerdoti.

40

Exc.mus P. D. CAROLUS EDUARDUS SABOIA BANDEIRA DE MELLO

Episcopus Palmensis

In cap. I retineri possunt nn. 1-5. A n. 6 et deinceps decreta canonica, instructiones, normae directivae, consilia inveniuntur. Non est, cur Concilium de re isto modo quidquam statuat. Ad Ius Canonicum et ad sacrorum alumnis formandis propositiones remittantur.

In cap. II idem. Usque ad n. 20 retineatur. De cursibus pastoralibus Ius canonicum et Instructiones tractent. Concilii tantummodo est, « rationes altissimas » statuere, ut dixit f. r. Papa Ioannes XXIII. Praeterea multa in his numeris continentur, quae non possunt ubique observari propter improbitatem condicionum in multis dioecesibus. Quomodo ergo Concilium leges tales generales, omnes obligantes, supremo suo caractere potestatis et regiminis decretare valet?

In cap. III. Idem dicendum et ex eisdem rationibus usque ad n. 29. Deinceps relinquatur Codici, institutioni seminaristarum, ordinationibus Antistitum in singulis dioecesibus, nationibus, regionibus.

41

Exc.mus P. D. ANTONIUS SANTIN

Archiepiscopus-episcopus Tergestinus et Iustinopolitanus

Loco n. 21 *b*). Expleto quinto sacerdotii anno omnes sacerdotes per sex menses studiis incumbent in aliqua domu vel in parte separata seminarii, vitam communem si necessario ducentes, sub ductu studiorum promotoris dioecesani. Conferentiae episcopales nationales rationem studiorum conficient atque seminarii magistri lectionum cursus secundum ordinem ab episcopis probatum habebunt. Durante hoc tempore moderate tantum et in quantum lectiones et studia patientur pastorale munus in cura animarum explebunt.

Ad n. 31: « Maxime curandum est ut omnes sacerdotes, in quantum fieri potest... semel saltem in anno medicae recognitioni sese subiiciant » non est res pro omnibus regionibus matura neque est materia Concilii.

42

EXC.MUS P. D. PAULUS LEO SEITZ

Episcopus Kontumensis

Ce schéma de Décret pèche quant au fond et quant à la forme: quant au fond: il lui manque l'essentiel: une constitution du Presbytérat sur laquelle il puisse s'appuyer, de laquelle il fasse des applications (cf. ce que nous en avons dit ailleurs). Il est impossible de faire un Décret sur le clergé sans se baser sur la sacramentalité de l'ordination qui donne, à un collège de ministres, part au souverain sacerdoce de l'Evêque; quant à la forme: aucune rigueur dans le vocabulaire essentiel, répétitions, maladresses, répétition de poncifs surannés.

Ce schéma ne s'inscrit pas dans la ligne du *de Ecclesia* et de l'intention générale du Concile. Il faut espérer qu'il sera rejeté en Assemblée conciliaire.

Remarques particulières. P. 5, titres: « De *clericis* », puis « vitae *sacerdotalis* », et en première ligne « *sacerdotii* munus » — de quoi s'agit-il? on ne peut pas dire que ce vocabulaire soit rigoureux; l'ambiguité demeurera tout le long (clercs en général ou prêtres seulement, réguliers ou séculiers...).

Tout ce prooemium est verbeux; une fois de plus, il faudrait que le prooemium (de tout schéma) rattache le sujet qui va être traité aux grandes lignes dogmatiques du *de Ecclesia,* afin de fonder, ordonnancer et centrer.

Lignes 28-30: pessimiste et négatif, « éviter le mal et se méfier du monde »... ce n'est pas du tout ce que nous attendons.

P. 6, § 2: mal formulé; les lignes 19 et 20 contiennent l'essentiel, devraient venir en tête et être développées.

P. 7, lignes 30 à 40 (notamment): cela se trouve déjà dans les ouvrages de M. Tronson. La suite n'apporte rien à la discipline en vigueur, ce n'est pas digne d'un décret conciliaire.

P. 8, § 7: vie commune: voilà un paragraphe à mettre en valeur, en rattachant l'exigence de vie commune à la nature du collège presbytéral.

§ 8: la « vita apostolica » avec la pratique des vertus évangéliques est de première importance dans la vie du clergé; il faut le dire avec plus de vigueur et de précision.

P. 8, § 9: indigent, à développer; envisager notamment des « écoles presbytérales » pour l'orientation et la formation lointaine des appelés possibles au sacerdoce.

P. 9, § 11: « adhaereat »: la conscience professionnelle et la compétence réclament que l'on s'attache de toute son âme à la mission qu'on doit remplir, non pas « en général », mais à telle réalisation précise; la vertu demande simplement qu'on soit prêt à le quitter par obéissance.

P. 12: prooemium: contient de bonnes choses diffuses mais présentées maladroitement.

Ligne 8: plutôt: « cum participes sint sacerdotii episcopatus quod est unum sacerdotium Christi ». Tout cela est à restructurer: la fin « omnia instaurare in Christo » réclame du prêtre science de Dieu d'abord, puis de tout ce qui est sorti de l'amour de Dieu: science de Dieu; autres sciences selon les dons que Dieu a départis.

P. 13, ligne 21: négatif et donc incomplet; plutôt: que le prêtre soit conscient que la science acquise au séminaire est un acquis de base, l'aidant notamment à exercer lucidement son jugement, en situant l'homme qui lui est confié par rapport au donné révélé. Sa situation de prêtre dans le ministère réclame de lui qu'il approfondisse tout ce qu'il avait acquis précédemment et admis comme allant de soi, qu'au delà de la formulation des manuels il repense le donné révélé en fonction de sa mission auprès de tels hommes.

P. 14, ligne 17: les sciences humaines sont présentées comme utiles au prêtre seulement pour « tenir conversation » — dérisoire! Plus encore que tout baptisé, le prêtre doit avoir la science de tout l'univers, tout connaître pour tout consacrer.

§ 21: une intuition heureuse qui demande à être développée. Notamment faire appel à tous les prêtres experts (en telle ou telle matière) pour aider les diocèses pauvres en compétences, car dans ce cas l'Evêque ne peut pas toujours tout faire tout seul. Cet appel pourrait émaner de la Conférence Episcopale qui organiserait des sessions.

P. 18: prooemium: pourquoi tous ces prooemia verbeux? il suffit de fonder en doctrine une fois pour toutes dans un schéma solidement structuré et, au début de chaque chapitre, de faire un court état de la question en la situant par rapport à cette structure.

§ 28: le texte proposé ne fait que réaffirmer une ancienne discipline. Donner d'abord aux prêtres une spiritualité évangélique des Béatitudes, et alors les « bona » ne posent plus de problème.

P. 19, § 30: semble contredire le § 29, si l'office est rétribué par les fidèles, pourquoi un fixe de l'évêché? et d'où viendront les revenus de celui-ci?

Cela c'est du nouveau certes, mais quel nouveau! Cette suggestion est inadmissible. Faire un clergé salarié c'est détruire l'esprit même de sa mission. Ici, au diocèse de Kontum, le clergé est pauvre, mais aucun prêtre n'est mort de faim, aucun n'est même dans l'indigence. Un clergé salarié devient fonctionnaire de l'évêché, avec l'esprit que cela comporterait. Le schéma prévoit même des traitements progressifs en raison de la dignité ou de l'ancienneté.

Intrusion de l'esprit du monde dans la structure de l'Eglise.

Il se peut que des vota d'Evêques aient été dans ce sens (peut-être inspirés par des revendications de clercs intéressés), mais il est urgent: *a*) de se rattacher solidement à la saine doctrine: le collège presbytéral est un plérôme de l'Evêque, *Père* de ses prêtres — le prêtre est un consacré au service de l'Eglise — plus que le reste du corps des baptisés, le corps presbytéral doit incarner l'esprit évangélique par la pratique (avec ou sans vœux) de la pauvreté, chasteté et obéissance — le clerc séculier ne doit pas être un religieux dégradé, ce serait une erreur de le séculariser davantage (à l'égal des professions profanes); il ne sortira de sa crise qu'en redevenant authentiquement religieux (au sens éthymologique, non au sens de « régulier », non par un office monastique mais per la tendance à l'état de perfection); *b*) de prier l'Esprit Saint avec confiance pour qu'Il inspire aux Pères conciliaires autre chose que cette solution catastrophique.

Il conviendrait mieux de chercher dans quelles conditions le prêtre séculier peut se livrer à un travail qui l'aide à vivre honnêtement sans être un parasite aux yeux d'une société pauvre ou peu croyante (cf. l'exemple de S. Paul).

P. 25, § 42: il est bon de faire appel au laïcat, surtout là où les prêtres

manquent (et aussi là où ils ne peuvent pénétrer tel milieu), mais il faudrait préciser leur situation: mission ordinaire de tout laïc appelé à l'apostolat de par son baptême, missio canonica lui ajoutant un certain pouvoir de suppléance, diaconat sacramentel?

§ 43: spécialisation et distribution du clergé séculier doivent précéder son incardination, le principe de celle-ci devant être maintenu avec une certaine rigueur pour les raisons que nous avons signalées ailleurs.

43

EXC.MUS P. D. LAURENTIUS IOSEPH SHEHAN

Archiepiscopus Baltimorensis

Hoc schema magna ex parte mihi placet. Attamen aliquas animadversiones velim exponere necnon emendationes proponere de cap. I, sc. *de vitae sacerdotalis perfectione*.

I. *Animadversiones*: *a*) Titulus huius capitis mihi melior videtur « de vita spirituali sacerdotum ». *Ratio emendationis*: ut evitetur controversia de natura perfectionis.

b) Doctrina de perfectione sacerdotali in hoc schematis capitulo quamquam graviter et secundum traditiones optimas elaboratur, mihi videtur illa carere unitate quae exspectaretur virtute conceptus centralis qui omnia particularia rexisset et apte disposuisset. Conceptus huius generis; unio cum Christo, innuitur *commissioni Concilii de Disciplina Cleri et Populi Christi* (in allegato V, pag. 2, de schemate decreti *de clericis*, em.mo D. Ioanne Urbani relatore) ab em.mo praeside *commissionis de Concilii laboribus coordinandis*.

c) In n. 20, pag. 6, « fundamentum exigentiae sanctitatis sacerdotalis... in eo », inveniri dicitur, « quod ille per sacramentum Ordinis et characterem sacerdotalem Christi aeterni sacerdotis instrumentum efficitur, novoque titulo in Dei possessionem transit », et « unctione Spiritus speciali modo » consecratur ut ipse, « in Corpore suo... Christi Capitis Sacerdotium » repraesentet « et in eius persona » agat.

Profundius et accuratius, mihi videtur, esset, si inveniatur « fundamentum exigentiae sanctitatis sacerdotalis » in eo quod per Sacramentum Ordinis et characterem sacerdotalem sacerdos actu unitur cum Christo et fit particeps functionis Christi essentialis sc. Mediatoris. Procul dubio hic conceptus implicite continetur in verbis capituli: « ipsi... Christi Capitis Sacerdotium... repraesentent et in eius persona agant ». Attamen per verba « unio cum Christo propter participationem in functione Mediatoris » non modo accuratius fundamentum perfectionis sacerdotalis exprimitur verum etiam datur conceptus « dynamicus » ex quo omnes partes capituli in unum coalescant.

d) Sine tali conceptu « dynamico » de quo fluant aliae functiones et obligationes sacerdotales, capitulum paene videtur esse elenchus regularum, rerum agendarum et vitandarum, ut sacerdos ad perfectionem sacerdotalem attingat. Forse merito capitulum iudicaretur iuridicum magis quam pastorale.

e) Praeter mentionem, sat brevem, de Enc. Litt. *Ad Catholici Sacerdotii*, et *Menti Nostrae* f. r. Pii XII, nihil dicitur de spiritualitate sacerdotali in quibus

tractatur de integratione laboris pastoralis et sanctificationis, de caritate pastorali et de apostolatu sacerdotum. Exinde capitulum qualitate carere dici possit « aggiornamento » quam Summus Pontifex f. r. Ioannes XXIII tamquam inter praecipuos fines Concilii Oecumenici Vaticani II statuit.

II. *Emendationes propositae.* *a*) Si recipiatur conceptus « unionis cum Christo per participationem functionis eius uti Mediatoris » ut centralis et « dynamicus » totius capituli, recensio sat extensiva requiratur. Ipsum autem capitulum breve est et illa recensio seu emendatio fieri posse videtur ante sessionem alteram Concilii. Omnia elementa essentialia praesentis capituli substantialiter retineri possunt. Si placeat commissioni, schema lineamentorum talis revisionis velim submittere.

b) Si autem capitulum in praesenti forma retineatur has specificas propono emendationes:

1) N. 12, pag. 9, melius mihi videtur ut sit pars n. 4, pag. 4, inter alias obligationes sacerdotales de caritate fraterna immediate post *d*) illius numeri. In ipso quidem n. 12 fit ultima pars prima ita ut sic legatur: « *e*) Cura sacerdotum aegrotantium: confratres infirmos sacerdotes adeant, consolentur, ipsis sacramenta et omnia pietatis officia praestantes et, si casus ferat, etiam temporalia auxilia; ipsi autem sacerdotes aegrotantes, maxime si incumbunt, sollicite cum parocho communicare velint de opportunis religionis subsidiis ac de frequenti sacramentorum receptione ». *Ratio*: ut materia ordine logico et cum unitate clarius praesentetur.

De aliis capitulis huius schematis nullas emendationes propono.

44

EXC.MUS P. D. FRANCISCUS SIMONS
Episcopus Indorensis

Cap. I, n. 4, *e*), pag. 7. Fere ubique terrarum exstant sacerdotes non pauci qui defecerunt in via, ligamina inhonesta contrahendo. Eorum saluti subveniri potest si iis dispensatio a caelibatu concedatur et facultas fiat cohonestandi ista ligamina per matrimonia legitima.

Ratio suadens est « salus animarum suprema lex ». Agitur de lege ecclesiastica, quae potest dispensari, et quae afficit multa millia hominum, qui in maximo animas amittendi periculo versantur.

Difficultas exsurgere potest ex eo quod timeatur ne, hac facultate concessa, multo pluriores sacerdotes deficiant.

Psychologice nemo accedit ad sacerdotium animo relinquendi illud. Si quis tandem pervenit ad relinquendum illud eo ducitur per lungam viam tepiditatis spiritualis, per viam tentationum et circumstantiarum et ita cadit fragilitate potius quam mala voluntate. Postquam cecidit constringendo eum ad obligationem castitatis inutile videtur etiam quoad alios sacerdotes. Nam etiam e gremio fratrum et sororum, qui possibilitatem habent obtinendi dispensationem, non tam multi e votis perpetuis deficiunt. Insuper ad absterrendos sacerdotes ab hac dispensatione petenda remanebit semper inter fideles aliquod stigma talibus sacerdotibus inhaerens, qui deficiunt a vita et vocatione sacerdotali.

Potest evenire ut plures fratres et sorores quaerant dispensationem quam sacerdotes qui deficiant. Animadvertendum tamen est cognosci numerum eorum sacerdotum tantum qui aperte discesserunt, non eorum qui magna animi perturbatione in peccato vivunt. Inde clarum est in primis annis, facta iis facultate obtinendi dispensationem, pluriores discessuros esse. Hoc tamen Ecclesiae minime nocebit. E contra vitabit multa sacrilegia. Ad hoc extendendum est monitum, de quo in schemate *de sacrorum alumnis formandis,* n. 10, pag. 8, linn. 34-38: « eos vero qui idonei non sint, superiores tempestive dimittant, nullo habito humano respectu, neque aliis rationibus moti, cuiusmodi est lugenda sacerdotum penuria, confidentes Deum idoneos ministros Ecclesiae daturum esse, si digni tantum promoveantur » (in casu, « retineantur »).

Ii autem, qui fideles manent, servient Deo maiori cum amore, voluntarietate et fructu. Et sic ipsum sacerdotium in maiorem populi aestimationem veniet et indirecte augebit copiam vocationum.

Cap. II, n. 21, *a*), pag. 14. Cursus hic peculiaris non videtur fore multo utilis. Nam pars theoretica dari potest in cursu pastorali in seminario, et pars practica non potest melius disci quam laborando in paroecia vel missione sub directione sacerdotis prudentis, parochi vel missionarii.

45

EXC.MUS P. D. ARTURUS ANTONIUS SZYMANSKI RAMÍREZ

Episcopus tit. Cerasuntinus, coad. c.i.s. S. Andreae de Tuxtla

Emendationes et animadversiones a quibusdam episcopis mexicanis propositae circa cap. I.

N. 6. Addatur littera *g*) in qua proponatur etiam ut subsidium ad sanctificationem visitatio Sanctissimi Sacramenti.

N. 10. Proponantur, quae hic continentur, modo positivo et affirmativo.

[*Subsignavit etiam*] Alfonsus M. Sánchez, ep. Papantlensis.

46

EXC.MUS P. D. IOANNES SMIT

Episcopus tit. Paraliensis

Pag. 5, lin. 4: loco « restituere aut convertere », legatur *revocare*. Linn. 12-32: deleantur.

Pag. 7, linn. 16-28 deleantur (exhortatio superflua).

Pag. 18, linn. 1-17 deleantur et lin. 18 « Quapropter ».

Pag. 20, linn. 32-36 deleantur; item pag. 21, notae linn. 16-27 *c*).

47

Exc.mus P. D. EMMANUEL TALAMÁS CAMANDARI
Episcopus Civitatis Juarezensis

I. Pag. 19, n. 29: inter ea quae hac in re, omnino maximi momenti in disciplina Ecclesiae, commissio ad Codicem Iuris Canonici recognoscendum prae oculis in primis habere debebit, quaestio haec invenitur: remuneratio oeconomica pro omnibus clericis, quodcumque officium in Ecclesia habeant, etiam parochis, episcopis vel quocumque alio modo Ordinariis locorum, debet esse *fixa et determinata* numeris arithmeticis, pro temporum et locorum et officiorum varietate. Haec quantitas pecuniae fixa et determinata, titulo remunerationis pro officio accepto menstrue accipienda ab unoquoque clerico, inclusis parochis, determinari potest ab Ordinario loci, audito Capitulo cathedrali vel consilio consultorum dioecesanorum. Quantitas vero remunerationis pro membris Capituli cathedralis determinetur ab episcopis provinciae ecclesiasticae; quantitas autem remunerationis pro episcopis aliisve Ordinariis locorum determinetur a conferentia episcoporum nationali vel regionali. Vel, si placet, ab ipsis episcopis uniuscuiusque provinciae ecclesiasticae.

Rationes: experientia constat multoties ex indeterminatione arithmetica remunerationis parochorum aliorumve clericorum beneficialium multos abusus in Ecclesiam et in vitam eorumdem clericorum irrepsere; nec secura via Ordinario loci relinqui rectam administrationem beneficii vigilandi si, in primis, quantitas beneficii ad parochum aliumve clericum pertinens non habet talem arithmeticam determinationem ita ut facile possint demonstrari abusus.

Ni fallor, in campo civili ita fit pro omnibus vel fere omnibus officiis, sive privatis, sive publicis, etiam maioribus, ut officium primi ministri vel praesidis reipublicae. Cur non ita facere in Ecclesia Dei, cum in hac re non adsit ratio differentiae?

Omnino in Ecclesia vitandum est inter clericos illud Apostoli Pauli: unus quidem esurit, alius autem ebrius est, non quidem vino, sed saltem aliquando pecunia. Ideo cuicumque officio, pro temporum et locorum varietate, assignanda est fixa quantitas menstrua pecuniae, titulo iustae remunerationis, praeter stipendia missarum aliorumque actuum ministerii qui propriam, et etiam determinatam, stipem habent ministro eorumdem destinatam.

II. Pag. 19, n. 30: litt. *a*): proponitur haec mutatio in redactione textus: *a*) omnibus sacerdotibus remuneratio assignetur, clericali dignitati congrua. Insuper, si conditiones oeconomicae hoc suadent, conveniens est etiam assignare omnibus sacerdotibus quamdam pecuniae quantitatem indigentibus destinatam, qua per seipsos iisdem indigentibus, subveniant. *Ratio*: redactio textus, prout nunc exstat in schemate, viam apertam relinqueret sacerdotibus qui spiritum caritatis eximium non habent, ut, sine conscientiae remorsibus, in beneficium personale adsumant quod in indigentium subventionem eis traditur; cum non clare distinguat textus inter quantitatem pecuniae quae eis traditur stricto titulo remunerationis personalis et quantitatem quae titulo excercendae caritatis in proximum eis datur.

Ideo melius videtur plene distinguere inter illas duas quantitates ad hoc

ut sacerdotes clare intelligant secundum quantitatem non ut propriam illos accipere sed solum ut administrandam in bonum immediatum pauperum.

Insuper, in nova redactione addimus: « si conditiones oeconomicae hoc suadeant », quia in nostra regione et aliis a nobis cognitis, aliquando conditiones oeconomicae ita sunt exiguae, ut nec solam congruam remunerationem personalem sacerdotum permittant.

III. Pag. 20, nn. 32 et 33: omnino conveniens est, nedum necessarium dicamus, quod in reformando Codice Iuris Canonici Ordinariis locorum tribuatur amplior facultas, audito Capitulo cathedrali vel Consilio consultorum dioecesanorum, gravandi omnes paroecias, sive sanctuaria, sive ecclesias rectorales religiosorum non proprias, quae ampliores habeant redditus beneficiales, vel abundantiores accipiant oblationes fidelium, ad hoc ut possit constitui haec massa communis bonorum de qua agitur in n. 32. *Ratio*: in multis regionibus accidit adesse tres vel quinque paroecias vel ecclesias rectorales quae magnas accipiunt oblationes fidelium, dum ceterae paroeciae vel ecclesiae impares sunt ad sumptus omnino necessarios faciendos. Aequitas, ne dicam iustitia, praesertim distributiva, videtur omnino postulare hanc facultatem Ordinario loci ad moderandam rem oeconomicam dioeceseos ita ut, iterum dicamus, vitetur illud Pauli dictum « unus quidem esurit, alius autem ebrius est ».

Aliunde dicendum est quod hic modus dioecesim et paroecias administrandi aequior et iustior fere ab omnibus sacerdotibus iam spectatur; et ideo, magno cum plausu generali recipietur. Multum iuvaret in statuendo modo particulari constituendi hanc massam communem bonorum consulere non solum Capitulum cathedrale, sed etiam multos alios sacerdotes; immo, melius adhuc esset si hic modus statueretur in synodo dioecesana vel in quadam conventione plenaria sacerdotum dioeceseos.

IV. Pag. 22, n. 35: hic numerus omnino debet manere tamquam canon quidam in Codice Iuris Can. reformando, quia amplam et necessariam facultatem supponit ad medenda tanta mala in Ecclesia quae in re oeconomica radicem habent; et viam apertam relinquit inveniendi modos proprios administrandi res oeconomicas in Ecclesia quos et temporum et locorum et populorum varietas suadent.

48

Exc.mus P. D. DOMINICUS VALERII
Episcopus Marsorum

Mea submissa sententia, Concilium Vaticanum II optime faciet, si maximo cum vigore monebit ut sacerdotes vitam interiorem ceteris omnibus studiis, curis et laboribus anteponant.

49

EXC.MUS P. D. ARTURUS VÉLEZ MARTINEZ

Episcopus Tolucensis

Schemate *de clericis* lecto, animadverti cum gaudio, Sacrosanctam Synodum Vaticanam II, regulas minutissimas ad perfectionem evehendam pro clericis, tradere, tunc autem visum est, haec proponere.

Ubi de mediis asceticis agitur, aliquid de *poenitentia et mortificatione,* saltem pro mense, urgeatur.

Ubi de testamento clerici legisfertur, explicite addatur donari bona pro Ecclesia et pauperibus, *postquam obligationes ex iustitia,* cum consanguineis in primo gradu, et famulis exequentur.

Expono. Quidam sacerdotes frequenter, inanibus variis de causis, v. g. infirmitate non seria, in aliam dioecesim venia episcopi progrediuntur.

Saepe accidit ut causa illa iam non existente, illi tamen adhuc in dioecesi aliena permaneant; unde pessima sequuntur: nam vigilantia, tum episcopi proprii, tum Ordinarii loci ubi degunt, in nihilum devenit, et sacerdotes illi quasi vagi fiunt.

Postulo, proinde, a Sacrosancta Synodo Vaticana II, ut condiciones ad promptam incardinationem et excardinationem horum sacerdotum determinet.

Causa, quia tantummodo, tum conscientia episcopi, tum conscientia sacerdotis pacatur, et efficax episcoporum vigilantia efficitur.

50

EXC.MUS P. D. FRANCISCUS VICENTIN

Archiepiscopus Corrientensis

Proposición: Evitar las repeticiones entre lo esposto en este Esquema y en el *de sacrorum alumnis formandis.*

Desarrollar en este esquema lo que podría ser una teologia del presbiterado.

Señalar los matices propios de la « Santitad Sacerdotal ».

[*Subscripserunt etiam*] Francisco Juan Vennera, ob. S. Nicolás; Vicente Zazpe, ob. Rafaela; Alejander Schell, ob. Lomas; Alberto Devoto; M. Magliano; Antonio Rossi; Carlos Cafferata, ob. San Luis; A. Quarracino, ob. 9 de Julio; Riccardo Rosch; G. Esorto, arz. Bahía Blanca; F. Muguerza, ob. Orán; Manuel Marengo, ob. Azul; Antonio M. Aguirre; Ernesto Segura; M. Blanchoud; Manuel Menendez, ob. San Martin; Oscar Villena, ob. tit. Musti; Jeronimo José Podestà, ob. Avellaneda.

51

EXC.MUS P. D. OSCAR VILLENA

Episcopus tit. Mustitanus, aux. Bonaerensis

Teniendo en cuenta 1. que no pueden coexistir el pecado y la oración mental simultaneamente. Testes la S. Escritura y la doctrina ascetica; 2. que la conducta del hombre esta reglada por las imágines, por la fuerza motriz de las mismas; 3. que los estímulos constantes a que está sujeto el hombre son de tipo erótico y mundano por la cual su conducta, de no tener otro tipo de imágenes, v. gr. de órden sobrenatural, que contrarresten a esas imágenes mundanas, su conducta será erótica y mundana.

En consecuencia se pide a los efectos de asegurar la vida espiritual de los clérigos: que el párrafo 2 del canon 125 del Código de Derecho Canónico, scil. « que los clérigos dediquen cada día algún tiempo a la oración mental », tenga caracter obligatorio.

[*Subscripserunt etiam*] Benito E. Rodriguez, ob. aux. Rosario; F. Muguerza, ob. Orán; G. Esorto, arz. Bahía Blanca.

52

EXC.MUS P. D. IOANNES IULIANUS WEBER

Archiepiscopus-episcopus Argentoratensis

In hoc schemate pauca mihi videntur mutanda, saltem quoad doctrinam. Sunt tamen theologi qui hoc schema ut nimis iuridicum auspicantur, desiderantes S. Concilium daturum de sacerdotio doctrinam quae presbyteris et alumnis seminariorum lumen et enthusiasmum praebeant de suo sacro munere.

Prooemium. Pag. 5, lin. 1, legatur: « in participatione reali, per characterem sacramentalem animae impressum et aeternum, sacerdotii Christi... ».

Cap. I. Pag. 6, in lin. 7 tollatur evidenter: « fel. regn. » pro Ioanne XXIII.

Pag. 7, 1) in lin. 3 legatur: « quae omnia propria sacerdotii sunt et mera opera caritatis in qua consistit perfectio, praesertim vero... ».

2) ad lin. 15 addatur: « hoc fiet imprimis in labore apostolico communiter exercendo, sub fiduciali submissione erga superiores ».

Pag. 20, in linn. 32-36, divisio *c*) sumatur sicut datur pag. 21 sub eadem littera.

53

EXC.MUS P. D. IOANNES WHEALON

Episcopus tit. Andrapenus, aux. Clevelandensis

Cap. III, n. 31, pag. 20, lin. 2: loco « semel saltem in anno » substituantur verba « semel saltem in biennio ».

Cap. III, n. 32, pag. 20, linn. 12-13: melius esset separare pecunias pro praevidentia sociali et pensione clericorum de pecuniis generalibus.

Cap. III, pag. 21, nota C: habeatur haec nota C, sed sine verbis « gravi obligatione ».

Exhortatio, pag. 25, nota 3: tanti momenti est ut in textu habeatur.

54

EXC.MUS P. D. PETRUS ZUCCARINO
Episcopus Bobiensis

Singula adprobo et de vitae sacerdotalis perfectione et de studio et scientia pastorali seu de recto usu bonorum et de distributione cleri.

55

QUIDAM PP. CONCILIARES AFRICAE CENTRO-ORIENTALIS

I. *Notae generales.* 1. Quamvis schema, imprimis in cap. II et III et in « Exhortatione » multa utilia contineat, et in cap. I solidam viam ad vitam sacerdotalem promovendam ostendat, insufficienter tamen conditiones et difficultates hodiernas considerat. Huic enim schemati munus incumbit ostendendi quomodo media probata, imprimis n. 4 assignata, mutatis temporis vitaeque conditionibus applicentur. Sacerdotes, imprimis iuniores, ex verbis schematis, sentiant suas conditiones difficultatesque esse perspectas illaque praecipue media sibi commendari quae vere in praxim perduci possunt.

2. Inter media, quae pag. 7, n. 4, commendantur, munus episcopi in dirigendo clero plenius simulque concretius exponendum esse censetur. Apte respiciuntur quae in schemate *de cura animarum,* Appendice II, pag. 51, n. 24 dicuntur. Praecipuum obiectum curae animarum ab episcopo agendae sunt sacerdotes.

3. Schema ergo, praesertim in suo cap. I, profundius recognoscatur:

a) quia parum confert ad superandam discrepantiam inter imaginem vitae sacerdotalis traditionali modo conceptam et conditiones et difficultates ministerii sacerdotalis hodierni. Schemati onus difficillimum quidem, at necessarium incumbit ostendendi, quomodo media tradita sanctitatis sacerdotalis ex una parte valorem suum retinent, ex altera tamen parte adaptanda sint indoli et conditionibus hominis hodierni ad sacerdotium vocati.

b) Quia schema parum confert ad periculum evertendum, quo pietas sacerdotalis premitur, ne quantitas scilicet orationum et exercitiorum praescripta vel commendata, eorum qualitati noceat et ita personali pietati officiat.

c) Quia parum distinguitur inter materiam magis theologicam et asceticam corpori decreti inserendam et materiam magis practicam et iuridicam in appendicibus ponendam.

II. *Notae speciales.* 1. Pag. 7, n. 4. Principium divisionis melius eligatur idque secundum ordinem triplicis muneris sacerdotalis, i. e.: muneris praedicandi, sanctificandi, gubernandi.

2. Pag. 7-8, n. 5. Incisum hoc aptius connecteretur cum n. 4, ibique imprimis cum dicendis de munere gubernandi.

3. Pag. 8, n. 8. Haec paragraphus hodiernam conditionem vitae castitatis respiciat, regulasque practicas ad eam recte agendam exhibeat.

4. Pag. 9, n. 13. Titulus iste de testamento vix in capite de vitae sacerdotalis perfectione inseri potest. Pertinet ad cap. III, vel potius ad Appendicem vel Directorium.

5. Pag. 15, n. 23, lin. 13: « (de re catechetica... etc.) ». Melius dicatur: « (de re catechetica, homiletica, liturgica, sociali-religiosa, etc.) ». *Ratio*: institutum pastorale ad omnia haec obiecta apte extenditur.

6. Pag. 24-25, n. 41. Haec paragraphus etiam missiones commendare potest. Monitum vero hic superfluum non esset, missionibus non illos sacerdotes dioecesanos probari, qui rerum novarum cupiditate et immoderata activitate pelluntur, sed viros maturos et prudentes atque constantes.

[*Subsignaverunt*] Adam Kozlowiecki, arch. de Lusaka; Francis Mazzieri, ep. de Ndola; Marcel Daubechies, ep. de Kasama; F. Courtemanche, ep. de Fort Jameson; C. Chitsulo, ep. de Dedza, ex mandato J. L. Jobidan; A. Fürstenberg, ep. de Abercorn; R. Pailloux, ep. de Fort Rosebery; J. L. Jobidan, ep. de Mzuzu; James Corboy, ep. de Monze; N. Agnozzi, ep. tit. Adramitti; Rupert Hillerich, praef. ap. de Solwezi.

56

QUIDAM PP. CONCILIARES AFRICAE ORIENTALIS

I. Cum praesens schema solummodo de presbyteratu ceteris clericalibus ordinibus praetermissis tractet, eiusdem titulum mutandum esse censemus.

II. *Ad cap. I*: 1. in prima paragrapho, datur quaedam sacerdotii definitio, quae tamen de duobus sequentibus capitibus pari modo applicari posse videtur ac proinde eamdem in aliquo prooemio ad ista tria capita putamus melius esse ponendam.

2. Ista definitione optamus complecti (cf. schema *de Ecclesia,* cap. II, n. 15): *a*) participationem cuiusvis sacerdotis non tantum sacerdotio Christi sed etiam eius *triplici* muneri sanctificandi, docendi, et regendi; *b*) participationem eidem muneri quod iure divino episcopatui plene concreditum est.

III. Proinde ita omnia iura et obligationes ex tali participatione directe profluentia, sacerdoti recognosci debere compertum erit.

IV. Supradicta definitione clare apparebit distinctio clericale sacerdotium inter et sacerdotium « populi Dei » (cf. *1 Pt.* 1, 9).

V. Positis supra dictis principiis, cap. I (de sanctitate personali) et cap. II et III (de aliis qualitatibus sacerdotalibus) proprium locum habebunt.

VI. *Ad cap. I et II*: multa puncta minoris momenti (v. g. bibliotheca sacerdotis etc.) sunt allata quae vel ad Appendicem referenda vel simpliciter omittenda esse putamus.

VII. *Ad cap. I,* 4: sacerdotis munus « praedicandi evangelium », quod omnino praecipuum est, parvipendi nobis apparet, eo quod in penultimo loco tantum eius mentio fiat. Eidem prominentem locum tribui vellemus.

VIII. *Ad cap. I,* 6: sanctitas personalis et vita spiritualis sacerdotis in mera iuxtapositione hic ponuntur, cum revera unum totum quid constituant oporteat, ut nobis videtur.

IX. *Ad cap. III,* 37: ea, quae hic dicuntur de administratione sacerdotali bonorum ecclesiasticorum in schemate *de missionibus* etiam includi ibique fusius tractari desideramus.

[*Subscripserunt*] Edgar Maranta, arch. de Dar es Salaam; Marcus Mihayo, arch. de Tabora; Guido Del Mestri, arch. tit. Tuscamiensis; James Holmes-Siedle, ep. de Kigoma; Victor Haleg, ep. tit. de Baia; Herman Van Elswyk, ep. de Morogoro; Eberhard Spiess, ep. tit. Cemerinianensis; Edward McGurkin, ep. de Shinyanga; Eugene Arthurs, ep. de Tanga; Elias Mchonde, ep. tit. Adraenus; Renatus Butibubage, ep. tit. de Casi; Gervase Nkalanga, ep. tit. de Balbura; James Komba, ep. tit. Thignicensis; Vincent McCauley, ep. de Fort Portal; John Ogez, ep. de Mbarara.

57

CONFERENTIA EPISCOPORUM ARGENTINAE

La lectura de los tres capítulos y exhortación final, en que está dividido el proyecto conciliar de legislación referente a los sacerdotes: « Perfección de la vida sacerdotal - Estudio y ciencia pastoral - Recto usu de los bienes - Exhortación final: Distribución del clero », nos conduce a la siguiente consoladora conclusión: La Santa Iglesia ofrece a sus sacerdotes, por medio de las disposiciones conciliares, cuanto necesitan para cumplir digna y decorosamente la misión que les confió Jesucristo de « ofrecer el Santo Sacrificio, administrar los Sacramentos, conducir a los fieles a la santidad, y convertir o restituir a los demás a su seno ».

Cap. I: de la perfección de la vida sacerdotal. Los sacerdotes, más que los otros fieles, deben ser « sal de la tierra y luz del mundo ». Por eso, de cuanto se dice en la Introducción, queremos hacer resaltar el último párrafo, en el cual, como conclusión de diversas citas doctrinarias, se nos hace ver la urgente necesidad de una vida sacerdotal perfecta « como lo es el Padre Celestial », fundada en la caridad a Dios y a las almas, si queremos conseguir « un solo rebaño con un solo pastor », como lo quiere Jesucristo Nuestro Señor.

Nos impresiona gratamente, y nos hace vislumbrar la paternal figura de S. S. Juan el Bueno, cuanto se dice (n. 4) referente a la caridad que debemos brindar a nuestros hermanos sacerdotes caidos, para atraerlos a la casa paterna. Nuestro aplauso al hermano en el Episcopado, que abrió una casa para esos hermanos, tanto más merecedores de nuestra solicitud, cuanto más necesitados del calor de corazones sacerdotales.

Lo mismo podríamos decir con respecto a cuanto se recomienda a los sacerdotes en el mismo número (let. *f*) referente a la manera de tratar a « los que ignoran a Dios, Lo niegan o Lo rechazan », porque « Dios quiere que todos los hombres se salven y lleguen al conocimiento de la Verdad »; y lo que se dice (let. *e*) que « todo en la vida sacerdotal, nuestro mismo exterior, nuestros modales, hasta el decoro en el vestido, debe ser un reflejo de nuestro interior, dirigido a edificar a los demás... ». El sacerdote es otro Cristo.

Se recomienda (n. 7) la vida en común a los sacerdotes, en cuanto sea posible. La preferimos para los Párrocos con sus Cooperadores. Indudablemente, este género de vida los libraría de muchos peligros; y sería fácil, si reinara en todos el verdadero espíritu sacerdotal, pero muy difícil, si está ausente la caridad, la comprensión y mútua tolerancia.

Cuanto se desea establecer con respecto a los « consejos evangélicos », a la « contínua oración y trabajo por las vocaciones sacerdotales », al « ejercicio de cualquier apostolado », a la « solicitud que se ha de tener con los sacerdotes enfermos », y también al « testamento en tiempo oportuno », todo, ciertamente, contribuirá a que los sacerdotes, en su último día, puedan esperar confiados la « corona de la justicia ».

Por todo lo expresado, el primer capítulo nos satisface plenamente, sin que se nos ocurra sugerencia alguna.

Cap. II: del estudio y ciencia pastoral. Magistralmente demostrado (Introducción) cuánto necesitan los sacerdotes poseer la ciencia sagrada, y también la profana, para enseñar fructuosamente, con eficacia, la Verdad « a todas las gentes »; para que en ellos se cumpla la promesa divina: « Os daré pastores según mi corazón, y os apacentarán con ciencia y doctrina »; y, para que todos los sacerdotes cumplan, cada día con mayor eficacia su oficio de « mediadores entre Dios y los hombres, de maestros y pastores », presenta el Concilio a la consideración diversas conclusiones, como las siguientes:

El estudio pertenece esencialmente (n. 16) al oficio del estado sacerdotal. Después de la oración, es más necesario para alimentar piadosamente su vida y para ejercer su ministerio pastoral.

El estudio (n. 17) nunca debe interrumpirse, para que los sacerdotes puedan juzgar competentemente sobre todos los problemas, aún los más recientes. Para adquirir la verdadera ciencia (n. 18) deben pedir insistentemente las luces del Espiritu Santo. La ciencia del ministro sagrado (n. 19) debe ser, primordialmente, sagrada, aprendida en las fuentes de las Sagradas Escrituras, de los Santos Padres y de la Tradición; pero, sin omitir de consultar los teólogos y exégetas modernos, para poder solucionar las dificultades de nuestra época. Al mismo tiempo (n. 20) no deben descuidar al estudio de la ciencia profana, tampoco, de la pedagogía.

Para estar al día, sobre todo en materia de pastoral, se recomienda (n. 23) establecer Institutos pastorales nacionales o regionales, para enseñar catequésis, liturgia, sociología religiosa, métodos de evangelización, etc., cursos en las diócesis (n. 21) para los recién egresados, y cursillos breves, en los que los sacerdotes, además de renovar sus conocimientos de pastoral, se comuniquen mútuamente cuanto aprendieron con su experiencia.

Se pide a los Ordinarios (n. 22) que estimulen estos cursos, siempre que les sea posible, con su presencia y que (n. 25) designen un director o promotor diocesano de estudios pastorales, y que se tenga también una biblioteca para el clero, con las publicaciones más recientes sobre pastoral. Finalmente (n. 26) hace ver la admirable relación que existe entre el estudio y la santidad de vida.

Todos estos proyectos contenidos en el cap. II, indudablemente, contribuirán a la elevación del estado sacerdotal, a quel el clero esté siempre capacitado para solucionar los problemas de la hora. No ignoramos las dificultades que tendrán numerosos Ordinarios para llevarlos a la práctica. Presupone una intensa

labor para los Obispos, en particular, y para el Episcopado Argentino, en general; pero merece nuestro entusiasta apoyo, porque comprendemos que todo contribuirá a que nuestros sacerdotes cumplan con mayor eficacia, como dijimos al principio, su oficio de « mediadores entre Dios y los hombres, de maestros y de pastores ».

Cap. III: del recto uso de los bienes. La Iglesia necesita poseer bienes materiales (Introducción), no para acumular riquezas; pero sí, para rendir el culto debido a Dios, para predicar el Evangelio a todas las criaturas y para salvar las almas. Igualmente, los sacerdotes necesitan de esos mismos bienes, porque « el que predica el Evangelio, vive del Evangelio »; pero deben mantenerse siempre « pobres de espíritu », a imitación de Jesús que, por nosotros, « se hizo pobre », y fué enviado a « evangelizar a los pobres ». Fundandose en ésto, en los esquemas, se determina, entre otras cosas, lo siguiente:

Los bienes eclesiásticos (n. 28), y lo que provienen del ejercicio de un oficio eclesiástico, deben destinarse « al culto divino, a la honesta sustentación de los Obispos y de los sacerdotes, y a las obras de apostolado y de caridad, especialmente, en favor de los pobres ». Nunca, para enriquecerse a sí mismo, ni enriquecer a sus familiares. Esto ni impide, ciertamente, que un sacerdote pueda ayudar a sus parientes, si lo necesitan; la caridad, que debe hacer a los pobres, no puede negarsi a los prójimos más cercanos.

Para proveer a los sacerdotes de dichos bienes (n. 29) se suprime el sistema beneficial actual, ya anticuado, según el cual, a veces, el oficio queda subordinado al beneficio, y se encomienda a la Comisión que revisará el Código de Derecho Canónico, que elabore una nueva legislación sobre los oficios eclesiásticos, más conforme con las circunstancias y necesidades actuales. Juzgamos que no se trata de « suprimir » los beneficios eclesiásticos, sino solamente de establecer una nueva legislación par los mismos. Así parece deducirse del n. 23, letra *b*), donde habla de los « réditos provenientes del beneficio ».

Todos los sacerdotes deben tener una remuneración equitativa, que corresponda a su dignidad (n. 30); esta remuneración « sub gravi » deben reglamentarla los Obispos, en Concilios Regionales o Provinciales, y también en las Conferencias Episcopales, teniendo en cuenta la equidad, la antiguedad en el oficio, el cargo que desempeñan y su dignidad. A los sacerdotes que no puedan desempeñar un oficio, debe proporcionárseles una decorosa pensión.

Deben vigilar los Obispos (n. 31) que no falten Institutos de asistencia social, para los sacerdotes enfermos y ancianos. Gracias a Dios, en nuestro país, tenemos las bases sólidas de esta obra tan importante. Debemos sostenerla y defenderla, para que sus beneficios sean mayores. Velando por la salud física de los sacerdotes, quiere el Concilio que todos, por lo menos, anualmente, se sometan a una revisación médica.

Para que los Obispos puedan cumplir esta obligación con sus sacerdotes (n. 32) y satisfacer las demás necesidades de la Diócesis, propicia la constitución de un « fondo común », sugiriendo (n. 33) las distintas fuentes, de las que podrían provenir los recursos para formarlo, y determinando (n. 34) que la administración del mismo debe realizarse, según las normas del Código, por el Consejo de administración, designado por el Ordinario y bajo su vigilancia.

Lo mismo se dispone (n. 35), con respecto a la administración de los demás bienes de la Iglesia, siempre bajo la vigilancia del Ordinario, por el Consejo

de administración. Recomienda máxima diligencia para la conservación e incremento de los mismos, observando las disposiciones canonicas, y las del derecho civil de cada Nación. Recomienda también que se tenga muy en cuenta las normas de la doctrina social de la Iglesia, principalmente, cuando se trata del justo salario a los que trabajan para comodidad, o servizio de la Iglesia, y que se observe con ellos cuanto las leyes civiles disponen con respecto a previsión social y asistencia médica de los mismos.

Dispone que, en todos los Seminarios (n. 37) se expliquen nociones sobre la recta administración de los bienes, y que se confeccione un manual para todos los administradores; y, para que el clero no descuide su oficio pastoral (n. 38), aconseja que se designen también laicos para la administración, peritos en la materia, ya que, como miembros del Cuerpo Místico, se los ha de usar principalmente para las cosas temporales de la Iglesia. Termina este Capítulo con una maternal exhortación en favor de los pobres, recordando las palabras de Jesucristo: « Lo que hiciéreis a uno de estos mis hermanos pequeños, a Mí lo habréis hecho ».

Como vemos, la Iglesia es Madre. No solamente se preocupa de las necesidades espirituales, sino también, de las materiales, de quienes están consagrados a su servicio. Cuando acabamos de leer referente al uso de los bienes, nos demuestra el deseo laudable del Concilio de que ningún sacerdote tenga que preocuparse en « qué comeré, con qué me vestiré »; que no existan sacerdotes exageradamente pobres junto a otros exageradamente ricos; y que ningún sacerdote trabaje por el « torpe lucro », sino solamente, por la mayor gloria de Dios y la extensión de su reinado en las almas.

Por eso, apruebo todo lo contenido en el cap. III. Pero estimo que no podrá llevarse a la práctica en todas partes con decretos perentorios. Será necesario ir formando conciencias, teniendo en cuenta las circunstancias, costumbres, etc. de cada nación o región.

Distribución del clero. Juzgamos sumamente oportuna la exhortación que hace el Concilio a los sacerdotes de las Diócesis, en las cuales florecen las vocaciones sacerdotales, de ofrecerse generosamente a trabajar donde faltan sacerdotes, facilitando las excardinaciones e incardinaciones; también, la dirigida a los laicos, miembros del Cuerpo Místico de Cristo, de colaborar en el apostolado.

Lamentablemente, el Episcopado Argentino no puede ofrecer sacerdotes; pero está dispuesto a recibirlos.

Conclusión. Con entusiasmo aplaudimos todo el esquema referente a los sacerdotes, especialmente, porque, al redactarlo, se ha tenido una gran visión de la Catolicidad de la Iglesia de Jesucristo, Nuestro Redentor.

58

EXC.MI PP. DD. EPISCOPI PROVINCIARUM AQUENSIS ET AVENIONENSIS ET DIOECESIS MASSILIENSIS

I. *Animadversiones generales.* 1. Dolendum schemate Patres graecos non commemorari: vix semel textus S. Ioannis Chrysostomi in exhortatione « de distributione cleri » invenitur.

2. Pressius etiam commorandum sit in virtute caritatis quia in illa perfectio

consistit. Caritas autem sacerdotalis caritas erit Boni Pastoris quae signum tum erga Dominum tum erga Christi gregem sacerdotis caritatis erit (cf. *Io.* 21, 15-17).

3. Commorandum insuper in evangelicis consiliis exercendis, ita ut, prout optatur, fusius tractetur de paupertatis spiritu (circa quod adnectendum forsan quod de testamento in n. 13 agitur, cf. etiam n. 28); necnon et de virtute castitatis (cf. quae in schemate *de statibus perfectionis acquirendae,* n. 25, e circumstantiis enim culturae hodiernae ac naturalisticis opinionibus quae pervulgantur, non modicae ad hanc virtutem exercendam difficultates generantur); de virtute insuper oboedientiae (opportunum de oboedientia, quae a clericis episcopo praestanda est, tractandum videtur; de notione scil. huiusce virtutis ac eiusdem ambitu et de obligationibus quae ex ipsa dimanant).

4. « De clericis in genere » quamvis schema illud tractet, specialiter tamen presbyteros saeculares in dioecesi quadam incardinatos respicit (cf. locos plurimos in cap. I et II); aliud autem schema « de statibus perfectionis adquirendae » tractat. Placeat ideo ut nervosius ostendatur quantam sibi procuret sanctitatem dioecesanus presbyter, seipsum offerendo una cum episcopo, in dioecesis servitio et quae ex hoc sint obligationes quae oriantur. Notandum insuper videtur quod et quale sit spirituale adiumentum a presbytero exinde, a dioecesi, iure sperandum. Cuius schematis articuli nonnulli ad hoc centrale argumentum facile adnectendi videntur. V. g. 4 (*c, d, e*), 7, 9, 11, 12.

5. Exhortatio vero « de distributione cleri » ab hoc schemate separanda et seorsum promulganda velut invitatio quaedam solemnior.

II. *Animadversiones quoad particularia. Cap. I*: n. 1, lin. 2, post verba « sacrificium offerre » addatur « evangelium annuntiandum ».

N. 2, lin. 13. Ut sanctitatis sacerdotis obligatio fundetur, dicitur illum esse « instrumentum » Christi Domini, sacerdotis aeterni; addendum forsan gratia sacramentali s. ordinis illum etiam Christo, Summo sacerdoti, conformem fieri.

N. 3. Quo in articulo pressius explicandum quanta in bono pastore requiratur caritas (cf. supra animadversio generalis, n. 2).

N. 4, lin. 2. Sacerdotalis sanctitas his muneribus alitur, prout tamen caritate informantur quod opportune dicetur. Summa autem articuli placet.

N. 6, lin. 17. Cur operum misericordiae exercitium et suffragia pro defunctis eadem in paragrapho ac menstrua recollectio, peccatorum confessio et directionis spiritualis usus annumerentur, non apparet.

Suadenda videtur « recuperatio » quaedam spiritualis per unum aut plures menses quinto quoque aut decimo sacerdotii anno (quod, in Gallia, « troisième an » vel « mois de spiritualité » nuncupatur) (cf. *de cura animarum,* pag. 51, lin. 11).

N. 7. Vita communis convictum non patietur semper; in activitatis pastoralis communitate, insistendum sit etiamsi presbyteri eadem in domo non commorentur.

N. 8. Pressius dicatur quomodo presbyter vitam secundum evangelica consilia componere debeat quin tamen voto ad hoc emisso, velut religiosus, obligetur. Quae consilia in ampliorem praxim educenda sint (cf. supra animadversio generalis, n. 3).

N. 9. A sacerdote vocationes suscitabuntur tum exemplo tum praesertim alti testimonio gaudii.

Cap. II. Optimum nobis videtur caput illud, cum peropportunum in studiorum obligatione commorari sit. Institutio studiorum moderatoris, fausta (n. 25). Bibliothecae vero quae in art. 24 praevidentur in usu alumnorum institutorum tum nationalium tum regionalium — de quibus in art. 23 agitur — potissimum servient; at instituendae ut sint optatur quae facile perviae sint sacerdotibus omnibus.

N. 21, lin. 28. « Novensiles » vocabulum rarissimum est. In schemate autem « de sacrorum alumnis formandis » vocabulum « neosacerdotes » adhibetur (pag. 15, lin. 32).

Cap. III. Novissimum quoad mentem videtur hoc capitulum (suppressa scil. notione beneficii, « massa communi » creata...) nobis placet.

Media autem et rationes proposita accurate sunt perscrutanda et quomodo in praxim caute deducenda invigilandum erit. Singulis insuper annis, ut de administratione huiusce « massae communis » bonorum fideles moneantur optandum est.

N. 28, linn. 27-29: accuratius redigendae, distinctionibus factis, ne scrupuli oriantur.

N. 33, C: textus in nota propositus melior nobis videtur propter rationes quae in ipsa nota explanantur.

Exhortatio. Videatur supra animadversio generalis n. 5. Contexendus textus cum illis quae in schemate *de cura animarum,* pag. 40, nn. 6-10 et pag. 58, nn. 43-47 dicuntur.

59

Exc.mi PP. DD. EPISCOPI REGIONIS APOSTOLICAE BURDIGALENSIS

I. *Notes sur la présentation du texte.* Deux qualités, sur ce point, le caractérisent. D'abord, il est rédigé avec concision. Ensuite sa présentation est d'une grande richesse spirituelle, notamment par les citations qu'il nous offre, brèves et pertinentes, des Pères; et toute la première partie, sur la perfection de la vie sacerdotale, est animée par la lumière donnée (n. 2) sur le témoignage ecclésial propre au sacerdoce ministériel.

Deux réserves. Par rapport à l'ensemble des textes conciliaires, il développe peut-être trop des détails, en eux-mêmes excellents, qui iraient de soi plutôt dans un directoire ou une « exhortatio ad clerum ».

En ce qui regarde les textes patristiques, on aimerait que fussent davantage utilisés les Pères grecs.

II. *Quelques lacunes.* Bien que, deux fois, il ait été fait allusion à *l'unité de l'âme et des âmes sacerdotales avec celle de l'évêque* (p. 7, C) comme moyen du perfectionnement de l'âme singulière du prêtre, avec une magnifique référence au Pontifical (p. 15, 22), comme élément de la formation et de l'existence pastorales, il semble qu'il eut été bon en outre, dans ce Concile où l'Eglise reprend conscience d'elle-même comme Corps hiérarchisé du Christ, qu'un chapitre spécial insistât, du point de vue du Clergé, doctrinalement et juridiquement sur l'unité des prêtres avec l'Evêque.

Un autre chapitre eût été également apportun, concernant *le travail d'évangélisation des prêtres avec la coopération du laïcat d'Eglise,* où nous avons tant de mal à faire saisir qu'il doit être, pour l'évangélisation même, sous l'animation et la vigilance de l'Evêque et de ses prêtres, chez les laïcs eux-mêmes, à responsabilité vraie, à part entière. Tout ce que le schéma nous affirme n'a qu'un rapport très flou avec l'apostolat proprement dit (p. 7, C: à propos des services des « laïcs coopérateurs de Diocèse »; p. 22, n. 38: à propos de leur coopération à la gestion temporelle; p. 25, n. 42: à propos de l'aide par suffrages qu'ils peuvent apporter à l'extension du Corps du Christ). Sans doute, un schéma spécifique est prévu. Mais ici, brièvement, une allusion à la réforme d'âme qu'il est obligatoire de se donner pour que le prêtre accepte et anime une véritable action du laïc dans le témoignage évangélique, eût été nécessaire. Cette discipline n'est pas facile à se donner.

P. 19, n. 29, lignes 4-6. Nous aimerions que le système du « bénéfice » ecclésiastique ne soit pas condamné seulement dans une subordonnée, mais dans une proposition explicite et très nette.

Nous aimerions que, sinon dans un texte conciliaire, au moins à l'occasion du Concile, la situation des prêtres « tombés » soit revue de très près dans un sens beaucoup plus nette et claire.

60

Exc.mi PP. DD. ORDINARII INDONESIAE

Hoc schema magnopere laudandum est, quatenus maximam operam studiumque confert in augendam sacerdotum sanctitatem tractando omnes quaestiones ad hanc materiam pertinentes.

Attamen in discussione nostra nonnullas animadversiones, quae hic sequuntur, factae sunt:

1. Titulus huius schematis « de clericis » cum materia, quae in eo continetur, non concordat, quia agitur tantum de sacerdotibus sic dictis saecularibus.

2. Conceptio ordinis sacerdotalis in hoc schemate non concordat cum conceptione, quae in schemate *de Ecclesia,* pag. 25-26, n. 15 explicatur. Cum haec conceptio correspondeat doctrinae Sanctorum Patrum (S. Ignatii Antiocheni, S. Hippolyti, S. Cornelii Papae, S. Cypriani) et textibus liturgicis, quibus episcopus in administratione Sacramenti Ordinis inde a saeculis antiquissimis utitur, nos proponimus et commendamus, ut hic textus competens schematis *de Ecclesia* ut prooemium in schemate de « clericis » usurpetur.

3. In cuius consequentia in capite primo explicationem muneris et sanctitatis sacerdotalis cum hoc prooemio novo concordari oportet. Hoc modo sanctitatis sacerdotalis facies melius funditur et facilius renovatur.

Exempli gratia: *a*) Reverentia et filialis oboedientia praestanda est episcopo ut Patri suo. Et huius oboedientiae finis non sola pax cordis sacerdotis ut individui est, sed adiumentum et collaboratio cum episcopo in dispergendo veritatem et gratiam Christi super omnes fideles. *b*) Amor erga confratres fortior et fructuosior est, si sacerdotes se cum episcopo suo familiam constituere conscii sunt. *c*) Vita communis quoque ex hac intima coniunctione facilius nascitur.

4. Caelibatum sacerdotum ritus latini summe aestimamus et defendimus. Sed

nostris temporibus a permultis hominibus christianis, etiam catholicis, huius legis caelibatus liceitas et opportunitas in dubium vocantur. Ex hisce circumstantiis necessitas oriri nobis apparet, ut rationes huius legis a Sacrosancto Concilio clare explicentur.

5. Maximo cum gaudio affecti sumus, quia conditio sacerdotum ab unitate Ecclesiae deficientium sacrae hierarchiae continenter et quidem maxime cordi est. Quapropter instanter rogamus ac petimus, ut his confratribus infelicissimis Ecclesia cito veniam det concedendo eis accedere ad Ecclesiae Sacramenta, quae sunt confessionis, matrimonii et Eucharistiae, quia eloquium dilectionis et solacii atque auxilium materiale a confratribus praestitum corda eorum vulnerant, dum animae eorum Ecclesiae misericordiam et misericordis Dei gratiam continenter et affectuose, sed sine successu, desiderant.

6. Cetero censemus in hoc schemate vitam sacerdotis dioecesani vitae religiosorum in monasterio degentium nimis assimilari et non proprio muneri sacerdotali accommodari. Cf. cap. I, n. 6.

7. Denique generaliter dicendum est in hoc schemate multas res tractari, quae melius Ordinariorum locorum auctoritati transmitti nobis videntur. E. g. testamentum sacerdotis, bibliotheca, selectio periodicorum, moderator studiorum etc. huiusmodi.

61

CONFERENTIA EPISCOPORUM NEERLANDIAE

Ad schema VIII *de clericis* conferentia episcoporum Neerlandica sequentia notare velit. Cum ea quae in hoc schemate dicantur sint quaedam summa vel compilatio eorum quae habentur in nonnullis Manualibus spiritualitatis clericalis, quaeri potest utrum ipsum Concilium debeat edere talia generaliora ab omnibus iam plene cognita. Necessitas propositionis *conciliaris* illorum effatorum non liquet. Quam ob rem schema prout iacet videtur esse superfluum, quia opus non est Concilii ut talia generaliora proclamentur.

Ad n. 3 sub *e*) (pag. 7), ubi de sacerdotibus lapsis agitur, addatur quod Ecclesia illos saltem sacerdotes, quibus ex defectibus naturalibus involuntariis v. g. psychicis caelibatus insuperabile apparet onus, materna cum sollicitudine excipere vult, etiam si casus fert eos ab obligationibus caelibatus liberando. Insuper quod Ecclesia considerare intendit, in quibus aliis casibus miseros sacerdotes deficientes cum materna misericordia a voto castitatis absolvere possit.

B) *A die 10 decembris 1963 ad diem 20 maii 1964.*

1

EXC.MUS P. D. VINCENTIUS BRIZGYS

Episcopus tit. Bosanensis, aux. Kaunensis

Ad cap. I, pag. 6 et 8. In dioecesibus saltem maiorem numerum sacerdotum habentibus, ubi episcopus ipse incapax est unumquemque sacerdotem personaliter intime cognoscere et semper praesto esse sacerdotum individualibus necessitatibus,

nominetur director vel amicus spiritualis pro iuvenibus sacerdotibus. Talis director vel amicus posset esse tam ex clero dioecesano quam regulari, adultae aetatis, bona fama et fiducia apud sacerdotes gaudens. Ille haberet uti sua omnia negotia spiritualia iuvenum sacerdotum. Audita aliqua fama minus bona vel facto de aliquo sacerdote ipse praesto esset illum sacerdotem adiuvare, consolare, confortare, admonere.

Talis director vel amicus nunquam et nihil referret curiae dioecesanae vel episcopo de sacerdote, nisi explicite et instanter ab ipso rogatus.

Ad cap. II, nn. 20-23. Certe, sanctitas et scientia theologica in sacerdote sunt principalia. Haec tamen non sufficiunt, ut sacerdos habeat auctoritatem pastoris et ducis in populum sibi commissum. Cum progressu culturae et scientiae etiam sacerdotum gradus culturae et scientiae generalis debito gradu proficisci debet. Unusquisque sacerdos debet esse intellectualis *huius temporis,* etiam suo conductu et formatione non « un sempliciotto ». Populus magni habet sacerdotis ascesim, pietatem, caritatem, sed haec, quamvis prima ex necessariis, non sunt sufficientia ut sacerdos fiat et manet dux sibi commissorum. Ceterum vero nova inventa praesertim in scientia physico-chimica nobis novas vias aperiunt ad melius intelligendas fundamentales quaestiones philososphicas et sic iuvat etiam nostram intelligentiam theologicam.

Ad iuvandos sacerdotes in cognoscendis, quae sunt nova ipsorum scientiae digna et utilia in scientiis et vita, ad incitandos iuvenes sacerdotes in continuandis privatis studiis scientiarum, utile esset sacerdotes saltem per quinque annos ab ordinatione (etiam plurium dioecesium vicinarum vel si dioecesis magna est, sacerdotes possunt vocari per duas vel plures hebdomadas) convocare ad hebdomadam studiorum scientiarum (hoc nullo modo coniungendo cum annuis exercitiis spiritualibus), ut a viris selectis sacerdotes informentur de progressu et novitatibus scientiarum.

Hac eadem occasione aliquis selectus laicus utiliter posset aperire mentem nomine laicorum, quid eorum iudicio desideratur in persona sacerdotis contemporanei. Talis allocutio non est timenda: hoc esset longe utilius, quam fidelium conversationes de sacerdotibus ipsis insciis.

Ad cap. III, n. 29, versum 6: Verba: « et adhuc hodie nimis coniungitur » propono sic exprimere « et adhuc hodie in aliquibus regionibus nimis coniungitur ». In mea patria sacerdotes liberi ab hoc fuerunt iam ab anno 1863, quando gubernium russicum Ecclesiam bonis immobilibus expropriavit. Concedimus hoc iniusto modo factum fuisse, tamen sine implicationibus in bona temporalia administranda sacerdotes felices nec minus divites fuimus comparati cum iis, qui fuerunt et in nonnullis regionibus adhuc sunt ligati hoc onere. Propter multiplex bonum et commoditatem ex toto corde propono clero totius mundi quamcitius exonerari omnibus proprietatibus immobilibus praeter aedificia ecclesiae, domus parochialis, scholae, aedificiorum necessarium ad opera pastoralia non vero ad proventus materiales.

2

EXC.MUS P. D. THOMAS COORAY

Archiepiscopus Columbensis in Ceylon

In cap. I: « De vitae sacerdotalis perfectione » (seu secundum novum textum: « de vita spirituali sacerdotum »). Addendum ad finem:

1. Cum vero nemo nesciat quam optimas regulas seu normas inutiles evadere nisi simul adsint media practica ad illas efficaces reddendas, haec Sacrosancta Synodus enixe hortatur episcopos ut quaecumque ad hunc finem desideratissimum quocumque modo assequendum tum necessaria, immo tum utilia sunt, maximo zelo suis sacerdotibus subpeditent.

Unde valde commendatur, inter alia, ut in diversis mundi plagis foculi seu « coenacula » ad instar « Motus pro Mundo Meliori » (v. « Movimento per un mondo migliore ») instituantur ad sacerdotum sanctificationem fovendam.

2. Denique haec Sacrosancta Synodus peculiaria salutis remedia providere cupiens sacerdotibus qui, nonobstante praeclaro tot collegarum exemplo in propriam ac multorum ruinam a constanti status ecclesiastici fervore prolabuntur, optat ut, de auctoritate Sanctae Sedis Apostolicae, Secretariatus quidam seu Opus Pontificium instituatur ad nisus omnium coniungendos eorum qui alto huic ac inhonesto dilectae Unigeniti Filii Dei Sponsae vulneri medendo incumbere volunt.

(*Nota*: Brevius conspectus, lineas generales talis Operis Pontificii complectens, adnectitur qui per modum « Appendicis » huic decreti schemati addi potest).

Appendix: *Prospectus statutorum Operis Pontificii « Pro recuperatione Sacerdotali »*.

1. De auctoritate Summi Pontificis, pastorum Pastoris Vicarii, ac sub ipsius sollicita vigilantia, Opus Pontificium instituatur « Recuperationis Sacerdotalis » ad sacerdotes errantes in viam salutis reducendos.

2. Ad optatissimum finem consequendum, Opus Pontificium curet nisus omnium coniungere eorum qui quoquo modo (oratione, vicaria expiatione, suasionibus, consiliis, subsidiis, hospitio, succursu, impedimentorum amotione) huic apostolatui addicuntur; ita ut, nomine Boni Pastoris, coniuratio quaedam misericordiae fiat in salutem sacerdotum errantium.

3. Inter membra proinde huius Operis recenseri valent ac sese inscribere invitantur: *a*) Instituta Religiosa; *b*) Piae Associationes vel Opera Dioecesana; *c*) singuli (sive ecclesiastici sive laici) qui supra memoratis (*a*, *b*) Institutis, Associationibus, Operibus non sunt adscripti.

4. Ad Consilium Generale Operis pertinebit, inter alia: *a*) Elenchum exarare Institutorum Religiosorum, Piarum Associationum et Operum recuperationi sacerdotali iam addictorum, cum opportunis notitiis de sede, scopo ac viribus ipsorum; *b*) Alia etiam Instituta, Associationes et Opera ad hunc finem suscipiendum sollicitare vel etiam suscitare; *c*) Centra regionalia vel particularia suscitare e conflatione virium illius regionis vel loci a competenti auctoritate facta; *d*) Hospitia pro lapsis in diversis mundi regionibus creare ad succurrendum episcopis qui tales casus collocare debent.

3

EXC.MUS P. D. ARMANDUS FARES

. *Archiepiscopus Catacensis, episcopus Squillacensis*

Cap. I: *De vitae sacerdotalis perfectione.* 1. Quae in nn. 1-5 recte dicuntur, revisioni subicienda erunt iuxta ea quae de episcopatu, presbyteratu et diaconatu dicta sunt et definitive dicentur in schemate *de Ecclesia*: iisdem principiis innixi, etiam conclusiones practicae de quibus in hoc decreto agitur maiorem accipiunt vim et firmitatem.

2. In n. 6, ad litteram *f,* lin. 20, peropportune edicitur exercitia spiritualia peragenda esse ab unoquoque sacerdote *quotannis.*

3. Circa pericula ex vita solitaria in qua multi sacerdotes versantur in parvis oppidis, praesertim montanis, concordanda essent quae hic dicuntur cum quaestione quae curam animarum attingit: idest de *domo communi* in qua presbyterium haberi posset et in qua ad plures paroecias regendas sacerdotes, non inter se valde distantes, convenire deberent, ita ut sub ductu Vicarii Foranei vel senioris parochi vitam clerici dignam agere possent, cum magno fructu spirituali et sui et fidelium diversarum paroeciarum.

Cap. II: *De studio et scientia pastorali.* 4. Optime inculcatur studium ad officia status clericalis *essentialiter* pertinere (in n. 16); artem paedagogicam necessariam esse (in n. 20); instituta pastoralia nationalia vel regionalia frequentanda esse (in n. 23): sed haec omnia generatim supponunt clericum seu sacerdotem non obrutum labore apostolico, praesertim ubi persentitur penuria sacerdotum. Hinc melius esset quaedam opera derelinquere, quam sacerdotem imparem evadere ad sua munia stricte sacerdotalia perficienda. « Non est aequum nos derelinquere verbum Dei et ministrare mensis » (cf. *Act. Ap.* 6, 2).

Circa instituta pastoralia etc. quaedam dicerem. Viribus unitis episcopi regionis ecclesiasticae vel etiam civilis, si regio amplior sit, efficiant ut habeatur *Convictus ecclesiasticus* in quo saltem per biennium sacerdotes novensiles formentur ad opus ministerii (sicut legimus in historia S. Iosephi Cafasso, et in *Menti nostrae* fel. record. Pii Papae XII).

Instituta pastoralia cursus promoveant quae dicuntur « di aggiornamento »; et episcopi, etiam in assignandis muneribus et praecipue paroeciis sacerdotibus propriae dioeceseos, rationem habeant de frequentia horum cursuum, sicut ex Iure Canonico ratio habenda est eorum qui examinibus triennalibus post ordinationem presbyteralem subiiciuntur.

Cap. III: *De recto usu bonorum.* 5. Quae in hoc capite continentur practice multum sibi vindicant valorem. Etenim certum est systema beneficiale, uti adhuc est, non amplius respondere exigentiis Ecclesiae et etiam, ex altera parte, exigentiis socialibus populi, cum in progressum sint ubique leges sociales *vel* eversivae ipsius iuris proprietatis *vel* plus aequo limitantes hoc ipsum ius. Praeterea, etiam hodie, in universa Ecclesia, non eaedem inveniuntur conditiones in singulis nationibus.

Hinc, mea sententia, deberent quaedam edici vel studio episcoporum *post* Concilium subiici, ad quae — sicut in linea generali iuris — omnes tandem ali-

quando pervenire deberent. Simul tamen, tanquam dispositiones transitoriae, instructiones generales dari a S. Sede, quae studio et curae episcoporum singularum nationum suppositae, viam aperire deberent *et* ad honorificam sepulturam systematis beneficialis, *et* ad novum ordinem rerum instituendum circa adquisitionem, administrationem, distributionem bonorum quae ad clericos cuiusque gradus sustentandos et ad opera prae primis sunt necessaria *sive* ad religionem catholicam ubi est conservandam, alendam et fructibus bonis augendam, *sive* ad fidem propagandam et sustentandam in regionibus missionum.

6. Circa n. 33, litt. *c*), mihi videtur non acceptandus nec textus qui invenitur in linn. 32-36; nec textus qui substituendus proponitur in nota: *animadvertendum,* in pag. 21, in ultimo commate.

In eodem numero, post litteram *h*) — quae ex abolitione litterae *c*) fieret littera *g*) — addi posset v. g. « Sacrosanctum Concilium hortatur clericos, si qui sint qui bonis vel patrimonialibus, vel propria licita et legitima industria acquisitis gaudeant, ut 1) in gratiarum actionem Deo omnium bonorum auctori, 2) in animi etiam grati erga Ecclesiam in cuius sinu laborant, 3) in exemplum spiritus paupertatis erga populum christianum, de eisdem bonis vel de eorundem parte disponere velint, sive actu inter vivos sive mortis causa, ad bonum Ecclesiae, quae tanquam Mater amantissima ipsos aluit ad bonum, quodcumque bonum, etiam bonum personali industria acquisitum ».

7. Ad n. 35, de administratione bonorum in genere, aliquid dicerem: si bona quae administrantur sunt bona beneficialia — quae tamen subtrahenda erunt administrationi titularis beneficii in periodo in qua valere deberent dispositiones transitoriae (cf. *supra,* n. 5) — nonne considerari posset possibilitas convertendi — in ratione administrationis — illa bona beneficialia in bona « di società per azione », cuius fructibus partem haberent singuli beneficiati uti « actionistae »? Iam multa mala vitarentur ex systemate beneficiali derivantia, quae tamen vitam spiritualem attingunt fidelium qui v. g. agros ecclesiae vel paroeciae conducunt, etc.

8. *Exhortatio de distributione cleri.* Unum dicam, quod iam dixi in responsione ad Litteras card. Tardini circa Concilium Oecumenicum coadunandum (cf. *Acta et Documenta Concilio Oecumenico Vat. II apparando, Series I* [*antepraeparatoria*], vol. II: *Consilia et vota Episcoporum ac Praelatorum,* Pars III, Europa - Italia, pag. 184, n. 36). Videlicet: Concilium hortatur etc., « Normas statuendo de valore et extensione incardinationis clericorum: extensio enim videtur modificanda ita ut amplitudinem habeat non amplius dioecesanam, sed sit provincialis vel regionalis in unaquaque provincia vel regione ecclesiastica: et sic, praesertim in nostris locis ubi est defectus numericus sacerdotum, erit possibile providere bono populi fidelium per sacerdotes qui sine ullo impedimento iuridico de uno in alium locum transferri valeant de consilio ipsorum Ordinariorum ».

4

Exc.mus P. D. XAVERIUS GEERAERTS

Episcopus tit. Laganitanus

Notandum generale. Supponitur quod antequam de clericis tractetur clare et expresse, sicut multi Patres conciliares hoc proposuerunt occasione tractatu *de Ecclesia* cap. IV, *de vocationc ad sanctitatem,* bene indicatur quaenam sanctitas et perfectio *ab episcopis* postulatur.

Etenim, sicut Christus exemplum dedit omnibus, sed praesertim apostolis, sicut apostoli exemplum dederunt discipulis suis et successoribus in apostolatu, sic episcopi, successores apostolorum, praeclarum exemplum dare debent suis sacerdotibus et omnibus subditis.

Debent excellere perfectione sanctitatis et caritatis, debent salutem promovere omnium animarum non solum proprii dioecesis sed universi mundi, dare perfectum exemplum paupertatis suo statui convenientis, renuntiare cum simplicitate omnibus signis exterioribus divitiae et omnibus pompis obsoletis quae magis et magis scandalizant christifideles. Omnes eorum exhortationes et praescriptiones false sonant si ipsi prius non faciunt quod aliis praedicant.

Pag. 15. Post n. 26 sequatur n. 27. Tempus reservandum studiis praescribatur omnibus sacerdotibus et numquam minus sit quam dimidiam horam omnibus diebus anni, exceptis diebus legitimae relaxationis ab ordinariis determinandis.

Pag. 20, n. 32, lin. 5. Incipiat articulus hisce verbis: « Ut possibile sit in tota Ecclesia providere necessitatibus omnium dioecesarum, in quantum non ipsae hoc facere possunt, primum oportet aliquam massam communem constituere alendam a dioecesibus privilegiatis, ex qua dioeceses pauperes adiuvari possint quin obligati sint continue propria industria alimoniam quaerere.

In quacumque dioecesi dein *ut valeant* etc. » sicut in n. 32.

5

Exc.mus P. D. CONSTANTIUS MICCI

Episcopus Larinensis

Pag. 8, n. 7: loco verbi « foveatur », dicatur « statuatur et in praxim deducatur » ad rem tam necessariam in peculiaribus rerum hodiernarum adiunctis, melius urgendam.

Et quando dicitur « in clero foveatur » addatur: « praesertim ad animarum curam in paroeciis addicto », quia ibi maior exstat necessitas, ut in verbis exsequentibus optime innuitur.

Loco « quantum fieri potest » dicatur: « gradatim et progressive, viribus omnibus ».

Tota periodus ergo sic sonare poterit: « Vita communis gradatim et progressive, viribus omnibus in clero, praesertim ad animarum curam in paroeciis addicto, statuatur et in praxim deducatur: item sacerdotum conventus... recreationis ».

Pag. 9, n. 13. Magis urgendum esse videtur officium testamenti exarandi, et

continuo, pro diversitate rerum adiunctarum, revisendi. Hanc formulam ideo proponerem: « Sacerdoti cuivis, ne sollicitudinibus nimis hora mortis turbetur, Sacrosancta Synodus obligationem urget tempestive de pecunia ceterisque bonis pro diversitate in dies rerum suarum adiunctarum iterum iterumque disponendi in favorem sive operum Ecclesiae, veluti seminariorum, sacrarum missionum etc., sive pauperum: vel utcumque decernendi de suo patrimonio per testamentum ad leges patriae praescripta exaratum ».

Pag. 14, n. 21, ad *a*). Prorsus tenuior esse videtur, mea humili sententia, dispositio Sacrosanctae Synodo proposita, quae novitate caret, quia iam quod suadetur, fit, et quia proportionem non habet cum praesentis temporis adiunctis, eo minus futuri.

Aliam proponerem: « Post persolutum curriculum theologicum studiorum, et secundum variarum dioecesium adiuncta, domus instituatur, quae « Post-Seminarium » vel « Institutum ad pastorale munus sacerdotibus parandis » vel « Seminarium pastorale »,[1] ut applicatione pastorali scientiarum theologicarum sacerdotes novensiles pressius erudiantur; difficultates vitae pastoralis sub ductu virorum qui experientia et prudentia, pietate et scientia polleant, experiri possint sine periculo pro animabus et sine propriae conscientiae discrimine; pericula maxima quae ex diuturna et exagitata activitate vitae interiori provenire possunt, doceantur cavere; necnon curriculum exercitationis practicae in universo munere pastorali, quod in praesentis adiunctis tam late patet, perficere possint; utque in scientiis sacro ministerio etc. ».

Pag. 18, n. 28, post verba: « Meminerint semper omnes... praesertim circa egenos, exercenda », addantur haec verba: « Itaque ex una parte curent Ordinarii locorum ut, quantum fieri potest, alumni perdurante tempore formationis praesertim philosophicae et theologicae, prorsus expensis dioecesis alantur, ex altera ut sacerdotio sic aucti, exinde Ecclesiae totaliter, minime autem familiae suae, inserviant, exceptis peculiaribus casibus, verae necessitatis parentum; ita ut nemini umquam liceat officium ecclesiasticum etc. ».

Pag. 20, n. 32: dicitur: « Ut valeant Antistites huic obligationi... quantum fieri potest constituatur ». In praesenti autem rerum statu, hoc difficillime fieri potest, quia sunt aliqua munera facillima et levia, vel non, quae prorsus abundantes redditus secumferunt, alia vero quibus nullus iam redditus tribuitur vel minimus tribui datur. E. g. canonicatus, institutio religionis in scholis non-primariis etc. ex una parte, activitas actionis catholicae ex alia parte, vel institutionis scholasticae, in seminariis...

Nunc autem mens quae hodie propagatur haec est: « Hos redditus ego habeo quatenus canonicus; hi alii redditus quatenus magister religionis mihi obveniunt... nunc autem qui sunt redditus qui mihi tribuentur quatenus magister in Seminario? »...

Et pauperrimus episcopus nequit dicere: « Tu autem canonicus es, magister religionis es etc. etc. Haec omnia nihil tibi prosunt? » quia si hoc dicat ei respondebitur: « pro unoquoque labore, ad iustitiam, redditus proprios oportet tribuere ». Et tunc? vana erit dispositio n. 32.

Mea humili sententia igitur oportet illa verba « quantum fieri potest » expun-

---

[1] Sicut dicitur « Seminarium theologicum », vel philosophicum, ita apte dicetur « Seminarium pastorale ».

gere, quia si maneant, semper erit impossibile. Concilium statuere debet instrumenta apta pro episcopis ut « fieri possit ». Itemque proponerem haec verba adiungenda post « in singulis dioecesibus [quantum fieri potest] constituatur »: « Et in casibus in quibus hoc non facile pertingi possit, detur Ordinario licentia congruas taxationes applicandi, vel alia huiusmodi, ut quovis modo iustitia distributiva servari possit ».

Pag. 25, in fine n. 41: haec verba addantur: « etiam si difficultates quaedam in propria dioecesi sint superandae, minores tamen quam necessitas, quae in altera urgeat, ad supremum bonum animarum ».

6

EXC.MUS P. D. ANDREAS PANGRAZIO
Archiepiscopus Goritiensis et Gradiscanus

Pag. 8, linn. 27-33: magis insistendum videtur in obligatione retinendi spiritum paupertatis.

Pag. 20, linn. 32-36: meo iudicio opportunius erit substitutio huius partis sub *c*) cum parte quae in nota habetur in fine pag. 21 sub *c*).

Pag. 22 art. 38, linn. 32-33: verba « provideatur ut in quolibet negotio... partem habeant laici qui... » ita substituantur « provideatur ut administratio bonorum ecclesiasticorum tribuatur laicis qui... ». *Ratio* est quia sacerdotes huius archidioecesis, dura et ingrata experientia edocti, asserunt administrationem totam laicis committendam esse.

7

EXC.MUS P. D. RAPHAEL PELLECCHIA
Episcopus Aliphanus

Expositio doctrinae parum placet; deest enim inspiratio vere ecclesialis.

Enim cap. I (*de vitae sacerdotalis perfectione*) deberet constituere veluti applicatio et irradiatio doctrinae de vocatione ad sanctitatem in Ecclesia, et de hoc nullimode fit sermo. At, tantum si sanctitas sacerdotalis inspicitur in luce sanctitatis Ecclesiae, intelligitur eius natura, necessitas, origo, irradiatio. De hoc contextu ecclesiali nihil. Loquitur de fundamento exigentiae sanctitatis sacerdotalis; de eius connexione ad ministerium; de mediis quibus sanctitas augetur et alitur, sed nihil de horum connexione cum sanctitate et missione Ecclesiae. Unde insistitur magis in practicis directivis quae tamen fuerunt iam, et quidem perfectius, proposita vel a Summis Pontificibus his ultimis annis, vel in C.I.C. et quae, omni casu, in novo Codice vel in aliquo Directorio melius ponerentur.

Cap. II. Et ipsum deberet considerari in illo contextu ecclesiali, qui est proprius Conc. Oec. Vaticani II.

Studium et vita culturalis clerici inseritur in missione propria Ecclesiae cuius est penetrare veritatem a Christo Domino revelatam, et cognoscere hominem et eius opera ut omnia ista luce Christi intime penetrarentur. Si munus Ecclesiae proprium, debitis servatis proportionibus, erit etiam munus omnium qui sunt membra Ecclesiae. Unde si illa coordinatio plurium schematum, de qua votum

proposui, in praxi reduci non poterit, saltem oporteret hic inserere aliqua, quae necessitatem innuant huius participationis vocationi Ecclesiae ex parte illorum qui vitam clericalem instituunt. Sic e. g. sacerdotes tenentur studio incumbere quia sunt membra electa Ecclesiae Christi cui proprium est quaerere pleniorem intelligentiam mysteriorum fidei et docere veritatem a Christo propositam.

Oportet etiam revocare necessitatem contemplationis theologicae in vita sacerdotis, ut pluries Pius XII commendavit. Ecclesia enim et contemplat veritatem et eam contemplatam tradit; sed primum momentum est essentiale et debet claris litteris urgeri. In ipso invenitur origo scientiae sacerdotalis quae, potius quam a studiis et industria humana, pendet ab influxu fidei et donorum Spiritus Sancti.

Cap. III: Etiam doctrina istius capitis magis fulgeret si constitueret applicatio illius: « Ecclesia est signum in nationibus levatum, quibus etiam in paupertate evangelica testimonium mitis et humilis Iesu praebet » Constitut. *de Ecclesia,* c. I, n. 7). Clericus debet esse pauper quia pars electa Ecclesiae pauperum; ministrum Christi pauperis; quia optime cognoscere debet et in praxim reducere doctrinam de fine bonorum temporalium in ordine creationis.

Observationes particulares. Deinde, agendo de studiis clericorum post adeptum sacerdotium, dicatur quod ipsi debent incumbere studio S. Theologiae, SS. Canonum, Historiae Ecclesiae. Utique in a. 17 eis imponitur onus perseverandi in studiis peractis in seminario, sed etiam scientias humanas (n. 20) et doctrinam pastoralem (n. 21) discunt a magistris. Unde aut ponitur aliqua commendatio generalis circa studia peragenda, relictis aliis Codici I. C., aut in n. 18 dicatur clarius oportere incumbere studio S. Theologiae, quae est et manere debet centrum culturae clericorum.

Illa quae ponuntur n. 31: de praevidentia sociali; n. 32: de massa communi bonorum in singulis dioecesibus constituenda, melius collocarentur in decreto de dioecesibus etc.

Quae in n. 33: de fontibus massae communis, sub litt. *a*) ponuntur, ultimo loco collocarem. Exemplo Pauli apostoli, sacerdos deberet recurrere oblationibus fidelium, expletis omnibus quae sibi potest sua industria et labore comparare. Sacerdotes enim, prae ceteris fidelibus, tenentur subvenire pro viribus necessitatibus Ecclesiae.

N. 37 vertit circa ordinationem studiorum; et de hoc melius quando agitur de sacrorum alumnorum formatione.

Nn. 35, 36, 38, 39 continent generalia principia circa administrationem bonorum. De his melius agebitur in decreto *de episcopis et dioecesium regimine,* quia principia circa hanc materiam sunt semper ab episcopo vel a conferentiis episcopalibus statuenda.

Etiam exhortatio de distributione cleri videtur pertinere ad schema de regimine dioecesium, ubi de nationali episcoporum coetu seu conferentiis agitur.

N. 42 (linn. 10-15), non apparet congruens doctrinae propositae in schemate decreti *de apostolatu laicorum* et in schemate constit. dogm. *de Ecclesia* quoad laicos. Laici enim debent adlaborare « propriis orationibus, eleemosynis ac pecuniis collectis incremento laboris pastoralis illis in locis ubi sacerdotes desunt ». At, sunt etiam alii modi adlaborationis. Peritiores inter illos e. g. possunt sese transferre in locis ubi sacerdotes desunt et ibi non solum attendere exercitio propriae professionis, sed etiam aliquam cooperationem magis activam dare ministerio pastorali.

8

EXC.MUS P. D. FRANCISCUS SIMONS
Episcopus Indorensis

Cap. I, n. 4, *e*), pag. 7. Pauca *de caelibatu sacerdotali* addere velim. Si vera sunt quae dicuntur de numero sacerdotum qui uxorem duxerint vel filios genuerint vel alio modo in observando caelibatu externe vel interne defecerint, honeste inquirendum est utrum caelibatus revera imponendus sit ut lex generalis pro omnibus sacerdotibus.

1. Lex caelibatus generalis in origine processit ex spiritu aliquo adhuc vigente dualismi et manichaeismi qui actum carnalem ut aliquid inhonestum vel minus honestum et indignum status sacerdotalis habebat. Nunc scimus in ipso casto connubio inveniri, exprimi et exerceri amorem Christi et Dei, nec ratio adest cur matrimonium ut indignum sacerdotii aestimemus.

2. Ex natura rerum gratia virginitatis et gratia sacerdotalis nec eadem dici possunt nec ita inter se connectuntur ut semper inveniantur in eadem persona. Gratia specialis virginitatis datur ad indivisum amorem Christi. Talis amor non apte imponi potest per legem. Multi sunt qui ut iuvenes honeste et bona voluntate observandi eam accipiunt legem caelibatus, quia sacerdotes fieri desiderant, quin habeant gratiam specialem virginitatis sine qua lex talis difficilis, a multis observari non potest.

3. Secundum verba Christi et S. Pauli virginitas est gratia aliqua specialis, quae paucis datur, dum multi sunt ii qui requiruntur ut praebeant populo Dei et mundo verbum et panem vitae.

4. Non sine aliqua hypocrisi praetendere videmur caelibatum sacerdotalem cum magna fidelitate illibatum observatum esse et observari eosque paucos esse qui tempore praeterito et nostro eum, externe et interne, non observaverint. Timor admirationis nos non prohibere debet honeste considerare mutationem legis (fortasse ad modum Ecclesiarum orientalium). Ii qui gratiam virginitatis a Deo obtinuerunt etiam in sacerdotio gratiam illam pretiosam observabunt, sed multi sunt alii viri omnino digni qui gratiam hanc non obtinuerunt nec per modum legis ad amorem virginalem et indivisum Christi adduci possunt. Nonne etiam pro iis valebit verbum apostoli: Melius est nubere quam uri?

9

EXC.MUS P. D. PAULUS YOSHIGORO TAGUCHI
Episcopus Osakensis

Ad n. 39, pag. 23, ita textus mutandus esse videtur in primis lineis: « Rogantur denique enixe non solum antistites et administratores bonorum ecclesiasticorum, sed etiam omnes clerici, parochis non exceptis... ». Nonnulli sacerdotes intelligere possunt verbum « administratores » significari administratores dioecesanos. Omnes clerici non tantum theoretice sed practice spiritum paupertatis exercere debent. Quamobrem non tantum bonis ecclesiasticis sed etiam pecunia sua opera caritatis exsequi debent.

4. ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE
QUOAD SCHEMA DECRETI DE SACERDOTIBUS

A) *A die 21 maii 1964 ad diem 13 septembris 1964.*

1

EM.MUS P. D. PETRUS TATSUO CARD. DOI
Archiepiscopus Tokiensis

In pag. 5, lin. 9: loco « mancipantur » dicatur « consecrantur ». *Ratio*: haec expressio melius exprimit effectum Ordinationis Sacerdotalis.

In pag. 7, lin. 31: in fine addatur: « etiam valetudini et aptis vacationibus sacerdotum episcopi paterne provideant ». *Ratio*: haec duo pertinent ad honestam sustentationem de qua agitur.

Nomine omnium episcoporum Iaponiae.

2

EM.MUS P. D. PAULUS M. CARD. RICHAUD
Archiepiscopus Burdigalensis

In hoc schemate non apparet satis modo concreto et supernaturali vita sacerdotalis. Abstracte et sine relatione personali cum Christo et eius mysterio proponitur sacerdotium. Exinde officia sacerdotum potius iuridice et optative describuntur in n. 2 et eorum exigentia interna non apparet.

Existimo ut maiori moderatione et cum vera moderatione proponatur de excardinatione in n. 6. Secus impossibile esset episcopo suam dioecesim regere, praevidendo sapienter numerum sacerdotum de quibus eget. Dum feliciter nunc in lucem proditur ligamen presbyterii cum episcopo, talis dispositio videtur infausta et contradictoria.

E contra laudabilis valde est propositio quae declarat systema beneficiorum et inamovibilitatis relinquendum, sed doleo quod nulla enunciatio sit de opportunis propositionibus relatis in pag. 35, *b*), circa suppressionem classium et praesertim circa simplificationem vestium cleri et episcopatus, circa abolitionem titulorum puri honoris, circa limitationem in perpetuitate fundationum.

3

EXC.MUS P. D. LEOPOLDUS BRELLINGER
Episcopus Chimscienensis

Placent sequentia: remuneratio congrua sacerdotum dioecesanorum, pag. 7, n. 9; mensa communis bonorum in singulis dioecesibus paranda, pag. 8, n. 10.

Desideranda: vacatio annua (v. g. 2 hebdomadarum) sacerdotum dioecesanorum; codex Missarum exacte scribendus.

4

EXC.MUS P. D. ALOISIUS M. CARLI

Episcopus Signinus

Pag. 5, linn. 10-11 sic legendum puto: « ministerio episcopatus vel presbyteratus, *participent* et exerceant etc. ». *Ratio*: notio *participationis* est magis substantialis quam notio repraesentationis. Ceterum notio repraesentationis iam habetur in verbis « in eius persona agant ».

Pag. 7, lin. 1. Mendum typographicum « pervertere » loco « pervetere ».

Pag. 7, lin. 8. Quaero: quomodo salva esse possunt iura Ordinarii loci quando dioecesis aliqua personalis constituatur?

Pag. 7, lin. 20. Loco « alter cum altero » legatur « alter*um* cum altero ».

Pag. 7, linn. 25-26 sic clarius legenda propono: « curent Sacrorum Antistites, ut, *vel singuli pro sua dioecesi vel melius plures simul pro communi territorio,* normae etc. ». *Ratio*: in hac materia fere impossibile est ut unaquaeque dioecesis proprias normas utiliter edere possit. Res tractanda videtur in conferentiis episcopalibus territorialibus.

Pag. 8, lin. 6. Loco nimis debilis « Optandum etiam est » propono ut dicatur: « *Valde etiam commendatur ut* » .

5

EXC.MUS P. D. ALFREDUS CAVAGNA

Episcopus tit. Tianus

Pag. 5, n. 2, lin. 23: opportune commendatur « cotidiana oratio mentalis »; deinde additur « et similia ».

Efficacius forsan, ad sanctificationem cleri promovendam, loco verbi « similia » adhibenda esset expressio quae, pag. 23, n. 7, ut titulus invenitur, scil. « *et alia subsidia ad sanctificationem adhibenda* ».

6

EXC.MUS P. D. CAROLUS DE PROVENCHÈRES

Archiepiscopus Aquensis in Gallia

1. Hoc schema in genere placet, supposita decisione « ut primigenus textus reduceretur ad sua capita essentialia ».

2. Sed necessario mutandus est titulus cum praesens ampliora praebeat speranda. Multi enim presbyteri opinabuntur: « Ecce omnia quae de nobis a Concilio sunt definita! » cum sacerdotii aspectus theologicus in *de Ecclesia*; pastoralis officii summa in *de pastorali episcoporum munere,* vel *de apostolatu laicorum*; formatio autem in *de institutione sacerdotali* etc. proponantur. Titulus ideo proponitur: « De sacerdotali conversatione » aut « De sacerdotali vita ».

3. Pag. 5, lin. 2. Sic mutetur: « ... Naturam theologicam *episcopatus* et presbyteratus *eorumque* missionem... ». Sic nunc edicuntur propositiones ut de pre-

sbyteratu tantum agi videatur cum fundamentales hae exigentiae ad omnes qui sacerdotium participent, pertinent.

4. Pag. 5, linn. 8-10. Sic mutentur: « ... eo quod, per *sacramentum* Ordinis et characterem sacerdotalem, novo titulo Deo mancipantur, *et Christi aeterni sacerdotis instrumentum efficiuntur,* ut nempe *in Corpore suo, cuius universitas sacerdotalis est, ipsius* Christi Capitis sacerdotium... ». Quibus formulis, e fusiore schemate mutatis (pag. 19, n. 2) sententia clarior atque exactior efficitur.

5. Pag. 6, lin. 12. Iuvabit etiam, in textu quae in titulo exponuntur « studium ad essentialia officia status sacerdotalis pertinet » includi.

6. Pag. 5, lin. 25. Sic mutetur: « Ad efficacitatem sacri ministerii *plurimum conferre possunt* ». Non necessario ad ministerii efficacitatem exercitia illa requiruntur.

7. Pag. 7, lin. 1: « pervetere » et non « pervertere ».

8. N. 10. Hac in propositione — vel potius in relatione — revocandum est quod in fusiore schemate (pag. 37-40, nn. 30-34) de recta bonorum administratione et de in ipsa laicorum parte reservanda dicuntur, opportunum videtur.

9. Necesse erit publicationem directorii praenuntiari quo sacerdotalis pastoralis ambitus exponatur (parochorum scil. officia, catechetica institutio, verbi divini praedicatio etc.).

7

Exc.mus P. D. ALBERTUS CONRADUS DE VITO
Episcopus Lucknovensis

In cap. I, n. 4, *e*), lin. 16. *De caritate erga sacerdotes poenis ecclesiasticis innodatos*: *etiamsi a fide vel ab unitate Ecclesiae defecerint.*

Mente adhuc recolimus allocutionem, occasione Romanae Synodus habitam a Beatissimo Papa Ioanne XXIII s. m., in qua haec inveniuntur: « Cum primis moeremus, quod ad amissi sui decoris particulam reparandam, nonnulli, allucinationi cuidam indulgentes, putant Ecclesiam catholicam velle aut opportunum ducere ab ecclesiastici caelibatus lege desistere, quae per saeculorum decursum fuit et est sacerdotii praeclarum et nitidissimum ornamentum ».

Etsi his verbis indiscussa veritas contineatur, scil. Latinam seu Romanam Ecclesiam non debere a caelibatu servando suos clericos in sacris dispensare, tamen peropportunum ducimus quaedam adnotare circa spiritualem condicionem eorum presbyterorum « quibus cor et caro simul terrestre iter percurrentia, etiam in parum evigilata perfunctione sacri muneris, magnum detrimentum attulerunt ».

Et ita magnum fuit detrimentum ut, sua ipsorum vocatione spreta, vinculum seu matrimonium, ut aiunt, civile contrahere ausi sint.

Quaestio his terminis consideranda proponitur. Quid faciendum in casu sacerdotis qui, proh dolor!, civiliter seu concubinarie cuidam mulieri iunctus est et a qua filios habuit, sed nunc, licet eum poenituit sui peccati, in ea tamen invenitur condicione ut nequeat iam compartem deserere ob peculiares circumstantias, praecipue vero ob prolis educationem, vel quia voluntas ita debolis atque fragilis facta est ut iste sacerdos nequeat promittere ne in peccatum denuo labetur?

Nonne his in casibus Ecclesia materna misericordiae viscera meliori modo ostenderet, si hos miseros sacerdotes totis viribus ab eorum tristi et peccaminosa

condicione redimere conaretur, permittens quoque matrimonii christiani celebrationem cum consequenti prolis legitimatione?

Diversimode proles semper illegitima esset atque (et hoc valde peius est) parentes numquam sacramenta recipere possent cum maximo filiorum scandalo, nisi separatione ab invicem facta, quod saepe saepius valde difficile seu, ut ita dicam, fere impossibile evadit.

Quamvis ex peccato, tamen lex naturalis omnibus parentibus magnas et graves obligationes imponit. Et ita etiam sacerdos, de quo in casu, debet compartis et prolis curam habere, sive materialem sive spiritualem; has tamen obligationes recte satisfacere nequit donec in statu ecclesiastico remanet vel si non dispensetur a caelibatu canonico.

Rebus attente pensatis, votum facimus ut strenue conservetur in toto suo robore pro clericis in sacris ritus latini lex caelibatus, tamen ardenter rogamus ut peculiari misericordia seu benevolentia consideretur casus sacerdotis qui, licet peccaminose vel obstinate, non vult redire ad sua munera sacerdotalia obeunda. Hoc in casu concedatur dispensatio a caelibatu ecclesiastico ut iste miser sacerdos, specie in casu prolis habitae, obligationes graves a lege naturali provenientes satisfacere possit.

In nostri voti praesentatione consensum quoque habemus plurimorum sacerdotum, qui nihil aliud cordi habent quam redemptionem sui confratris in talem condicionem prolapsi.

8

Exc.mus P. D. FRANCISCUS FRANIĆ

Episcopus Spalatensis et Macarscensis

Ad n. 3, pag. 6 proposuerim ut in fine numeri lin. 11 adderetur commendatio sacerdotibus dioecesanis de eliciendis votis evangelicis scil. paupertatis, castitatis et oboedientiae coram proprio episcopo. *Ratio* est: emissione talium votorum ex mea humili opinione promptius serviretur et Dominus eiusque populus, securius proficisceretur via mandatorum Domini, perfectio spiritualis ad quam omnes, praesertim pastores ovium sunt vocati facilius obtineretur atque ipse pastor temporibus nostris optimum documentum praeberet hominem Dei esse quia unice in Dominum suam spem ponit.

9

Rev.mus P. D. IOANNES B. JANSSENS

Praepositus generalis S.I.

Pag. 5, n. 1, lin. 13: mirus modus loquendi « *qui pro nobis factus est* sanctus, impollutus... »; ab aeterno est et manet « sanctus, impollutus... ».

Pag. 6, linn. 18-19: nimium est exigere a sacerdotibus ut, praeter scientiam profundam rei dogmaticae, exegeticae, moralis (quod est eorum officium) acquirant *altissimam* cognitionem scientiarum humanarum ». Dicatur « *opportunam* » cognitionem.

Ibid. n. 5: commendantur cursus etc. pastorales, catechetici, liturgici, socio-

logici... Sed in regionibus cultis urgentius requiruntur cursus « di aggiornamento » in re dogmatica et exegetica praesertim, ob gravissimas difficultates quas in hac re sacerdotes obvias habebunt ex parte fidelium cultorum.

10

REV.MUS P. D. GERMANUS M. LALANDE

Superior generalis Congr. a S. Cruce

Ad 6, linn. 8-9: « iuribus episcoporum *dioecesanorum* »: ad maiorem unitatem et convenientiam cum schemate decreti *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia,* ubi iam hoc novum vocabulum praefertur.

N. B.: Cum Concilium omni spe adnitatur ut oves errantes in coetum Ecclesiae redeant, cur non esset hic locus loquendi paulisper de sacerdotibus deviis?... Optandum esset textus sic enuntiatus: « Episcopi, in sua pastorali sollicitudine, quam maxime curent ut errantes sacerdotes in sinum Ecclesiae redeant, eis providendo adiutorium spirituale et quidem materiale, ubi oportet ».

11

EXC.MUS P. D. FRANCISCUS MARTY

Archiepiscopus Remensis

A la demande de la commission de coordination le schéma *de sacerdotibus* a dû être réduit à quelques « Orientations ». Celles-ci n'expriment plus suffisamment ce qui avait été introduit dans les projets primitifs, qui répondaient aux désirs des Pères du Concile. Ces « Orientations » telles quelles risquent de décevoir beaucoup les prêtres du monde entier.

Le Concile de Trente se préoccupa beaucoup de la formation des futurs prêtres et suscita la fondation des Séminaires. La situation actuelle, dans un monde incroyant, requiert pour les prêtres une formation permanente missionnaire tout au long de leur vie. Vatican II devrait affirmer les principes et donner les orientations de cette formation sacerdotale permanente.

Je me permets de soumettre l'une des trois propositions:

I. ou bien le schéma *de sacerdotibus* est joint à celui *de seminariis.* Une commission mixte, comprenant des membres des deux commissions, préparerait dès le début de la session conciliaire un schéma unique qui traîterait à la fois des séminaristes et de la formation des prêtres tout au long de leur vie, ces deux problèmes étant complémentaires. Un « prooemium » du nouveau schéma marquerait les caractéristiques essentielles de la situation du prêtre dans le monde d'aujourd'hui. On aurait ainsi un schéma plus actuel, plus adapté et plus bénéfique au clergé;

II. ou bien on permet à la commission *de sacerdotibus* de préparer rapidement un nouveau projet plus complet, donnant le sens de cette formation permanente des prêtres. Les premières semaines de la session conciliaire suffiraient pour cette réalisation;

III. ou bien on abandonnerait totalement le schéma actuel *de sacerdotibus* et on le remplacerait par une déclaration solennelle des Pères du Concile, laissant le soin à la commission post-conciliaire de rédiger un Directoire plus étendu qui serait présenté au Souverain Pontife.

Je m'excuse de présenter ces observations. Les prêtres furent déçus par l'absence de déclaration en décembre 1963. Il faut répondre maintenant à leur espérance. Je traduis ici les sentiments de plusieurs évêques français et étrangers qui m'ont écrit en tant que membre de la commission *de disciplina cleri.*

12

Exc.mus P. D. IOSEPH MICHAEL MEDINA
Episcopus tit. Termessensis, aux. Mendosensis

Pag. 5, lin. 8: pro « sentiant », ponatur « convinciant », nam in termino « sentire » non sufficienter apparet character voluntarietatis; dum in verbo « convincere », voluntarietatis, et aliquid amplius, persuasionis character elucet.

Pag. 5, lin. 23: mentalis, *et conscientiae examen,* aliaque similia. *Ratio*: etsi « conscientiae examen » involucretur in « similia », tamen per pondus eius psychologicum, mihi videtur explicitari debere; nam non agitur de particulari devotione, sed de naturali, utpote psychologica, necessitate.

Pag. 5, lin. 26: paragraphus ita debet esse: « Totam vitam suam sacerdos, Christi vestigia premens, ad revelatas normas componere curet, ita ut aliorum exemplum praeluceat, et Dei regno et salutis operi plene sit addictus ». Nam: series perlonga et incompleta est; ergo, aut omnia specifice, aut omnia generice, ut apparet in redactione superiori.

Si, contra positionem dictam, paragraphus remanet ut est, tunc dico:

Pag. 5, lin. 27: ad Evangelii normas; ad *revelatas* normas. Observatio propria valet, si terminum « Evangelii » ad libros referatur; non valet si de bono nuntio = de revelatione sermo sit.

Pag. 6, lin. 8: pauperes; *alios.* Cur specificantur pauperes? Ecclesia est ad omnes, etsi praecipue ad pauperes.

Pag. 6, lin. 31: cum episcopis: cum episcopo. Melior redactio videtur; nam concordat cum pag. 5, lin. 17 et ab Ecclesiae monarchia exigitur.

Pag. 7, lin. 12: praescindatur a parentesi — tum ecclesiastica proprie dicta, tum quae occasione exercitii cuiusdam ecclesiastici officii clerici sibi comparant —; quia, non est distinctio completa, nam dantur bona Ecclesiae et bona personalia occasione officii ecclesiastici, et bona ex capitibus non sacri ministerii; et tamen, *quaelibet bona,* ita absolute, bona, scil., ecclesiastica et bona personalia utriusque capitis, subiecta sunt vel ad cultum, vel ad sustentationem, vel ad opera apostolatus caritatisque.

Pag. 8, lin. 6: optandum; necessarium ut vis non sit de consilio, sed de urgentia.

13

BEAT.MUS P. D. PAULUS PETRUS MEOUCHI

Patriarcha Antiochenus Maronitarum

1. Les propositions contenues dans ce schéma remplacent avantageusement le « Nuntius » que le Concile voulait envoyer aux prêtres du monde entier, à la fin de la seconde session du Concile Vatican II.

2. Dans leur concision et leur plénitude, elles envisagent la sainteté du prêtre sous tous ses aspects, doctrinaux et apostoliques.

3. Leur caractère trop général et voulu, cependant a, peut-être, empêché les auteurs de ce schéma d'insister sur des conclusions vraies et réconfortantes de la vie apostolique du prêtre:

a) S. Thomas insiste sur la valeur singulière de la vie mixte, qui allie la contemplation et l'action.

b) Cette vie doit, à l'exemple de l'expérience décrite dans les œuvres de S. François Xavier, de Marie de l'Incarnation, de Ste Thérèse d'Avila et d'autres Saints, amener le prêtre fidèle *à une union mystique très grande* avec le Christ, à laquelle il est appelé, et qui n'est pas réservée aux religieux contemplatifs seuls.

c) Par conséquent, il serait souhaitable d'insister, dans un paragraphe distinct, sur la « mystique » de la vie apostolique.

14

EXC.MUS P. D. IOLANTHUS NUZZI

Episcopus Campaniensis

In praesenti schemate, *hi primi* episcopi collaboratores sub luce tractandi sunt *omnium* episcopi collaboratorum.

Omnes et singuli baptizati collaboratores sunt episcopi: omnes vocati sunt ad sanctitatem et perfectionem quam ipse Pater Caelestis habet (*Mt.* 5, 48). Necesse est tractare de sacerdotibus sub luce huius veritatis ut non causetur, ut accidit hucusque in tantis partibus populi christiani, falsa persuasio ad perfectionem et ad sanctitatem tantum sacerdotes et religiosos obligatos esse, gravi cum praeiudicio fidelitatis qua *omnes* baptizati Christum sequi et imitare tenentur.

15

EXC.MUS P. D. IOANNES SAUVAGE

Episcopus Anneciensis

I. *Generalia*. 1. Disproportio in rebus tractatis: de rebus temporalibus nimis et sine connexione praecisa cum spiritu evangelico (vide *infra*).

2. Forma nimis abstracta et iuridica sine sufficienti nexu enuntiatorum cum mysterio actuali et viventi Christi mortui et resuscitati et cum realitate Ecclesiae in hoc mundo sita et nostris coaetaneis destinata ut salvet eos. Omnia sine liga-

mine cum Persona Christi viventis. Exigentiae peculiares propriam assumunt significationem si Christi sequelam sapiunt. Quid tam multa de bonis temporalibus si nullibi quaestio fit de sequela Christi ut paupere?

II. *Ad singula.* Ad n. 1, pag. 5, linn. 8-10, loco « per gratiam Sacramenti Ordinis et characterem sacerdotalem novo titulo mancipantur Deo... » dicatur: « per sacramentum Ordinis... ». *Ratio*: ne ansam praebeat textus opinioni quae poneret gratiam Ordinis ut supplementum sanctificationis in eadem linea ac gratia baptismi, dum gratia ordinis non directe ad propriam sanctificationem presbyteri ordinatur.

Pag. 5, linn. 10-14. Textus propositus sic in melius mutetur: « ... *novo titulo Deo mancipantur, et Christi aeterni sacerdotis instrumentum efficiuntur,* ut nempe in Corpore suo, *cuius universitas sacerdotalis est,* ipsius Christi Capitis sacerdotium, ministerio episcopatus vel presbyteratus, repraesentant, atque in eius persona agant... ». *Ratio*: ut melius exponatur qua ratione differunt sacerdos universalis et sacerdos functionalis.

Ad n. 2 e duobus enuntiatis constituitur: 1) de sanctificatione presbyteri per adimpletionem operum ministerii; 2) de necessitate exercitiorum spiritualium.

1ª propositio: tollatur secundum enuntiatum quia exercitia spiritualia non sunt eiusdem naturae ac sanctificatio per adimpletionem ministerii, quae est ratio sanctificationis typice sacerdotalis. Adimpletio ministerii non est medium inter alia, etsi privilegiatum, sed ipsum exercitium caritatis sacerdotalis quae est vinculum perfectionis:

In primo enuntiato ordo sic mutetur: 1) praedicatio verbi seu evangelizatio, ut melius appareat fons renovationis pastoralis esse sensus missionalis et adhaesio huic sensui esse pro presbytero fons sanctitatis sacerdotalis, quia adest gratia missionis; 2) celebratio Eucharistiae et Sacramentorum, quae ex ministerio verbi diffluunt et per ipsum roborantur; 3) gubernium populi Dei.

2ª propositio, in casu ubi prima propositio non accepta esset et servaretur secundum enuntiatum:

Primum enuntiatum ut supra, sed cum levi additione sic sonante: « Sacerdotes ad sanctitatem contendere non possunt nisi generose, cum episcopo coniuncti, exerceant munus sibi a Deo commissum, ita ut mortis Dominicae etc. ».

Secundum enuntiatum sic sonans: omnia ut in textu proposito praeter duo ultima verba, lin. 25: « necessario requiruntur » quae in sequentia mutarentur: « ... ad efficacitatem sacri ministerii plurimum conferre possunt ».

Ad introductionem, pag. 5, lin. 2, post « naturam theologicam » et ante « presbyteratus », addatur « episcopatus et ». *Ratio*: ut melius appareat unitas sanctitatis sacerdotalis, tam pro episcopis quam pro presbyteris.

16

Exc.mi PP. CONCILIARES LINGUAE GERMANICAE ET SCANDIAE

Ad propositiones 1-3 (pag. 5 s.). Hae propositiones in se consideratae a Patribus sat bonae habentur. Attamen maxima difficultas oritur ex eo, quod propositiones 1-3 longe coincidunt cum illis, quae exponuntur in cap. III (olim II), n. 28, et imprimis in cap. V, n. 41 (olim n. 30) schematis *de Ecclesia* (secundum

textum eiusdem mense martio 1964 paratum). Nam in his numeris non solum « natura theologica presbyteratus eiusque missio » ostenduntur, ut praesumitur in prooemio propositionum, sed insuper fuse sermo est de peculiari vocatione sacerdotis ad sanctitatem huiusque exercitio, quae vero praecise etiam in primis tribus propositionibus nostri schematis tractantur.

Quare commendatur, ut doctrina de sacerdotum vocatione ad sanctitatem relinquatur schemati *de Ecclesia,* in propositionibus vero schematis « de sacerdotibus » statuantur quaedam normae, secundum quas sacerdotes *dioecesani* vitam suam ad mentem illius doctrinae componere possint et debeant.

Imprimis ratio habeatur sequentium: *a*) Sacerdos dioecesanus, qui ratione ministerii sui in toto ambitu suae vitae ad gregem Christi pascendum ordinatus est, hoc ministerium recte explere non potest nisi in intima consuetudine cum fidelibus; se gerat oportet ergo ut membrum inter membra Corporis Christi seu ut frater inter fratres, qui omnes aequo iure sacerdotii regalis in aedificationem corporis Christi collaborant secundum mensuram gratiae et donum, quod singulis datur (cf. *Rom.* 12, 7; *Eph.* 4, 7). *b*) Virtutes naturales, cuiusmodi sunt urbanitas, animi sinceritas, assidua iustitiae cura, sine quibus sacerdos credibilis Christi testis existere nequit, expresse commendentur et asceseos pastoralis mentio habeatur. *c*) Cum lex caelibatus hodie in opinione publica quae dicitur vel apud quosdam catholicos in discrimen vocetur, breve verbum de eadem dicatur atque sana et recta eius significatio exponatur. *d*) Item in exhortatione ad vitam communem fovendam necnon ad oboedientiam episcopo praestandam breviter indicetur ratio, cur ambae hodie sint tanti momenti.

Quibus argumentis prae oculis habitis, propositiones 1-3 fortasse ita enuntiandae erunt (verba de novo introducta sublineantur):

(*Prooemium*). Postquam haec Sacrosancta Synodus in Constitutione *de Ecclesia* naturam theologicam presbyteratus eiusque missionem declaravit *necnon de peculiari presbyterorum vocatione ad sanctitatem egit, nunc quaedam vitam et munus cleri dioecesani spectantia in lucem proferre intendit.*

1. (*Sacerdos ut frater inter fratres*). *Etsi sacerdos Novi Testamenti ratione Sacramenti Ordinis singulari dignitate praeditus est et peculiare munus in populo et pro populo Dei exercet, seipsum haud secus ac ceteri fideles discipulum Domini habeat, qui gratia Dei vocantis Regni eius particeps factus* (cf. *1 Thess.* 2, 12; *Col.* 1, 13) *studeat, ut de die in diem huius Regni dignior inveniatur* (cf. *2 Thess.* 1, 5).

In omnibus « sicut bonus miles Christi Iesu » (*1 Tim.* 2, 5) *vitam gerat secundum formam Evangelii.* Sit pauper spiritu, *sciat habere et penuriam pati* (cf. *Phil.* 4, 12) atque ab omni specie vanitatis, tam in vestibus ferendis quam in titulis vel honoribus quaerendis abhorreat. *Sit frater inter fratres* (cf. *Mt.* 23, 8), *membrum unius Corporis Christi, cuius aedificatio omnibus fonte baptismi regeneratis et sacro chrismate signatis secundum mensuram gratiae et donum, quod singulis datur* (cf. *Rom.* 12, 7; *Eph.* 4, 7), *demandata est. Discant ergo sincere cum laicis collaborare; honore eis praeveniant* (cf. *Rom.* 12, 10) *dignitatem regalis sacerdotii* (cf. *1 Pt.* 2, 9) *bene noscens. Sit omnium hominum minister* (cf. *Mc.* 10, 45) *eisque sicut Dominus benignitate et humanitate* (cf. *Tit.* 3, 4) *deditus, quapropter illas quoque virtutes colat, quae iure in civili societate magni aestimantur, cuiusmodi sunt urbanitas, animi sinceritas, assidua iustitiae cura.*

2. (*Quae sacerdoti ad vitam christianam gerendam prae ceteris fidelibus sunt propria*). Sacerdotes peculiari ratione ad sanctitatem tendant oportet, eo quod per gratiam Sacramenti Ordinis et Characterem Sacerdotalem novo titulo Deo *consecrantur.* Mortis Dominicae mysterium celebrantes, quod tractaverint imitentur; verbum Dei praedicantes, quod docuerint faciant; gregem Dei pascentes, exemplum Boni Pastoris secuti, pro ovibus suis totam vitam impendant. *In operibus pastoralibus exercendis rectam intentionem necnon spiritum asceseos pastoralis colant, quo fit, ut per ipsum ministerium sacerdotale caritas erga Deum et proximum augeatur. Tamen ne* labore apostolico urgente negligant orationem et pietatis opera uti sunt quotidiana oratio mentalis et similia, quae longo saeculorum usu nequaquam obsoleta dici possunt, sed potius ad efficacitatem sacri ministerii necessario requiruntur. *Hoc facientes fidelibus, praesertim debilioribus et ipsis infidelibus testimonium suum de Christo eiusque opere credibile reddunt.*

Ubi ex lege ecclesiastica ad caelibatum obligantur, non tantum renuntiationem prae oculis habeant, sed meditantes multum perpendant se per statum suum virginalem Christi Capitis Sacerdotium peculiari modo testificare ac per vitam vere sacerdotalem Christo intimius uniri necnon familiae Dei quoque liberius et expeditius servire. Huic vitae suae mysterio fidentes et sese devoventes in via caelibatus recte et fortiter procedant, ita ut in dies liberiores fiant atque veram paternitatem in Christo adipiscantur. Illi vero sacerdotes, qui secundum consuetudines sibi proprias in matrimonio vivunt, id ad imaginem amoris Christi et Ecclesiae (cf. *Eph.* 5, 25) *efformare et hoc modo sacerdotium Salvatoris Nostri in mundo repraesentare enitantur.*

3. (*Sacerdotum inter se confraternitas*). *Presbyteri ut cooperatores episcopi una cum episcopo et sub eo unitatem sacerdotii et ministerii Christi repraesentant.* Ideo episcopo suo sincero amoris et oboedientiae spiritu adhaereant nec solum quae praecipiuntur, sed et quae commendantur, filiali ac generoso animo adimpleant. *Episcopis vero bonum corporale et spirituale cooperatorum suorum cordi sit.* Singuli autem sacerdotes confratribus suis uniantur vinculo caritatis, orationis, collaborationis, animi relaxationis; ideoque vita communis quam maxime fieri possit promoveatur. *Auxilium humanum et spirituale sibi invicem ferant et sic fidelibus suis exemplo verae fraternitatis christianae sint, praesertim cum multi sacerdotes dioecesani hodie operibus plus quam par est onerentur, insuccessus saepe patiantur et soli vivant.*

Ad propositionem 5 (pag. 6). Scientiis theologicis praesertim exegeticis et dogmaticis vehementer progredientibus necesse esse videtur, cursus pastorales instituere etiam per pluras hebdomadas durantes eosque imprimis sacerdotibus iunioribus et neoparochis patere. Hi cursus necnon agant de re catechetica et liturgica, sed de omnibus disciplinis theologicis, pastoralibus et socialibus.

Propterea addatur pag. 6, lin. 25, post verba « institutio cursuum pastoralium »: — *etiam cursuum maiorum unius mensis* — vel centrorum...

Pag. 6, lin. 26, post verbum « catechetica »: *homiletica,* liturgica, sociologica *etc.,* qui autem...

Pag. 6, lin. 28, post verbum « debent »: *ope specialium cursuum pastoralium instituendorum et aliorum aptorum mediorum peculiari cura adiuventur sacerdotes iuniores et praesertim neoparochi, ut primis sui ministerii annis quam optime in vitam sacerdotalem et parochialem se insinuent.* Pariter utilissima...

Ad propositionem 6 (pag. 6 s.). Desideratur, ut post verba « perficienda sunt » (pag. 7, lin. 7) adiungatur tamquam tertia ratio, cur normae incardinationis et excardinationis recognoscendae sint: *necnon ut illi, qui extraneis dioecesibus, praesertim in terris missionum, destinantur, tempestive in eas regiones perveniant, in quibus laborabunt;* ad hoc ergo...

Ad propositionem 7 (pag. 7). Post verba « ad honestam cleri » addatur (pag. 7, lin. 16): *eiusque domesticorum* sustentationem procurandam...

Ad propositionem 9 (pag. 7). Addatur in fine propositionis (pag. 7, lin. 31) verbum de valetudine et recreatione sacerdotum promovendis, fere sequens: *Etiam valetudini et recreationi sacerdotum promovendis episcopi apto modo provideant.*

B) *A die 14 septembris 1964 ad diem 13 octobris 1964.*

1

EM.MUS P. D. BENIAMINUS CARD. DE ARRIBA Y CASTRO

Archiepiscopus Tarraconensis

Primum hodie problema Ecclesiae, etiam ante divisionem christianorum, immo ante ipsum atheismum grassantem, est, meo humili iudicio, « sanctitas sacerdotum ». Progressismus seu neomodernismus invadit plurimos maxime inter iuniores. Conceptus oboedientiae non amplius stat per se ipsum, tantum « si Superior verum dicit, aut iuste praecipit », et hoc iudicat subditus. Abusus liturgici multiplicantur. Missam aliquis lingua vernacula integre celebravit, hoc addito, quod fideles adstantes particulas panis habebant in manibus, quae omnes consecratae fuerunt et a quolibet postea sumptae. Imagines removentur ab altaribus; immo sepeliuntur; (casus historice certus).

Plura scribuntur contra caelibatum. Millia sunt lapsorum qui etiam in vita sociali ut laici sese gerunt.

Devotio erga Sacratissimum Cor Iesu et B.mam Virginem in dies minuunt. Rosarium amplius non recitatur a non paucis quia « non est liturgicum ». Ideo periculosum valde iudico ut eius mentio omittatur in schemate, pag. 23, n. 7, ubi agitur de subsidiis in sanctificatione adhibendis. In littera *d*), ubi sermo fit de amore filiali et cultu erga B. Virginem Matrem, nihil dicitur de Rosario, quod tamen explicite commendatur in can. 125 C.I.C. Talis omissio oblivionem fovebit.

Seminaria et Noviciatus « initia sunt dolorum », in casibus non paucis. Epistulam recens accepi a quadam bona muliere quae ita loquitur: « Nepotem habeo qui vult esse sacerdos; pater autem eius timet ne unda progressismi, libertatis et inoboedientiae quae hodie viget inter iuniores non paucos, sacerdotes et studentes, potius ei noceat ». In schemate *de institutione sacerdotali,* pag. 7, n. 9, lin. 12, mentio fit de libertate ut nempe alumni edoceantur ea sapienter uti. Hoc mihi videtur innecessarium immo periculosum, dum tanta dicuntur de libertate quae pro multis est quasi unicum dogma... Idem dico de n. 13, pag. 8, ubi nulla cautio memoratur.

Optime dilectissimus noster Pontifex Paulus VI in prima sua Encyclica lo-

quitur de sanctitate Ecclesiae, quae a sacerdotibus incipere debet; unde iterum iterumque repetere liceat hoc esse magnum et primum Concilii Oecumenici Vaticani II problema: sacerdotalis scil. sanctitas promovenda in praxi.

2

EXC.MUS P. D. IOANNES BLUYSSEN
Episcopus tit. Aetensis, aux. Buscoducensis

Nomine Conferentiae episcoporum Neerlandicae quoad *schema emendatum de sacerdotibus* quasdam observationes generales facere velim.

Quamvis textus emendatus huius schematis laudabilem progressum secumferat relate ad priorem textum, in toto tamen non videtur correspondere exspectationibus quas forsan et merito multi sacerdotes habent de hoc schemate.

Etenim ex una parte varia themata ibi proponuntur quae de facto non directe pertinent ad curam presbyterorum sed episcoporum et hanc ob causam meliorem suum locum habere possunt in decreto *de pastorali episcoporum munere*; et ex altera parte diversae quaestiones, quae premunt multos sacerdotes, immo incertitudinem et quemdam angorem in praxi curae animarum exsuscitant, in schemate sive non tractantur, sive, si tractentur, superficietenus explanantur.

Inter quas quaestiones prima videtur, quomodo nunc in condicionibus hodiernis Ecclesiae et mundi cura animarum exstruenda sit. Renovata et dilatata cognitio Ecclesiae suiipsius, renovata recognitio missionis Ecclesiae in mundo moderno, nova visio relate ad significationem mundi per respectum ad Regnum Dei, necnon, demum, nova attitudo mentis oecumenica et missionaria, haec omnia, inquam, evocant multa problemata relate ad curam animarum paroecialem. Insuper apostolatus, quem Concilium laicis adscribit tam in Ecclesia quam in mundo, secumfert necessitatem alicuius novae reflectionis quoad munus sacerdotale.

Quas ob causas mihi videtur pernecessarium, quod in hoc schemate daretur quaedam descriptio munerum pastoralium sacerdotum, in qua ratio reddatur variorum respectuum missionis Ecclesiae, quales hi discussi sunt vel adhuc discutientur in hoc Concilio. Talis descriptio maxime correspondet Concilio, quod vocant pastorale.

Dein, licet in n. 4 aliqualiter sermo sit de « cooperatione » inter sacerdotes, haec notio est nimis tenuis et inops. Nonne fortius necessitas sic dictae « planificationis » pastoralis esset exprimenda, ita ut in certis regionibus concertata voce commune consilium possit exerceri relate ad problemata communia? In hoc prospectu etiam optandum esset, ut laici in suis provinciis periti ad hoc commune consilium advocentur. Eo ipso munus quoque decanale novam significationem habere potest. Hoc faciendo, forsan obsoletae structurae curae pastoralis derelinquentur, spatiumque daretur experimentis pastoralibus novis.

Demum, ampliore modo quam in n. 2 possit explanari sensus caelibatus sacerdotalis. Quadam crisi exorta in hac materia, Concilium eam silere nequit. Quin Concilium omnia problemata in hac provincia allata solvere possit, Concilii tamen est loqui aliquod verbum clarum et honestum. Nexus inter caelibatum et munus sacerdotale biblice deberet exarari et sacra traditione illuminari. Quaestio demum poni posset, quomodo Ecclesia, non derelinquens legem sacri caelibatus, in deter-

minatis circumstantiis matrimonio coniunctos possit admittere ad ordinationes maiores. Referentia ad perantiquam praxim Ecclesiarum Orthodoxarum problemata multa posset serena reddere, atque habere significationem oecumenicam non parvi momenti.

Si schema in hoc prospectu, quem breviter delineavimus, exararetur, corresponderet non tantum exspectationibus multorum sacerdotum, sed et conscientiae Ecclesiae suiipsius, qualis haec conscientia praesertim in hoc Concilio maturuit.

3

Exc.mus P. D. ALBERTUS DEANE

Episcopus Civitatis Mariae

Qui institutionem seminariorum maxime in corde habent, episcopi, moderatores, et qui clero exercitia spiritualia dictitant, solutiones directas et claras desiderant, non solum a commissionibus postconciliaribus, sed specialiter a Concilio Oecumenico, propter magnam eius auctoritatem — in universam Ecclesiam, et quia repraesentantur Praesules totius mundi.

Igitur, quoad ad propositionem secundam, pag. 5, de mediis ad sanctitatem adquirendam, mihi placet. Sed textus in melius mutaretur, et quod maioris momenti est, maior esset eius pastoralis efficacitas, si aliqua verba ad rem adderentur.

In lin. 21 legitur: « Etsi urgeat labor apostolicus, sacerdotes caveant translatitia subsidia neglegere ad sanctitatem adquirendam et fovendam cuiusmodi sunt, cotidiana oratio mentalis, et similia, quae longo saeculorum usu nequaquam obsoleta dici possunt, etc. ». Optime!

Sed, obsecro vos, Patres venerabiles, ut omnem vestrae auctoritatem vim praebere cuidam modificationem huius propositionis addentes, post dicta verba « cotidiana oratio mentalis », addentes, repeto, « amor filialis et cultus erga B. Virginem, ... frequens peccatorum confessio », et similia quae longo saeculorum usu nequaquam obsoleta dici possunt, etc.

Sic finiantur disputationes multis in locis grassantes circa aliqua exercitia, inter fervidos et sanctos sacerdotes semper valde usitata. Immo a summis Pontificibus et usitata et commendata!

Tria haec media, inter alia, ad sanctitatem sacerdotalem adquirendam, nempe oratio mentalis cotidiana, devotio erga Virginem rite intellecta et frequens peccatorum confessio, permagnam habebunt vim pastoralem pro nostris sacerdotibus. Ipsi clare et definite noscent quaedam ex essentialioribus mediis ad sanctitatem adquirendum, atque argumentum novum habebunt, circa Matris Ecclesiae sollicitudinem, hac hora Concilii, de eorum sanctificatione, et de efficacia eorum ministerii sacerdotalis. Ut quidam exc.mus Peritus scripsit: « Questo tema gravissimo, se non sbaglio, *dovrebbe stare al primo posto* nel Concilio, perché risolto il problema della santità del clero, tutto il resto procederà bene: non risolto questo problema, tutti gli altri problemi rimarranno lettera morta » (cf. *De inst. sacerdotali,* pag. 37).

Quoad n. 9, pag. 7, linn. 25-26, ubi dicitur: « Curent sacrorum antistites ut pro suo cuiusque territorio, normae instituantur, quibus honeste sustentationi... consuletur, etc. ». Mutetur sic: Curent sacrorum antistites ut, in eadem provincia

ecclesiastica normae instituantur etc. *Ratio*: Ut vitetur in eadem provincia ecclesiastica nimia diversitas emolumentorum, quae inter sacerdotes incommodum creare possunt.

Nota. Nunc video in novissimo schema *de vita et ministerio sacerdotali* quod ista inseruntur. Sed « pro memoria ».

4

EXC.MUS P. D. IOSEPH GARNERI

Episcopus Segusiensis

Propositio 2. Perlecto textu, mihi et quibusdam Patribus sua luce carere videntur, quasi minoris sint momenti, « subsidia ad acquirendam et fovendam sanctitatem ». *Rationes* hae sunt:

1. insertum adverbium « praesertim » in lin. 16;
2. ablata recensio singulorum subsidiorum ad sanctitatem eiusque loco adhibita verba nimis valde generaliora, scil. « cuiusmodi sunt cotidiana oratio mentalis et similia »;
3. connectio quodammodo deficiens inter quae egregie dicuntur de exercitio muneris in linn. 16-20 et ipsa memorata subsidia.

Hoc posito et concesso, ut singulorum subsidiorum recensio omittatur in hac propositione propter brevitatem, submissa voce proponere ausim sequentem textum et quidem ad auferendos quos animi sensus excitare potuerit lectio textus praecedentis: « Sacerdotes ad sanctitatem contendant ipso exercitio muneris sibi a Deo commissi, cum episcopo coniuncti, ita ut mortis dominicae mysterium celebrantes, quod tractaverint imitentur; verbum Dei praedicantes, quod docuerint faciant; gregem Dei pascentes, exemplum Boni Pastoris secuti, pro ovibus suis totam vitam impendant.

Ut autem munus sibi a Deo commissum ita exerceant, meminerint sacerdotes omnes subsidia ad sanctitatem acquirendam et fovendam, longo saeculorum usu probata et commendata, fideliter esse adhibenda, etsi urgeat labor apostolicus ».

Humiliter et instanter exopto ut singulorum subsidiorum recensio ad sacerdotum sanctitatem suum obtineat locum saltem in alio documento, v. g. in nova redactione C.I.C.

5

EXC.MUS P. D. IULIUS GONZALEZ RUIZ

Episcopus Puniensis

Nota. Animadversio exarata est priusquam nova redactio schematis *de sacerdotibus* in lucem prodierit. Ergo, minus placet quod adiectum est in art. 9, ad pag. 12 super materiam quam tractare intendimus.

Interpretantes spiritum art. 7 (ad pag. 7) nostri schematis *de sacerdotibus,* et magis indulgentes novo conceptui iamiam in hodierna vita humana invalescenti sic dicti « capitalis », et ideo omnium *divitiarum fontium* (intra quae certo certius, *commercium* est adnumerandum, scil., *negotiatio et mercatura*); aestimamus,

venerabiles Patres conciliares, tempus iam advenisse revisendi atque funditus recognoscendi disciplinam hucusque vigentem circa *activitatem clericorum in hac delicata materia.*

Fere enim infinita per saecula sunt Summorum Pontificum dispositiones, decreta et interventus quae de hac re sunt emanata.

Tria, et quidem postrema, meminisse sufficiat; videlicet, cann. 142 et 2380 *C.I.C.* et novissimum *decretum* 22 martii anno 1950 prolatum; quae congestam praeteritorum temporum materiam resumunt, ordinant et omni in sua vi confirmant.

Ex veloci ac superficiali omnium decretorum dispositionumque analysi, non ad aliam conclusionem deveniri potest nisi quod *hodierna legislatio damnat quamvis speciem commercii tum sub aspectu negotiationis tum mercaturae.* Quod certo aperte repugnat sive conceptui moderno circa moralitatem seu liceitatem commercii, sive etiam exigentiis novi spiritus apostolatus nostri temporis, progressui actuali respondentis ac accommodati.

Unde factum quod et viri in re canonica periti, vel rigidissimi, conati sunt subtiles distinctiones quaerere unde iustificationem aliquam invenirent pro perplurimis positionibus, immo et factis, quae praesertim postremis temporibus in diversis Ecclesiae categoriis vel coetibus iam ius civile (italice, carta di cittadinanza) passim adepti sunt. Et sic hoc unum obtentum est, scil., quidam status artificialis rerum, externe et apparenter bene compositus, sed intime et veraciter in patenti contradictione cum principiis ab Ecclesia statutis.

Huc iam perventi, interrogare licebit utrum forsitan melius et rectius esset hac in re ad moralistarum doctrinam se referre et eorum iudicio acquiescere; nempe, quod *commercium qua tale minime* damnandum est, sed tantum abusum qui ob infirmitatem humanae naturae peccato vulneratae ex ipso manat?

Re quidem vera, quod semper damnare intendit Ecclesia in clerico commercio implicato, nihil aliud potuit esse nisi *primo,* iacturam illius temporis quod activitati apostolicae impendendum erat; et *secundo,* quod ipse clericus opum cumulatione iniuste et cupide ditior evaderet, et sic cor suum ad divitias et mollitiem huius saeculi verteret.

Sed videtur contra esse factum quod semper affirmari potest plurimas alias clerico adesse possibilitates tempus suum terendi, et media ad iniquam divitiarum copiam perveniendi. Quae ambo tamen, numquam per se clerico sunt ab Ecclesia poenis interdictae. Et vobis, ornatissimi Patres, parco de speciminibus proponendis.

Nec dici potest denique, commercium in se malum aliquod esse. Quod contra legem laboris esset; et ideo, interdicendum non tantum clericis, verum etiam fidelibus universis, et quidem omni creaturae.

Ex quibus omnibus dictis, iam ad aliquam conclusionem oportet deveniamus. Videtur enim his nostris diebus convenire:

I. Ut magis *exaltetur*: a) *labor humanus*; b) *spiritus caritatis, officium* et *servitium reciprocum inter homines*; c) *utilitas* et *valor socialis commercii* etiam *quoad opera apostolatus.* Quae opera ultimatim, i. e., in ultima analysi tandem aliquando in quaestionem oeconomicam seu pecuniariam incidunt et resolvuntur, praesupposita tamen semper et ubique *universali providentia divina,* in qua « movemur, vivimus et sumus », teste muliere illa mirabili S. Theresia a Iesu, ut ferunt, Iesum iocose colloquente: « Domine, Theresia sola, nihil potest. Theresia tecum,

en iam aliquid potest. Sed Theresia tecum et cum pecunia, ecce omnia possumus ». Etenim, pecunia seu « capitalibus » — ut dicitur —, mirum in modum opera apostolica et consolidantur et multiplicantur et perficiuntur. Non est ergo amplius patiendi in hodierno nostro mundo ut « bonum » adhuc scalciatis pedibus incedat; dum e contra, « malum » pennas, alas et alia magis adhuc revolutionaria sibi comparet lunam ceteraque aetherea petiturum: malum praecurrit bono...; et proh dolor!, terra est semper primi occupantis...; d) exaltetur tandem *paupertatis spiritum,* sed non miseriam et regressum.

II. Convenit ut potius quam ipsum commercium qua tale, eius mala consectaria *condemnentur,* nempe: divitiarum iniusta distributio; individualismus traditionalis et religio unice verticalis; superbia vitae et despectio humilium; fixitas oeconomica, progressui humano apertissime repugnans, et ideo minus digna naturae hominis christiani.

III. *Aptentur* ergo cann. 142 et 2380 et decret. 1950 novis circumstantiis vitae humanae nostrorum temporum, et respectum habeantur: ad situationem oeconomicam uniuscuiusque nationis, praesertim in regionibus missionum; ad necessitates locales cleri; ad exigentias apostolatus moderni.

Ponatur etiam sub germana et genuina luce valor laboris (agricolae, industrialis, commercialis, etc.).

Damnetur egoismus crassus qui immoderata cupiditate bonis terrenis gaudendi et nimio possidendi affectu, ceteros homines ab eorum usum iniuste excludit.

Tandem aliquando, clariori luce valor socialis opum *magni faciatur.*

Uno verbo, ut finem faciam meo sermoni, formula aliqua et quaeritanda et invenienda est a vobis, Patres venerabiles, ubi principium statuatur quod clericis et iis omnibus qui in C.I.C. clericis aequiparantur, quaevis species commercii, i. e., negotiationis vel mercaturae, minime per se interdicatur, praesertim si per tertium, i. e. aliquem laicum exercetur, eo tamen *duplici pacto,* quod: 1. Clerici ex hac activitate commerciali numquam ditiores fiant; opes a negotiatione vel mercatura provenientes, semper et totaliter insumi debent pro operibus apostolicis (inter quae merito iusta et honesta sustentatio clerici vel communitatis est adscribenda); 2. activitas commercialis numquam detrimento apostolatui sit; nempe, tempus a clericis in apostolatu impendendum nullo modo occasione activitatis commercialis detrahatur vel coarctetur.

Nota bene quod si minus conveniens videtur talis relaxatio disciplinae ecclesiasticae de commercio vitando quoad clericos individuos, saltem permitti deberet ut huiusmodi activitas a persona iuridica exerceatur, scil., a dioecesi, a parrochia, ab instituto religioso, et ita porro.

Ne impediamus ergo bonum magnum quod ex recto et ordinato commercio potest in bonum animarum et gloriam Dei profluere.

Re vera, ubi opes dantur, utique et abusus irrumpunt. At minime eo ipso opes reiciendae vel peius damnandae; sed rectius, abusus sunt corrigendi vel etiam puniendi. Minus conveniens pro bono communi videtur quod cum abusus irrepsere, ianuae bono claudantur, potius quam singuli transgressores poenis plectentur. Et sic, multi iusti et innocentes damna patiuntur propter unum vel alium iniustum nocentem. Melius est rursus ut « unus pro universo populo moriatur »; sed non e converso...

Iam vero, nemo melius quam *Ordinarius loci* potest in hac re iudex statui, constitutus ut est in loco et in « contextu locali », ut ita dicam.

Innuatur ergo in nostro schemate *de sacerdotibus* haec possibilitas novae disciplinae de exercenda activitate commerciali clericorum; et postea, hae normae prae oculis habeantur in apparanda reforma C.I.C.

6

EXC.MUS P. D. ALOISIUS LORSCHEIDER
Episcopus Angelopolitanus

I. Pag. 5, n. 1, lin. 10: possunt supprimi verba « ministerio episcopatus vel presbyteratus » cum contextus totus agatur de solis presbyteris et numquam postea allusio aliqua fiat ad episcopos.

II. Pag. 5, n. 2, lin. 23: loco « et similia » melius esset plura exempla adducere, nam uti stat mirationem quandam ingerit acsi cotidiana oratio mentalis omnia fere compendiaret.

III. In toto nostro Concilio Oecumenico Vaticano II extollitur idea « *servitii erga alios* », ita ut quodammodo spiritualitas nostri Concilii per ideam servitii posset definiri. In toto vero contextu de vita spirituali sacerdotum nullum omnino fit verbum de ista idea tanti momenti etiam pro sacerdotibus. Posset v. g. introduci pag. 5, n. 2, lin. 20 post « pro ovibus suis totam vitam impendant » dicendo v. g. « recordantes se missos esse in servitium aliorum ».

IV. Pag. 6, n. 4, lin. 5: ubi de studio sacerdotum. Nonne posset studium sacerdotis in altiorem lucem poni dando ei sensum magis christologicum in sensu illo praesertim de quo *Io.* 1, 20: « Unigenitus Deus qui est in sinu Patris ipse enarravit ». Sacerdos continuat quodammodo Christum ipsum. Nonne et ipse oportet ut sit *in sinu Patris,* ut continuo cogitet de ipsis Dei secretis?

V. In toto isto schemate nihil dicitur de habitudine inter sacerdotem et mundum ipsum. Videtur problema valde vivum pro sacerdotibus dioecesanis seu saecularibus. Nonne haberentur elementa quaedam utilia pro spiritualitate sacerdotis dioecesani seu saecularis in Motu Proprio *Primo feliciter* a Pio XII datum pro Institutis saecularibus?

VI. Pag. 6, n. 3, lin. 8: « castitatem sancte custodiat et sincere amet », nonne possent aliqua adiungi in quibus ratio daretur caelibatus sacerdotalis? Quae ratio mihi videtur potius quaerenda in servitio sacerdotali erga alios quam in propria perfectione acquirenda, licet et haec, uti patet, momento non careat. Posset igitur forsan ita formulari propositio: « castitatem sancte custodiat et sincere amet in imitationem Christi et Deiparae Virginis ut revera possit esse humilis et castus servus ovium sibi commissarum ». Si haec placent, deceret quoque dicere in imitationem Christi, Deiparae Virginis necnon *casti sancti Ioseph.*

VII. Pag. 7, lin. 1: parva menda typographica « pervertere » loco « pervetere ».

7

Exc.mus P. D. FREDERICUS MELENDRO
Archiepiscopus Nganchimensis

De 1. novo numero. Prima pars placet. Secunda ab alin. 14, pag. 8, nimis naturalismum sapit ex eo quod fraternitatem et conversationem sacerdotis in rebus naturalibus fundat.

Hoc confirmaret sacerdotibus qui affirmant sacerdotes debere esse omnino laicis similes (« compagno » potius quam frater), et ideo consulto fovent conversationes, spectacula, habitudines quae non solum mundanismum sapiunt, sed etiam quae non raro obscenitate quadam non carent. Ita enim ut aiunt, laici faciunt. Secus eos non intelligemus.

2. Iniuriosum esset sacerdotibus ut a Concilio iis « urbanitas » commendetur. Sufficeret modo generali, ut alias fit, indicare convenientiam harum virtutum.

3. Textus S. Pauli (*Phil.* 4, 8), melius omittendus, S. Paulus loquitur fidelibus. Hic vero agitur de virtutibus sacerdotum in quantum sacerdotes. Postea, ut audivi, ansam praebet, matrimonio sacerdotum. Ibi enim commendatur « quaecumque amabilia ». Concilium debet etiam longissime removere ea quae iis favere possint.

4. Potius alii textus deberent poni, i. e., ea quae S. Paulus commendat cum agit de apostolatu vel de se ipso, quae sacerdotum sunt propria, et quae valde diversa sunt. Ut quae dicit essent facienda « ut Christum lucrifacerem » quae est tessera sacerdotum: « omnia detrimentum feci, et arbitror ut stercora, ut Christum lucrifacerem » (*Phil.* 3, 8). Vel quae ad fideles lucrifaciendos, ubi modus genuinus verae fraternitatis sacerdotalis indicatur: « factus sum infirmus infirmis... » (*1 Cor.* 9, 22).

De n. 3, in pag. 9, linn. 28 ss. Ibi dicitur « peculiaremque spiritum asceticum in implendo pastorali munere colant ».

Sine dubio hoc est necessarium, sed cum tantum agatur de hoc spiritu ascetico ad munus implendum, deducitur — ut faciunt auctores qui haec asserunt, et e quibus sine dubio haec sunt sumpta — ascesim privatam esse impropriam sacerdotum. Hoc esse iam aliquid « superatum » et evangelici spiritus caritatis improprium.

Confirmaretur hoc quod nulla alia parte de abnegatione et mortificatione verbum fit.

Quae vero mihi gravissima videntur, quia haec unio inter contemplationem et actionem, quae hic iure meritoque exoptatur, nullo modo esset possibilis sine dominio et abnegatione.

Ideo iudico necessarium, ut spiritualitas sacerdotalis hoc periculo liberetur, ut aliquid quod de necessitate abnegationis etiam ad vitam spiritualem sacerdotis — quae est basis apostolatus — indicetur.

Posset indicari textus classicus, millies a Patribus repetitus, quod neque in hoc schemate, neque in eo *de Ecclesia* indicatur: « Qui vult post me venire [essentia spiritualis sacerdotis est esse ut Christus], abneget semetipsum, tollat crucem suam, et sequatur me » (*Mt.* 16, 24). Vel quae S. Paulus ad Titum, ergo

ad episcopum scribit: « ut abnegantes desideria, sobrie, iuste et pie vivamus... » (*Tit.* 2, 12) vel alia similia.

Breviter: timeo vehementer quod schema, ut iacet, confirmet ea quae nunc inter tot sacerdotes viget: relinqui debere mortificationem et abnegationem. Posse pervenire ad veram caritatem et vitam pastoralem, sine renuntiatione.

N. 3, pag. 9, lin. 38: « aliaque huiusmodi pietatis opera ». Commissio affirmat nolle alia speciatim indicare propter necessitatem faciendi textum brevem et ut relinquantur particularia C.I.C. (pag. 19). Sed contra possit dici:

1. Commissio contrarium facit cum de virtutibus naturalibus agit, de quibus per decem alineas (pag. 8, linn. 14-24) disserit. Ibi vero de rebus *naturalibus,* hic vero de *supernaturalibus* mediis. Ibi specificantur. Hic tantum una indicatur. Ex hoc modo agendi conclusiones valde periculosae pro sanctificatione sacerdotum erui possent.

2. Cum textus debeat aspicere problemata *actualia,* et cum nunc in dies crescat tendentia omittendi omnia pietatis privatae exercitia, haec quae Concilium asserit confirmarent authenticitatem huius tendentiae.

Multi enim iam sacerdotes iuvenes, experientia mihi constat, consulto nullam visitationem ad Sanctissimum, numquam examen faciunt, neque coronam B. Mariae Virginis recitant.

3. Neque placet verbum « subsidia ». Confirmaret etiam quae dicuntur de valore parvo et valde relativo orationis mentalis. Subsidia enim adhibentur tantum cum res praecipuae non sufficiunt et in quantum adsit haec deficientia. Provisorio ergo tempore. Esset ideo melius loco « subsidia », verbum: « media » ponere.

II. Esset ideo utile alia speciatim media indicare. Immo multi vellent ut annua exercitia spiritualia commendentur.

8

Exc.mus P. D. IOSEPH POGAČNIK
Archiepiscopus Labacensis

Ad n. 2, pag. 9, lin. 7: inculcetur et sacerdotum *unitas* cum episcopo; sufficit addere verbum « unitatis ». Textus ita sonet: « (Sacerdotes) unum sacerdotium et ministerium Christi cum episcopis... exercentes, eisdem sincero unitatis, amoris et oboedientiae spiritu adhaereant ». *Ratio*: unitas sacerdotum cum episcopo inculcanda est pro iis regionibus, ubi associationes sic dictae patrioticae vel pacis vel similes, sacerdotes plene auctoritati episcoporum subducere conantur et ipsum clerum divisione vel discriminatione afficiunt.

9

PLURES EXC.MI PP. DD. CONCILIARES

Multi conciliares Patres desiderant aliquid amplius, ut necessarium vel saltem valde conveniens, in schemate *de sacerdotibus,* scil. in pag. 5 sub n. 2 nominatim addantur, ad tuendam vitam sacerdotalem, alia exercitia spiritualia, e. g.

lectio spiritualis, visitatio Ss. Sacramenti, examen conscientiae, devotio marialis, frequens confessio sacramentalis, exercitia spiritualia annualia, studia ecclesiastica. Ex his Patribus subsignant:

Iacobus card. Câmara, arch. Fluminis Ianuarii; Ant. Alves de Siquiera, arch. tit. Chalcidensis in Syria; Ioseph D'Angelo Neto, arch. Pouso Alegre; Zacharias, ep. Cajazeiras; Orlando Chaves, arch. Cuiabá; Ioseph Carraro, ep. Veronensis; J. V. Daem, ep. Antverpiensis; Paulus Savino, ep. tit. Cesareae in Thessalia; Marius Paré, ep. Chicoutimiensis; Iulio Botero Salazar, arch. Medellín; Ioannes Colombo, arch. Mediolanensis; Raymundus Bogarin A., ep. S. Ioannis B. a Missionibus; Gregorius, arch. Barcinonensis; José Clemente Maurer, arch. Sucrensis; Alaphridus Silva Santiago, arch. tit. Petrensis in Palaestina; Benignus Carrara, ep. Imolensis; Anselmus Pietrulla, ep. Tubaraoensis; Ioseph Alvares Mácua, ep. tit. Colybrassenus; Benedictus Zorzi, ep. Caxensis; Marius, arch. Parahybensis; Raymundus, ep. tit. Uzalensis; Ioannes de Souza Lima, arch. Manáus; Ioseph, arch. Fortalexiensis; Agnelus, arch. Rivi Nigri; Emmanuel Petrus, ep. Petropolitanus; Ioseph Eugenius, ep. Caratingensis; David, ep. tit. Tois; Paulus, ep.; Aloisius, ep. Cachoeiro de Itapemirim; Thomas Vaquero, ep. São João de Bôa Vista; José Varani, ep. Jaboticabal; Othon, ep. Campaniensis; Ioseph de Aquino Pereira, ep. Prudentipolitanus; Rodericus Serra, ep. S. Caroli; Paulus Rolim Loureiro, ep. Crucismogiensis; Pedro Paulo, ep. el. Linensis; Vincentius Marchetti Zioni, ep. Bauruensis; Iacobus Aloisius Coelho, ep. Maringaensis; Ioachim de Lange, prael. Tefensis; Augustus Carvalho, ep. Caruaruensis; Severinus Marianus, ep. Pesqueirensis; Ioseph, ep. Stantianus; Albertus Deane, ep. Civitatis Mariae; Stanislaus Battistelli, ep. Aprutinus et Hatriensis; Geraldo Michelotto Pellanda, ep. tit. Madensis; Ubaldus E. Cibrián, ep. tit. Bidensis; Paschal Sweeney, praef. ap. Vanimo; Urban Murphey, praef. ap. Bechuanalandensis; Tortolo Adulphus, arch. Paraná; Gerardo F. Reis, ep. Leopoldina; Walmor Battú Wichrowski, ep. tit. Felbes; Manuel Tavares de Araújo, ep. Caicó; Belchior J. da Silva Neto, ep. adm. ap. Luceatinus; José Mauro, ep. Iguatuvinus; Antonius Fragoso, ep. Crateús; José Terceiro, ep. Penedo; José Pedro, ob. Caetité; Francisco, ep. Afagados da Ingázeira; Candidus Bampi, ep. tit. Tlos; Wilson Laus Schmidt, ep. Xapecoensis; Adelmo Cavalcanti Machado, arch. Maceio; Avelar Brandâo Vilela, arch. Teresianus.

10

CONFERENTIA EPISCOPORUM INDONESIAE

Dolentes agnoscere debemus, hoc schema omnino deficere scopo sibi proposito. Scopus dicitur tum vita spiritualis roboranda, tum ministerium pastorale fovendum. Sed quoad primum non dicuntur nisi tria et insulsa; quoad secundum non tanguntur nisi aspectus quidam secundi ordinis, ut sunt studium continuatum, distributio cleri, res financiaria. Quaedam in hac parte utilia habentur, sed quae potius ad episcoporum munus pertinent quam ad ministerium sacerdotale.

Si propositiones hae, tales fere quales sunt, sacerdotibus praesententur, non solum in sua expectatione frustrabuntur, sed Concilium risum movebit.

Quapropter, etsi quaedam propositiones bonae sunt, complexum harum propositionum omnino approbare non possumus. Sed volumus, ut paucae propositio-

nes utiles incorporentur decreto *de munere episcoporum,* sed hoc schema qua tale seponatur. Dolemus, quod cooperatores nostros non possumus adiuvare aliquo decreto conciliari vere substantiali et succoso. Sed nolumus eis offerre tam inadaequata et, in situatione sua difficili et labore ingrato, tam pauperrima.

I. *De sanctitate* (nn. 1-3). N. 1: de fundamento sanctitatis sacerdotalis multo aptius loquitur *constitutio de Ecclesia* (n. 30, pag. 141 s.). Textus noster aridus est et librum scholasticum redolet.

N. 2: recte statuitur, quod sanctificatio sacerdotis fit per exercitium muneris sacerdotalis ipsum et per orationem. Sed quoad primum elaboratio est nimis trita, quoad secundum mirum est solius orationis mentalis mentionem fieri, quasi celebratio liturgica non esset oratio praecipua; connexio autem inter utrumque aspectum ne respicitur quidem. Sed quid dicendum est, hoc fere modo posset enuntiari: « Sacerdotes meminerint se per ipsum muneris sui fidele exercitium sanctificari, quo ad regnum Dei instaurandum et ad homines in suis necessitatibus sublevandos se totos dedicant, propria sua commoda ac emolumenta abnegantes et cor suum ad Dei hominumque servitium liberantes; memores autem simul sint, hunc sacerdotalem zelum nutriendum esse per orationem, qua in celebratione liturgica et in oratione mentali fides sua fecundatur, spes roboratur, caritas ardescit ».

N. 3: quaedam bona continet, scil. dedicationem ad regnum Dei et ad salutem proximorum, et consequentem liberationem ab amore proprio; unio cum consacerdotibus; abstinere a vanitate ac pompa. Sed in describenda fraternitate deest sincera cooperatio; « Vita communis » autem pro plerisque sacerdotibus est impossibilis; quoad abstinentiam a vanitate, optaretur exemplum episcoporum et officialium dioecesanorum; oboedientia modo unilaterali describitur modo paternalistico. Desideratur in tota descriptione illa apertura animi, qua sacerdos in quantulacumque auctoritate constitutus laicos libenter audiat eorumque consilio utatur. Desideratur etiam spiritus initiativae, qui novas formas quaerit, et a quo tarda pigritia fugit. Si quid dicendum est, hoc fere modo enuntietur: « Totam vitam suam sacerdos ad evangelicam formam pro gratia sibi data componere studeat; regno Dei hominumque saluti integre se devovens, animum ab amore proprio liberet; cum sacerdotibus uniatur vinculo fraternae caritatis, orationis, sincerae cooperationis, mutui auxilii, animi relaxationis; simplicitatem et paupertatem evangelicam, qua pauperes aptius evangelizet, tum in mente, tum in externa vitae forma prosequatur, vanitatem titulorum, vestium ac similium respuens; castitatem sincere amplectatur et sancte custodiat; in sua ad episcopum ceterosque superiores habitudine liberam initiativam et sinceram mentis aperturam cum oboedientia componat; laicorum, qui sibi committuntur, consilia libenter audiat et adiutorio humiliter utatur ».

II. *De studiis continuandis* (nn. 4-5). N. 4: non continet nisi trita, quod autem sacerdotes acquirere debent « altissimam cognitionem scientiarum humanarum », est exaggeratio. Numerus hic cum sequenti in unum componatur.

N. 5: continet quasdam suggestiones utiles, scil. institutionem moderatoris studiorum, bibliothecae centralis. Ad rem non est sententia de unione cum episcopis (pag. 6, lin. 31). Scribi fere poterit: « Ut sacerdotum vita spiritualis nutriatur et ministerium permaneat fecundum, conentur sacerdotes studium verbi Dei et scientiarum sacrarum non dimittere, et aliquam cognitionem habere illarum scientiarum humanarum, quae ad methodos apostolatus perficiendas conferre

possunt. Ut in hac re iuventur, instituantur moderatores studiorum, bibliothecae quae libros ephemeridesque iis commodent, habeantur cursus in re scripturistica, liturgica, catechetica, sociologica etc. ».

III. *De distributione cleri* (n. 6). N. 6: nihil in recto dicitur de ipsa re, sed solummodo de quibusdam aspectibus canonicis quae ad rem spectant. Normae autem quae his indicantur ad ius revidendum obscurae sunt, et si eas bene intelligimus, non videntur simpliciter approbandae:

A) De sacerdotibus qui aliam dioecesim penuria vocationum laborantem iuvare possunt. 1. Si apti sunt, in suo proposito ab episcopo iuventur; 2. plerumque alteram dioecesim, praesertim longinquiorem, ne adeant nisi plures uniti; 3. novae dioecesi addicti, incardinati maneant dioecesi originis, nisi ipsi post quinque annos novae dioecesi incardinari velint; etiam postquam novae dioecesi incardinati sunt, ius habeant ut infirmantes vel senescentes ad dioecesim originis redeant, et in ea iis fruantur adiumentis ac pensionibus quibus ceteri.

B) Seminaria internationalia et dioeceses vel praelaturae personales omnino non videntur multiplicandae. Timendum enim est, ne oriatur clerus nullibi solide radicatus nec satis sibi cohaerens.

IV. *De re oeconomica* (nn. 7-10). N. 7: nihil efficiet. N. 8: articulus iustus et magni momenti. N. 9: articulus bonus, sed qui potius pertinet ad munus episcopale. N. 10: idea « massae communis », ex qua etiam aliis necessitatibus providendum est, peccat contra leges sanae oeconomiae.

INDEX

CONGREGATIONES GENERALES

Congregatio Generalis XCVI

Congregatio Generalis XCVII

Congregatio Generalis XCVIII

CONGREGATIO GENERALIS XCIX

CONGREGATIO GENERALIS C

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE
QUOAD SCHEMA DECRETI DE APOSTOLATU LAICORUM

Congregatio Generalis CI

PAG.

CONGREGATIO GENERALIS CII

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE
QUOAD SCHEMA DE VITA ET MINISTERIO SACERDOTALI

APPENDIX

I

1. Schema decreti de apostolatu laicorum

2. Animadversiones scripto exhibitae
quoad schema decreti de apostolatu laicorum

A) *A die 1 iunii 1963 ad diem 9 decembris 1963.*

II

1. Schema decreti de clericis

2. Schema decreti de sacerdotibus

3. Animadversiones scripto exhibitae quoad schema decreti de clericis

A) *A die 1 iunii 1963 ad diem 30 novembris 1963.*

4. Animadversiones scripto exhibitae quoad schema decreti de sacerdotibus